7/7/1982

S. 1301A

MISCELLANEA CURIOSA
MEDICO-PHYSICA
ACADEMIÆ
NATURÆ CURIOSORUM,
SIVE
EPHEMERIDUM MEDICO-PHYSICARUM GERMANICARUM
ANNUS QUARTUS ET QUINTUS
Anni M DC LXXIII. & M DC LXXIV.

continens

Celeberrimorum Virorum tum Medicorum tum aliorum Eruditorum

In

Germania & extra Eam

OBSERVATIONES

MEDICAS PHYSICAS CHYMICAS.

Acceſſit

APPENDIX,

In qua

Non nulla lectu haut indigna aut ingrata occurrent.

FRANCOFURTI & LIPSIÆ

Sumptibus JOHANNIS FRITZSCHII, Bibliopolæ Lipſienſis.

ANNO M DC LXXVI.

POTENTISSIMO

AC

INVICTISSIMO

ROMANORUM IMPERATORI

LEOPOLDO I.

PERPETUO AUGUSTO,

GERMANIÆ,

HUNGARIÆ,

BOHEMIÆ,

DALMATIÆ,

CROATIÆ,

SLAVONIÆ &c.

REGI,

ARCHIDUCI AUSTRIÆ,
BURGUNDIÆ,
BRABANTIÆ,
STIRIÆ,
CARINTHIÆ,
CARNIOLÆ
&
LUTZENBURGI,
WURTENBERGÆ
ac
SILESIÆ
DUCI,
COMITI TIROLIS
&c. &c.

AUGU-

AUGUSTISSIMA MAJESTATIS TUÆ, INDULGENTISSIME CÆSAR, Clementia, qua ſubjectiſſimam *Naturæ - Curioſorum Academiam* non deſinis reſpicere, immo benigniſſime fovere, eam fœcunditatem *Societati iſti* largita eſt, ut meſſes ſuas annuas iterum humillime offerat atque conſecret: TUO prorſum, DOMINE, allectamento & *iſtius* devotiſſima pientiſſimaque gratitudine, infrunitâ nequaquam temeritate. Nam Opusculum, quod dedicatur, infra THRONOS tantopere VENERANDOS nimium quantum abjectum eſt, nec ad SCEPTRI aſſurgere MAJESTATEM poteſt, niſi HOC ſpontanea & propitia Inclinatione *illud* erigat ſublevetque. Si itaque mare amnes

ex ſe ortos in ſuum redeuntes ſinum pronè excipit; næ MAJESTAS TUA id, quod pietas TUÆ TUTELÆ TUÆque MUNIFICENTIÆ debet ac reddit, Clementiſſimo ſuſcipiet Vultu. Ut Auguſtiſſimo Majeſtatis Tuæ in Imperio dicta *Academia* nata eſt, ut ſub eodem protegi geſtiit, quin & impetravit deinceps, ut CÆSAR PATRONUM IPSE SE haberi ferret, & Diplomatis, pro Academiæ ac Legum Confirmatione, Splendidiſſimâ Promulgatione ſummopere Indulgentem SEMET præſtaret; nec non denique Collectores Ephemeridum Academicarum Vratislavienſes *Henricum Vollgnadium* & *Johannem Jæniſium* aurearum IMAGINUM è ſuis Torquibus pendentium nuperrimè, ex CÆSAREA ſanè MUNIFICENTIA, donari juberet.

Tanta

Tanta Summæ CLEMENTIÆ Argumenta, cum *Academiam Naturæ-Curioſorum* & univerſim eo mactent ſplendore, qui Genere etiam Illuſtres Perſonas in *eandem* adducere valuit, & inſuper ſingillatim *illi* addictos Cultores opimo laboris præmio exornent: Subjectiſſimi *Naturæ-Curioſi* omnes & quam maximè *Collectores Ephemeridum* in Glorioſiſſimas laudes & præſenti & futuro Nepotum, quoad ullum erit, ſeculo devotiſſimè commendandas, ſemet effundent.

Atque hoc eſt, quod juxta Victorioſiſſima INVICTISSIMI LEOPOLDI Trophæa, perpetuum *illi* Gratitudinis monumentum conſtituunt, BENEFACTORI OPT. MAX. æterna debita profitentes.

Interea SUMMUS ILLE REGUM REX, qui IMPERATOREM TE, DOMINE,

MINE, juſſit eſſe, jubeat, ut AUGUSTISSIMAM DOMUM AUSTRIACAM, MASCULI SUCCESSORES nunquam deficiant! IDEM, Potentiſſima Feliciſſimaq́ue TUA Arma ita ſecundet, ut IMPERIO ROMANO-GERMANICO Pax exoptatiſſima mox redeat! Sic AUGUSTISSIMI LEOPOLDI ſub tutisſimâ umbrâ beatisſimo gaudebunt otio, *Nunquam Otioſi*,

SACR. CÆS. MAJESTATIS

ſubjectiſſimi

Academici Naturæ-Curioſi.

OB-

OBSERVATIO I.
D. CAROLI RAYGERI
DE
DEFECTU ARTERIARUM SPERMATICARUM.

CUm non ita pridem aliud quærens Excell. D. D. *Melch. Sebizii* Præceptoris mei æternùm devenerandi *Speculum Medicinale Practicum* evolverem, & forte fortuna in *Part. IV. Sect. IX. c. 10.* invenirem, poni ab ipſo inter alias læſæ Generationis cauſas defectum quoque naturalem Vaſorum Spermaticorum, his verbis: *Abfuiſſe enim illa (Vaſa ſc. Spermatica) vel omnia, vel quædam ſolummodò, diſſectio corporum planum facit.* Et nos in quodam cadavere Spermaticas abfuiſſe arterias obſervavimus, venas autem ſeminales adfuiſſe quidem, ſed admodùm tenues atque exiles, &c. In memoriam venit, notabilem hunc defectum & à me notatum Argentinæ in ſolenni Anatomiâ Juvenis cujusdam ſuſpendio necati. Ubi cum Anatomicus noſter *D. D. Joh. Albert. Sebizius*, itidem Præceptor & Hoſpes meus perpetuò ſuſpiciendus, in ſequentis diei demonſtrationem publicam vaſa præparare vellet generationi inſervientia, utrinque venas quidem Spermaticas legitimè oriundas, ſed Arterias deprehendit nullas. Studiosè perſcrutatus omnia, ſed ne veſtigium quidem illarum vel ex Aortâ loco conſueto egreſſus, vel legitimi cum venis progreſſus, aut in conſtitutionem corporis pyramidalis concurſus invenit ullum. Non potuimus rei tàm neceſſariæ abſentiam ſatis mirari oculis diffidentes propriis. Poſſe autem abeſſe cum aliis imprimis teſtatur *C. Barthol. in Inſtit. Anat. l. 1. c. 21.* repetitque filius ejusd. Clariſſ. *Thomas in Anat. reformat. itid. l. 1. c. 21.* ut & *Riolanus Anthrop. l. 2. c. 25.* Quod tamen contra omnes negat accuratiſſimus Anatomicus *D. Regn. de Graef. in tract. de Vir. Organ. gener. inſerv. p. 40.* ex eâ ratione, quod ſi vas deferens adſit, neceſſariò quoque vas adferens adeſſe debeat. Cui non immeritò adjungi poteſt alia quæſtio: Unde nempè in ho-

rum vaſorum defectu materiam nutritionis & Seminis accipiant Teſticuli? Hos enim in noſtro ſubjecto non deſtitutos fuiſſe ſuo pabulo, illorum magnitudo & reliqua ſatis bona conſtitutio probavit: Nec ſemine caruiſſe ex eo conſtat, quod ſtimulis hic valdè tentatus libidinis, nam ob furtum commiſſum cum ſcorto deprehenſus fuit, & alii alibi maritatum fuiſſe affirmarunt. At ſine ſemine vix vel exiguus erit ſenſus libidinis, quod probant pueri, qui ob ætatem illud nondum habent, & Eunuchi, ob ablata vaſa idem generare non valentes; Unde ancilla apud *Terent. in Eunuch.* Amatores mulierum eſſe audieram eos maximos, ſed nihil poteſſe. Venas arteriarum loco ſuppeditaſſe ſanguinem pro nutritione & generatione ſeminis frigidi quamvis & infæcundi, vitali Spiritu à corde per arterias communicando deſtituti, reſpondebunt ii, qui contra circulationem pugnant, quo collimare etiam videtur *Riolanus l. 5.* At præter aſſertam & invincibilem ſanguinis Circulationis certitudinem obſtat venarum ſtructura Spermaticarum valvulis conſpicuis prædita, quas eleganter exhibet *R. de Graef. in prælaudato tractatu ſuo.* Si ad ſuccum nutritium per nervos influentem cum *Charletonio Oeconom. Anim. Exerc. X. Warthon. de Gland. c. 29. & D. Rogerſio in Diatr. Jatroſoph. de Spermatoſi l. 1. c. 13.* vellemus confugere promptiſſima & nutritionis & ſeminis adeſſet materia. Nec illa nobis ad Spermatoſin deficeret, ſi cum *Bilſio* Lympham acciperemus per ductus Limphaticos ad teſtes delatam. Sed hæc ſuo loco relinquenda. Mihi valdè probabile videtur, Naturam cum in hoc & aliis vaſa fabricârit revehentia, aliunde & fortè non incommodè ex Arteriâ Hypogaſtricâ, cujus ramis aliàs iſta regio irrigatur vaſis ſuccurriſſe deferentibus, ut habeant teſticuli, ex quo & nutriantur & ſemen conficiant. Has dum ad finem deduxi lineas, percommodè in manus mihi venit Annus III. Ephemeridum Veſtrarum, ubi maximâ cum lætitiâ hæc, quæ animo mecum conceperam, reverâ ſe habuiſſe & inventa fuiſſe in quodam ſubjecto humano deprehendi *Obſerv. 113.*

OBSERVATIO II.
D. CAROLI RAYGERI
DE
LAPIDE SERPENTIS PILEATI.

NOn dubito, quin ingenioſiſſ. *Fr. Redi* hâc de materiâ utramque paginam abſolverit *in Suis Experimentis circa diverſa Naturalia*

& Spe-

& ſpeciatim ex Indiâ allata, per literas ad R. P. Athanaſ. Kircherum S. J. exhibitis, quæ propediem videre exopto. Intereà ſequens habete Experimentum, quod hoc Lapide binis Vicibus mecum tentavit *D. D. Joach. Georg. Elſner*, Amicus meus integerrimus, nunc Urbis veſtræ Medicus, quamprimum ipſi ejusdem, neſcio unde, copia facta. Examinavimus primò lapidem, qui in omnibus externis conveniebat cum deſcriptione *Kircheri*, quam habet *in Magnetico ſuo Naturæ Regno ſect. II. c. 5.* &, ut certiores eſſemus, detulimus ipſum ad prælaudatum Patrem, quem ſtatim ac vidit, pro vero agnovit. Deſcendimus ergo in Officinam Pharmacevticam, quæ in Collegio Romano habetur inſtructiſſima, & obtentis à Pharmacopœo viperis unam ex illis elegimus grandiuſculam, illamque naribus ligati cujusdam canis admovimus, quas ita mordendo vulneravit, ut ſanguis inde largiter fuerit ſecutus. Lapis applicatus vulneri ſtatim adhæſit per duas vel tres horas, tandem ex impetuosâ canis agitatione decidit, nec ampliùs adhæſit, in lac projectus illud nec in ſubſtantiâ, nec qualitate mutavit. Solutus canis aufugit, benè valuit, & vivens adhuc Romæ à nobis relictus eſt, primis tamen diebus, ut audivi, ſanguinem minxit, an ab hoc vulnere, vel aliâ de causâ neſcio. Lætus de felici ſucceſſu Experimenti gratulari Amico cœpi de invento theſauro & obtento Lapide quâvis gemmâ pretioſiore. Sed dum omnia diligentius annotarem, ſcribenti ſupervenit Magiſter meus Linguæ Italicæ, mihique aliam hiſtoriam de morſu viperæ in cane ſuo recenſuit: Exſpatiatum nempè ſe aliquando in campum, ſecum ducendo parvum canem venaticum, qui hinc inde odorando vagatus imprudens in viperam incidit, à quâ demorſus vehementer exclamavit, accurriſſe ipſum ſubitò, & deprehenſum vulnus in crure, facta ligatura ſuperius, cultro dilatasſe, ſangvinemque fortiter expresſisſe, ſic quidem non extemplo canem mortuum, ſed biennium malè tamen valentem ſupervixisſe. Movit mihi hæc relatio ſcrupulum, an quod canis ille noſter ſervatus lapidi, vel potiùs ligaturæ oris, ne canis ſe. morderet, factæ, qua fortasſis impeditum venenum, quo minùs ſanguini communicatum, ſed potiùs cum illo, qui ex vulnere ſtillavit, iterum effluxerit, tribuendum. Quare Paduæ denuò juncti reiteravimus experimentum. Exacerbatam viperam ventri admovimus cujusdam canis, quæ ſtatim ipſum intrà Diaphragma momordit, nullo effluente ſanguine, ſed guttâ remanente limpidiſſimâ luteâ, quæ ſtatim intravit cutim. Admotus lapis loco demorſo, qui lividus factus adhæſit, & tri-

bus quatuorvè horis elapſis decidit. Solutus canis vinculis benè valere viſus, nihil tamen eâ veſperâ cibi ſumſit, multum contrà bibit, & tertiâ die, ut audivi, nam mihi Venetias concedendum erat, mortuus. Alium canem eadem momordit vipera, quæ priorem, nulla tamen poſt repetitos morſus apparuit gutta liquoris illius lutei. Hinc ſtatim canis ſurgere, diſcurrere, edere, bibere cœpit, & poſt duos dies aufugit. Cœpi dubitare de virtute Lapidis; cœteroquin in tribus confirmatus fui: (1.) Si in talibus morſibus ſtatim fiat ligatura & inciſio, ſanguisq; liberè fluat, posſe ſervari vulneratos. (2.) Non dentes viperæ, ut multi credunt, eſſe venenatos, ſed ſalivam, cum absque hujus effuſione illius morſus ſint innocui. (3.) Non quovis tempore viperam nocere morſu, ſicut non ſemper ſcorpionem ictu, prout obſervavit ab initio laudatus *Fr. Redi in ſuis Obſerv. de Vip.*

[Videri hanc in rem etiam poteſt *Paul. Renealmus*, qui *Obſerv. 155. p. 118.* canes, *ſcribit*, à viperâ demorſos non interire, ſed poſt 24. horas tumefactas eorum partes ad naturalem conſtitutionem reverti, venenum in illis ſenſim extingui, appetitumque cibi & potus reviviſcere, quod contingat ob *ἰδίαν συγκρασίαν* corporis &c.]

OBSERVATIO III.
D. CAROLI RAYGERI
DE
PARACENTESI IN ASCITICO ET DE FOEMINA ANASARCA LABORANTI APERTA.

IN Aſcitico quodam ultra decem menſes, inſtitutam vidi Paracenteſin Lutetiis Pariſiorum in Noſodochio L'Hoſtel Dieu vocato, ab illius Chirurgo jurato Mr. Petit ſequenti modo & ſucceſſu. Factâ in umbilicum inciſione & immisſo canali ferreo binis transverſis digitis longo, aquam extraxit primâ vice ad libram unam, canaliculum immisſo Epiſtomio ritè clauſit. Ita primo die bis, altera ter aqua in convenienti copia detracta. Nocte quæ tertium præceſſit diem, de ingentibus inteſtinorum doloribus conqueſtus & inquietius dormiens recluſo Epiſtomio ſibi ipſi aquam educere cœpit, quod cum ritè loco ſuo reponere nequiret, fluxit aqua ad auroram usque & adventum Chirurgi: Unde peſſimè ſe habuit & unius vel alterius horæ interjectâ mo-

râ vitam cum morte commutavit, juxta *Hipp. ſ. 6. Aph. 27.* Cadaver ejus apertum talia exhibuit. Abdomen ante ſectionem ita erat tumidum ac diſtentum, ac ſi ne gutta humoris emiſſa fuiſſet, quo inciſione rectâ aperto ſeroſus humor ſubflavi coloris in magnâ quantitate effluxit. Hâc eductâ & ſectione ulterius continuata, inter Peritonæum & Muſculos abdominis aqua apparebat nulla, Peritonæum autem infra umbilicum conſpiciebatur valdè inflammatū ac rubeſcens, ſupra verò & circa ſitum hepatis quaſi gangrænoſum mucosâ quâdam viſcidaque materia alba circumcirca obductum, cui inſuper ſangvis nigricans in grumos concretus adhæſit. Inteſtina inflammatione ingenti & quaſi Eryſipelate erant correpta, (unde fortè iſti cruciatus, de quibus conquerebatur) ſimilemque materiam mucoſam adjunctam habebant. Hepar genuino præditum colore ac duritie, nec niſi circa veſicam felleam albicantius conſpiciebatur. Lien à ſtatu naturali non recesſerat, niſi quod vicinam habuerat veſicam aquâ plenam, quamvis tùm ruptam. Pulmones boni erant & naturales. Veſica urinaria admodùm parva, contracta, omniquе urinâ deſtituta. Eodem die, quo hujus Aſcitici extiſpicium inſtitutum percommodè etiam mortua fœmina Anaſarca laborans, in cujus cadavere aperto ſequentia notanda erant. Ex abdomine aqua effluxit ejusdem coloris, ut in viro, ſed in minori copiâ odoris quoque admodùm fœtidi. Peritonæum, omentum & inteſtina parvis ſcrofulis durioribus inquinata, valdeque inflammata, muco quoque planè ut in ſuperiori undique obſita. Hepar per totam ſubſtantiam ſcrofulis ſcatuit diverſæ magnitudinis, quarum majores imperialem excedebant, hæ per inciſionem extractæ & apertæ materiam continebant albicantem & quaſi tophaceam. Lien parvus & ſubrotundus colore tamen naturali. Pulmones lividi, lobusque dexter inflammatus, ex quo inciſo ſangvis ſtillabat nigricans. Similem planè hiſtoriam referunt *Acta Med. Haffn. à Cl. Th. Barthol. edita Obſ. 8.* Cæterùm licet Paracenteſin omnes ferè Medici commendent, mihi tamen ſalvo aliorum judicio videtur vel inutilis vel non neceſſaria. Inutilis, ſi interna adſit prava viſcerum conſtitutio, ſi jam Hydrops nimium invaluit, ſi in fine adhibeatur, ut plerumque fieri ſolet, debili jam exiſtente ægroto, tùm non rarò vita cum aquâ effluit. Non neceſſaria, ſi interna ritè ſe habeant, & natura per ſe ſatis valida aut medicamentis adjuta saburram aquoſam per loca convenientia expellere poſſit. Vid. in meam ſententiam *River. P. M. Lib. II. c. 6. Fr. Joël. l. V. Pract. S. 1. de Hydr.*

OBSERVATIO IV.

D. CAROLI RAYGERI

DE

PAROTIDIBUS.

VErisſimum eſſe, quod asſerto *P. Alpin. l. 7. M. M. præſag. ult.* (*citante M. Aurel. Sever. de recond. Abſc. nat. l. 1. c. 29.* ex quo etiam *Riverius* fortasſis ſuum ſumſit Theorema *Inſtit. Med. l. II. S. II. c. 3.*) Abſcesſus poſt aures perpetuò ſunt ſuſpecti, nam ferè ſuperveniunt fractis viribus & videntur novas morborum attexere cauſas; vel ex ſequentibus patebit Hiſtoriis. Illuſtriſſ. Comes ab Hardegk, magnæ ſpei Juvenis intra 17. & 18. ni fallor, annum morbillis corripitur Argentinæ, à quibus curâ Medicorum extra periculum conſtituitur, & liberatur die 12mo vel 14to. Poſtquam jam melius valere viſus in hypocauſto deambulare & literas domum de reſtitutâ ſanitate exarare, cœpit, ſubitò in novam incidit febriculam cum virium omnium languore ac proſtratione, erumpentibus inopinatò pone aures parotidibus, & licet omnia, quæ conducere videbantur, adhibita, nihilominùs ille tertio vel quarto die in flore ætatis, ingenti ſuorum cum luctu, obiit. Fortè hæc Andegavi narravi Medico Urbis Noſodochio præfecto, cum ille manu me duceret ad lectum ægroti cujusdam, ecce, inquiens, hic periculoſisſimâ febri continuâ laboravit, ſed jam apparentibus motu naturæ critico iſtis tumoribus rectius ſe habet, & ſpero evaſurum. Interrogatus ægrotus affirmabat, quæ Medicus dicebat, nihilq; jam ſibi moleſtius eſſe ſiti & virium languore. Hæc mihi diſplicuére, in memoriam revocando illud *Hippocr. in Coacis*: Qui morbi in malis ſignis levantur, & qui in bonis non remittunt, difficiles, ut & *2. Aph. 27.* Non ſi quid in morbo præter rationem fiat levius, fidendum &c. quippe Criſis, quæ fit ad partem principem (utpote caput) perpetuò ſuſpecta. Reverſi altero die inquiſivimus in iſtum ægrotum, ſed ille circa mediam noctem mortuus cum admiratione Medici, qui fidem Obſervationi meæ tùm demùm dedit. Hîc Poſonii A. 1671. in lepidâ puellâ undecim, credo, annorum mihi conſanguinea, ſimiles funeſtas notavi Parotides. Laboravit illa præteriti anni autumno morbillis, ſed inde legitimè tractata penitùs convaluit. Circa initium autem præfati Anni ſine dolore apparuére tumores in collo, concomitante lentâ & leviſſimâ febriculâ, ſemper de nocte recurrente. Crevére indies tumores, &

aucta

aucta febris degeneravit in Hecticam, inſequente Maraſmo, quo totum corpus miſerum in modum contabuit, ut cutis oſſibus hæſerit, donec menſe Auguſto vitam cum morte ingenti matris viduæ cum luctu commutavit. Hi tumores nullis remediis ad ſuppurationem deduci poterant, ſemper duri ad tactum manentes.

Quartum adjungo ſed felicioris eventus Exemplum in Illuſtriſſ. cujusdam Comitis, qui primò nominatum conſanguinitatis gradu attingebat, filiolo, Ottone Henrico. Convaleſcens hic Poſonii A. 1670. ex morbillis ſenſit tubercula circa aures, cum febri quidem intermittente, ſingulis tamen diebus circa veſperam redeunte, afflictiſſimis parentibus priorem flebilem caſum non ignorantibus. Ego verò nihil territus repetendo Alexiteria & Diaphoretica (reſiduam enim à morbillis judicavi malignitatem eo expulſam) & ſub finem purgando ipſum feliciter per D. G. reſtitui. Eſt autem hoc morbi genus noſtratibus inprimis in juventute valdè commune, & quandoque cum tali invadit ſignorum vehementiâ, ut meritò aliquem tempore inprimis contagii & rei ignarum terreant, aut aliquid mali ſuſpicari faciant. Remittit tamen ut plurimùm intra 24. horas morbi vis, & tubercula ſenſim ſine ſuppuratione evaneſcunt, ad quæ ne redeant præſervationis ergò communiter Cucurbitulas cum Scarificatione adhibent. De Parotidibus in malignâ febre earundemque curâ *Vid. River. in tr. de Febr. cap. de febr. peſt. ſub finem.*

OBSERVATIO V.
D. CAROLI RAYGERI
DE
AURIUM VERMIBUS.

NOn in inteſtinis tantùm, ſed in omnibus propè corporis humani cavitatibus vermes generari obſervant Obſervationum Scriptores. Fœmina quædam hîc Poſonii in ſuburbio habitans per longum temporis ſpatium capitis auriumque divexata doloribus, tandem Chirurgum acceſſit, petens auxilium, credere enim ſibi aliquando ſub dio dormienti aliquod animal in aurem dextram irrepſiſſe. Applicuit iſte ſubridens Cataplaſma, & quæ neſcio alia. Sed ecce cum quadam die de ingentibus lancinantibus doloribus conquereretur, aurem inſpexit, vermesque deprehendit, quorum in meâ & D. D. Zolicoferi, nunc Archiatr. Bregenſ. præſentiâ complures

ex-

extraxit albos, cum capitulis nigricantibus illis ſimiles, qui in pyris vel avellanis naſci & inveniri ſolent. Incluſi tres chartæ bibulæ domum eos portaturus, & ad Microſcopium examinaturus, ſed cum illos eximere vellem in arroſâ vel attritâ chartâ, quamvis nihil prætereà in illo ſacco habuerim, nullum invenio niſi unicum extra eam in ſacco, quo reliqui aufugerint, neſcio. Videbantur autem vermes non irrepſiſſe, ſed geniti fuiſſe ex ulcere, id quod fieri poſſe ex Obſervationibus conſtat. Mulier adhibitis fomentis ex herbis vermes necantibus & ulcus aurium (nam pus quoque & ſanguis ex illis fluxerat) conſolidantibus, convaluit. Similes planè vermes annotavit *Henr. à Moinichen Obſ. 16. à Th. Barth. Cultro Anat. Lyſeri annexa.*

OBSERVATIO VI.
D. CAROLI RAYGERI
DE
REPENTINA MORTE CUM TOTIUS CORPORIS INFLATIONE.

TExtoris, noſtris in ædibus hîc habitantis, filia 15. annorum de compreſſione cordis ventriſque dolore diu conqueſta, ſpedes intumeſcere cœpit. Dedi pulverem conſvetum purgantem, quo ſatis purgata, ſequentibus diebus *decoctum prunorum* cum *fol. Senæ, Rhab.* & *Crem.* ♀*ri* aliàs ſibi familiare ſumſit. Inde melius habere ſibi viſa ad conſveta rediit munia. Verùm 25. Martii 1670. parùm quaſi in facie & reliquo corpore inflata videbatur, nihil tamen hæc curans puella ſua peragit, domo exit quaſi optimè ſana. Circa veſperam inopinato convulſionibus tentatur Epilepticis, iisque adhibitis licet adhibendis, circa mediam noctem, poſtquam per duas horas continuò clamaſſet, & interrogata ad nihil reſpondiſſet, extincta. Intumuit ita poſt mortem corpus, ut vultus vix dignoſci, venter verò medius rumpi crederetur. Dubium unde iſta totius corporis intumeſcentia & ſubitanea inſequens mors? An à verminoſâ materiâ ita ebulliente? Laboraſſe enim anteà ex vermibus conſtitit. At procul dubio illius materiæ vis fracta per crebras & reiteratas purgationes fuiſſet. An ab accepto veneno aut re venenatâ unà cum rebus comeſtibilibus, quas ſine ordine, ſine ratione ingeſſit varias, aſſumta? Hoc valdè veriſimile circumſtantibus viſum, & tale quid in ſimili ſubitaneâ morte filiæ Gar-

thianæ

thianæ etiam ſuſpicatus *Sennert. Cent.1. Ep. 26.* An à ſanguine menſtruo inordinata Diæta peculiariter corrupto & in motu impedito? Hoc mihi probabile, cum puella in illo tempore conſtituta, ubi alias menſes erumpere ſoleant. Quas autem & quantas turbas hic ſangvis ſive per menſtrua, ſive per lochia expurgari ſvetus, ſi ſubſtiterit, ciere posſit, pleni ſunt Medicorum libri, plena Aſclepiadæa vetuſtas. Addam de meo hiſtoriam confirmationis ergò ob ſimilem eventum huic, quam propoſui, non disſimilem. Accerſitus eo ipſo ad molitoris cujusdam uxorem, jam ſexto menſe gravidam, illam cubantem in lecto, difficulter ac nonniſi cum anhelitu reſpirantem inveni, pulſu nihil mutato. Interrogata de dispnoeâ & cordis anxietate querebatur, ventremque ſe jam à ſeptem diebus non depoſuisſe, proinde continua torqueri aſſidendi necesſitate, nihil præter phlegma exeunte. Ego juxta *Hipp. S. 7. Aph. 27.* infallibile abortus ſignum inde depromens, jusſi applicari per obſtetricem Enema εὐπόριστον, & præſcriptis aliis affectum concernentibus, fœtum autem inprimis roborantibus, diſcesſi. Altero die ſummo manè reverſus eam in longè periculoſiori ſtatu inveni. Tàm horribili afflicta erat miſera diſpnoeâ, ut nec ſtare, nec jacere in lecto potuerit, ſed humi ſedere coacta fuerit: miſi ſanguinem ex Medianâ, ſed cum nec repetiti clyſteres quidquam juvarent, infans mortuus, illaque in procinctu abortiendi erat juxta effatum obſtetricis, atque adeò undiq; deſperatâ re, dedi *Aquæ noſtr. Laxat. Off.* ℥iiß. Paulò pòſt abortit puellum mortuum benè conformatum. Poſt puerperium bis vel ter laxata alvus excrevit nigra, dura, aduſta: Exinde melius ſeſe habuit, reſpiratio rediit facilis, fluxére convenienter purgamenta in tertium usque diem, ubi derepente ſine evidenti cauſa circa meridiem minui, circa veſperam ſubſiſtere cœpere lochia: Svaſi ſtatim V. S. in talo, quam circumſtantes me invito in craſtinum differre maluerunt. Exhibui tamen interna fluxum promoventia non neglectis externis. Vix diſcesſi, ecce venter mirum in modum intumuit, illa inſigniter incepit delirare, hinc inde ſe volutare, evomere phlegma quoddam nigrum, ac ſi atramentum immiſtum eſſet. Duabus horis elapſis iterùm vocor, ſed in ſtatu jam inveni deſperato, animam jam jam agebat, pulſus deficiebat, ventris intumeſcentia ita creſcebat, ut ad collum usque aſcendere videretur, ita quidquid hic præſtitum, circa undecimam noctis exſpiravit. Hujus tàm triſtis & ſubitaneæ mortis cauſam non posſum niſi in Lochia peculiariter corrupta & detenta conjicere.

OBSERVATIO VII.

D. CAROLI RAYGERI

DE

PLEURITIDE POST MORBILLOS SINE V. S. CURATA.

VEnæ ſectionem in Pleuritide tantum non omnes Medici tàm veteres, quàm recentiores commendant, illam contrà *Helmontius* non modò disſvadet, verùm etiam tanquam nocivam improbat, *tract. de Febr. c. 4.* & faventem quodammodò habet Hippocratem, qui ſive ab initio ſive poſteà lateris dolorem calefactoriis tentare ſvadet disſolvere *lib. de Vict. Rat. in Acut. t. 11. & 12.* expreſsè habet: *Solvit autem hujusmodi mollitorium fomentum etiam dolores ad claviculam pertingentes. Sectio autem venæ ſimiliter non ſolvit.* Quod quidem alii de Pleuritide ſpuriâ à flatibus, non de verâ & exquiſitâ dictum volunt. Refert *Henr. à Moinichen in Obſ. 11. cultro Lyſeri anatom. à Barth. annexa*, Joſephum Aromatarium omisſa V. S. & purgatione ſolum C. C. in aquâ rutæ caprariæ exhibuiſſe, atque ita Nobilem Pleuriticum feliciter curaſſe, quod jam ſæpiùs & proſperè ab ipſo tentatur. Meminit etiam cujusdam Viri Clarisſimi Romæ, qui ſpiritu quodam thoracem & pectus inungit, ſicque ſine V. S. vel purgatione Pleuriticos reſtituit, maximè morbi in principio. His addere lubet ſequentem obſervationem. Octo annorum puella, conſanguineæ meæ filia, poſtquam ſana & benè valens cubitum iviſſet, noctu inquietius dormivit, ſenſit adjacens mater calorem quendam præternaturalem, & in expergefactæ vultu manè maculas quasdam notavit rubras. Vocatus ſtatim pro morbillis epidemialiter tùm graſſantibus habui, præſcripſi pulverem expelientem ter in die exhibendum. Altero die reverſus nec majores, nec minores, nec plures inveni maculas, pulſus erat mutatus ab heſterno, non tamen omnem abeſſe calorem arguebat. Jusſi inſiſti expellentibus. Tertio die circa veſperam iterùm ipſam viſitans maculas ut jam per triduum in ſolâ facie, in toto corpore reperii nullas. Læta inſuper ægrota ſe nihil præter tormina ventris quædam ſentire ajebat, nam per tres dies erat conſtipata. Ordinavi Clyſterem, jam de morbo, qui non more conſveto augebatur, ſed potiùs imminutus, dubitabundus: ex quo tres largas habuit evacuationes, & ecce derepentè calor auctus, delirium

intro-

introduxit inſomne, mane appellatus totum corpuſculum cum admiratione morbillis impletum vidi. Credidi, abundantibus in corpore excrementis naturam quaſi oppreſſam non potuiſſe ad illorum expulſionem concurrere. Id quod etiam hâc æſtate obſervavi in quodam alio, cujus jam in octavum diem ægrotantis calore non excesſivo detenti, poſt laxativum totum corpus copioſisſimis fœdatum unâ nocte eſt petechiis, exemplo tamen non ſemper imitando. Sed ad noſtram: Conſolatus matrem bono animo eſſe juſſi, præſcriptis præſcribendis. Septimo poſt primam invaſionem die diſparuére maculæ nunquam ſatis rubicundæ, ſed ſemper pallidiores, calor autem febrilis non modò non imminutus, ſed potiùs auctus, tuſſis urgebat, vehemens dolor circa cor inprimis in ſiniſtro latere novum malum prædicebat, quare ſi quid maligni adhuc ſupereſſet, ut extruderetur, potiunculam præſcripſi ſudoriferam ex *Aq. Scorzon. Diaſcord. Fracaſt.* & *Mixt. ſimpl.* qua largiter ſudavit, neque tamen calor aut dolor lateris (quem illa cordis dolorem ex inſcitiâ nominavit, & nobis quoque primâ fronte impoſuit) aut tuſſis vehementia ceſſavit. Continuavi Diaphoreticis & loco dolenti imponi curavi Cataplaſma conveniens, ſicque die duodecimo inopinato ruptum Apoſtema & ſanguinem exſpuit primò inſtar loturæ carnium, mox ſubſecutum aliud ſputum album craſſum ſtriatum. Exhibui Antipleuritica, inprimis autem Oleum Lini (quod tantoperè commendat *Geſnerus*, & cujus uſum approbatum habeo) cum *ſpeciebus diaireos*, quibus auxiliante Deo feliciſſimè reſtituta. Manſit per aliquod tempus calor quaſi hecticæ initium, quem uſu lactis caprilli penitùs extinxi.

OBSERVATIO VIII.
D. CAROLI RAYGERI
DE
PLEURITICO CURATO, CUI EX ASSUMTO INCAUTE VOMITORIO VARIA SYMPTOMATA.

UTi omnia medicamenta, ſi rectè & commodè exhibeantur, auxiliatrices ſunt Dei manus, ſin malè & ſiniſtrè deleteria fiunt ac venena: Ita inprimis ex illis vomitoria, utut conferant commodè data, nocent ſine ratione propinata. Vinitor qui-

dam hic in ſuburbio habitans ex arbore lapſus in ſiniſtrum latus incidit, aperta vena & ſumto ungvento rubro potabili nihil amplius ſenſit incommodi. Elapſis tribus ſeptimanis novos in illo latere & quidem punctorios percepit dolores cum febri continuâ, ſputo ſangvineo &c. Tractavi ut Pleuriticum, & per D. G. optimè reſtitui, dato ipſi ſub finem decocto pectorali laxativo ad aliquot dies, quo licet benè purgatus, ſibi tamen non ſatis videbatur, urſit adhuc aliam purgationem, quam promiſi poſt reditum meum (ſtabam enim in procinctu peregrè abeundi) relinqueret intereà Naturæ negotium, non eſſe periculum in morâ. Cujus tamen impatiens hic patiens, benè cæteroquin ſe habens, ex ſolâ pertinaci imaginatione ſibi adhuc ſemel eſſe purgandum, nec diutius differendum, intravit Officinam Pharmacevticam, & à Pharmacopœo Medicamentum petiit fortiter purgans & vomitoriũ. Datus ipſi ab inconſiderato juvene tùm temporis præſente pulvis, quo nec per ſuperiora nec per inferiora purgatus. Miratus Pharmacopœus altero die talia narranti aliam doſin duplo majorem priore dedit. Sed & hæc nihil præter duas dejectiones effecit. Tandẽ tertiâ vice ex neſcio quo Medicamento (nunquã enim hoc unà cum prioribus duobus à Pharmacopœo reſcire potui) bis vomuit, & aliquoties alvum depoſuit. Nec mora ſtatim poſt operationem in langvorem incidit totius corporis, ſenſit dolores infimi ventris, inprimis lumborum & ingvinum, nec moveri, nec incedere potuit, ſed ſemper in uno latere jacere coactus, pede ſiniſtro planè immobili & ſine ſenſu, ac urinâ nonniſi cum difficultate fluente. Dedi, omnium, quæ in abſentia meâ geſta, inſcius, in conſilium tamen iterùm vocatus, nec cauſam horum Symptomatum mirando vel indagando aſſequens, purgationem ordinariam ex ſalibus cum Magiſterio Jalapæ, ex quâ plus quàm quindecies purgatus, ſumſit poſteà decoctum Foreſti Anti-Nephriticum cum Tinct. ♀ri ad exturbandum ſabulum vel calculum, à quo ſtuporem pedis, lumborum dolorem, & urinæ difficultatem oriri conjiciebam, omnia tamen fruſtrà. Tandem ſubitò urina reddita clarior, liberè fluxit, dolores reliquêre lumbos & ingvina, horribiliter contrà invasêre utraque crura, inprimis totum pedem ſiniſtrum, hinc in dextro aperta vena, adhibita aqua Arthritica cum ſpiritu juniperi lumbricato & eſſentia Caſtorei, ut & pulvere Jumali ex herbâ Sabinæ, Camphora, Agallocho, Myrrha, &c. dolorum quidem remiſit vehementia, ſed tamen diu lecto detentus pedi ſiniſtro inſiſtere nequivit. Ita mirè divexatus

vexatus convaluit poſtmodùm, confeſſus priùs ſuam culpam, me interrogando, an fortè ex tàm fortibus & repetitis medicamentis hæc omnia? Obſtupui talia audiendo, & miratus tantum, quod ex iſtis vomitoriis ter repetitis non inciderit in Hæmoptyſin.

OBSERVATIO IX.
D. CAROLI RAYGERI
DE
PARALYSI UNIVERSALI POST VARIOLAS.

DUodecim annorum puella civis hujus loci honeſti filia, poſt variolas ex animi mœrore & ſubitâ quâdam conſternatione A. 1672. m. Jul. in novam incidit febrim acutam, quâ licet curatâ remanſit tamen ſine omni motu membrorum, ut nec pedes, nec manus ſuo officio fungi valuerint, ita, quod vel maximè notandum, reſolutis colli & dorſi vertebris, ut nec ſedere, nec erectâ cervice bibere potuerit, ſed opus habuerit ſemper manu ſuſtineri alterius. Sic per 24. ſeptimanas jacuit miſera ſibi relicta, quia jam de ejus reſtitutione deſperabant parentes. Hoc anno circa initium veris denuò febri corripitur malignâ cum petechiis, tùm in manus devenit meas, quam etiam, Deo ſit laus, feliciter reſtitui, finitoque hoc morbo Paralyſi quoque mederi cœpi & intra tres ſeptimanas factis inunctionibus & appoſitis Emplaſtris ad nucham membrorumque articulationes eò deduxi, ut erecta ſedere, manusque movere potuerit. Ex thermis autem Mandersdorffenſibus planè convaluit, jamque adhuc erecta & ſine labore incedit.

Notandum in hâc petechiis laborante die undecimo in ſiniſtro latere infra coſtas veſiculam erupiſſe, medii imperialis magnitudine non aliter, ac ſi veſicatorium eâ in parte appoſitum fuiſſet. Territa mater pro carbunculo habuit, ego verò pro puſtula ex ſeroſo & acri humore (qui tales quandoque etiam minores inſtar variolarum cum petechiis hoc anno ſæpiùs obſervavi) aperui, impoſito folio braſſicæ cum butyro recenti, tanquam puſtulam ex veſicatorio tractavi, quâ percuratâ, & morbus ſolutus. Cæterùm à quanam causâ iſta Paralyſis & reſolutio membrorum orta meritò dubitatur, an à malignitate quadam variolarum reſidua per Diaphoretica non ſatis discuſſa, ſed nova ebullitione in genus nervoſum diffuſa? An verò à terrore & magna con-

ſternatione? quæ quantum valeat, non multis attinet aliunde probare. Retulit mihi hujus ægrotæ noverca, aviam ſuam ex nuncio, quod duo in inſidiis laterent, quo maritum per plateam euntem interficerent, ita conſternatam fuiſſe, ut ſubitò paralytica facta ad mortem usque permanſerit.

OBSERVATIO X.
D. CAROLI RAYGERI
DE
CARDIALGIA MIRIS STIPATA SYMPTOMATIBUS, TANDEM LETHALI.

VIr Senatorii quondam apud nos Ordinis, temperamento ſangvineus, corpore præditus obeſiori, doloribus quidem obnoxius Nephriticis, cæterùm ſanus & benè valens A. ætatis ſuæ 54. ex mœrore animi ob calamitoſiſſima hæc tempora ſenſim, ſine febri tamen manifeſtâ, contabeſcere cœpit, de nullâ re conqueſtus aliâ, quàm de præcordiorũ compreſſione & Anorexiâ, credidit tamen hæc omnia à calculo quodam oriri, & à neglecto uſu thermarum, ſingulis annis aliàs conſveto. Sed circa feſta Natalitia rem ſerio agi & dolores quaſi morſus ex ſiniſtro latere verſus cor aſcendentes ſenſit, qui etiam de die in diem exacerbati ſingulis tamen trinis diebus tantum vehementius infeſtarunt. Horum prodromus ſemper erat naſi extremitatis refrigeratio ſenſibilis. Tandem ſingulis diebus circa veſperam recruduit hic morſus, verè *καρδιωγμός*, ita enormis, ut clamare vehementisſimè coactus fuerit, intereà manus & pes dextri lateris continuò tremebat, ſiniſtrum verò latus, ubi tamen dolores erant, quievit. Sic quandoque per totam noctem miſerè divexatus circa auroram recedentibus cruciatibus ſenſit levamen. Alvum perpetuò adſtrictam clyſteria aut propinata laxativa ſolvebant quidem, ſed ſtatim commovebant etiam dolores. Excrementa ſive per purgationes ſive naturaliter reddita, quod ſub finem morbi (cum ex metu cruciatuum nec clyſterem, nec laxativum ſumere vellet) ſed non niſi de tertio in tertium diem factum, ſemper erant ſolida & benè concocta, ac ſi optimè ſani eſſent hominis. Pulſus nunquam mutatus, niſi ſenſim debilior factus. Deglutitio inſuper mirum in modum erat læſa; nam ſolida deglutiebat facillimè, liquida verò neutiquam, ita ut ſitim intenſam,

tenſam, absque tamen calore febrili, nunquam potuerit potu reſtinguere, ſed aquam cochleatim tantum, ut & alia medicamenta liquida ſorbere debuerit, ſtatim ſuperveniente enormi quâdam ſalivatione, quæ deſcenſum liquidorum impedivit, quamvis & fluxus hujus pituitæ lentæ ac viſcidæ ſemper & per totum morbum usque ad finem vitæ duraverit, ut quandoque ſingulis diebus aliquot vaſcula hac materiâ impleverit. Tandem ex vehementiâ morbi ita contabeſcens, ut cutis oſſibus hæreret, circa initium Maji hujus anni placidè exſpiravit. Dolor adeò pertinax nullis cedebat remediis, niſi exhibitis granis duobus laudani noſtri de tribus dicti, cum Magiſterio Perlarum vel Oculorum Cancri in Aqu. fl. Arant. tùm enim ad miraculum usque quaſi in momento omnis evanuit cruciatus, & noctem inſequentem cum ſomno placidiſſimo transegit patiens. Cætera omnia quæcunque adhibita vel nihil profuére, vel dolores exacerbarunt.

OBSERVATIO XI.
D. CAROLI RAYGERI
DE
ASTHMATICA APERTA.

HOc anno circa finem Januarii mortua Matrona quædam nobiliſſima, generoſi Domini Sigray relicta vidua, per triennium aſthmate periodico detenta. Hanc humi ſedentem, erectâ cervice reſpirantem, pedes & ventrem tumidam biduo ante mortem cum ordinario aliàs Medico *D. D. Schilpacbero* Amico meo plurimùm honorando viſitavi. Cum adſtantes vomitorium urgerent, nos verò ſummam virium proſtrationem, & extrema inſtare adverteremus, timendo ne in ipsâ operatione medicamenti ægra deficeret, illudque ac ſi eo ſtrangulata fuiſſet nobiſcum diffamaretur, poſtulatum cautè declinavimus, alia præſcribendo. Avidus filius ſciendi, unde hæc dyspnoea, aperiendam conceſſit. Disſecto itaque thorace, ubi omnes aliàs Medici veram ſedem figunt Aſthmatis, in Pulmonibus nihil neq; viſcoſi, neque ſeroſi, neque impacti quidquam in illorum bronchiis obſervavimus, ſed benè conſtitutos ac laudabiles invenimus, præterquam quod exiguis fibrillis hinc inde imprimis in dextro latere pleuræ adnexi hæſerint. In hoc tamen non acquievimus, cum vitium illud à primâ conformatione videretur, ipſa verò à triennio demùm Aſth-

matica.

matica. Continuavimus itaque ſectionem ventremque, qui, ac ſi Hydropica fuiſſet, diſtentus erat, aperuimus, ſed remotis integumentis, ne gutta effluxit aquæ, inteſtina verò omnia inprimis jejuna, mirè inflata, diſtenta & tota vacua conſpecta, lien bonus ut & hepar laudabile, veſicula fellea magna, aperta nihil continuit bilis, ſed lapidem incluſum habuit magnum inæqualem pondere quatuor Drachm. off. Hinc concluſimus Aſthma fuiſſe flatuoſum, & flatulentiam auxiſſe alvi conſtipationem propè continuam, ortam procul dubio à defectu bilis, nam per aliquod tempus nunquam niſi clyſteriis aut aquis laxativis ſollicitata alvus ſuum fecit officium, ad omnia autem purgantia melius ſe habuit. Vidimus etiam, fruſtrà quod à nobis exhibitum fuiſſet vomitorium, ſiquidem materia non impacta fuit pulmonibus, flatus verò per ſuperiora vel pauci vel prorsùs nulli evacuantur.

OBSERVATIO XII.
D. CAROLI RAYGERI
DE
ABSCESSU ABDOMINIS INGENTI ET RARÆ MAGNITUDINIS FELICITER CURATO.

NUnquam deſperandum in morbis, & utcunque difficiles ac incurabiles appareant, nullo modo tamen ægrotum relinquendum Prognoſticis, præter *Hippocr. de Artic. v. 68.* etiam ſequens nos docet hiſtoria rara & admiranda affectus duodecennalis juvenis cujusdam à tot Medicis, à tot Chirurgis tractati, à tot iterùm derelicti, mortique certisſimè adjudicati; hâc verò præteritâ æſtate præter omnem ſpem & exſpectationem, divinâ favente gratiâ, reſtituti ac curati. Johannes is erat N. Mercaturæ deditus, Viennæ in ædibus Affinis mei, qui 14. ætatis anno in vomitus incidit bilioſos per duos continuos annos durantes, ita ut ſingulis ſeptimanis ad minimum ſemel vel bis prægresſis ingentibus capitis doloribus morſibusque ventriculi, vomere coactus fuerit, quod ut faciliùs perageret, prout putavit, quandoque toto die, nam manè ſurgens ex regurgitatione bilis vomitum ſibi, quaſi ſemper prædixerat, ab omni cibo & potu abſtinuit. Dum hic fit, [redacted] in dextro hypochondrio tumorem quendam oriri ſenſit nucis primò avellanæ magnitudine, mox ita increſcentem, ut non modò totum dextrum latus ab inguine usque ad

coſtas,

coſtas, verùm etiam regionem ventriculi occupaverit, & usque ad ſiniſtrum hypochondrium ſeſe extenderit, acceſsére ingentes lumborum dolores, qui vix ſedendi facultatem permiſére. Vocati in conſilium Clarisſimi Medici, qui pro ſcirrho hepatis habentes hanc duritiem variis remediis externis internisque tollere tentarunt, ſed fruſtrà omnia increſcente indies & augmentum ſumente tumore, qui tamen poſt duorum annorum omnimodam à medicamentis abſtinentiam ſponte in itinere quodam Styriam verſus ſuſcepto evanuit, venterque cum lateribus planè ad juſtam & priſtinam redactus magnitudinem. Inſecuta duorum annorum perfecta & optima ſanitas, his elapſis venter iterùm intumuit, noſtro hoc negligente, donec A. 1669. iterùm planè ut anteà in dextro hypochondrio novum orientem deprehendit tumorem, celerrimè utrumque occupantem latus & indurantem. Hic ille denuò Medicorum imploravit auxilium, meo aliorumque ſvaſu ad Acidulas profectus Jarmersdorffenſes, quas & bibit, & coctas, ut ibi moris, balnei loco adhibuit, ſed his nihil proficientibus iterùm domum conceſſit. Hic longum eſſet enarrare, quot Medicis, Medicaſtris, Agyrtis uſus fuerit hic juvenis vivendi & auxilii cupidus: Sufficit dixiſſe eum circa finem anni præteriti 1672. planè ad extrema redactum fuiſſe, ventrem ita creviſſe, ut in ambitu duas ulnas Viennenſes comprehenderit, & ſuprà ſcirrhoſam duritiem abdominis, lumborumque cruciatus, dolorem etiam ad teſticulum dextrum dextrumq; pedem pertigisſe, quo, hic tribus digitis brevior factus altero. In hyeme hujus anni circa umbilicum parva apparuére foraminula, ac ſi natura ipſa ibi molita fuiſſet materiæ intus contentæ exturbationem, ſed, à neſcio quo imprudenter iterùm conſolidata. Ita derelictus prognoſticis usque in Majum jacuit, ubi ipſius miſertus Chirurgus quidam Viennenſis, *Daniel Schrader*, Bremâ oriundus, qui præmisſis præmittendis corroſivo obliquè ad digiti longitudinem aperuit latus, extraxitque ſingulis diebus unam cum dimidiâ menſuram (plus minus) puris albi, ſubviridis, primò craſſi, mox liquidioris, valdè fœtidi, idq; viginti diebus continuavit, quo tempore effluxére 44. menſuræ, exeunte per partes etiã membranâ, quâ propriâ continebatur his abſceſſus. Ita auxilio inprimis divini Numinis, curâ dein & induſtriâ præfati Chirurgi juvenis hic morti ereptus in integrum reſtitutus jam ſanus vivit valetq;. Credibile autem vas aliquod ex fortiſſimis vomitionibus, quas hic jejuno exercuit corpore, ruptum & extravaſatum ſangvinem cau-

 ſam

ſam primam dediſſe abſceſſus. Deinde pus inter peritonæum & muſculos abdominis in propriâ latuiſſe membranâ, neque ad illud corroſivum penetraſſe, aliàs etiam excidiſſent inteſtina. Tertiò notandum hîc naturam æquè ac in abſceſſu, de quo anno ſuperiori mentionem feci, per umbilicum exitum materiæ tentasſe, niſi imprudenter in opere fuiſſet impedita.

(*In litteris Anno 1672. ad Collectores Ephemerid. Vratislav. misſis.*)

OBSERVATIO XIII.
D. SALOMONIS BRAUNII
DE
MONORCHITE SATIS FOECUNDO.

VIllicus quidam Monorchis in agro Rhætenſi (im Rieß/) dum Nerolingæ adhuc Practicum agerem, me acceſſit de ſtranguriâ conquerens, & inter alia interrogans, num unicus ille teſticulus forſan in cauſâ eſſet hujus affectûs? rurſusque inſtanti mihi & ſciſcitanti, num aliàs huic malo obnoxius fuiſſet? aut in maritali officio procreationeque liberorum impedimentum aliquod pasſus eſſet? reſpondit, nullam planè ſe unquam antehàc moleſtiam inde percepiſſe, multorumque liberorum utriusque ſexûs jam patrem eſſe; Dimiſi ſic eum præſcriptis remediis convenientibus, quibus mox ſanitati priori fuit reſtitutus, proque his gratias habuit.

OBSERVATIO XIV.
D. SALOMONIS BRAUNII
DE
IRIDE LUNARI.

ANnô præteritô. LXXI. menſe Octobri cum ſummô mane antè exortum ſolis die 4. vel 5. poſt plenilunium, equeſtri itinere ad cœnobium quoddam & viſitandos ægrotos ibidem contenderem, ecce à ſiniſtris orientem verſus ſeſe in nubibus nebuloſis iris quædam obtulit, omnibus numeris, exceptis coloribus flavô & rubrô, abſolutiſſima; Arcus enim erat ſatis magnus inſtar Iridis Solaris perfectô ſemicirculô ſpectabilis, cujus cornua duo utrinque terræ inſiſtebant, coloresque præ ſe ferebat album & cœruleum, qui abſentibus

bus aliis duobus jam dictis, eò clariùs & diſtinctiùs ſeſe præſentabant; Luna verò à dextris ad octuageſimum circiter gradum verſus occidentem adhuc elevata ſtabat clarô cœlô, ita ut ego medius inter illam & Iridem ſive arcum incederem. Halonem non fuiſſe inde conſtat, quod è regione lunæ ſtaret hic arcus ſemicirculi formâ, cum halo lunam ipſam plenô ſemper circulô cingat; neque ſoli originem ſuam debuiſſe, latente illô multis gradibus ſub horizonte noſtrô. Ego Iridem lunarem cenſui appellandam ſalvô ſecùs ſentientium judiciô.

OBSERVATIO XV.
D. SALOMONIS BRAUNII
DE
CEREVISIA E MAMMA EXCRETA.

IN honeſtâ quâdam Matronâ puerperâ ex vulnere circa papillam ſiniſtræ mammæ, pro educendâ materiâ ibidem ex ſuppuratione collectâ, inflictô, quâdam die, ubi deligandum erat vulnus, remotô cum turundulâ emplaſtrô, vidi effluere ipſam cereviſiam, paulò antè aſſumtam, in ipſâ ferè ſubſtantiâ, qualitate & quantitate, maniſeſtiſſimô ſeſe odore ac parùm mutatô in pallidum colore prodeuntem.

OBSERVATIO XVI.
D. SALOMONIS BRAUNII
DE
UVULÆ USU.

HOminem quoque novi, qui amiſſam ex morbo uvulam, quamvis nulla vicinarum partium fuerit læſa, nunquam tamen deinde potuit voces articulatas proferre, præſertim ubi ex literis, quæ in gutture formari ſolent, & gutturales vocantur, vox quædam conſtabat. Unde evidentiſſima ratio, uvulam ad formationem & modulationem vocis non parùm conferre.

[*Ex litteris Biberaco Swinfurtum, ad Magnif. Dn. D. Fehr. miſſis.*]

Vid. infr. Obſ. 66.

OBSERVATIO XVII.

D. VALENTINI ANDREÆ MOELLENBROCCI

DE

MORTE EX POTU SPIRITUS VINI.

Vino ejusque ſpiritui vim narcoticam ineſſe, Medici moderni ferè omnes conſentiunt, unde multi copioſiùs ac incautè ea haurientes, omni ſenſu motuque ablato, ſubitò percunt. *Zacut. Luſit. lib. 1. de Med. Princip. hiſt. 6. p. 10.* refert de Aulico quodam, qui cum in villam voluptatis causâ concederet, in cellam vinariam fortè ingreſſus, ita ab odore vini perculſus eſt, ut in terram ſideratus, ac ſi fulmine ictus eſſet, cadens, intra tres horas exanimis, apoplexiâque correptus & ſtertens vitam cum morte commutavit. Quosdam etiam vino vel ejus ſpiritu inebriatos in curru vel lecto mortuos inventos eſſe hodiè multis notum eſt. Exempla etiam videri poſſunt apud *Foreſtum lib. 9. Obſerv. 27. p. m. 282. Zacutum lib. 3. Prax. admir. 126. &c. Dn. Th. Bartholin. Centur. 3. hiſt. 56. p. 109.* recenſet quosdam ex nimiâ ingurgitatione vini aduſti extinctos eſſe, ubi & *Cent. 1. hiſt. 70. p. 120.* ſimul meminit quorundam, quibus flamma ex ore exilierit. Simile ante 18. annos accidit Patricio cuidam Erffurtenſi, quem noctu vocatus inveni mortuum, flammâ ſpiritus vini, quem in nimiâ copiâ aſſumpſerat, ex ore ejus exeunte. *Sennert. l. 1. Med. Pract. part. 2. cap. 33. p. 660.* refert, de infante quodam, qui, cum in conclavi à parentibus domo egreſſis, ne extra domum vagaretur, concluſus, magnam partem ſpiritus vini exhauſiſſet, à parentibus domum reverſis, humi proſtratus, vitrum, in quo ſpiritus vini fuit, in brachiis tenens, ſemimortuus inventus paulò pòſt exſpiravit. Idem contigiſſet anno O.R. 1642. Erffurti Officiarii cujusdam Svecici filio 7. annorum, niſi ſtatim convenientia remedia ipſi exhibita fuiſſent. Ubi nonnulli commendant lac, præprimis verò caprinum, alii muriam brasſicæ capitatæ, jam citatus *Bartholinus Cent. 3. hiſt. 56. p. 109.* ſcribit. *Dn. Simon Pauli*, teſte *Dn. Rolſincio lib. 4. Conſult. 13. p. 525.* juvenem, cui flamma ipſa poſt uſum vini aduſti nimium ex ore prodibat, ſolo C. C. philoſophice præparato cum admiratione ſe reſtituiſſe aſſerit.

OBSERVATIO XVIII.

D. VALENTINI ANDREÆ MOELLENBROCCI

DE

REPENTINA MORTE A VENENO LATENTE.

NOn ita pridem hîc aurifabri cujuſdam diſcipulus 16. annorum ad alterum aurifabrum miſſus in hujus januæ limine ſubitò prolapſus vitâ exceſſit. Hujus ſubitaneæ mortis cauſam nonnulli apoplexiam, quâ homines interdum ceu fulmine icti ſubitò concidunt, fuiſſe exiſtimarunt. Verùm cum apoplexia ſecundum *Hippocr. aphor. 31. ſect. 3.* morbus ſenum ſit, & juxta ejusd. *apor. 57. ſect. 6.* Apoplectici fiant à quadrageſimo anno ad ſexageſimum, atque propterea ætas hæc rarò ei obnoxia ſit, eam potiùs veneno in corpore latitanti, ſubitoque cor occupanti, impoſui, idque huic haud difficulter contingere potuit, quod fumum argenti vivi, quo aurifabri ad inauranda pocula utuntur, ſine dubio incautè & copioſè hauſerit. Venenum autem in corpore noſtro generari, ibidemque latens repentè vires ſuas exerere, ac principem aliquam partem invadens, improvisò hominem jugulare poſſe, autores multi aſſerunt. V. *Zacut. Luſit. lib. 1. de Med. Princip. hiſtor. 52. p. m. 89. lib. 2. hiſtor. 20. p. 214. & lib. 3. Prax. admir. Obſerv. 132. p. 137.* idque exempla non pauca docent, inſtar omnium ſit, quod *Stephan. Roderic. Caſtrenſ. tr. Quæ ex quibus lib. 2. cap. 7. p. 86.* refert de juvene ſubitò mortuo, cui ſtatim poſt obitum, extrà in regione cordis ſideratio ſeu livor ingentis latitudinis apparuit, intus nihil mali fuit repertum. Scorbuticos etiam, humore ſcorbutico ebulliente, ac principem aliquam partem malignitate ſuâ inficiente, ſyncope ac ſubitaneâ morte periiſſe ex tractatus mei *de Arthrit. vag. Scorbut.* nuperrimè editi dedicatione, & *cap. 3. §. 16. p. 35.* patet.

OBSERVATIO XIX.

D. VALENTINI ANDREÆ MOELLENBROCCI

DE

INOPINA MORTE.

MAtrona quædam 63. annorum aliquandiu de imbecillitate ventriculi & diſpnoeâ conqueſta, ob laſſitudinem nimiam lecto ſe committens, nullâ præſente febre, nullo dolore

nulloque alio periculoſo Symptomate, nec omiſſis optimis convenientibus remediis, intra paucos dies præter omnium ſpem, ſenſibus adhuc integris quietè obdormivit. Cauſam hujus inopinæ mortis itidem veneno latenti aſcribendam eſſe vero conſentaneum eſt. Multi enim moriuntur, non ex vi morbi, ſed, ut in proximâ Obſervatione dictum, ob humorem aliquem venenoſum partes principes invadentem, unde notante *Celſo lib. 2. cap. 6.* interdum aliquis moritur, de quo Medicus ſecurus primò fuit, cujus tamen conſcientia ſalva manet, ſi nihil, quod in artis poteſtate eſt, omiſerit. Hic quoque non parùm feciſſe videtur annus, quem agebat hæc mulier, ſexageſimus tertius, ob numeri ſeptenarii & nonarii multiplicatam ac ſibi invicem connexam ſummam, quam continet, climactericus magnus dictus, quem rariſſimè absque inſigni corporis mutatione & vitæ periculo abſolvi, experientia docet. V. *Gellius lib. 15. cap. 7. p. 544.* & *Levin. Lemn. lib. 2. de Occult. natur. miracul. cap. 32. p. m. 216.* Periculoſi autem æſtimantur anni climacterici, non ratione numeri, utpote cujus nulla eſt efficacia, ſed quia hiſce annorum articulis temperamenta & ætates mutantur, quibus mutatis magna vitioſorum humorum copia colligitur, quorum motu & agitatione multi generari poſſunt morbi, quos *Hippocr. ſect. 3. aphor. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31.* recenſet: vel, quia ſecundum Aſtrologos, ſingulis ſeptenis annis Planetarum ordo ad Saturnum hominibus infenſiſſimum eorumque interfectorem revertitur, & Saturnus ad quadratum loci naturæ ſigni, unde egreſſus eſt, contrarium pervenit.

OBSERVATIO XX.

D. VALENTINI ANDREÆ MOELLENBROCCI DE *GONORRHOEÆ CAUSA ET CURATIONE.*

GOnorrhœæ cauſam ſemen eſſe, ac propterea eam ἀπὸ τῆς γονῆς ſive τοῦ γόνου & ῥοίειν derivari omnes ferè conſentiunt. Mihi autem veritati magis conſentaneum videtur, initio quidem aliquid ſeminis vel ob ejus aut partium ſpermaticarum vitium vel facultatis retentricis imbecillitatem excerni, ſucceſſu verò temporis humores vitioſos à naturâ per factam hanc viam expelli. Impoſſibile enim eſſe per talem fluxum ſemen ſemper evacuari, evincit 1. *Materiæ quantitas*, nam id, quod excernitur, interdum aliquot libras excedere, expe-

experientia docet, at tantum ſeminis profluere poſſe, nemo ſanæ mentis ſtatuet. 2. *Materiæ qualitas*, odorem enim & colorem ſeminis non ſemper refert, ſed odorem de ſe ſpirat gravem, colorem oſtendit varium, interdum nigricantem 3. *Fluxus* ad aliquot etiam annos *duratio*. Novi ante 25. annos Lipſiæ aliquem per ſexennium eum perpeſſum, ibidem, Erffurti, ac hic, Dei gratiâ, curavi aliquos ſupra biennium hoc afflictos malo, imò pro certo mihi relatum eſt, virum quendam Patavii ſupra 30. annos hoc laboraſſe affectu. Seminis autem profluvium fine virium proſtratione ac vitalis roboris extinctione tam diu durare poſſe, incredibile eſt, cum ex ſententiâ *Avicennæ* plurimorumque Medicorum, uncia una ſeminis emisſa plus debilitet, quàm ſanguinis unciæ quadraginta. 4. *Urinæ ſigna*. Nam materia, quæ excernitur, matulæ urinariæ fundum petit, ſemen autem urinæ ſupernatat. Nonnunquam etiam pus emitti obſervatum eſt, quod procul dubio ab ulcere ex affluxu vitioſorum humorum orto provenit. Nam *Würſingius* tria cadavera Gonorrhœâ extinctorum ſecuit, in quorum proſtatis veſtigia ulcerum & cicatrices manifeſtas animadvertit. Sic dicta autem Gonorrhœa, ſi diu duraverit, curatu admodùm difficilis eſt. Ego eam ſequentibus felicisſimè, Deo auxiliante, curavi. Ad evacuationem materiæ peccantis, exhibui *pulverem meum purgantem*, de quo in *tr. meo de Arthr. vag. Scorbut.* vel *has pilulas*: ℞. *Therebinth. Cypr.* ℈j. *Scammon. roſat. Reſin. Jalapp. an. gr. V. M. F. l. a. Pilulæ num. XIX.* Ad fluxum inhibendum: ℞. *Croc.* ♂. *aſtringent.* ʒj. ℈j. *Oſſ. Sepiæ, Succin. corall.* [illegible]. *Ebor. ſ.* △. *an.* ℈ij. *M. F. Pulvis.* Doſis poteſt eſſe ℈j. ad ʒß. Summo etiam cum fructu uſus ſum *Tincturâ* 🜍 ⊕*li* ad 20. usque 30. guttas in convenienti vehiculo. Certiſſimum remedium ſunt *Pilulæ Riverii*, quæ me nunquam fefellerunt, eæque, uti videre licet *Cent. 2. Obſervat. 74. p. 150.* tales ſunt. ℞. *Gumm. arabic. tragacanth. Carab. mumiæ, boli armen.* an. ʒj. pulveriſentur, & cum *ſir. d. roſ. ſiccis*, F. Maſſa Pilularum, de quâ capiat æger ℈j. ſingulis diebus, manè duabus horis ante paſtum.

[*In litteris ad Collectores Ephemerid: Vratislaviam Ann. 1672. ſcriptis.*]

OBSER-

OBSERVATIO XXI.
D. JOHANNIS SCHMIDT
DE
TERRORE GRAVIDÆ FOETUI EXITIOSO.

UXor Angli cujusdam, *Johan. Fiſcher*, ſeptimo ingravidationis menſe circa rem culinariam occupata, bombardam explodi cum fragore inſigni audit, perterrita exinde globum clunes ferire exiſtimans, manum derepentè, averſura quaſi globum, circa inteſtinum rectum protrudit. Nihil mali ex eo tempore ſentiens, juſto menſe puerulum parit, foramen circa anum rotundum habens, quod circa inteſtinum rectum ad digiti longitudinem intra corpus, ut ſtylo immiſſo judicare licebat, extendebatur. Cum nullam initio exinde infans pateretur moleſtiam, opem parentes non petebant, poſt trium autem menſium decurſum, ſanioſa per foramen effluebat materia, eaque & copioſa ſatis, & acris, quam fletus & inquietudo continua monſtrabat, erodens tandem ſanies illa inteſtinum ipſum, quæ per anum naturæ ordine exire conſvevit materia, per foramen hocce fiſtulam referens reddebatur, ita ut σκύβαλα per utrumque foramen ſeſe monſtrarent, ſicque miſerè vitam trahens ſex menſibus ſupervixit, donec tandem accedente inflammatione obiret.

OBSERVATIO XXII.
D. JOHANNIS SCHMIDT
DE
EXCRESCENTIA CARNEA IN FOETU, EX TERRORE MATRIS CONTRACTA.

UXor ſpectabilis apud nos mercatoris *Danielis Stuve*, ab octo menſibus gravida, plorantem cum è ſellâ tolleret puerulum, animadvertit circa anum protuberantiam ad ovi gallinacei magnitudinem, perterrita mater ad rei novæ ſpectaculum, an periculum? me illico vocari jubet, pronum intereà tenens infantem ſuper genua, accedo, & procidentiam inteſtini recti eſſe, affectum plurimis familiarem puerulis, etiam aſſevero, qui fotibus & ordinariis remediis internis integrè tolli poteſt; prout etiam brevi inteſtinum reponebatur. Juſto partus tempore puerulum enititur omnia ſanum,

niſi

niſi quod in lumborum vertebris ad capitis penè magnitudinem ſacculum haberet, cruore refertum, excreſcentiam nimirùm carneam cute obductam, in cujus apice ad imperialis magnitudinem livor apparebat, putrediniş quaſi alicujus incipientis initium, quo in loco rupta cutis ſponte ſua cruorem reddebat ad integram penè libram. Vocatus ego ab ulteriore putredine, in ſummè aliàs debili infante, præſervare volui cavitatem. In Excreſcentia illâ, quam ſacculum non immeritò nominare poſſum, cum ad lumborum & ſpinæ dorſi explicaretur vertebras, minutiſſimus animadvertebatur meatulus, in abdomen usque ſeſe extendens, oculorum aciem effugiens, cognoſcebatur tamen exinde, quod etiamſi à cruore totaliter liberatus eſſet ſaccus, poſt unius tamen horæ decurſum, alium iterùm continebat ichorem. Prædicebam inſtantem mortem, imò vovebam, quæ deperditis per ſpinæ vertebras ſpiritibus, poſt paucarum horarum decurſum inſequuta eſt.

OBSERVATIO XXIII.
D. JOHANNIS SCHMIDT
DE
PRÆMATURA MENSIUM ERUPTIONE.

PUrgationem ſequioris ſexus menſtruam pro diſpoſitione corporis, venarum, & cauſarum Medicis dictarum externarum, non in certam incidere ætatem notum eſt, rariſſima tamen ſunt exempla ante pubertatem eadem apparuiſſe, quorum aliud *Bartholinus Cent. 3. Obſ. 11.* aliud *Tulpius l. 3. Obſ. 36.* recenſet, rariſſimum de octidua puella menſtruata *Bourgois l. Obſtetr. Obſ. 17.* refert. Nota mihi hiſtoria puellæ cujusdam, filiæ mercatoris apud nos non poſtremi, quæ circa nonum ætatis annum menſes patiebatur, nunc ordinariè, nunc extraordinariè, nullam obſervantes periodum, copiosè profluentes, queis lege naturæ ceſſantibus, fluor quoque albus ſeſe monſtrabat, qui venuſtam aliàs ſatis puellam, non decolorem tantùm, ſed emaciatam planè reddidit. In eâ autem non rarò copiâ apparebant menſes, ut in contumacisſimam uteri hæmorrhagiam, vix ullis expugnabilem remediis, deſinerent.

OBSERVATIO XXIV.
D. JOHANNIS SCHMIDT
DE
OSSICULIS A PHTHISICO TUSSI EXCRETIS.

NObilis quidam Germanus annorum circiter 26. cui nomen *N. Bolſchau*, phthiſicus ex nimio vini generoſioris, ut ipſe conquerebatur, potu, tuſſi vehementiſſimâ multum diuque torquebatur, rejectâ primùm pituitoſâ, mox purulentâ materiâ, cui ſquamoſa osſa plurima, friabilia, ad ſolidi Gedanenſis magnitudinem juncta erant, quæ cum à Dn. Patiente mihi monſtrarentur, cingula aſperæ arteriæ cartilaginea, quæ in pulmones hinc inde divaricantur, per eroſionem à purulentâ materiâ, à ſubſtantiâ pulmonum ſeparatâ, eſſe exiſtimabam, ſed cum accuratiùs inſpicerem, & exſiccatam materiam penitiùs examinarem, inveniebam, nihil cum cartilaginibus iſtis commune habere, ſed ipſisſima oſſa referre. Dubitabam initio, an per errorem deglutita per aſperam arteriam ſeſe in pulmones inſinuaverint, ut conjugi Medici apud nos Primarii, Domini Collegæ conjunctiſſimi, accidit, cui nucleus pomi, caſu in arteriam aſperam irrupit, ſecutâ ſtatim continuâ tuſſi poſteà phthiſi, deniq́ue morte. Sed hîc oſſa in eâ erant magnitudine & copiâ, ut ſine ſuffocationis periculo nullatenus deglutiri potuerint.

OBSERVATIO XXV.
D. JOHANNIS SCHMIDT
DE
LARGO ET PERPETUO GLANDULARUM SUB AXILLIS MADORE.

GLandulas, corporis dici emunctoria, communis Medicorum fert ſententia, lymphatica quippe vaſa illic ſuperfluam in corpore lympham copioſè deponunt. Ut verò intra corpus plurimæ reperiuntur glandulæ, ita extra in partibus exterioribus conſpicuæ maximè omnium apparent poſt *aures*, in *inguine*, & ſub *axillis*; ut de *ſalivalibus* nihil moneam, quæ copioſiſſimum non raro reddunt liquorem, ita ut in plurimis os ſaliva ſemper repletum ſit, unde ſputatores perpetui vocari conſveverunt. De glandulis ſub axillis

raram

raram hiſce diebus videre obſervationem mihi contigit. Vir quidam apud nos Nobiliſſimus, 28. circiter annorum, temperamento, ut communi vocabulo appellari ſolet, ſanguineo, habitu prorſùs Athletico, de madore ſub axillâ dextra continuo moleſtisſimo conqueritur, quem neſcio quot duplicatis linteis, ne thoracem penetret, fruſtrà tamen impedire tentat; mador hicce non fœtidus eſt, ut hircum, prout fieri ſolet, redoleat, isque non niſi in uno latere, & quod majoris eſt indaginis, frigore, copiâ majori apparet quàm calore. Si nudum aëri exponat brachium, ſtillant ad oculum glandulæ lympham, ut guttæ apertisſimè excipi poſſint, nullum inde patitur incommodum, niſi quod ſub axillâ moleſtum ſemper ſentiat madorem, qui hyeme ob frigoris vehementiam non leve creat tædium.

OBSERVATIO XXVI.
D. JOHANNIS SCHMIDT
DE
URINA ACTU FRIGIDA.

PRimarius apud nos Mercator *Michaël Zinck* annos natus 68. à multis annis aſthmaticus, ante ſeptimanas plus minus ſeptem in moleſtiſſimam incidit δυσȣρίαν, tàm miſerè miſerum torquentem, ut inſomnes ducere noctes tam propter doloris vehementiam, quàm continuum urinandi ſtimulum juberetur, dolores in perinæo circa veſicæ orificium & penis glandem percipiens acutisſimos, urina autem effluens actu frigida, in tranſitu ob excoriationem, quantum ex ſignis colligebam, urens atrocisſimè, in Paroxyſmo excernebatur, ſedimentum urina deponebat raro ſabuloſum, rariùs cruentum, ut plurimùm farinaceum, urinæ cum percipit calorem, de nullo conqueritur ardore, ſed frigiditate redeunte recrudeſcere ardorem cum lacrumis anheloſè conqueritur. Explodit hucusque morbi vehementia medicamentorum vires, quam tamen obtenturi ſimus Cataſtrophen, tempus docebit; quamvis aliqua meliorationis affulgeat ſpes.

OBSERVATIO XXVII.
D. JOHANNIS SCHMIDT
DE
MONSTRO FOEMININI SEXUS.

MIttebatur paucos ante dies, ipſo ita volente, jubente, Generoſo & Magnifico *Domino Gabrieli Krumhauſen*, Præ-COS. meritisſimo


ritiſſimo, Patrono meo magno, ex Pen-inſulâ, cujus Præfectus eſt, *Heel* dicta, monſtrum ſexus ſequioris, quod dignum judicavi, ut pictoris manu delineatum curioſiſſimis veſtris & doctiſſimis ſubjiciam oculis. — Hiſtoria ita ſeſe habet. Juvencula quædam, poſtquam in civitate noſtrâ aliquot ante ſeptimanas fuerat, & fortè mulieicularum noſtrarum capitis culturam, quantum conjicio, intentius conſpexerat, octavo ingravidationis menſe, puellam enititur, ſed mortuam, in quâ capitis forma exterior mirabilis apparebat. Oſſa capitis non cohærebant, ſed ſeparata in extremitatibus imò undique cuti inhærebant: Oſſa frontis A. non ſutura, quæ nulla aderat, ſed fiſſura B. ab invicem ſeparata ad radicem usque naſi, cute tamen ſuperinductâ conſpiciebantur, in ſuperiori parte C. ubi coronalis ordinariè conſpicitur ſutura, orbiculatâ figurâ ab invicem ſeparabantur. Oſſa bregmatis D. multò ad proportionem reliquorum oſſium majora, galeam referebant, cucullam Monachorum repræſentantem, quæ largiſſimâ cute obductâ diſtabant; vergebat cutis illa ab oſſe frontis introrſùm a. a. ad duorum transverſorum digitorum profunditatem; eminebant verò duo illa bregmatis oſſa ſupra oſſa frontis introrſus, cute abeunte, ad craſſioris pollicis altitudinem; conjungebantur quidem circa E. Oſſa, ita tamen, ut hinc inde moveri poſſent; cohærebat cutis, oſſa penitus ab invicem libera erant, ita, ut cum cute ad cervicem deponi, & ad frontem iterùm extendi ad modum galeæ poſſent. Prominebat cutis retrorſùm circa occiput, & ſacculum quaſi aliquem F. formabat, qui ſanguine repletus fuerat, ſuperius verò G. ad dimidii imperialis magnitudinem putredinis monſtrabat incipientis notam. Oſſa temporum & os ſincipitis conſpiciebatur, cum oſſe bregmatis cum ſacculo antrorſùm reponerentur, H. ordinario ſeſe habebat modo. Magnitudo oſſis frontis ſecundum omnem dimenſionem in litera I. delineata eſt; Bregmatis verò litera K. expreſſit magnitudinem, quæ qualem inter ſeſe fecerint proportionem facilè videre eſt. Facies ſatis aliàs proportionata conſpiciebatur, niſi quod mentum obtuſum quaſi, adeoque debito minùs apparuerit. Diſſectâ cute, (cui bregmatis oſſa adhærebant, aliam nullam agnoſcentes ſubſiſtentiam vel cohæſionem) interiora capitis examinare animus erat, ſed cerebro caput penitùs vacuum erat, aderat quidem dura mater, ſed lacera, ſinum tertium cerebri, ſeu falciformem proceſſum, cruore penitùs vacuum exhibens, adnectebatur inſuper per fibras quasdam circa radicem oculorum, ſuturis verò cranii nulla tenus-

Vid. Fig. I.

Vid. Fig. II.

Vid. Fig. III. & IV.

AD OBSERV.
XXVII.



BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY

tenus jungebatur, imò nec ullo modo cranium tangebatur. Cerebelli aliqua apparebat nota, ſed vix aliqua: Meminit Cl. *Wepferus in præfatione tractatus de Apoplexiâ* puellæ ſine cerebro natæ, † ſed meminit, non deſcribit. Mirum quâ ratione vitam in utero traxerit fœtus in adeò pravâ conformatione; traxiſſe autem & motus, quem mater ingravidationis tempore ſenſerat, indigitat, & quod corpuſculum nullâ ſui parte ullam putredinis exhibuerit notam, ſacculum illum capitis, cujus jam jam mentio facta eſt, ſi excipias.

[*In litteris ad Collectores Ephemerid. Anno 1672. perſcriptis.*]

† *Hiſtoriam puellæ ſine cerebro natæ cum annexâ Diſſertatione eruditiſſimâ Excell. Dn. D. Wepferi, B.L. Anno III. harum Ephemerid. pag. 205. inſertam reperiet.*

OBSERVATIO XXVIII.
D. JOH. MICHAELIS FEHR
DE
PINGVEDINE ABDOMINIS MIRABILI.

Petrus Scharff piſcinarum foſſor in Unterlauter / poſt exantlatos cruciatuum labores varios diem obit fatalem. Defuncti corpus Calendis Martii Anno 1659. curâ Dn. D. *Gravii*, jam Poliatri & Practici Romhildenſis, aperitur. Ad ſectionem invitatus ego abdomen in inſignem magnitudinem elevatum vidi; Hydropem primo aſpectu mentiri videbatur, ſed durities inſolita, ante & poſt fata ultima, opinionem delere juſſit. Exſucca omnia totius præter abdomen membra ſuccum ad id depoſuiſſe videbantur omnem; tantus obſederat partes illas & faciem, quam Hippocraticam jure dixiſſes, marcor & atrophia; umbilicus ad duorum transverſorum digitorum latitudinem elevatus thaleri circumferentiam habebat, cuticulâ, quam exſudans, ſemper in vivente pars ſeroſior depaſcere viſa eſt, deſtitutus. Sectâ abdominis cute pinguedo ſub eâ occurrit, quatuor in umbilicali regione transverſorum digitorum latitudinem æquans: trium illa fuit, qua lien obvolvebatur, inæqualiter tamen, ut media portio digito uno transverſo fuerit minor. Renes, ut ſolent, copioſæ pinguedini pariter erant immerſi, ſed quod aſpectum merebatur, omnia inteſtina particulis pinguibus hinc inde multis piſorum ac lentium magnitudinem jam majorem, jam minorem referentibus conſperſa videbantur. In dextro cordis ventriculo particula adipoſa magnitudinem articuli

culi unius digiti exprimens reperiebatur, qualem *Bauhinus* etiam ſæpè inibi ſe obſervaſſe *lib. 2. anatom. cap. 20.* ſcribit. Diaphragma ſolito durius fuit & craſſius; pulmo in latere pleuræ, hepar coſtis nothis & inteſtina oſſibus ilium erant affixa. Hinc pulmo libertate in exſpirando deſtitutus ſpirandi quadam difficultate fuerat preſſus: flatus verò in inteſtinis debitum excurrendi ſpatium non invenientes ſonum modò tonitrui, modò ranarum coaxantium clamori ſimilem per integrum luſtrum ediderant, ut non modò foſſor ipſe, ſed & adſtantes latitantium intùs ranarum ſuſpicionem conceperint, cujus ſolius gratiâ magnus ſectione cadaveris occupatos incolarum circumſtetit numerus. Inquirenti mihi in diætam, quâ defunctus olim fuerat uſus, lac potiſſimùm maritum comediſſe & bibiſſe, vinum & cereviſiam non curaſſe, reſpondit vidua: Lactis ſolius eſu & uſu ſe refocillari dixerat. Luxuriantis & errantis hoc eſt naturæ exemplum, quæ pinguiorem alimenti partem ſoli abdomini concredidit; reliquis verò partibus denegavit. Neque largioris lactis uſui id erit ſimpliciter attribuendum, cum nutritiam in lacte vim inclytus Medicorum Senatus, noſtro præſertim tempore, commendet, & non tantùm ſingulares homines, ſed & multos populorum γαλακτοφόρες fuiſſe in eleganti tractatu de Butyro *Martin Schoockius* oſtendat. Sed in noſtro ſubjecto natura partium externarum & ſic ſui quaſi oblita in toto abdomine nutritiam lactis virtutem ſibi appropriavit.

[*In litteris ad Collectores Vratislav. miſſis Anno 1672. menſe Decemb.*]

OBSERVATIO XXIX.

D. ANTONII DE POZZIS,

QUOD HOMO DIU VIVERE POSSIT CUM MAGNIS MORBIS.

CElſiſſimus quidam Princeps ſtaturæ brevis, melancholicus, pauciloquus, ſedentariam agens vitam, & deformem dorſo ad inſtar litteræ M. ferens gibbum, duobus annis ante mortem cœpit ab ore inſigniter fœtere, cum excoriatione gingivarum, & dentium notabili mobilitate. Octo diebus ante mortem correptus febriculâ lentâ cum virium reſolutione ob defectum probi ſanguinis, & ſpirituum carentiam in Domino obdormivit. Ut debitus cadaveri balſamationis redderetur honor, apertum eſt abdomen, ubi primò ſeſe omentum

mentum fœtidiſſimum atque putridum obtulit; deinde meſenterium nigris varicibus undique circumſeptum, cum pancreate induratis multis magnisque glandulis impervio. Hepar exſtitit parvum, nigrum atque ſcirrhoſum: Ren verò infra hepar latens major capite puelli duorum annorum, ponderans libras duas cum ſemiſſe, in cujus centro calculus ℥iiiß. repertus, cujus acumen afficiens parietes ipſius renis, gangrænam induxit. Infra hunc renem circa muſculum Pſoas aderat abſceſſus longus atque profundus, flavo ac fœtido pure plenus, absque ullo femoris torpore atque dormitatione, contra *Fernelium.* Ventriculus mediocris, atro humore plenus; Lien longus, durior ſolito; Ren verò altior & naturali major, continens ad minimum centum parvos lapillos, apparuére. Hinc deventum eſt ad medium ventrem, in quo viſæ ſunt duæ hydatides ab humero usque ad ſeptum transverſum inter pulmones & pleuram aquâ, veluti glaciatâ, repletæ, cum pulmonum, tàm ſecundum ſubſtantiam, quàm ſecundum vaſa, inſigni corruptelâ, ita ut melancholia hypochondriaca, ſcorbutus, tabes, ſpirituum reſolutio, viſcerumque corruptio, cauſæ fuerint iſtius interitus. Sed quod mirum eſt, toto tempore vitæ nunquam eſt conqueſtus de doloribus nephriticis, calculis, urinis ſabuloſis, aut difficulter vel diminutè fluentibus, multò minùs ad renis dextri ingens augmentum femur dextrum torporem eſt perpeſſum.

OBSERVATIO XXX.
D. ANTONII DE POZZIS
DE
ERRATIS NATURÆ IN UNA PARTE, ET SUPPLEMENTO EJUSDEM IN ALIA.

SÆpè natura in formandâ unâ corporis parte deficit, luxuriando in alterâ: ita accidit cuidam Illuſtriſſimæ Baroniſſæ, hydrope tympanitide ſuccumbenti: ambo enim pulmonis lobi, ſcilicet ſuperior, atque inferior ſiniſtri lateris defuerunt, non ex ulcere conſumpti, quia cicatrices adfuiſſent: Sed quia natura defecit in eorum productione, aliò diſtribuendo materiam. Hic Anatomicus campum habet quærendi, quomodo circulatio ſanguinis in hoc corpore fieri potuerit, deficiente arteriâ venoſa in ſiniſtrum pulmonis lobum excurrente, cum non facilè admittat ſeptum

cordis

cordis pervium à *Galeno* ſancitum. Sed quod maximè conſideratione dignum eſt, nunquam ſpirandi difficultate fuit detenta, cum pulmones obſtructi eam impediant, deficientes penitùs auferant. Ventriculus magnus adfuit, cui à liene *vas breve* amplum *ſine valvulis* communicabatur; per quod potus frigidus quàm primùm lienem ſubivit. Lien erat ponderis ℔ viß, novem contextus denſis membranis, inter quas aquæ limpidiſſimæ portio aſſervabatur: baſis verò ejusdem fuit caro rubicundiſſimi coloris, ſolidæque ſubſtantiæ ad ℔ j. Locum præ pondere mutavit, hypogaſtrium occupans ſpacio 24. annorum, nihilo tamen minùs tres proles utero geſſit, inter quas filius ſupereſt, qui operante celeberrimo Chirurgo Wencelio adſtitit, & rei admirandæ fidem facit luculentiſſimam. Inteſtina tantùm tria apparuerunt, jejunum, colon amplum ſolitoque craſſius, & rectum: horum longitudo non quatuordecim ulnarum Patavinarum, ſecundum *Spigelium*, ſed tantùm trium viſebatur. Natura ergò cum defecit in producendis medio pulmone, parvo hepate, & brevibus inteſtinis, ſupplevit defectum in liene. Hæc Domina multi fuit & craſsi cibi, non bis, ſed ſæpiùs in die comedendo, quaſi lupino fuiſſet donata inteſtino.

OBSERVATIO XXXI.
D. ANTONII DE POZZIS
DE
DOLORE VENTRICULI A CAUSA INAUDITA.

ILluſtriſſimus Colonellus annorum 54. temperamenti ſanguinei, vir aliàs probus & erga pauperes liberalis hydrope aſcite detentus cum graviſſimo oris ventriculi dolore paulò ab aſſumpto cibo & ſpirandi difficultate; poſt curam quatuordecim menſium, morbo victus, naturæ debitum perſolvit. Latuére in abdomine XVI. menſuræ citrinæ aquæ, in thorace quatuor. Cauſa fuit hepar durum atque ſcirrhoſum: doloris verò ventriculi à cibo per annum perdurantis origo fuit acumen cordis, quod à cibo ſumpto comprimebat os ventriculi, unaque impedito diaphragmatis motu difficultas anhelitûs ingruebat: Cor namque bovino majus fuit, totam thoracis capacitatem replens, atque extenuatos flaccidosque compreſſione reddens pulmones. Num cor à nativitate magnum nactus fuerit, an verò in morbo excreverit, dignam otioſis relinquo ſpeculationem: ſiquidem ante morbum nec dolor,

lore, nec difficultate anhelitus, nec deliquiis fuit laceſſitus. In ſiniſtro cordis ventriculo inventi ſunt duo polypi, duri, carnoſi atque lati, ad quorum motum verſus arteriam magnam ſequebatur pulſûs interceptio, graviaque cordis ſymptomata.

OBSERVATIO XXXII.

D. ANTONII DE POZZIS

DE

CALCULIS OCCULTIS IN RENIBUS.

INtimus Sac. Cæſ. Majeſtatis Conſiliarius à parente Podagrico ortus, circa annum 35. doloribus arthriticis infeſtari cœpit, à quibus ut liberaretur, emplaſtris quibusdam, à Chirurgo oblatis, eſt abuſus: ſed incidit in ſcyllam, volens vitare charybdim: nam poſt unum vel alterum annum correptus ardenti febre cum eryſipelate pulmonum, ſuffocatus interiit. Cum autem mors ſemper ferè imputaretur Medicis, quaſi terminum accidentalem potis eſſent devincere, ideò hanc ut calumniam fugerent, ad corporis diſſectionem confugiunt, in quâ pulmo poſt remotum ſternum niger adeoque tumidus ſeſe obtulit, ut naturali ſuo reddi non potuerit hoſpitio. Hepar magnum, plurimo nigroque ſanguine conſperſum, cum cyſti felleâ omni bile deſtituta examinanda ſe obtulerunt. Cum autem ſufficiens mortis causâ in pulmone inventa fuiſſet, dubii fuimus, an aliæ inveſtigandæ forent particulæ: ultrò ergò progreſſi, in utroque rene duo magni calculi inventi fuerunt, ponderis ℥vj. nullo ſigno præcedente, ſive arenulas, ſive pedum torporem, ſive lumborum gravitatem, ſive urinæ indigentiam conſideres. Nam copioſiores juſto fundebat urinas, ſed aquæ ſimillimas; ſitimque adeò intolerabilem patiebatur, ut nullo potu ea ſedari potuerit.

OBSERVATIO XXXIII.

D. ANTONII DE POZZIS

DE

SUTURÆ DISCESSIONE AB EBRIETATE PRÆSERVANTE.

ANno circiter 1648. exauthorato Græcii Cæſareo milite quidam magnæ familiæ colonellus non ſolùm militandi arte eximius, ſed potandi exercitio celeberrimus, poſtquam Lutenbergici vini ſeſe ingurgitaſſet copiâ, calidiſſimis ejusdem fumis ad

caput impetum facientibus, divulſâ magno cum cruciatu durâ meninge, nunquam quievit, niſi cum cranii contiguæ extremitates circa ſuturam coronalem ad pollicis latitudinem dehiſcerent, atque à ſe invicem ſepararentur. Verùm omne malum propter aliquod bonum; impoſterum poterat bibere ſine mentis perturbatione plures menſuras, multosque inebriare, antequam à potu ſentiret minimam læſionem. A vaporibus hypochondriacis & hyſtericis divelli ſuturas non ſolùm conſtat ex hiſtoriâ cujusdam monialis ad me miſſâ, verùm etiam ex relatione *Arnaldi Boot. cap. 4.* confirmatum legimus.

OBSERVATIO XXXIV.
D. ANTONII DE POZZIS
DE
RARA EPILEPSIÆ CAUSA.

CApitaneus obſidioni civitatis intentus aphonus ex equo repentè cecidit, an ex vehementi transeuntis propè caput tormentarii globi boatu, (ut referebat) an ex timore, non interpono meum judicium; tandem ad ſe rediens, ſemper de dolore obtuſo capitis & aurium tinnitu conquerebatur. Poſt ſextum annum Herculeo morbo præventus, irritis omnibus auxiliis, exuvias victori dedit. Aperto capite dura meninx à ſuturâ coronali usque ad frontem gangrænâ fuit detenta, & in medio cerebro per falcatam diſſecto latuit ſat magnum os ad inſtar lapidis ſtellati acutum, quod ſuo acumine membranæ inflammationi atque corruptioni dedit occaſionem, nullo animadverſo ſigno quondam diſrupti cranii, aut cicatricis relictæ. An à nativitate cum creſcente cranio creverit, an poſt caſum tantùm ſuæ generationis contraxerit principia, pro nunc aliis diſputandum relinquo.

OBSERVATIO XXXV.
D. ANTONII DE POZZIS
DE
EPILEPSIA AB INCURVATIONE DIPLOIS INTERNÆ.

VIri cujusdam magni nominis filiolus ſeptimeſtris dum nutrici de nocte ad lactandum traderetur, ſomno, ſi non vino, obrutæ (nam ſolebat per vetulam furtim vinum emendicare matulâ deporta-

portatum); poſtquam denuò puellum in cunas reponeret, cecidit ſupra earum quandam prominentiam, unde ille post quatuordecim dies correptus epilepſiâ, ad plures abiit. Ut ignota & à perverſis mulieribus ſuppreſſa innoteſceret cauſa, disſectum fuit caput, in quo paulò ſupra tempus ſiniſtrum inferior cranii lamina ſeu tabula in notabilem tumorem elevata verſus cerebrum, ſuperiori omninò illæſâ, viſebatur: unde factâ eo loci membranarum compresſione, humorum affluxu, ac cerebri notabili corruptelâ, epilepticus exſpiravit. Vide *Rinaldum Corteſium ſecundum Spererium &c.* ſimilem caſum adferentem.

OBSERVATIO XXXVI.
D. ANTONII DE POZZIS
DE
AQUA IN CEREBRO INVENTA.

CErebrum facultatum animalium principum ſedem eſſe, jam dudum contra Ariſtotelem *Galenus* diſputavit, ipſasque functiones eò præſtantiores reddere, quò purius, temperatius, ac magis pervium exſtiterit: quanquam autopſia contrarium demonſtret: nam filiola cujusdam Comitiſſæ annorum quatuor, habitus corporis gracilis, bilioſi temperamenti, correptâ febre ardente, ſine notabili operationum principum læſione, creſcente morbo, decimâ quartâ die ſuccubuit. In poſterioribus cerebri ventriculis inventa fuit libra aquæ, ipsâ puteali magis perſpicuæ, ſine operationum principum læſione, niſi quod aliquando de pungitivo capitis dolore exclamaret: Forſan id-eò, quia paucæ urinæ prodibant, & ad calefactum caput fecerunt metaſtaſin.

OBSERVATIO XXXVII.
D. ANTONII DE POZZIS
DE
DELIRIO A VERMIBUS.

RUſticus quidam à ſomno ſub arbore expergefactus, per medium annum maniacus eſt redditus, ſed acceptâ Tabaci unciâ & concitato vehementiſſimo ſternutamento, prodiit eruca nigra, longa atque piloſa, & confeſtim penitùs ſanitati eſt reſtitutus.

OBSERVATIO XXXVIII.

D. ANTONII DE POZZIS

DE

VERMIBUS VENTRICULUM ERODENTIBUS.

ALiud eſt vulnera ventriculi eſſe inſanabilia, aliud verò eſſe lethalia; nam vixit mulier hortulana Græcii duodecim annis, quæ ſingulis ſeptimanis ad minimum bis ad vendenda olera comparebat, deformis facie, ſtrumoſa, inſtar urcei oblonga, huic vermes fundum ventriculi perforàrunt circa latus ſiniſtrum cum muſculis abdominis, quos præſente *Excellentiſſimo Dn. Warnhauſer*, adhuc feliciſſimè Græcii in primo loco quadraginta ſeptem annis praxin agente, & me extraxit. Ulcus apertum circulo, duriſque labiis duodecim annis usque ad tumulum tulit. Sed mirum eſt in hâc ruſticâ muliere, dum fabas edebat, aut cibum difficilis concoctionis ſumebat, per ulcus exibant omnia; dum cibus facilis concoctionis à ſuo domino illi plurimùm compatiente offerebatur, optimè nutriebatur. O utinam melancholicis hypochondriacis ſine labe vitæ ex capite & hypochondriis ſcrupulorum falſarumque imaginationum vermes tàm facilè exirent, quàm beati forent Medici, quàm ſani Hypochondriaci!

OBSERVATIO XXXIX.

D. ANTONII DE POZZIS:

VULNERA PROFUNDA COLLI NON ESSE LETHALIA.

NOlui cineribus oblivionis recondere admirandum vulnus inflictum cuidam capitaneo Excellentiſſimi Domini Comitis Butiani eo tempore à Turcis inflictum, quò *Auroram*, ejus conjugem, mulierum pulcherrimam, duplici tertianâ detentam curarem: Hic enim cum ſociis contra Turcas ad confinia excurrens æquâ lance certavit, occidendo multos, & pro occiſo habitus inter mortuorum cadavera quaſi ſepultus; accepit enim vulnus in ſiniſtro colli latere adeò profundum, ut muſculi maſſeteres, ſplenii, venæ jugulares, arteriæ carotides, nervique recurrentes fuerint excisi, quod ex ejusdem profunditate ad duos digitos, ſaliente ſanguine arterioſo & venoſo licuit intelligere. Sed paulò pòſt audito victoriæ ſigno,

gno, ex cadaverum acervo ſurgit, à ſociis vulnus ſtrictè obducitur, domum equitat, nec ſenſum perdit, nec aphonus redditur, nec viribus deſtituitur, ſed eâ nocte uxori ter debitum matrimoniale reddidit ſine discrimine. Curatus eſt, & ſucceſſu temporis non ſolùm plures Turcas occidit, ſed etiam Laxenburgi cum ſuo Excellentiſſ. Comite comparuit. Evaſit, an quia vulnera in Ungarico climate faciliùs curantur per extraordinarias (ut audivi) curationes, aut quia paucis utuntur medicamentis, facilè reſtituuntur: crediderim potiùs Magati methodo per primam ſcilicet intentionem ſanitati priſtinæ reſtitui.

OBSERVATIO XL.

D. ANTONII DE POZZIS

DE

RARA CORDIS PALPITATIONE.

VIr annorum 27. gracilis corporis habitûs, temperamenti calidi & ſicci, Poſtæ præfectum agens in Ernhauſen, quatuor annis laboravit cordis continuâ palpitatione, cujus remedium unica fuit ſanguinis miſſio. Verùm ſymptomate recrudeſcente tandem ſyncope correptus interiit, corde palpitante non in loco proprio, ſed circa diaphragma lateris ſiniſtri valdè demiſſo. Aperto cadavere cor maximum apparuit, ſolùm unam continens cavitatem ſeu ventriculum, in ℥xvj. ſanguinis nigerrimi adnumeratæ ſunt. Cordis corpus erat totum emaciatum, arteriæ præ pondere elongatæ & conniventes, ita ut ſanguis ſpirituoſus motu cordis non potuerit ampliùs expelli ad arterias. Loco dextri ventriculi vena cava aſcendens, in ingentem elevata tumorem. Dicite jam, ſi ambo ventriculi cordis neceſſarii ſunt, an in uno præparentur, & in alio perficiantur ſpiritus?

OBSERVATIO XLI.

D. ANTONII DE POZZIS

DE

HYDROPE ADMIRANDO.

VEſtalis virgo annorum 33. plethorica, poſtquam eidem ceſſarent menſtrua, cœpit ſentire dolorem in inguine dextro, à quo tandem abdomen in ingentem tumorem elevatum ſpretis omnibus methodicis remediis ſuccubuit: aperto cadavere inter muſculos abdominis & inter peritonæum inventæ ſunt ſanguinis nigerrimi li-

mi libræ octoginta, inter peritonæum verò & inteſtina quadraginta aquæ limpidiſſimæ. Tuba uteri in latere ſiniſtro elevata in ingentem tumorem continebat ℔ iß. viſcidi cujusdam humoris, cum ſeminis albicantis magnâ quantitate. Teſtis illius lateris erat parvus, alterius lateris major. Diaphragma adeò compreſſum ab aquâ & ſanguine, ut vix non ad jugulum pertingeret. Pulmones nigricantes & compreſſi.

[*Ex communicatione Excell. Dn. Autoris, Dn. D.* Jung *factâ, & ab hoc menſe Decembr: Ann. 1671. Collectoribus Ephemeridum impertitâ.*]

OBSERVATIO XLII.

D. SIMONIS SCHULTZII

DE

AMULETO EPILEPSIÆ.

RECenſentur plurima Amuleta à diverſis Autoribus adverſus morbum comitialem ſive epilepſiam, quæ an omnia promiſſis reſpondeant, experientia conſulenda eſt. Mihi nuper à fide dignis commendata eſt in epilepſiâ infantū *radix Oſtrutii, Imperatoriæ ſeu Magiſtrantiæ, Germ.* Meiſterwurtz *dicta, recens diſſecta & pollicibus tàm manuum, quàm pedum alligata.* Hujus rei veritatem indagare mihi non ita pridem occaſio ſe obtulit in puellâ trium ſeptimanarum à paroxyſmo epileptico miſerè divexata, cui poſt alia iſta radix prædicto modo adhibita eſt felici cum ſucceſſu; qui an radici ſoli, an etiam aliis anteà præmiſſis remediis adſcribenda ſit, neſcio, cum ipſi primùm exhibuerim *aliquot grana Cinnabaris nativ. præp. pulveri epileptico immixta:* quod remediū, *cinnabarim ſcilicet nativam mineralem veram celeberrimus ille trium Imperatorum Medicus Crato* in epilepſiâ magni fecit, ut teſtatur *Samuel Schenbornius in Manuali Medic. Pract. p. m. 6.* quanquam alii cinnabarim Antimonii exhibeant; *Sennertus* tamen nativam huic rectiùs præfert: utpote cujus admirandas vires in epilepſiâ tàm adultiorum, quàm juniorum me ſæpiſſimè expertum eſſe verè teſtari poſſum. Congesſit aliàs Catalogum medicamentorum ſimplicium & facile parabilium adverſus epilepſiam *Henricus à Bra, Medicus Zutphanienſis*, qui ibidem p. 59. *radicem Imperatoriæ pulveriſatam* & ex vino potam comitialibus auxilio eſſe ex *Mathiolo* refert.

OBSERVATIO XLIII.

D. SIMONIS SCHULTZII

DE

EPILEPSIA EX IPSIUS TERRORE.

SCribit *Chriſtophorus à Vega lib.3. de Arte Medicâ cap. 12. ſe vidiſſe quendam, cum attentè inſpexiſſet eum, qui in comitialem morbum incideret, ſubitò eo malo correptum cecidiſſe.* Talem ego quoque recordor, fuiſſe juvenculam quandam primâ vice gravidam, quæ præ foribus ædium propriarum ſtans, mendicumque epilepſiâ laborantem prætereuntem, & paroxyſmo epileptico obrutum videns, mox eodem affectu prehenſa, miſerè obiit. Novi etiam Excellentisſimum quendam Medicum, Serenisſimi cujusdam Regis Archiatrum adhuc viventem, qui neminem epilepſiæ obnoxium in ipſo paroxyſmo aſpicere, multò minùs rogatus, tali ægro opem medicam ferre poteſt: adeò ipſi morbus hic terribilis eſt.

OBSERVATIO XLIV.

D. SIMONIS SCHULTZII

DE

HÆMORRHOIDUM MENSTRUO ET ORDINARIO FLUXU IN VIRO.

CUm nuper *Ephemerides Medico-Phyſicas Germanicas Anni ſecundi* percurrerem, & ſub titulo *Obſervationis 192. Hæmorrhoides in viro ſingulis menſibus ſtillantes Dn. D.* Ehrenfried *Hagendorns, Practici Gorlicenſis,* perlegerem, revocavi mihi in memoriam ſimilem caſum *in Viro Clariſſimo Haynone Rigio Hamburgenſe tùm Phil. Magiſtro, poſteà Med. Doctore & Practico Roſtochienſi Experientisſimo, Amico & Conſalino meo Lugduni Batavorum dilectiſſimo, jam ἐν ἁγίοις,* cui ab anno ætatis decimo octavo Hæmorrhoides ordinariè ſingulis menſibus per aliquot dies fluere ſolebant, non ſine magno valetudinis commodo: ſiquidem cum interdum fluxus ille vel deſiiſſet, vel non ſufficienter procesſiſſet, ſe malè valere conqueſtus eſt. Fuit aliàs vir iſte coloris fuſci, & capillitii nigri, ingenioſus & judicii acerrimi. Similes caſus conſignaverunt *Amatus Luſitanus Cent. 5. Cur. 3. Veſalius de Corp. Hum. Fabr. Lib. 5. c. 15. Ant. Zimara Comment. ad cap. 10. Lib. Somn. Ariſt. atq; Oethæus Libr. Obſerv. propr.*

OBSER-

OBSERVATIO XLV.

D. SIMONIS SCHULTZII

DE

HÆMORRHAGIA MENSTRUA CRITICA.

VOcabulum Hæmorrhagiæ apud *Hippocratem* ſæpè quodvis ſanguinis profluvium copioſum indicat: interdum autem non addito partis nomine exprimit eam ſanguinis eruptionem, quæ per nares fit, ut teſtatur *Galenus 1. Epidem. Comment. 1. Aph. 9. item 6. Epid. Comment. 3. Aphor. 25.* quo ſenſu etiam hic uſurpatur, & ſignificat fluxum illum criticum, per quem natura è venis & arteriis cerebri in ejus præſertim baſi exiſtentibus, ſibi noxia & moleſta certo tempore expellit. *Clariſſimus Rolfincius in Epitome Method. cognoſc. & curand. particul. Corp. Affect. lib. 1. part. 2. cap. 4.* hæmorrhagiæ narium arterias magis in culpâ eſſe, quàm venas autumat, ibidemque ſinum tertium craſſæ meningis per longitudinem falcis ad os cribroſum excurrentis in hæmorrhagiis aperiri, easque contumacisſimas excitare ſtatuit: quarum cauſa eſt ſanguis calidus, acris, copioſus, ſeroſus ad motum aptus. Talem ego hæmorrhagiam in juventute ab anno decimo nono ætatis per longum tempus in me ipſo expertus ſum, ubi ſingulis ferè menſibus è nare dextrâ ſanguis copioſus mihi cum euphoriâ effluere ſolebat. Hujus fluxus continuationem, at non menſtruam, ſed rariorem, adhuc hodiè patior, & quidem cum valetudinis commodo, quam ſemper capitis gravitas, dolor, & faciei inflammatio præcedit, quæ incommoda fluxus ille ſtatim ſolvit: Si verò ſanguis ſponte ſuâ haud fluxerit, ſoleo ſæpè cum pennâ anſerinâ venulas in nare dextrâ irritare, poſt quam irritationem ſanguis cum alleviatione effluit. Sic mentionem facit *Oethem Lib. Obſerv. propr.* juvenis cujusdam Canonici Eichſtadiani cui diætâ largiori utenti, & à venæ ſectionibus abhorrenti hæmorrhagia narium tàm familiaris fuit, ut ſingulis ſeptimanis recurreret, ac jam quaſi ordinaria ac naturæ conſveta eſſe videretur, & quidem citra valetudinis vel vitæ diſpendium. Hiſtoriam juvenis, cui *Galenus* ſanguinem criticè è nare dextrâ profluxurum è nonnullis præcedentibus ſignis prædixerat, videat Lector benevolus *apud eundem libr. de Præcognit. ad Poſthumum c. 13.*

OBSERVATIO XLVI.
D. SIMONIS SCHULTZII
DE
MARASMO.

CLariſſimus quidam vir annos 44.natus,conſtitutionis ſiccæ, naturâque cholericus, cum Anno 1665.menſe Januariô per aliquot ſeptimanas calorem præternaturalē percepiſſet, animadvertit tandem ſpatiô paucorum dierum conſumptionem muſculoſi habitûs, ſeu maraſmum totius corporis, qui cum indies majus incrementum ſumeret, conſilium à me petiit. Ego pulſum ipſius explorans, deprehendi parvum, crebrum & celerem, urina verò nihil à naturali mutata eſſe videbatur: ex quâ in Hecticâ *Galenus* nullum certum ſignum deſumi poſſe docuit. Calor in principio ad tactum nullus ferè deprehendebatur, ſed diutiùs manu admota, acer & mordax evaſit. Sitis etiam nulla aut pauca: pulſatio arteriarum circa tempora [quæ collapſa erant] celerrima. Ordinavi ei itaque ſequentia medicamenta alterantia tàm interna, quàm externa. Primò quotidiè manè ſequentem potionem ebibebat. ℞. *Aqu. Violar. endiv. nymph. ana* ℥vj. *ſir. de cucurbitâ, de endiv. ſ. ana* ℥ß. *m. f. Hauſtus.* S. Träncklein auff 1 mahl. Secundò horâ quartâ pomeridianâ ei balneum aquæ dulcis fluviatilis tepidæ imperavi; ventriculi interim regione cruſtâ panis vinô Hiſpanicô & pulvere cinamomi conſperſâ, & pannô lineô coopertâ: poſt balneum autem ſpinam dorſi, ſcapulas, atque regionem circa renes hôc linimentô non liquefactô inungere juſſi. ℞. *mucilag. ſem. cydon. pſyllii cum aqv. lactuc. extr. ana* ℥vj. *lap. Prunell.* ℥ij. *ceræ alb. parum.* f. l. art. linimentum molle. S. Rücken-Sälblein. Tertiò poſt inunctionem de iſtâ emulſione ℥iiij, aſſumebat. ℞. *Amygd. dulc. excort. non ranc.* ℥ij. *ſem. 4. frig. maj. excort. non ranc.* ana ℥ij. *papav. alb.* ℥ß. cum *ſ. qv. decocti tenuis ptiſanæ bordeaceæ* f. l. art. Emulſio ad ℥xvj. quæ dulcoretur *ſir. de cucurb.* ℥iiij. m. Hiſce ita ſpatio duarum ſeptimanarum continuè uſurpatis flacciditas muſculoſi habitus ad oculum remittebat, & carnoſa membrorum ſubſtantia ſolidior eſſe cœpit: nihilominus tamen per unam adhuc & alteram ſeptimanam in uſu balnei tepidi, inunctionis & emulſionis continuavit. Sed quia ventriculi ipſius conſtitutio valdè debilis erat, ejus corroborationis gratiâ ſequentes rotulæ in Pharmacopolio paratæ ſunt. ℞. *ſpec. diarrhod. Abb.*

ʒiij. *ſacchar. cavar. alb. in ſ. qv. aqv. cinamomi cord. diſſol.* ℥ iij. *F. l. art. Rotulæ. S.* Magenküchlein 11. oder 13. auff 1 mal zugebrauchen. Convaluit itaque vir ille Clariſſimus in totum, & hucusque, dum iſta ſcribo, Anno *1672.* pancraticè vivit, nihilque de calore hectico amplius ſentit. Ubi notandum, balneum aquæ dulcis tepidæ extenuatis & conſumptis admodùm conducere, quod ego in pluribus extra præſentem caſum obſervavi. Confirmat id *Galenus lib. 10. meth. med. cap. 10.* ubi ſatis exactè & curioſè hecticâ febre laborantes lavare docet, ad quem curioſum lectorem remitto. De veteri balneorum fabricâ & uſu multa huc facientia eleganter congeſſit *Joh. Langius Epiſt. Medic. Lib. 1. epiſt. 50.*

OBSERVATIO XLVII.

D. SIMONIS SCHULTZII

DE

PARTIUM GENITALIUM PRURITU IN PUELLA.

Partium genitalium ſeu vulvæ pruritum rarum eſſe ſymptoma, & quod tantùm fœminas, præcipueque annoſas afficit, plerique inter Practicos ſtatuunt, de quo *Mercatus* cum furore uterino & nymphæ magnitudine promiſcuè agit; ſed rectiùs *Aetius* & *Moſchio*, atque inter Neotericos *Sennertus*, *Franc. Joël.* & *Rod. à Caſtro* diſtinctis capitibus de iisdem tractarunt, ut apud ſingulos ſuis locis videre eſt. Nos ejusmodi affectum in puellâ octenni elegantis formæ & præclarorum parentum filiola obſervavimus, qui ferè per annum duravit, & præſertim circa veſperam & noctu exacerbabatur. Suſtulimus eundem, benedicente Deo, evacuationibus levibus aliquoties inſtitutis, balneo aquæ dulcis, unguento roſaceo renibus & dorſo illito, atque lotione partis affectæ cum aquis refrigerantibus & humectantibus: à quo jam fermè ultra biennium libera eſt. Tradit *Rod. à Fonſeca* ejusdem affectus prolixam curationem *Tom. 2. Conſult. Medic. Conſult. 68.* in muliere 38. annorum: & *Ambr. Paræus Oper. Libr. 23. cap. 64.* mulierem, quæ vehementi partium genitalium pruritu & uredine laborabat, unguento Ægyptiaco curavit.

OBSER-

OBSERVATIO XLVIII.
D. SIMONIS SCHULTZII
DE
FEBRE SINGULTUOSA.

FEbre ſingultuosâ continuâ ante plures annos robuſtum virum, ferè ſeptuagenarium, Johannem Krieger/ruſticum in Gurſchke, pagô Thorunenſi, den Schleſiſchen Hanß (quoniam è Sileſiâ oriundus erat) appellatum, affectum recordor: cui levis purgatio bis inſtituta, & poſteà tàm *Elix. Propr. Parac.* cum *Eſſentiâ abſinthii*, quàm in unctiones externæ circa ventriculi regionem cum *oleo abſinthii* & *maſtichino* multùm profuerunt, tandem & vinum abſinthites; qui poſteà per aliquot annos vixit, & peſte interiit. Vide ſimiles caſus apud *Hier. Cardanum in libello de Curat. & Prædiction. admirand. n. 21. & Lal. à Fonte Conſil. 58. fol. 170.* Item apud *Greg. Horſtium Obſerv. Medic. Sing. lib. 4. prior. lib. 1. Obſerv. 22. p. m. 40.* Præter hos inveniet benevolus lector apud *Joh. Petr. Lotichium* ſingularem caſum *libr. 1. Obſerv. Med. cap. 7. Obſerv. 1. de febre Lypiriâ lethali malignâ cum ſingultu.*

[*Ex litteris menſe Dec. Anni 1672. Thorunio Vratislaviam ad Collectores Ephemerid. ſcriptis.*]

OBSERVATIO XLIX.
DN. ANDREÆ CNOEFFELII
DE
ICTERITIA CURATA.

MUlier viginti quatuor annorum gravem ſentiebat obſtructionem menſium, qui menſes tamen fluxu albo ſolvebantur, ſed inordinato, tandem ictero flavo tota tingebatur. Multis & pro promovendo menſtruo, ordinatis, & quæ aliàs commendabantur, utebatur medicaminibus, nec icterus voluit cedere, nec menſtrua ſequi. Tandem ſequenti emulſione & applicatâ exteriùs tincâ, vulgò Schleye/D. S. L. reſtituta eſt.

℞. *aq. centaur. cichor. fragor. ſambuc.* ãã ℥vj. *ſem. melon. cucurb.* ãã ℥ij. *papav. alb.* ℥iß. *nucleor. Perſic.* ʒj. F. l. a. Emulſio. *Adde ſirup. fragor.* ℥j. *ſpirit. cinam.* ℥ß. M. hâc emulſione ſæpiùs propinatâ, & ad ſex dies continuatâ, iterùm reſtituta eſt colori priſtino naturali.

Hoc quidem abſque verborum gloriâ poſſum affirmare, quod mul-

tos icteritiâ flavâ affectos hocce medicamine, Deo adjuvante, reſtituerim, ſed cum hoc diſcrimine, quod ſimul circa ſecundum diem, certas pilulas ad mundificandum ſanguinem, & bilis correctionem accommodatas, propinari patienti procuraverim.

OBSERVATIO. L.
DN. ANDREÆ CNOEFFELII
DE
GRILLO IN AURE.

RUſticus penes fornacem jacens, in ſcamno, non advertit in ſomno ingredientem grillum in aurem, quem tamen expergefactus ex clamore, ut dicebat, terribili ſtatim percipiebat. Homo hic ferè ad inſaniam redactus eſt, nec ullo modo potuit eum vel interimere, vel extrahere: Venit tandem ad me, ſvadeo, ut infundat *oleum ſcorpionis*. Paret: ſed ſine fructu. Itaque juſſi, ut afferat grillum vivum ex campo; allatum injicio oleo olivarum, moritur in eo grillus. Hujus olei cum duodecim ferè guttas in aurem immiſiſſem, paulò pòſt grillus in aure mori cœpit, inter moriendum tamen, retrogradum quaſi motum repentis inſecti ſentit æger, fruſtatim deinde cum multo pure grillum auris evomuit cum reſtitutione ægri.

OBSERVATIO LI.
DN. ANDREÆ CNOEFFELII
DE
REMEDIO SYMPATHETICO ANTISCORBUTICO.

SPecialis & ſingularis meus amicus non ſolùm pruritum externum cutis, ſed & multas maculas in cute ſentiebat, ſimul etiam ex hinc inde ſubortis doloribus vagis, malum ſcorbuticum ſubeſſe ratus, petiit remedium externum, quoniam abhorrebat ab internis. Inſiſtens veſtigiis *Lupii* & aliorum de ſympathiâ ſcriptorum, ſvaſi, ut cani lincturam pedum & cutis permitteret. Paruit. Octo ſeptimanis elapſis de die in diem ſentit levamen. Canis autem totus fit ſcabioſus. Quod quia plures noſtræ civitatis jucundo hoc ſpectaculo ſe delectantes adhuc ſciunt, ulteriori probatione non indiget. Canis deinde, ſæpiùs internè applicato ☿ *dulci*, & externè benè lotus, ſanus evaſit.

Æquè tale exemplum cum cane in doloribus podagricis expertus ſum, quod etiam certiſſimè poſſum affirmare, quod eo tempore, quo patiens

tiens conqueri ſolet de dolore pedum, canis ſimul dolores ſentit, & tubercula creta podagrica oppleta cum calore præternaturali. Iſte canis jam in domo meâ ſuſtentatur.

OBSERVATIO LII.
DN. ANDREÆ CNOEFFELII
DE
GALLO INDICO HYDROPICO.

INter jucunda amicorum ſpectacula & hoc obveniebat. Spectabilis ac celebris Dn. N. N. Conſul civitatis Mariæburgenſis, gallum Indicum ſervabat, fortè pro tractandis amicis. Miniſtræ ejus multum quidem cibi offerebant, parum autem potus, ita ut vix tertio die ſemel bibendum tradiderint. Quid fit? Nimia ſiti preſſus, ſemper vaſculum aquæ appoſitum, continuando, unâ vice, ebibit. Interim gallus totus fit macilentus & vix oſſibus hæret. Circa collum verò & regionem ventriculi tumebat, tumor etiam pedes occupabat. Sæpiùs ob jucundum ſpectaculum compreſſus magnam aquæ fœtentis copiam ejiciebat, novâ appoſitâ, ſtatim bibebat, & ſe opplebat. Tandem præter cutem & oſſa tribus diebus valdè triſtis, & continuò ſedens nihil niſi mortem reliquit.

OBSERVATIO LIII.
DN. ANDREÆ CNOEFFELII
DE
URINA PILOSA S. FILOSA.

ANno 1668. in inſulâ majori Mariæburgenſi equiſo quidam, nomine Schaplau, primò dolores ſiniſtri lateris ſentiens, urinam craſſam albam in fundo multo ſabulo & arenâ rubeâ ſcatentem, per quatuor ſeptimanas absque tamen moleſtiâ emittebat, quæ aliquando ita incraſſata excernebatur, ut manibus inſtar filamentorum extrahi opus eſſet. In urinali tanquam maſſa coagulabatur, nec poterat effundi, niſi aquâ affuſâ. Comitabantur hoc ſymptoma noctes inſomnes, ita etiam ut ad uſum opii correcti ad grana duodecim propinati ne quidem indicium ad ſomnum appareret. Sequebatur lenta macies pedum & manuum & faciei, ſed poſt 3. ſeptimanas, cum tumor pedum ſequeretur, patiens hic, *ſpiritu vitrioli, ſale terræ nutrito & coagulato,* per dies quatuordecim continuato, & intra has dies, duplici vice *extracto Rhabarbari* purgatus, ſanatus eſt. D.S.L. OBSER-

OBSERVATIO LIV.

Dn. ANDREÆ CNOEFFELII

DE

MALO CITRIO PRÆGNANTE TRIPLICATO.

TAcuiſſem certiſſimè, quoniam jam video tot Excellentiſſimorum Medicorum Obſervationes & novæ Academiæ Curioſorum Collectanea abundare tantarum Obſervationum copiâ: Propterea paucis tantùm adjiciam, me anno 1671. obſervaſſe jucundam prægnaturam mali citrii, quod in medio diſſectum non ſolùm ſimile planè pomum citrium omni cute & colore citrino perfectum, ſed intrinſecè ſemine plenum: à parte ſuperiori adhuc novum germen, quaſi tertium pomum conficiendo, exhibebat. Multi hoc ad ſtuporem usque in his locis apprehenderunt. Fidiſſimi teſtes hujus triplicati imprægnati pomi ſunt ſpectabiles ac famati *Dn. David* Fabenrecht/ Proconſul Civitatis Mariæburgenſis, *Dn. Caſparus Pyrus*, p.t. Judex & Pharmacopœus, à quo primo mihi erat donatum.

[*Confer Obſ.241. Ann. III. p. 433.*]

OBSERVATIO LV.

Dn. ANDREÆ CNOEFFELII

DE

ROSA TRIPLICATA.

FÆcunda anni tempeſtas 1672. die 20. Auguſti, luxuriantem nobis Roſam Provincialem, ut vocant, triplicatam, cujus iconem depictam hic transmitto exhibuit, in horto Nobilis ac Spectabilis
(*Vid. Fig. I.*) *Dn. Emſmi à* Lünden/ Proconſulis Civitatis, & Vice-Advocati Caſtri Mariæburgenſis.

Sic & Typham duplicatam tertio die pòſt, ager Koslicenſis exhibebat.

Bugloſſum ſylveſtre vix majori altitudine excreſcens vidit noſtra ætas, cujus vivum exemplar transmittam. Tantum potuit fluida tempeſtas hujus anni.

[*Poſtquam modo laudatus Dn. Cnœffelius, Fautor noſter multò honorificum de nobis meritus cultum, Roſam ſuam Triplicatam exhibuiſſet, eodem quaſi tempore Nobiliſſ. Dn. Bernhardi de Bernitz, S.R. Maj. Poloniæ Perſonæ Medicus longe beneq; meritiſſimus, Patronus noſter*

Ad Obs. LV Fig. I.



BRITISH M
NATURAL HISTORY

BRITISH
NATURAL HISTORY

ad Obſer. LV Fig. II.



Hic Flos Rosarum Pragæ ad Vist=ulam in horto P. Prim Bernardinoru
repertus die 10 Augusti que Flos Domus Regiæ decidit et pro bono
Angurio S. R. Mti. ab ijsdem Patrib, præſentatus est. In cujus locum ſex
aliæ gemmæ Verticem Verſus pro=deuntes alios Roſarum flores ej
dem pulchritudinis propediem cer=to pollicentur Anno Dñj 1647

noſter perpetua obſervantia colendus, aliam Roſæ, pro Multiflorâ habitæ, iconem tranſmiſit, quam ut iſti Cnœffelianæ Roſæ, depictam Fig. II. adjungeremus, operæ non ingratum prorſus pretium fore putavimus.]

OBSERVATIO LVI.

Dn. ANDREÆ CNOEFFELII

DE

DORSI INEFFABILI PRURITU EX OBSTRUCTIONE MENSTRUI.

FOEmina quædam annorum triginta ſex patiebatur menſium obſtructionem, compresſionem thoracis, gravitatem anhelitus & inappetentiam cibi, cum eruptione macularum, quas vulgò vocant Leberflecken. Poſt ſex ferè ſeptimanas, ut referebat, inſignis & horrendus ſequebatur dorſi circa ſcapulas, & ad coſtas usque ſpurias ſe extendens pruritus. Omnia veſtimenta debebant dilacerari & crudelitas unguium magnâ atrocitate in propriam carnem ſæviebat, nec poterat ſatiari ſanguine, donec largiter fluebat, quod unicum erat dimidiæ horæ levamen. Obduratus ſanguis novæ pruriginis prodromus exiſtebat. Non enim tàm citò ſanguis erat incruſtatus, cum jam manus ad priſtinam ſævitiam ſe armarent, miſero neque ſatis lacrymis deplorando ſpectaculo.

Applicatis medicamentis primò internis reſolventibus, evacuatione factâ generali, ſequente phlebotomiâ in pedibus, nihil levaminis ſenſit patiens. Deinde externis : *Unguentum* enim *nutritum* absque fructu tribus diebus applicabatur ; *Nitrum fixum* in aëre ſolutum, pro ſalis volatilis corroſivi præcipitatione paucula quantitate *aquæ ſpermatis ranarum* commixtum, noluit obſecundare voto medentis.

Tandem cum ♁ *diaphoretici* gr. XV. & *bezoard. mineral.* gr. viij. cum vino internè, ſæpius aſſumptis ad diaphoreſin redacta, & *aqua Mercuriali* exteriùs ſæpiùs illita eſſet, ceſſit pruritus, cutisque, quæ deinde *Emplaſtro de Minio* conſolidabatur, renaſcebatur, & ægra D. A. evaſit ſana.

Aqua Mercurialis taliter præparatur.

℞. ☿ ♎*ti* ʒj. affunde *aquæ* ℔j. Coque per horæ quadrantem, ut ebulliat. Servetur pro uſu. Præſentiſſimum aliàs remedium ad guttam Roſaceam Paracelſi.

Quod autem hoc loco admirratione dignum, erat *urina tremula vel*

ſaltans.

ſaltans. Nam urina recens è corpore excreta ſtatim ebullire, & per ſex ferè horas ſemper moveri conſpiciebatur cum gravi fœtore; ſucceſſu temporis etiam per integrum diem talis motus continuabat, inexiſtentis contrarii ſalis ſufficiens index. Quæ tamen omnia ulterius penſitanda, doctiſſimorum & experientiſſimorum Virorum judicio, relinquenda duco.

OBSERVATIO LVII.
DN. ANDREÆ CNOEFFELII
DE
UTERO CARTILAGINEO.

ANno 1662. vidua annorum 44. nomine die Mehlführerin/ gravi dolore dorſi & ingenti ſiti vexata, urinæ ſuppreſſione præcedente, fit hydropica. Natura ſpretis omnibus medicamentis debitum ſuum perſolvens, viduam hanc cultro decernit Anatomico. Adſtante *Dn. Heckero* Medico civitatis Mariæburgenſis, factâ per Chirurgum, Dn. *Lorenz Arnolt* ſectione, ingens copia aquæ effunditur, & lien quaſi convolutus calculis plenus conſpicitur, perventum eſt ad renes, in quorum dextro & quidem circa infundibulum, invenimus quadrangularem lapidem, qui totam cavitatem pelvis implebat. Proceſſimus ad uterum, qui cum magnâ admiratione primò totus lapidoſus à nobis putabatur, quantitate quidem parvus, ſed nimis durus. Tandem vi diſſectus, totus uterus cum orificio interiori erat cartilagineus, relictâ cavitate internâ ad amplitudinem nucis juglandis, & ureteres aliquo modo extenſi ſcatebant arenâ copioſâ, aliàs tamen in naturali conſtitutione obſervabantur.

OBSERVATIO LVIII.
DN. ANDREÆ CNOEFFELII
DE
FEBRI PETECHIALI COMITATA HYDROPE, ICTERO FLAVO, ET TANDEM NIGRO, CURATA.

CIvis Mariæburgenſis, tunc temporis juvenis viginti annorum, p. t. Scabinus, nomine Wilhelmus Braun, febri petechiali correptus, tantum non tertio die vitâ defungebatur, ingentiſſimâque ſiti premebatur. Omnibus & internis diaphoreticis & externis remediis applicatis, ita etiam ut prognoſis ſalutis aliquo modo

modo appareret; ex frequenti ſine ſcitu Medici adhibito potu, ingentem oſchei tumorem deinde & pedum contrahebat. Mentitus tumor quoniam durus, ac ſi hernia carnoſa fuiſſet, facile deinde ſubſequente pedum tumore detegebatur. Applicabantur remedia hydragoga, *ſuccini ſal volatile*: inter alia autem *cinnabaris* ℥ij tribus vicibus ſublimata, cujus ʒj. lagenæ vini injecta juncto ſale ſuperiùs memorato ſuccini volatili gr. XXIV. (tribus epotis lagenis taliter confecti vini) ſexto die totam ferè aquam intercutaneam per urinæ vias educebat, nam ad duas vel tres ſtoffos, quorum ſinguli continent quatuor libras, urinæ ejuſdem ſingulo die excernebat. Vix aquâ eâ & tumore exoneratus, totus evadebat ictericus, & color aureus totum corpus tingebat. Quot moleſtias cauſaverit hic morbus, & quæ ſymptomata ſecuta fuerint, vix dictu poſſibile. Nauſea, vomitus, totius corporis de novo debilitas, omnium virium proſtratio, diarrhœa in ſcenam prodibant. Suſceptâ curâ ictericorum ſuperiùs deſcriptâ, tandemque evaneſcente colore citrino, nigreſcebat ſicut Æthiops. Applicatis verò medicamentis ſudoriferis volatilibus cordialibus, præprimis verò *tincturâ nitri corallatâ*, & indefeſſâ operâ tandem per Dei benedictionem reſtitutus Dominus patiens ad hunc usque diem & ſanè & abſque recidivâ vivit.

OBSERVATIO LIX.

Dn. ANDREÆ CNOEFFELII DE *AQVILA ALBA IN POLONIA.*

NUper cum eſſem Varſaviæ, inter alia, quæ apud *Excellentiſſ. ac Doctiſſ. Dn. D. Martinum Bernhardi de Berniz, S. R. M. Archiatrum*, videre licuit, erat aquila alba in Poloniâ capta, cui nigredinis, præter extremam ſuperficiem pennarum magnarum in alis, ne micula quidem inerat. Expanſæ alæ tres ulnas ſuperabant. Avis erat prægrandis diu à S. R. M. *JOANNE CASIMIRO* ſuſtentata, tandem præmemorato Doctori donata. Mortem quidem avis ſubiit, ſed tamen verificavit, quod anteà ſtrenuè negatum eſt, *Poloniam etiam aquilas albas inhabitare.*

OBSERVATIO LX.
Dn. ANDREÆ CNOEFFELII
DE
GANGRÆNÆ IN GENIS INFANTUM CURATIONE.

SÆpiſſimè evenire ſolet, ut infantes laborantes ex variolis, præprimis ſi facies copioſè ab iis inficiatur, in ore & quidem circa finem mandibularum puſtulas quasdam contrahant, quæ deinde, ſi earum ratio non habetur, ulcus corroſivum faciunt, & genam perforant, hoc ulcus, ſi non ſtatim in initio medicamentis gangrænæ medentibus præſervetur, tandem totam genam usque ad radicem naſi inferiorem abſumit, comitante lentâ, ſed certiſſimâ morte pediſſequâ. Multa hujus caſus poſſem adferre exempla, ſed nolo eſſe prolixus, quoniam non caſum, ſed curam ſubſtituere propoſui. Itaque multis vel à Chirurgis, vel etiam aliis Practicis applicatis, quæ alias non infimam merentur laudem, remediis, cum alii ſaccharum ♄i vino incoctum ſine fructu loco applicarint affecto, alii balſamis lenientibus vel unguentis ſtypticis adhibitis incaſſum & fruſtrà laborarint, cum ſucceſſu & fructu *ſpiritus* ⊖ vel [illegible]*li melle roſaceo*, ad ſufficientem aciditatem permiſtus, loco ulceroſo illinitus, ſemper reſpondit voto medentis, etſi dimidiam genam ulcus abſumpſerit.

Præſens remedium contra variolas faciei, ne tam fortiter vel confluant, vel faciem dehoneſtent.

In initio prorumpentium variolarum ſtatim debet facies illiniri *Spiritu vini myrrhiſato* ad duos dies repetitis vicibus. Præterlapſis diebus *ſaccharum ♄i aquæ roſarum mixtum* linteaminibus intinctis faciei ſæpiùs iterando applicetur, quod ſi patientes linteamina renuant, poteſt tota facies levi pennâ, hâc mixturâ ſaturatâ, illiniri. Sæpiùs cum maximo emolumento applicatum eſt, & obſervavi, quod etſi variolæ copioſæ fuerint, tamen relictas poſt has cicatriculas vix apparuiſſe, & non incongruam faciei formam effiguraſſe.

OBSER-

OBSERVATIO LXI.

Dn. ANDREÆ CNOEFFELII

DE

INFANTE MONSTROSO CUTEM PORCELLI ASSATI SIMILEM ET DURAM EX PARTE GERENTE.

Anno 1661. die 13. Septembr. ex Autoritate Spectabilis Conſulatus Mariæburgenſis, in pago noſtro Hoppenbruch / in præſentiâ Nobilium, Spectabilium ac famatorum Dnorum Johannis Puſchels p. t. Præſidis, Dn. Davidis Benigken J. U. D. Dni Martini Pirken Proconſulum, Pl. Reverendi ac Doctiſſ. Dn. M. Adam Heinrich Rhoden / Paſtoris Mariæburg. Vigilantiſſimi, ego Phyſicus tunc temporis Ordinarius, inſpectionem aggreſſus, inveni, quæ ſequuntur: Infans erat unius & dimidiæ ſpithamæ longitudine, caput juſtâ dimidietate majus, cum crinium, ſicut Polonis eſt familiare, aliquali protuberantiâ; Aures carebant lobis; Oculi nulli apparebant, ſed loco oculorum duo rubicunda tubercula, naſi ferè nullum veſtigium, ſed foraminum ejusdem differentia, ſiniſtrum concretum, dextrum apertum conſpiciebantur.

Cutis per totum corpus & caput aſſato porcello ſimilis, lutei coloris & dura, ita ut pulſata ſonum ederet: fiſſuras habebat quindecim, per quas caro cruda tranſparebat.

Manus unius & dimidii digiti longitudinem æquabant: Concreti verò digiti, quorum pollex æquè longus ac reliqui ſimilitudinem pedis talpæ præſentabant, in extimâ manuum parte duo tubercula magnitudine nucis avellanæ.

Ex formâ conſpiciebatur fuiſſe marem, & virile membrum paulo ſupra locum naturalem poſitum. Scrotum ſolito majus, ſed absque teſticulis; in loco autem membri virilis quædam apparebat fisſura, ac ſi fœmella eſſet, ſed non erat.

Tempore abductionis mingebat, ſed urina, quam emittebat, erat crasſus & albus liquor.

Poſteriora etiam non in loco naturali, ſed paulò altius ſpinæ dorſi inſinuata, graviter fœtebant, ſicut etiam mucor pudendis adhærens, qui album & virideſcens pus referebat. Moriebatur tertio die ſequente.

OBSERVATIO LXII.

Dn. ANDREÆ CNOEFFELII

DE

LÆSO IN BRACHIO A DUPLICI VIPERÆ MORSU, CURATO.

ANno 1664. die 23. Junii, cum Dnum Parentem p. m. viſitandi cauſâ Landtsbergam ad fluvium Wartham, patrios lares repeterem: advenit Generoſi Dn. Metternichts / Equitum Magiſtri ſervus, conqueſtus de ſiniſtro brachio læſo à viperis, & hanc læſionem ita factam referebat. Circa vipretum quærens avellanas, ex foramine una è viperis ejus brachio ſe circumvolvens ſiniſtro, ſtatim morſum perficit & reſilit. Occupato illo, pro more, ut ſtatim aliquid terræ, recentis pro deligatione vulneris acquireret, ecce! alia vipera exſilit, circumvolvit ſe itidem brachio & venam medianam mordet. Terra adaptata nihil ſolatii fert ægro, brachium tumere, rubere & inflammari incipit cum gravi dolore. Confugit ad balneatorem, qui reſcindendi brachii ſvaſor erat, ſed renuit patiens; accurrit ad Dn. Parentem, t. t. Sereniſſimi Electoris Brandenburgici Medicum, & acceptis octo ex *ſpiritu terræ coagulato* pilulis largo ſudore ferè exanimatus, detumeſcens brachium poſtridiè exhibet, cute per totum brachium decedente, & ſic Dei Gratiâ reſtitutus, domum petiit. Vivus & præſens teſtis præmemoratus Magiſter Equitum Metternicht.

Hoc tamen etiam in omnibus ita non procedere, expertus ſum. Nam erat ibi fœmina æquè à viperâ læſa: Hæc qua femur morſa, prout ibi moris eſt, ſtatim foveam effodi, & lactis tantam copiam, quam debebat, infundere curavit foveæ, cum non poterat ſolatium obtinere, perterrita, jubet ſe ſtatim ad parentem advehi. Aſſumpſit pilulas prænominatas, ſed absque fructu, nam vix tertia hora præterierat, quâ mors præveniens hocce medicamentum eludebat.

Apud Suburbanos noſtros hic mos inolevit, ut ſtatim poſt morſum viperæ foveam fodant, tantum lactis vaccini infundant, quo poſſit membrum læſum immitti, & ſæpiſſimè ita curatos ſe eſſe firmiter affirmant.

OBSER-

OBSERVATIO LXIII.

Dn. ANDREÆ CNOEFFELII

DE

PLEURITIDE VAGANTE.

CHirurgus quidam, nomine Matthæus Liebe / circa mammillam dextram cum difficultate reſpirandi & calore præternaturali graves punctiones ſentiens, juſſit me ad ſe vocari. Acceſſi, vidi morbum hunc eſſe pleuriticum, ſed quoniam erat debilitate ſummâ confectus, non poteram ſanguinis miſſionem accelerare. Sed diaphoretica erant præſcribenda e. g. ℞. *ſanguinis hircin.* ℈j. ♁ij *diaphoret.* gr. xij. *Flor.* ♎. gr. viij. 1. Miſturam hanc cum aceto calefacto aſſumpſit, & ad ſudorem ſe compoſuit. Quoniam verò punctiones nimis erant graves, cogebar externè etiam auxilium quærere. Præſcripſi ſequentia. ℞. *bol. armen. ppt.* ʒj. *ſandal. rub.* ℈iß. *camphor.* ℈j. M. F. l. a. pulvis; quem cum aceto coctum iuſſi, quantum fieri poterat calidè dolenti loco applicare. Non quadrans horæ præterierat, quum patiens exclamaret, ſentire ſe graves eas punctiones in ſupremâ parte axillæ ſiniſtræ, cum difficultate anhelandi, in parte autem anteà dolente, nempè mammilla dextra, eas evanuiſſe. Jubeo ſtatim linteamina loco dolenti applicata removeri, novo tepefacto aceto cum pulvere, intingi, & axillæ dolenti imponi, ſed non diu applicata jacebant, cum iterùm patiens exclamaret, ſe circa mammillam easdem punctiones ſentire. Proſequor hoſtem, & relictis in loco prioribus linteaminibus, nova, de novo imbuta, & calida mammillæ dolenti applico. Sed ecce! anhelitus fiebat gravior, videbatur ſuffocari patiens; & poſtquam ſentiret, quod quaſi aqua frigida per totum corpus aſpergeretur, in ſiniſtrâ plantâ pedis de atrociſſimis conqueſtus eſt punctionibus, cum difficultate reſpirandi. Nec ego ceſſabam hoſtem profligare, & de loco in locum pellere, iteratis iſtis calefactis linteaminibus, continuatisque per duos dies ſudoriferis. Tandem mitigatæ punctiones, poſt ſe relinquebant lividas & rubeas maculas, quæ ſe contrahebant, & poſt duas ſeptimanas & tres dies ægro nuntius ſanitatis exiſtebant.

OBSERVATIO LXIV.

Dn. ANDREÆ CNOEFFELII
DE
SINGULARI SUPPRESSIONE URINÆ.

NOn parùm me moverunt, quæ *Excell. Mœbius in Epit. Med. cap. 11. p. m. 62. 63.* de ſanguinis depuratione meminit, per quosdam ductus è ciſternis chyliferis à Pecqueto inventis, advehi quandam chyli partem ſive ex potu ſuperfluam, & inde urinam fieri, utpote quæ anſam inquirendi in cauſam lapidum in involucro renum inventorum non levem præbent, & quod eâ de cauſâ etiam renum obſtructio ab extra, vias ad pelvim ducentes comprimat, ut exinde mors provenire queat, quale jam mihi exemplum, filiola annorum octo, viri inſulani propè villam Tygenhoff habitantis, in animum revocat.

Ea per benè longum tempus, variè ſtranguria vexata, tandem totalem urinæ patiebatur obſtructionem: parens ſexto die accedit ad me, iter cum eo facio ad locum patientis, agoniſantem eam invenio, & morti vicinam, ſicut etiam ſequente nocte vitam cum morte commutabat.

Precibus exoratus parens admiſit eam ſecari. Prioribus membris perluſtratis nihil nocivi apparebat, ſed dexter ren, remoto adipe à parte mediâ, ubi pelvis incipit, penitùs incruſtatus, & quaſi lapideus conſpiciebatur, tactu durus & materia calculoſa circumcirca ita coaluerat, ac ſi gypſâ materia fuiſſet illitus, via autem ad pelvim emulgens ſupernè ſic compreſſa, ut ne guttula ſeri per eandem potuiſſet transſudare. Siniſter ren quidem à tali labe immunis, ſed ureter totus erat obſtructus, & materiâ arenosâ rubicundâ ſatis diſtentus.

Non potui tunc temporis inveſtigare cauſam tantæ concretionis & inventorum apud alios autores in exteriori renum parte lapillorum, quorum tamen ratio, ſi ſerum, ut cum veniâ prudentiorum loquar, per alias vias quàm notas & conſvetas adduceretur, facili negotio pateret. Sed hæc relinquo acutioribus Anatomicis, nam meum negotium modò non eſt, ſagaciori Anatomiæ litare, à quâ me ſæpè curia, ſæpius etiam itinera varia revocant.

OBSER-

OBSERVATIO LXV.

Dn. ANDREÆ CNOEFFELII

DE

LAPIDE UTERI IN PUELLA QUINQUENNI.

SPectabilis Dni Kreken, Mercatoris & Oenopolæ Warſavienſis, filiola annorum quinque, urinæ partim ſuppreſſione labefactata, partim omnimodâ veſicæ compreſſione, tandem cum gravi dolore & ſui & parentum moritur. Factâ poſt mortem per Lithotomum ſectione, in veſicâ præter ſpatium nihil inveniunt, ſed ipſam uteri cavitatem diſtentam, & in ea lapidem album oblongum, aliquo modo ſpongioſum, ſed tamen gravem, formam ovi columbini paululiſper excedentem, conſpiciunt, qui veſiculam compreſſit, ut nulla urina permeare potuerit. Dilectus parens hocce infelicis filiolæ monumentum mihi quidem videndum exhibuit, donare verò renuit, quin perpetuis potiùs temporibus in dilectæ filiolæ recordationem ſuo ſcrinio includere decrevit, in quo etiam ad hunc usque diem aſſervatur.

[*Ex communicatione Autoris Collectorib. Ephemeridum menſe Decemb. Anno 1672. factâ*]

OBSERVATIO LXVI.

D. NICOLAI GUILIELMI BECKERS

DE

UVULÆ ABLATIONE.

PErilluſtris Eques Romanus, temperamenti ſanguineo-melancholici, pluribus annis defluxionibus ſtatis temporibus ſuper fauces ruentibus in Italiâ laborare ſolitus, principum dum negotia Cæſareâ in Aulâ pertractaturus, Viennæ moraretur, acri ac ferina circa ſolſtitium hyemale anno præterito ſuper fauces & circumſitas partes deſtillatione corripitur, quæ tantæ erat acrimoniæ, ut (quanquam medicamentis tàm totum, quàm partes affectas reſpicientibus, ex pharmacia & chirurgia deſumptis abundè ægro proſpectum fuerit) uvulam cum tonſillâ dextrâ corroſerit, ac ex integro ſuſtulerit. Quo facto Perilluſtris Eques, non loquelæ, neque reſpirationis difficultatem, ut varii opinabantur; Verùm cum uvula ſit aſperarum ac levium arteriarum tanquam operculum, aliam, præter levem vocis raucedinem, nullam ſenſit moleſtiam.

[Simil-

[Simillimum exemplum apud nos h. l. videre eſt in fœminâ primariâ, quæ ob defluxiones ſalinas corroſivas ante aliquot annos plectro hoc vocis orbata effari quidem omnes literas, & loqui, ſed tantùm raucâ & ſubmiſſâ voce non clarâ; poteſt. *G. W. Wedelius.*]

OBSERVATIO LXVII.
D. NICOLAI GUILIELMI BECKERS
DE
FUNESTA OESOPHAGI OBTURATIONE.

MErcator Hippolitanus, conſiſtentis ætatis, ſesquianno de deglutitionis difficultate, mucronatâ ſub cartilagine, dolore gravativo indies augeſcente, languore ac totius corporis contabeſcentiâ, nullo in faucibus tumore vel dolore apparente, conqueſtus, atque ad fata vitanda, quàm plurimis tàm internis, quàm externis, à diverſis Apollinis filiis, tractu temporis ſibi præſcriptis ac in caſſum adhibitis remediis; corpore ob deglutitionis impoſſibilitatem, ſanguine ac ſpiritibus deſtituto, marasmode violentâ exſpirare cogitur. Cadavere diſſecto, tribus ab ore ventriculi digitis, Oeſophagus à cartilagine annuliformi exiguo foramine prædita, ab ipso Oeſophago enata, obturatus repertus fuit.

OBSERVATIO LXVIII.
D. NICOLAI GUILIELMI BECKERS
DE
DOLORE ILEI AC CORPORIS MEMBRANOSI PER ALVUM EXCRETIONE.

MOdeſtiſſima vidua, annorum quadraginta, de ulceroſo ilei dextri, tempore dejectionis alvi præſertim, ſæviente dolore conquerebatur, quem alii nephriticum, colicum alii, mulierculæ verò hyſtericum exiſtimaverant, variaque ad id facientia præſcripſerant remedia. Accerſitus ego ſvaſi blandiori decocto abſtergente, balneis ac enematibus emollientibus & dolorem lenientibus præ cæteris inſiſtendum eſſe. His per octiduum ſedulò continuatis, corpus membranoſum digiti majoris longitudinem & latitudinem adæquans, patulum & eroſum ab unâ, ab alterâ verò parte clauſum, triplici tunicâ, tenui, carnosâ, ac rugosâ conſtans, genuinum quaſi inteſtinum

teſtinum cœcum referens, exiguo cum cruore, cujus ante veſtigium nullum, per alvum dejecit. Poſteà, quod notandum, inappetentiâ ac alvi conſtipatione nullâ arte ſolubili correpta eſt; Verùm nonâ & ſequentibus diebus alvo ſine dolore ſponte ſolutâ appetitus rediit, & patiens priſtinæ valetudini reſtituta. Si verum inteſtinum cœcum, quod ex doloris ſpecie, loci ſitu, ac partis excretæ conformatione quaſi affirmare liceret; admiranda ſanè natura, quæ defectum ejusdem, ileon & colon per intentionem ſecundariam ac quietem, ſine quâ fieri non poterat, reuniendo ſupplevit, ac à fatis ſe vindicavit.

[*Ex communicatione Excell. Dn. Autoris, accurante Dn. D.* Jung/*Collectorib. transmiſſæ, menſe Jan. Anni 1673.*]

OBSERVATIO LXIX.

D. SIMONIS SCHULTZII

DE

HÆMORRHOIDUM FLUXU A PRIMA JUVENTUTE AD DECREPITAM USQUE ÆTATEM DURANTE.

Connotavi in præcedentibus Obſervationem de fluxu hæmorrhoidum in viro quodam Clariſſimo à juventute usque ad virilem ætatem durante: Sed jam propoſitum noſtrum eſt, eundem fluxum in duobus decrepitis, uno ſene & altero ſilicernio, hoc ſocero, iſto genero, demonſtrare. Habitat ſcilicet in horto meo extra civitatem ſenex quidam octogenario major, ſed robuſtus & ſalaciſſimus, ex corbium ſirpandorum opificio victum quærens, qui à primâ ſtatim juventute ad prædictam ætatem fluxum hæmorrhoidum patitur, & quidem quovis menſe cum maximis dorſi doloribus & ventris torminibus ordinariè & uberrimè redeuntem. Apud ipſum ſocer ejus commoratur mendicando vitam ſuſtentans, nonagenario major, cui idem ab ipsâ quoque juventute hucusque menſtruatim contingit. Mirum certè, cum mulieribus ordinariâ naturæ lege fluxus menſtruus tantùm ad quadrageſimum vel quadrageſimum quintum annum ad ſummum prorogetur (quanquam novi mulieres quinquageſimo, imò & quinquageſimo primo ætatis anno eundem fluxum patientes) quomodo in hiſce viris hæmorrhoides tàm diu aperiantur; ego credo fluxum iſtum longævitatis vitæ utriusque cauſam eſſe, naturâ ſcilicet ſe à ſuperfluo & impuro ſangine non ſine fructu liberante.

OBSERVATIO LXX.

D. SIMONIS SCHULTZII

DE

FEBRI OCTAVA DIE RECURRENTE.

ABſtruſa febrium natura ipsa paroxyſmorum varietate mirabilis plurima hucusque exercuit ingenia; quæ tamen latentem ejus indolem plenè detegere nondum potuerunt. In earundem quoque numerum præſens paroxyſmorum diſtantia notabilis meritò recenſenda videtur. Spectabilis quidam Scabinus veteris civitatis A. B. quinquagenario major, ad hecticam valdè proclivis, die quâdam Saturni Anni 1672. ad finem tendentis, poſt cœnam ſumptam cubitum iturus percepit in lecto rigorem febrilem cum maximis dorſi doloribus, ſubſequente mox calore totius corporis urente, ſiti ingenti, anxietate cordis, & continuo urinæ in magnâ quantitate effluentis ſtimulo: quæ omnia circa matutinum tempus poſt copioſum ſudorem ſolvebantur, ſed appetitus, qui eâ die proſtratus fuit, ſequentibus rediit, hinc etiam munia domeſtica liberè expediit, verùm ob intenſum aëris externi frigus ædibus exire haut potuit. Liber hinc erat per totos ſeptem dies à paroxyſmo, neque circa ſex res non naturales aliquam animadvertit mutationem, præterquam quod urina non parum tincta fuerat. Sed elapſis ſeptem diebus, die Saturni, eâdem horâ paroxyſmus cum iisdem ſymptomatibus reverſus eſt, eodemque modo, quo primus, ſolutus. Fuit iterùm per ſeptem dies à febri liber: at tertius paroxyſmus ſolito tempore, die ſcilicet & horâ ordinariâ rediit, ſic conſequenter ſemper quartus & quintus, circumſtantiis omnibus in & extra paroxyſmū in eodē ſtatu permanentibus. Sextus autem paroxyſmus die quintâ tres horas anticipans venit, qui etiam ultimus fuit; & ſic naturâ ipsâ medicatrice vir ille feliciter à febri prædictâ liberatus eſt; Nullo intereà medicamento uſus, præterquam ad ſudorem promovendum *pulveris pretioſi* ſive *cordialis ſimpl.* & *Marchion. epilept.* ana ℈j. pro doſi, bis aut ter cum cereviſiâ calidâ. Verum natura ipsa partim per ſudorem, partim per copioſam mictionem febrim iſtam ſolvit. De ſimilibus raris & inſolitis febrium typis, ſcilicet quintanis, ſextanis, ſeptimanis, octanis, nonanis &c. *vide Hippocratem libr. 1. ſect. 3. textu 2. de morb. vulg. item ſect. 3. text. 7. ibid. & text. 9. ac 17. ibid. Galenum in comment. ad eosd. text. Schenckium l. 6. obſerv. de febrib. Amat. Luſitan. centur.*

centur.5.cur.67, & cent. 7.cur.75. Zacutum Luſit. de P. P. Med. hiſt.37. lib. 4. fol. 732. eund. de decimanâ *de P. P. Med. hiſt. lib. 1. obſerv. 24. fol. 57. Tulpium obſerv. l. 3. c. 52.* Cauſas febrium iſtarum longioris intercapedinis indagare difficile eſſe videtur: Sed quid vetat ſecundum vulgatam humorum doctrinam ſtatuere eſſe ſpecies ſimplicium typorum interpolatâ unâ acceſſione aut pluribus; ut ſit quintana tertianæ ſpecies, in quâ tertius dies ſine acceſſione eſt, à paucâ flavâ bile in naturam atræ bilis conversâ, ob paucitatem materiæ interpolatæ. Septimana quartanæ ſpecies interpolatâ acceſſione diei quarti ab humore melancholico non multùm irritante ob pituitæ mixtionem. Nonana tertiana quædam ter intercepta ab humore melancholico cum mixtione pituitæ in parte bilioſâ, quæ ob frigiditatem minùs ſtimulat, ſervatque typum tertianæ ob locum. Omnes autem diebus imparibus procedunt, in quibus major eſt vis ad commotionem, ideò non interpolant duas acceſſiones, ſed aut unam aut tres. Et ſic de reliquis typis ſtatuendum: liberum tamen cuique judicium in tàm abſtrusâ doctrinâ libenter concedimus, præſertim Neotericis, quorum ſententias hic recenſere, non eſt noſtri propoſiti, *Plateri* mentem de quintanâ & ſextanâ febre lege *Prax. Med. tom. 2. c. 1. de febr. generibus.*

OBSERVATIO LXXI.

D. SIMONIS SCHULTZII
DE
INTESTINIS IN ANATE MONSTROSIS.

CUm anno 1672. ad finem currente, die ſcil. 15. Decembr. coqua mea anatem domeſticam exenteraret, monſtravit mihi inteſtina illius jam exempta tota monſtroſa, craſſitie inſigni tumida, ova piſcium luciorum externâ ſuperficie penitùs repræſentantia, ſed tamen eis duriora, & undique æqualia: eadem verò cultro diſſecta, internam conſtitutionem & cavitatem pro excrementis colligendis naturalem habebant, ſed epar magnitudinem debitam excedebat. Caro anatis aſſata ita dura erat, ut dentibus ægrè comminui potuerit: nihilominùs pinguedine decenti oblinita fuit.

OBSERVATIO LXXII.

D. SIMONIS SCHULTZII

DE
HERNIA INTESTINALI COLUMBINA.

VIr experientiâ & curandi dexteritate Excellentiſſime, Domine, Fautor & Amice è primis. Mitto tibi columbam herniâ, ut mihi quidem videtur, naturali deformem. Neque enim, quemadmodum in homine, ita in avibus ejusmodi cauſæ præſto ſunt, quæ rupto peritonæo inteſtina de ſede debitâ provocarent. Ne vulnerationem præcesſiſſe credam, membranæ nullibi ruptæ æqualis continuatio facit. Si reliquos mali hujus fontes in columbâ ſolicito ſtudio inquirerem, næ otio, quod mihi, ut noſti, perquam rarum eſt, abuterer. Monſtrum igitur vides, cujus tenellum abdomen in ſupervacuum ſaccum ſupremo pollicis crasſioris articulo parem ſe diffundit. Fortè in inteſtinis anomalia aliqua deprehendetur: Verùm me negotia extiſpicinam inſtituere non ſinunt. Vale vir Excellentiſſime. & pro affectu ſolito haſce literas interpretare. Exc. T. ad quævis officia paratisſimus

S. Schelgvigius.

Miſit mihi columbam iſtam hernioſam deplumatam *Clarisſimus M. Samuel Schelgvigius, Gymnaſii Conrector*, anno 1672. 17. Decembr. in quâ herniam inteſtinalem talem, qualis à viro doctiſſimo graphicè depicta eſt, deprehendi: ego verò corpuſculum columbinum à podice circa principium herniæ ulterius cultro diſcindens, & inteſtina cum ventriculo & epate eximens obſervavi longitudinem inteſtini extra conſpicui & à me digito extenſi fuiſſe ad duorum digitorum meorum transverſorum longitudinem, quæ portio extra propendens quatuor tantùm digitos meos transverſos à ventriculo columbæ mirâ proportione diſtabat, ſed in reliquâ inteſtinorum ſerie nihil præter naturam apparebat, quemadmodum etiam in reliquis viſceribus. Caro muſculoſa boni fuit habitus, & non exiguâ pinguedine referta: quam columbinæ herniæ deſcriptionem ipſisſimis viri Præclariſſimi, & rerum naturalium curioſi verbis producere volui.

OBSERVATIO LXXIII.

D. SIMONIS SCHULTZII

DE

SANGVINIS SPUTO TERTIA VICE APPARENTE, PERCURATO.

CUm doctiſſimus juvenis G. S. C. SS. Theolog. & Philoſoph. Cultor indefeſſus, aliquot ſupra viginti annos natus, primùm in Academiâ Groningenſi poſt vehementem corporis commotionem ſanguinis ſputum pateretur, eoque ſedato, itineri ſe accingens, recidivam expertus eſſet, iterumque naturæ robore ab eo liberaretur; tandem cum jam Thorunii in paternis ædibus ſubſiſteret, & feriâ tertiâ Nativitatis Chriſti ſermonem prolixiorem è cathedrâ in templo Divi Georgii publicè haberet, paulò poſt, die ſcilicet primâ Januarii anni 1672. ſummo manè tertiâ vice affectu iſto oppreſſus eſt, ejectis tùm cum tuſſi ſanguinis ſpumoſi libris ferè quatuor. Ego horâ octavâ matutinâ vocatus, offendi ipſum ſatis debilitatum: nihilominus, quoniam ſanguinis ſputum nondum ceſſaret, juſſi mox, acceſſito chirurgo è medianâ dextri brachii revulſionis gratiâ aliquot uncias ſanguinis partitis vicibus optimo cum ſucceſſu detrahere; quod remedium etiam olim Excellentiſſimo p. m. *Dn. Johanni Beckhero Phil. & Med. Doctori, Phyſico Thorunenſi Ordinario & Gymnaſii Profeſſori*, cum ſimilem affectum pateretur, multum profuiſſe recordor. Ne autem terribilis & periculi plenus hic affectus reverteretur, præſcripſi eidem ad vaſa pulmonum lacerata conſolidanda & roboranda tàm curationis quàm præſervationis gratiâ, ſequentia remedia. Primò quidem iſtud conditum. ℞. *conſerv. roſar. antiqv.* ℥ij. *flor. nymph. violar. papav. errat. conſolid. maj.* ā. ℥ß. *fl. cichor. veronic. ſalviæ, enulæ* ā. ʒiij. *ſpec. diatrag. frig. diamarg. fr.* ā. ℈ij. *corall. rubr. præp. fl.* ♀*ris alb.* āā. ʒß. cum S. qu. *ſir. de ſymphyt. Fern.* F. l. art. Conditum molle, de quo ad nucis juglandis quantitatem ſæpiùs ſumebat. Secundò hunc ſirupum. ℞. *ſir. de ſymphyto Fern. ſucc. plantag. roſ. ſicc.* ā. ℥iij. M. D. ad vitrum, de quo ſingulis matutinis bina cochlearia cum hauſtu cereviſiæ calidæ uſurpabat. Tertiò talem emulſionem. ℞. *amygd. dulc. excort.* ʒx. *ſem. 4. frig. maj. excort.* ā. ʒij. *papav. alb.* ʒiij. cum *aqv. plantag. nymph. portulac. roſar.* ā. ℥iiiß. F. l. art. Emulſio, cui adde *ſir. de portulaca, papav.* ſ. āā. ℥iß. M. Tandem hocce epithema collo & epati applicandum. ℞. *aqv. plan-*

tag. portulac. roſar. ā. ℥iiß. *acet. roſac.* ℥ij. *pulv. roſar. r. myrtill. boli Armen.* ā. ʒij. M. D. Quibus ad præſcriptum uſurpatis, per Altiſſimi gratiam priſtinæ ſanitati reſtitutus, in hanc usque diem, elapſo jam annuo curriculo, benè valet: ut tamen à nimio & violento motu, calidis cibis & ſermone longo atque ſonoro ſibi ad tempus caveret, ſeriò injunxi.

OBSERVATIO. LXXIV.

D. SIMONIS SCHULTZII

DE

ISCHURIA TRIDUANA CURATA.

SPectabilis A. K. Scabinus Suburbanus ſexagenarius, calculo renali admodùm obnoxius, anno 1672. die 8. Novembr. de urinæ ſuppreſſione conqueſtus eſt, & quamvis eadem & ſequenti die balneo aquæ dulcis & aliis blandioribus remediis uſus eſſet, nullum tamen levamen exinde percepit, donec tertiâ die meo conſilio, poſt adhitionem ſequentium medicamentorum à moleſto hoc malo, benedicente divino Numine, feliciter liberatus eſt. Præmiſſo acri & ſtimulante enemate die 10. Novembris iſtum pulverem horâ quartâ pomeridianâ aſſumſit: ℞. *ſpec. lithontrib. Fern.* g. xxiiij. *cryſt.* ♀*ri* ℈ß. *ſalis ſtipit. fabar. ononid. ſuccini* ā. gr. iij. *ſpir.* ⊖*is* g. ij. M. F. pulvis: cui pro vehiculo fuit ſequens hauſtus. ℞. *aqv. petroſel. malvæ* āā. ℥iß. *ſir. de alth. Fern.* ℥j. M. Dein inunctio facta eſt dorſi & laterum ſequenti linimento. ℞. *ungv. Agrippæ, Arregon.* āā. ʒij. *ol. ſcorpion.* ʒij. *deſt. anethi, juniperi, rutæ* āā g. iiij. M. Et ſic per Dei gratiam circa ſextam veſpertinam liber urinæ effluxus ſubſequutus eſt: exeuntibus mox proximis diebus per intervalla quinque lapillis duriſſimis diverſæ magnitudinis, quorum minimus piſi minoris magnitudinem æquabat. Nè itaque in ureteribus nova obſtructio fieret, iſtas pilulas in tali caſu proficuas ipſi alternis diebus cum *decocto radic. petroſel.* uſurpandas ordinavi. ℞. *terebinth. cypr. cum aqv. parietar. lotæ & ad albed. coct.* ʒij. *ſpec. lithontrib. Fern. rhei pulv.* ā. ʒj. ⊖*is ſuccini* ℈j. *ol. deſt. aniſi, fænic. junip.* āā g. V. F. l. art. pilulæ num. CXX. pro unâ doſi XV. *pulvere liquirit.* conſperſæ. Poſt quarum uſum plurimum ſabuli & tandem minores lapilli cum urina exibant, illeque hucusque benè valet.

OBSER-

OBSERVATIO LXXV.

D. SIMONIS SCHULTZII

DE

MENSTRUIS PER ALIENA LOCA FLUENTIBUS.

QUamvis diverſi autores menſtrua per aliena loca fluentia paſſim conſignarint, quorum obſervationes collegerunt *Marcellus Donatus lib. 4. Med. Hiſt. mirab. c. 19. Schenckius lib. 4. obſerv. de menſtr. p. m. 680. & ſequ. Amatus Luſit. cent. 2. cur. 17. Ant. Benivenius c. 41. Fabric. Hild. cent. 3. obſerv. 12. Greg. Horſtius Part. 2. obſerv. 33. Balth. Timæus obſerv. Med. l. 4. caſ. 12.* attamen præſens quoque caſus connotatione dignus eſſe videtur. Virgo quædam octodecim annos nata in ſiniſtro genu duplex apoſtema ex utrâque parte unum à primâ juventute à naturâ effictum geſtans, anno ætatis decimo nono menſtrui fluxus ſuppreſſione laborare cœpit: ſed mox præfinito menſtruorum tempore per apoſtematis interioris foramen ſanguinem in ſufficiente copiâ effluentem percipit, dein & vomitum ſanguineum, quem fluxum jam ſingulis menſibus per loca iſta inſolita redeuntem totius anni ſpatio experitur. Hiſce ante aliquot ſeptimanas tumor pedum acceſſit, quem ſubſequuta eſt inflatio hypochondriorum & diarrhœa dies noctesque durans, concomitante totius corporis atrophiâ: nihilominùs tamen fluxio ſanguinea per loca dicta menſtruatim continuat, cui interdum circa genu aliquid puris immiſcetur. Verùm inſignis langvor & virium omnium proſtratio miſeræ quotidiè mortem minitantur.

OBSERVATIO LXXVI.

D. SIMONIS SCHULTZII

DE

DIARRHOEA AB ESU CARNIUM.

GEneroſus juvenis Johannes Franciſcus Zelski, Nobilis Polonus, in S. R. M.tis caſtris hucusque militans, in noviſſimo contra Turcam bello ex victu pravo incidit in imbecillitatem quandam ventriculi & βραδυπεψίαν: hinc quotidianam ventris & hypochondriorum inflationem percepit. Sed cum poſt aſſumptum unum atque alterum medicamentum purgans per aliquot ſeptimanas ſe jam melius valere exiſtimaret; ex inſperato alio malo correptus

reptus eſt, ſcilicet diarrhœa, ſive fluxu chyloſo ex mala chyli diſtributione orto: qui (quod notandum) poſt cujúslibet generis carnium tàm quadrupedum quàm volatilium, etiam teneriorum & facilis concoctionis, eſum ſemper magis exacerbabatur; ab uſu autem piſcium etiam duriorum, tàm recentiorum quàm ſalitorum & fumo induratorum ac omnium ciborum tempore jejunii veſci ſolitorum, compeſcebatur, quod generoſus patiens jam per aliquot ſeptimanas verisſimè obſervavit. Verùm adhibito ipſi à me conſilio medico: nempè ventriculo binis vicibus leviter expurgato, dein medicamentis idoneis & moderatis viſceribus concoctionis corroboratis ab inſolito iſto ſymptomate (quale me nunquam in Medicis libris legiſſe fateor) Deo benedicente, in totum liberatus eſt.

[*In litteris menſe Januario anni 1673. ad Ephemeridum Collectores, Vratislaviam.*]

OBSERVATIO LXXVII.

D. JOHANNIS FRIDERICI ALLMACHERI

DE

LUXATIONE VERTEBRARUM DORSI INTRORSUM FACTA.

Etſi, ſecundum Obſervatores, luxatio vertebrarum dorſi, quæ extrorsùm accidit, ſæpiùs curata ſit; ea tamen, quæ introrſum facta eſt, pro lethali & incurabili, ab iisdem ſemper eſt habita: Quâ de cauſâ cum mihi in praxi contigiſſet, ægrum ejusmodi feliciter reſtituere, deſperatum certè ac deploratum; Sequenti obſervatione, rogatus, curationem proponere, & (ſi accepti quid præſtitiſſe ſenſero) inpoſterum verò me plura additurum, hic promittere volui. Accerſebat me ad ſe anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo primo, Calend. Martii *Johannes Spengler*, è pago Ramſtatt, propè Darmſtadium, qui, cum ſpeltam lucri faciendi ergò coëmiſſet, fuiſſetque in viâ redeundi domum, ac in currum ſupra ſaccos ſpeltâ refertos, ad requiem ſe compoſuiſſet, infortunato lapsu decidit. Verſata autem ſuper ipſum rota, vertebras dorſi tres intra corpus intruſit, renes, aliasq; iſtius circumferentiæ partes, miſerè conquaſſavit læſitque. Accedens itaque vidi, nec urinam, nec alvum ſecedere, hinc medicamentis adjutus æger, eandem effluere non ſenſit. Impotens enim erat inſuper, vel leviter ſaltem movere pedes ob nervorum læſionem, uti etiam abdomen cum pedibus videbatur emortuum. Quò itaque luxationi aliisq;

in-

incommodis ſuccurrerem, varia in auxilium adhibui medicamenta, inter alia fomentum ſequens & linimentum. ℞. *flor. chamom. ſambuc. roſar. herb. verbaſc. alth. malv.* ãã M. ij. *ſem. lin.* ℥iiij. conciſ. contuſ. ac cocta in lact. vaccin. ſ. q. ſacculisque duobus inſut. alternatim impoſui. Linimentum verò ter in die inungere juſſi. ℞. *ol. chamom. lumbr.* ãã ℥j. *ſalv.* ℥ß. *axung. cunic.* ℥iß. *homin.* ʒij. M. F. Lin. Sic & clyſter ſequens diverſis vicibus eſt adhibitus. ℞. *herb. malv. bis malv. violar. beton. chamom. melilot. flav. centaur. min.* ãã m. j. *ſem. aniſ. carvi,* ãã ʒij. incid. g. m. contund. coq. in 🜄æ. ſ.q. col. & in colatur. diſſolv. *elect. hier. picr. Galen.* ℥iß. *diaphœn. bened. laxat.* ℥ß. *ol. chamom.* ℥j *vit. ov.* num. j. *ſal commun.* ʒij. Exhibui inſuper *ſpirit. volatilem ex* ♀ *&* ✱. cum 🜄 *â fragar. petroſel.* usque dum æger urinam (inſcius tamen) reddidiſſet. Neglectâ interim vertebrarum repoſitione, nulla expectanda erat ſalus aut curatio; Quamobrem eundem ſeptimo die reviſi, & præſtantius adhibere auxilium animo concluſi, jam dum autem profitebantur adſtantes, ſe haud credidiſſe, ægrum præteritâ nocte ſupervicturum, quod & ob innumera ſymptomata quis vix aliter hariolari poterat. Mox itaque modum propoſui inauditum, ægrum reſtituendi, & ſuffragati ſunt illicò amici. Stragulum itaque integumentum arctè convolvi, & ægrum magno cum labore impoſui, ita, ut vertebræ introrſùm flexæ convoluto ſtragulo incumberent. Hinc mantilia duo, quorum alterum ſub axillis, ſupra femora alterum alligabatur, viris duobus fortibus tradidi, inque terram procumbere, (pedibus parieti affixis quo fortius tenere queant) juſſi. Poſtmodùm machinâ tractoriâ ex *Vitruvii lib. 10. c. 4.* parietem terebravi, famulum meum ſenſim volutare, viros autem fortiter tenere feci, manibus meis priùs dorſo ritè impoſitis, applicatisque, usque dum vertebræ extenſæ fragorem ederent, quo percepto ac audito, funiculi mantiliaque ſenſim ſunt remiſſa, impoſitumque emplaſtrum contra fracturas omni laude majus. ℞. *reſin.* ℥vj. *ceræ* ℥iv. *terebinth.* ℥x. *gumm. tragac. arab.* ãã ℥ß. *pulv. conſol. maj.* ℥iß. *barb. capr.* ℥iij. *putam. cancr.* ʒij. *ariſtoloch.* ℥ß. *later. boli armen.* a. ℥j. *terr. ſigill. lap. hæmatit.* ãã ℥ß. *mum.* ʒij. *oſſ. human. uſt.* ℥iß. pulv. omnia. F. ſ. a. empl. Repoſitione peractâ, confortantia adhibui & per duarum horarum ſpatium cum ipſo ſum commoratus, uno autem quadrante vix elapſo, pedes leviſſimè movere cœpit. Ab hoc autem tempore urina inſecuta & emiſſa eſt cruenta, materiaque purulenta, propter quod indicans, ſequentem exhibui potionem vulnerariam. ℞. *fol. conſol. maj. artem. agrim.* ãã M. ij.

germ. Rupert. M, iij. *veron.* M. vj. *mum.* ℥ß. *liquirit.* ℥ß. coq. in vin. & ▽ãã ℔iß. col. doſ. ℥iij. His itâ, unà cum confortantibus aliis continuatis, æger eſt reſtitutus, perceptis interim aliquibus renum incommoditatibus, quæ & remediis pertinentibus propulſæ ſunt, ita, ut hodienùm adhuc, & hic Francofurti, & aliis in locis, negotia ſua ſedulus tractet & incolumis.

OBSERVATIO LXXVIII.

D. JOHANNIS FRIDERICI ALLMACHERI

DE

TUMORE GENU, EX LAPSU, PRO LUXATIONE MALE CURATO.

Jerat,

CHirurgus Bensheimenſis, *Adamus Daigel,* Darmſtadii me conveniens, impenſè rogat, quo ipſi ſim conſilio in filio *Johannis Glingelbach,* ejusdem loci vindemiatoris. Puer hic undecim annorum, graviter in terram delapſus, ita ut confeſtim tumor inſignis eſſet obortus, conſternati inde parentes, chirurgi opem implorant; metuens autem iſte luxationem, quam tamen ob tumoris magnitudinem haud cognoſcebat, genu egregiè ac fortiter extendit, nervoſasque partes ita læſit, contorſit ac irritavit, ut mox ab iſtâ extenſione dolor exortus ſit magnus, unde humorum è toto corpore in partes læſas affluxus, qui nec cohibitus, ſed de die in diem adauctus, dolores ſimul adauxit, hinc materia acris & corroſiva facta, nullis autem chirurgorum (quorum jam erant duo) præſidiis vel ablata, vel emendata. Hinc cuniculos egit, totùmque non ſolùm genu, ſed integrum ad calcem pedem, occupavit perforavitque. Advocatus autem tunc primùm ego, ſtatim animadverti, non carnoſam tantùm ſubſtantiam, ſed ipſam tibiam materiâ iſtâ infectam corruptamve eſſe. Quare hoc dedi & parentibus & chirurgis conſilium: Quod videlicet cutis à genu ad calcem ſit incidenda, quò materia peccans tibiæque infeſta evacuetur, bonumque à malo ſeparetur. Hoc meum conſilium cum utrisque horridum ac crudele viſum ſit, neglectum eſt, egoque ſic ſum dimiſſus. Præterlapſo autem trium hebdomadarum ſpatio, redux parens de intolerabilibus filii doloribus conqueritur, lachrymisque conſilium repoſcit, quod cum aliud conducibilius non viderem, dictum dico. Annuens itaque parens, totum mihi negotium demandavit. In menſâ itaque depoſito puero, chirurgis parenteque detento, operationem ſum aggreſſus,

greſſus, à genu ad extremum pedem feci inciſionem, cutim detinui elevatorio. Animadvertens autem tibiam ferè totam corroſam, forcipe diffregi ſupernè ac infernè, oſſicula etiam confracta curiosè removi, vulnusque integrum lavamento ſequenti elui. ℞. *aloës* ℥j. *myrrh. rub.* ℥ij. *maſtich. oliban.* ā ℥iß. *herb. equiſet. pyrol.* āā M. j. conciſ. contuſ. coq. in vin. albo. Poſtmodùm adhibui emplaſtrum ſupra laudatum, eoque ſolo absque omni balſamo, aut emplaſtro alio, curationem abſolvi. Quamvis autem per anni ſpatium puer robur ſufficiens ad eundem non habuiſſet, tempore tamen & unius anni morâ, inſignis adeò à naturâ generatus eſt callus, ut jam vix deſideretur emendatio alicujus vitii ſui ingreſſus, vivatque jam ex omni parte ſanus. Tibiam exemptam mecum inter curioſitates alias paucas reſervo, deſiderantique conſpiciendam præbeo.

OBSERVATIO LXXIX.

D. JOHANNIS FRIDERICI ALLMACHERI

DE

ENTEROCELE DESPERATA, CURATA.

ANdreas Rück/Gottlavienſis, anno 1661. d. 8. Aug. herniâ inteſtinali diu laborans, agros ſulcandi ergò campum adit, ſulcando autem, nimiumque ſe movendo, inteſtina in ſcrotum prolapſa ſentit; domum itaque delatus, varia adhibuit remedia domeſtica. Parùm autem iſtis proficientibus, quin potiùs ſymptomatis aliis pluribus irruentibus, in pejus ruit. Obortus enim deplorandus ille affectus miſerere mei, ſingultus inſuper vehementiſſimus, à vicinis ultra ſextam etiam domum auditus. Summo itaque in periculo conſtitutus æger meum implorat auxilium. Intuito autem miſero ægri ſtatu, ipſemet expavi, tùm, quod remediis convenientibus non ſatis eſſem inſtructus, tùm quod ſcirem fruſtraneos eſſe tali in caſu ſæpè conatus. Quò autem adſtantium, ægri imprimis, votis ſatisfacerem, de iis, quæ in pago ad manus erant, medicamentis fui ſollicitus, ex horto itaque prope ædes ipſemet collegi ſeq. herbas pro clyſtere fomentoque v. g. *herb. malv. alth. viol. alſin. chamom.* āā M. ij. coct. in ℔. iij. *lact. vacc.* & diſſol. *butyr. rec.* ℥iij. *mell.* ℥ij. diverſis vicibus injectus eſt clyſter &c. Species autem ſacculis duobus inditas, fomentationis ergò alternatim calidè impoſui, totumque abdomen fovi. Coxi & inſuper potionem ſequentem, quam frequenter aſſumſit. ℞. *herb. equiſ.* M. j. *rad. liquirit. ſem.*

rit. ſem. aniſ. carui, ãã ℥ß. Quamvis autem hæc omnia ritè facta ſint, de mortis tamen neceſſitate nemo non cogitabat, Convocatis itaque amicis, Parochoque Dn. Scheffero, voluntatem ſuam intimavit ultimam, viaticoque ſacro accepto, & mihi & adſtantibus cæteris porrectâ manu, valedixit. Continuantibus autem nobis medicamentorum applicationem, fomenta imprimis diligenter adhibendo, inſigni crepitu ac ſtrepitu, inteſtina in abdomen ſunt regreſſa. Hinc fœcum per ſuperiora ejectio, ſingultusque inhibitus. Æger autem paulò pòſt optimè exoptatèque reſtitutus eſt. Vivunt autem hujus rei in Gottlaw / hodienùm adhuc, & æger, aliique adſtantium teſtes veridici plures.

[*Dn. D. Allmacherus ex MS*[to] *Parentis, Dn. Johannis Friderici Allmacheri, Chirurgi Francofurtenſis percelebris, curante Dn. D. Reiſelio, Vratislaviam tranſmiſit menſe Mart. Ann.* 1673.]

OBSERVATIO LXXX.

D. JOHANNIS PATERSON HAIN


DE

VERMIBUS E STOMACHO REJECTIS.

VIdua conqueſta eſt de ſummo dolore ſtomachi, menſtrua erant retenta, appetitus dejectus, aliquid, vermis majoris inſtar, ſæpè ad fauces adſcendere dicebat, ſtatim tamen ad ſtomachum redire, magnum eſſe, *Excell. D. D. Schœnlin* exhibuit illi *Mercurium dulcem* aliquoties, ſed de eodem verme conquerebatur. Exhibita eſt poſteà infuſio *vitri antimonii*, ſed nihil præter phlegmata & bilem ejecit. Verme illo, ut dicebat, aſcendente quidem ad fauces, ſed qui egeri non poterat. Bibit aquam Thermalem, ſulphur valde redolentem; at nihil opis ſenſit, niſi quod vermis ille non tantoperè moveretur. Exhibitus *Merc. vitæ* ad gr. iij. movit iterùm phlegmata, & quatuor globos inſpiſſatos, in quibus diſciſſis aliqua materia nigra apparuit, ejecit, unà cum vermibus duobus, quos mitto, reliqui per inferiora exivére. Menſtrua interim apparuére, ipſaque credit, vermem magnum adhuc latere in ſtomacho. Vermes vivos adhuc meo rogatu delineavit pictor. In chartâ A. depicti ſuper ventrem jacent: In chartâ B. ſuper dorſo, ut pedes illorum dignoſcere liceret: ipſi vermiculi non benè dignoſcuntur valdè arefacti, etiam per microſcopium, quia, ut auguror, alimentum, quo prægnantes erant, illis exſtinctis tranſſudavit, & quaſi candiſatum eſt, imò translucet, ac ſi ſaccharo

con-

conditi eſſent. Si ulteriùs de majori rejecto quid reſcivero, ſignificabo.



[*In litteris menſe Julio anni 1673. ad Collectores Ephemeridum Vratislaviam ſcriptis.*]

OBSERVATIO LXXXI.

D. MELCHIOR FRIBE

DE

EPILEPSIA MIRA, MELANCHOLICO-HYPOCHONDRIACA MERE ECSTATICA.

DN. D. *Balthaſar Timaus à* Güldenklee *L. 1. Epiſtolar. Epiſtola 9. p. m. à 20. usq; ad 26.* Epilepſiæ miram enumerat ſpeciem Nobiliſſimi pueri à Crocavv, cujus motus præter & fermè ſupernaturales exinde dicuntur, quia puer iſte adſtantium manus clàm ſubterfugit, parietibus ſe adaptavit, & mirâ celeritate eos aſcendit. Quam hiſtoriam loco allegato fuſius videre eſt. Miram, raram, & fide dignam chartæ concredo epilepſiam puellæ cujusdam annum duodecimum jam agentis, cognomine Rautenbergeriæ. Hæc quoad externam faciem nigricans, torveque videns, profunda, ſani adhuc dum corporis eſſet, & integrâ frueretur valetudine, ſemper meditabatur, ideò, & meritò quidem, pro melancholicâ habebatur. Die 24. Maij anni hujus currentis, morbus quidam illam invaſit, in quo membra extrema, manus & pedes, erant rigida, anxietasque maxima circa præcordia & cordis palpitatio eam defatigabat, ita ut præ dolore clamare, ejulare, preces ad Deum fundere cogeretur, morique cuperet. Morbum pro melancholiâ hypochondriacâ ex uteri conſenſu habebamus. Motus interni ab extra explorari poterant, pulſus erat durus & celer paulu-

lùm, ſed ſine manifeſto febris indicio. Senſus interni omnes, caput, oculique naturaliter erant conſtituti. Adhibitis decentibus medicamentis cordialibus, epilepticis, uterinis, vicimus, DEO benedicente, die tertio morbum graviſſimum; ſurgebat poſteà, & ad munia conſveta, ac ſi nunquam ægrotaſſet, ſe accommodabat. Securi erant domeſtici, morbum nunquam rediturum ſibi perſvadentes. Aſt die decimâ Junii, horâ ſexta pomeridianâ immani corripitur epilepſiâ cum ſubſequente delirio. Noctu dormit, ſed anxiè. Die ſequenti aliam morbus induens larvam, epileptica antequam fieret, quod vigeſies vel ſæpiùs de die factum, ſemper priùs digito protenſo, torvo cum vultu ad angulum, ac ſi inibi horrendi quid videret, monſtrabat, & quidem cum furore & excandeſcentiâ reclinans ſe ad latus dextrum, è veſtigio inſultus epilepticus ſe manifeſtabat, pollices in manus fortiter comprimendo, oculos hinc & hinc, quamvis clauſos, movendo, ex ore ſpumam emittendo, omnesque ſenſus amittendo. Explicatis pollicibus paululùm quieſcebat oculis pænè clauſis, poſteà prius brachium dextrum extollens digito deſuper, mox ita & cum ſiniſtro nutabat. Ambobus brachiis dicto modo elevatis manus comprimebat, ac ſi exciperet aliquem, pectorique admovebat, paulò pòſt oculos aperiebat, & manus complicatas ſublatasque, fortiter pectori applicabat, omnia tamen ſine auditu, loquelâ & ratione, dein oculos apertos cum manibus complicatis ad cœlum dirigendo, labia movebat, & momento temporis prælapſo, ſenſus redibant omnes. Secundo morbi die fando proferebat, ſe videre Jeſum, ſanctos Angelos, patrem, matrem agnatos & cognatos in cœlo triumphare & tripudiare, quare & ipſi eſſet tripudiandū. Sequentibus autē dieb9 amiſſâ, vel potiùs interdū omiſſâ loquelâ, cum adſtantes viſiones ſuperiùs recitatas ipſi in mentem revocarent, capitis nutu veras eſſe affirmabat, & exinde tale eam gaudium percipere præ ſe ferebat, ut manibus & brachiis extenſis, iterùm retractis, & cordi applicatis, capitis nutu, totius corporis elevatione, incurvatione, vibratione, & pedum motu fortiſſimo, non aliter ac ſi jaciendo ſaltaret, hilariterque tripudiaret, ac gaudium cœleſte cum blando aliquo riſu adſtantibus, preces ad ipſius voluntatem fundentibus, annunciaret. Secundo morbi die articulatâ voce pronunciaverat Dominum Jeſum non manè, ſed veſperi venturum, & in cœlum eam recepturum, & hæc impreſſio unica erat cauſa, cur ad quintum usque omnia medicamenta, cibumque & potum reſpueret mortis cupida, quod & nos ægram in ſummo vitæ periculo

riculo verſantem, conceſſimus, criſin expectaturi. Noctem determinatam non moriendo, ſed placidè dormiendo abſolvit. Manè aliquoties redibant inſultus epileptici cum ſuprà ſcripto tripudio, igitur mortis cupidam morte conſolandam ratus, utrum vivere, an mori vellet, interrogabam? Reſpondebat voce vix perceptibili, linguâ balbutiente, ſed ore ridente, & corde gaudente: Mori cupio, ut mox cum Jeſu meo in cœlo eſſe poſſim. En! morimur, ajebam, ſanguinem mittendo, ut autem eò citiùs moriaris, & Jeſum tuum videas, venæ ſectio erit adhibenda. Quanto hoc nuntium perceperit gaudio, vix dici poteſt. Horâ poſt decimam mediâ, abſoluto priùs tripudio conſveto, venam ſchiaticam minorem in ſiniſtro pede (ſaphæna & reliquæ erant imperſcrutabiles) ſecuimus ad uncias duas. Deligato vulnere incidit in animi deliquium adeò forte, ut me excepto, omnes mortuam prænunciarent; brevi reſtituta, paulò melius mox habere cœpit, ſine ulteriori epilepſiæ recidivâ & tripudii gaudio. Interim vires erant proſtratæ, uti & appetitus, lipothymiæ interdum cor petebant, ſed nihil factorum meminerat, nec mori ampliùs deſiderabat. Die morbi ſeptimo conquerebatur de collo, venæ enim jugulares tumentes cernebamus cum aliquâ doloris perceptione; circa meridiem lautè prandebat, placidè dormiebat die nocteque. Die decimo, ne malum recrudeſceret, ſedes utrum exſtirpari funditùs poſſet, tentavi ab initio blandiſſimo laxativo: ℞. *cryſtall.* ♀*ri* gr. xij. ♀*ri* 🜿*lati* gr. iij. *reſin. galap.* gr. iiij. *diagryd.* 🜂*rat.* gr. ij. M. F. pulvis laxativus. Pars humorum peccantium decem dejectionibus imminuebatur, & ſic purgatio cum εὐφορίᾳ abſolvebatur. *De reliquis inpoſterum.*

Scholion.

Cur epilepſiam ecſtaticam dixerim, ex ſequentibus judicandum. Ἐκστάσεως vocabulum variè accipitur: vulgò eſt privatio omnium functionum animæ ſentientis, moventis & intelligentis, unde verè ecſtatici quaſi mortui jacent, & poſtquam evigilant, mira, quæ audiverint viderintque profundo in ſomno enarrant. *Sennert. l. 1. Part. 2. c. 30. p. m. 584.* Tali autem modo noſtra epileptica non nuncupatur ecſtatica: non enim aberant, ſed ſupra modum, ceſſante epileptico inſultu, aderant functiones, uti ex caſu recenſito patet. Divino noſtro *Hippocrati* ἔκστασις eſt vehemens mentis amotio & delirium, ab ἐκστῆναι, de mentis poteſtate exire, aut vehementer mente emoveri ac delirare. Ceſſante

epilepſiâ

epilepſiâ in profundo ſomno vidimus ſepultam ægrotantem, quieſcentibus omnibus ſenſuum functionibus; quo abſoluto, ſomnians brachia & manus extollit, variaſque geſticulationes, delirium præſagientes, oſtendit, tandem ecſtaſis in delirium abit, in quo totius corporis motus vehemens & merè præternaturalis, vibratio nimirùm, jactatio, contorſio & tripudiatio omnium membrorum, capitis, corporis mauuum & pedum mirum horrendumque in modum aſpectui datur, quæ nihil aliud ſunt, quàm ecſtatica mentis amotio. Redeunt deinceps functiones tùm animales, tùm naturales, tripudiatio, viſque imaginatrix, dum Jeſum, ſanctos Angelos, cognatos & agnatos, etiam in vitâ nunquam viſos, in cœlo ſaltare, variaque gaudiorum cœleſtium genera celebrare ait, ex quibus tantum percipit gaudium, ut ad ſaltum ſe mox accingat. Quæ omnia ex errore Phantaſiæ contingunt, ſpeciem tamen delirii præſagiunt, maximè quia poſt morbum debellatum nihil horum meminerat, nec noverat. Læſam in totâ actione facultatem imaginatricem & ratiocinatricem deprehendi: non probè imaginabatur, parumque aptè ratiocinabatur, quæ παραφϱοσύνη ſeu deſipientia dubio procul cum cæteris erroribus ſecundum *Galeni* & *Hippocratis* mentem ad ecſtaſin, prout Medicus illam conſiderat, eſt referenda, omniaque, unico verbo, ſub titulo melancholiæ hypochondriacæ, quoad fontē & cauſam morbi, comprehenduntur. Exinde apparet, quanta vis ſit humorum melancholicorum, fuliginum tetriorum & malignorum, ut non ſolùm cerebrum & ſpiritus confundere, verùm etiam totum genus nervoſum turbare, motus convulſivos ecſtaticos, gravemque ac miram epilepſiam inducere queant. Mirum fortè videbitur, ſolâ venæſectione in pede totum morbum, quantus etiam fuerit, cui Achilles, vix & Hercules cum Hannibale ſuſtinendo & vincendo ſuffeciſſent, incantamenti inſtar fuiſſe ablatum. Larga DEI clementia factum fecit. Rationes medicas ſi deſideras, en adſunt, nimirùm revulſio & derivatio. Evacuationi, quæ parca erat, parùm adſcribendum. De prioribus egregiè ſcribit acutiſſimus Medicus *Dn. D. Caſparus Caldera de Heredia*, Medicus Hiſpalenſium celeberrimus, *capite de melancholiâ hypochondriacâ p.m. 298. & 299. §. 2. F.* Conſidera, à quo loco ſit ſanguinis miſſio exercenda, locus enim à parte affectâ indicatur; nam ſi loca infra hepar aut renes patiuntur, ſitus ratio docet, ex talo eſſe ſanguinis miſſionem exercendam, licet nulla hæmorrhoidum adſit ſuppreſſio, neque menſium, ex *Hippocratis* & *Galeni* conſilio: tunc enim fit ſecurior

à capite,

à capite, corde, ventriculo & hepate revulſio, & à parte obſtructâ derivatio; & æqualiter corpus univerſum per has tali venas vacuatur, ac per ſuperiores, cum ferè æquè diſtent ab hepate, ut à fonte &c. *In ſuprà citato tribunali Medico,* obſervatione de ſævâ epilepſiâ in prægnante *p. m. 331.* magni æſtimat venæſectionem tali & malleoli, ad *Galeni* & *Hippocratis* mentem, *6. epid. ſect. 2. 16.* cujus beneficio maximam morbi partem retudit. *Idem p. 225. col. 2.* de febre epilepticâ, venæſectionem in talo mox ab initio curationis aggrediendam ſuadet his verbis: Sed ob accidentis (epilepſiæ) immanitatem ſanguinem mitti juſſimus in talo. *p. 226. ait:* Hanc, ut diximus, febrem (epilepticam) ex talo ſanguinis miſſione repetita curavimus, &c. Varia eaque egregia curationum exempla per tali venæſectionem abſolutarum poſſent produci: ſed filum abrumpo. Prima morbi invaſio d. 24. Maji ex præcedenti nocturno timore ſuborta, tàm altas egit radices, ut poſteà ſanguine aliàs impuro & turbato ſæva exoriretur epilepſia ecſtatica, quæ non per venarum ſuperiorum, ſed inferiorum apertionem erat curanda, uti hoc *Galeni textus de venæſectione adverſus Eraſiſtratum c. 5.* perſpicuè docet; ſed ſi in his ſanguinem ex brachio mittis, lethalem errorem facies, tunc enim motum naturæ impedies, ſeſe ad uterum converſæ, & contra naturam retrahes. Magna erat in utrâque acceſſione ſuſpicio, quod uterus in conſenſum traheretur, propterea venam potiùs in pede, quàm in brachio ſvaſi: ne ſi in brachio aut ſub linguâ aperiretur, plenariam patientis extinctionem accelerarem, uti non ita pridem in febre acuta, petechiali ex ſuppreſſione menſium, Medicus quidam in epilepticæ noſtræ ædibus inſtituta venæſectione ſub linguâ, hæmorrhagiam ſubſecutam ſiſtere neſciens, magno cum parentis luctu, prægmaturâ decumbentis morte, indelebilique Medici contemtu expertus eſt.

[*In literis menſe Julio Anni 1673. ad Collectores Ephemerid. ſcriptis.*]

OBSERVATIO LXXXII.

D. JOHANNIS LUDOVICI HANNEMANNI

DE

APHTHIS.

IN puerulis aphthis laborantibus nihil eſt, quod tàm præſentaneam afferat operam, quàm *oleum raparum,* ſi in eo tantum diſſolvatur ſacchari, quantum poteſt, illudque ori illitum lambant: quod in meo filiolo Petro Johanne vix octo dies nato expertus, cui aphthis laboranti

boranti dedi oleum hoc raparum ſaccharatum, & paucorum dierum ſpatio curatus eſt.

Ruſtici infans cum non poſſet ſugere, itidem aphthis obſeſſo palato, morbo jam per 10. dies vigente, eodem modo à dicto medicamento ſenſit levamen præſentaneum.

OBSERVATIO LXXXIII.
D. JOHANNIS LUDOVICI HANNEMANNI
DE
DURA ALVO IN INFANTIBUS.

AD movendam alvum in infantibus nihil tutius & convenientius eſt eodem *oleo raparum ſaccharato*, ex frequentiori noſtrâ experientiâ, quâ feliciſſimo cum ſucceſſu id ſemper propinavimus. Si in hoc oleo ebullierit ☿ vivus, præſentiſſimum evadit remedium contra lumbricos.

[*In litteris ad Dn. D. Wedelium.*]


OBSERVATIO LXXXIV.
D. GEORGII WOLFGANGI WEDELII
DE
TRUTTA SAXATILI.

MIrus eſt luſus naturæ in lapidibus, non in gemmis ſolùm, ſed & in vulgaribus. Achates Pyrrhi Regis celebratur à *Solino c. 11. p. 53.* in quo novem Muſæ cum inſignibus ſuis ſingulæ, & Apollo tenens citharam videbantur, non impreſſis figuris, ſed ingenitis. India eundem dedit, reddentem nunc nemorum, nunc animalium facies, teſte *eodem.* Μιμεῖται τὴν τέχνην ἡ Φύσις, ἔστι δὲ ἃ ἴδια ποιεῖ. *Natura artem imitatur, aliqua verò peculiaria efficit:* quin polydædala eſt artifex, ubique mirabilis, ubique ſuſpicienda, in magnis & vilibus. Piſces foſſiles in campis juxta Pyrenæos montes reperiri refert *Athenæus l. 8. ex Polyb. l. 34.* Superbit iiſdem Saxonia Islebii frequenter occurrentibus talibus auratis piſcibus, qui proprium ſibi depoſcunt caput. Siſtimus jam truttam ſaxatilem longè curioſiſſimam, quam vidimus Brehmæ apud Jlluſtrem & Magnificum Virum Dn. D. Meierum, JC. Reipublicæ Conſulem, & Præſidem longè eminentiſſimum, Patronum noſtrum gratioſum. Conceſſit nobis pro ſingulari & non ſatis deprædicandâ ſuâ humanitate ex refertiſſimo ſuo Rarithecio ico-

cio iconem, cum verſibus longè elegantiſſimis; ipſum verò ſaxum, ceu monumentum hujus piſcis ære perennius, inter rariora naturæ, quæ illuc largè confluxerunt, aſſervatur.

IN TRUTTAM SAXATILEM CARMEN D. BERNHARDI MOLLERI Monaſterienſis Anno 1570.

Lapis in quo Figura Truttæ expreſsa excisus, é Lapidicina Baamberg Dioeces. Monaſteriensis.



REperiunt magnâ lapidis compage foramen,
In mediâ ſaxi parte foramen erat.
Introitus nusquam fuerat, non exitus usquam
Aeris: aſt vacuum cernere rima dabat.
Nec rimam natura dabat, ſed verbera ferri:
Artificis ferrum ſponte foramen init.
Inſolitum cuneis aperit lapicida foramen:
Dividuus planè cepit hiare lapis.
Forma ſtatim piſcis ſaxo ſpectatur ineſſe:
Sed non piſcis erat corpore, forma fuit.

Integra ſquamarum ſeries ſulcatur in ipſâ
 Cote ; patent fauces, ſicut utrinque ſolent.
Craſſum nempè caput: lato ſtat tergore cauda,
 Tergo prima ſedet, pectore prima ſubeſt.
Omnia commonſtrant capitoſi corpora piſcis
 Integra: neglectum dixeris eſſe nihil.
Tale viri monſtrum ſimul ac videre frequentes,
 Crediderim multis ſubdubitaſſe metu.
Altera ſervatur capitoſi portio piſcis:
 Altera fabrorum verbere trita perit.
Mira Dei virtus: mirè natura relucet:
 Omnia miremur: noſcere pauca licet.
Doctus, qui valuit rerum cognoſcere cauſas:
 Quæ capiunt pauci, multa videmus agi.
Piſcis adhuc monſtri formam Baumberga dediſſe
 Gaudet: adhuc gaudet munere læta ſuo.

[*In litteris ad Collectores Ephemeridum menſe Julio Anni 1673. ſcriptis.*]

OBSERVATIO LXXXV.
D. GEORGII SEGERI
DE
ARANEO INNOXIE DEGLUTITO.

VIRgini noſtrati, 18. annos circiter natæ, parentumque merces ante triennium in tabernâ venum exponenti, affertur manè pro pellendo rigidiori aëre cereviſia calida, cui panis erat intritus. Iſta cum videret accedentes emtores, feſtinando aliquot deglutivit cochlearia, reſiduumque ſepoſuit. Abeuntibus poſtmodùm emtoribus, ubi liberum nacta erat tempus, recepit ſcutulam, comeſtura, quod antè reliquerat. Sed ecce dum forte fortuna oculos infert in vaſculum, deprehendit ſupernatantes duos aranei pedes. Perterrefacta exinde domum ſe confert, & parentibus, quæ contigére, exponit. Iſti poſtquam etiam ex ancillâ reſciverunt, cereviſiam illam, præcedenti jam veſperâ è dolio promtam, per totam noctem in aperto aſſervatam fuiſſe cratere, relationi filiæ facilè aſſentiuntur, meque quantocyùs in conſilium vocant. Sed ecce, ante meum acceſſum Virgo vomitu rejicit aranei corpus & pedes aliquod, unde juſſu meo ſumtâ theriacâ ſudavit, atque ſic convaluit.

OBSERVATIO LXXXVI.
D. GEORGII SEGERI
DE
ACU DEGLUTITA.

Quod acus deglutitæ interdum ſine, interdum verò cum inſigni moleſtiâ in corpore retineantur, olim quoque jam annotarunt autores. Quibus ſimilia & ego jam proferam exempla. Cum anno 1651. menſe Majo Gedano Regiomontum me conferrem, ſocium itineris habui Studioſum quendam Regiomontanum, qui aliquoties in itinere ſubitâ & gravi corripiebatur leipothymiâ, cui nonnunquam etiam motus jungebantur convulſivi. Cauſa horum malorum erat acus, ante annum & quod exceſſerat cum binis aliis in ſanitatem nobilis cujusdam virgunculæ deglutita. Quo imprudenti facto præter multa horrenda mox ſubſequentia ſymptomata ipſam quoque ſibi acceleraſſet mortem, niſi clementia Divina aſſiſtentium Medicorum curæ ita benedixiſſet, ut tandem binas expulerint acus, relictâ tertiâ, quæ ſubinde inſtar monitoris ſolertem aliàs & ingenioſum commonefacerent juvenem, ne poſthac auro pretioſiorem ſanitatem adeò temerè tàm aperto committeret periculo. Ea an poſtmodùm egreſſa quoque ſit, me quidem latet, quippe qui exinde hoc ſolùm de eo reſcivi, quod laureâ Doctorali in utroque Jure ſummâ cum laude acquiſita, Facultatis ſuæ Profeſſor in Academiâ patriâ exſtiterit, & non ita pridem vitâ functus ſit. Cæterùm longè benigniorem fortunam anno præterito 1672. expertus eſt frater Albertus, è familiâ Reformatorum regulæ S. Franciſci in cœnobio vicino Podgorienſi trans Iſtulam tùm exiſtens. Is enim cum die 14. Aprilis, quæ tùm Viridium erat, in immutando altaris, ornatu occupatus eſſet, duas acus majores, quas ore tùm continebat, nolens deglutivit, & mox dolores quosdam in ventriculo ſenſit. Perterritus exinde à meridie me in plateâ acceſſit, conſiliúmque petiit. Svaſi ut crematurâ hordei pruniſque laxantibus, ut & cibis viſcidis ac pingvibus, ſi ſeveritas regulæ ſuæ id permitteret, utatur, propriasque feces probè ſemper examinet; atque ſimul medicamentum laxans me præſcripturum promiſi, modò ad meas ſe conferret ædes. Sed aliis negotiis impeditus, eâ die me non acceſſit. Poſterâ die 15. Apr. per alium fratrem nunciari mihi juſſit, ſe in fecibus unam obſervaſſe acum, & inde tantos in ventriculo non ſentire dolores. Uſum

igitur medicamenti in aliud tempus diſtulit. Die 18. Apr. poſt evacuationem corporis dolores ventriculi omninò remiſerunt, nec ab eo tempore quicquam mali ampliùs ſenſit, egeſtâ ſine dubio etiam alterâ acu. Tandem die 20. Maji ipſe me acceſſit, benè ſe jam valere retulit, pro dato conſilio gratias egit, atque ut ſibi electuarium aliquod laxans pro duabus vicibus præſcriberem rogavit, & obtinuit.

OBSERVATIO LXXXVII.

D. GEORGII SEGERI

DE

SCIRRHO PANCREATIS ET GLANDULARUM MESENTERII LETHALI.

POſtquam præterito anno 1672. exercitus Turcico-Scythicus in Podoliam eique vicinam Ruſſiam ac Poloniam minorem truculentam fecit impreſſionem, & cuncta depopulationibus, rapinis ac cædibus, pro more ſuo replevit, plurimi fuerunt regionum illarum incolæ, qui fugâ ſibi ſuiſque tempeſtivè conſuluerunt. Repertus eſt inter hos etiam primarius quidam mercator Lublinenſis, qui, ut poſtmodùm ſummâ urgente neceſſitate eò commodiùs fugam capeſſere poſſet, uxorem cum filiolâ, tertium ætatis annum agente, aliiſque ſequioris ſexus propinquis, declivi flumine ad nos maturè dimiſit. Hæ verò in itinere eandem ſemper non ſervarunt diætam, & ex illis imprimis filiola, quippe quæ placentis, libis, teganitis, aliiſque hujusmodi in butyro frixis cibis, quibus nimium delectabatur, ultra modum ſæpiùs ſe ingurgitavit. Exinde non diu poſt illarum ad nos adventum, cum malè ſe habere inciperet iſta, mater ex conſilio muliercularum multa quidem adhibuit, ſed omnia fruſtrà. Tandem ingraveſcente penitùs malo, me quoque die 21. Januar. anni hujus 1673. in conſilium vocavit. Offendi puellam ſatis debilem, & à calore p. n. extenuatam planè, cibum quoque nullum appetentem, crebrò vomentem, & diarrhœâ gravi laborantem. Moroſa inſuper erat, atque à medicamentis ita abhorrebat, ut quæ & quâ ratione ei ſint danda, tædioſæ curæ haut poſtrema fuerit pars. Licet verò ſub curæ initium calor planè remiſerit, vomitus quoque & dejectiones non adeò crebrò infeſtarint ægram: quia tamen extenuatio corporis & appetitus viriumque proſtratio ſenſim indies augebantur, ſolam mortem horum malorum unicum futurum remedium facilè licuit colligere. Cœterùm, dum ego hujus aliorumque

rumque ſanitati ſum intentus, febris catharralis cum pleuritide ſpuriâ ex improviſo graviter me corripiunt, & vix non opprimunt. Rogatur igitur *Excellentiſſimus Dn. D. Wenceslaus Doroſch* à matre puellæ, ut meas ſuppleat vices, filiolamque ad priſtinam reducat ſanitatem. Qui licet non tantùm ſolus fidelem ac circumſpectum ſe præſtiterit Medicum, ſed & poſt meam convaleſcentiam unà mecum, quæ ad perniciem depellendam facere poſſunt, non intermiſerit; non tamen impedire potuimus, quo minùs die primâ Martii placidè obdormiverit ægra. Poſt mortem nobis præſentibus Dn. Bartholomæus Taubenheim, Divorum Pol. ac Svec. Regum Vladislai & Joh. Caſimiri Chirurgus hactenus primarius, reſeravit abdomen. Sed ecce, in iſto viſcera omnia, ipſumque hepar, quod aliàs in juſto majorem excreverat magnitudinem, apparebant ſana. Solum pancreas induratum erat omni ex parte, & planè ſcirrhoſum. Glandulæ quin etiam meſenterii hinc inde viſæ ſcirrhoſæ, atque in eam auctæ erant molem, ut magnitudinem nucis juglandis longè ſuperarent.

OBSERVATIO LXXXVIII.
D. GEORGII SEGERI
DE
EPIDERMIDE TOTIUS CORPORIS PER PARTES DEPOSITA.

Quandoquidem epidermis poſt febres ardentes, variolas roſſalia & rubeolas ſæpè à quibusdam partibus abſcedere ſolet, hinc exempla illa ut plurimùm negliguntur à Medicis. Aſt univerſales totius corporis decorticationes (ut ſic dicam) quia non ita ſunt vulgares, annotantur meritò ab autoribus. Sic legimus in hiſtoriis navigationum Batavorum in Septentrionem, quæ *Linſcotano* anno 1599. edito ſunt annexæ, & *Bernardo Paludano* tribuuntur, quod Batavi anno 1596. in novâ Zemblâ conſtituti, jecur urſi albi coctum comederint, aſt valetudinis maximo diſcrimine, laborantibus nimirùm cunctis, & decutito in univerſum corpore, ut verba autoris in recenſione tertiæ hiſtoriæ ſonant. Sic militi poſt hauſtam potionem, cui integræ colocynthidis medulla incocta erat, totius corporis epidermidem abſceſſiſſe, annotavit *Salmuth. cent. 3. obſ. 2.* Sic in muliere Hebræâ cuticulam univerſi corporis per ſeroſi humoris ebullitionem, intermediâ aquâ citrinâ mordicante à cute ſeparatam vidit *Haferus*, ut ipſe refert in *Herc. Med. lib. 7. cap. ult.* His ego ſequens addo exemplum: Candidus ac ingenuus

genuus ſenex, Dn. Laurentius Vogt/ exquiſitam aliàs in victu diætam ſervans, elapſo anno 1672. qui erat 77. ſuæ ætatis, ſub finem Octobris puſtulis quibusdam infeſtari cœpit, unde & chirurgum Antonium ad ſe vocavit. Die 2. Novembr. vocatus & ego, vidi per totum corpus diſperſas puſtulas ſatis magnas, pellucidas & prurientes, quæ aut diſciſſæ aut ruptæ liquorem fundebant albicantem, limpidum & lentum, relictis ulcuſculis ſuperficiariis. Sudorem omni ſtudio declinabat æger, licet illo præſente copioſiùs erumperent puſtulæ, nimium enim pruritum ferre non potuit. Soli igitur naturæ commiſſa expulſio, & corroborantia atque alterantia propinata ſunt ægro, chirurgo officium ſuum etiam non negligente. Æger autem ſpatio duorum menſium totius corporis cuticulam per partes depoſuit, & ſic convaluit.

[*In litteris ad Collectores Ephemeridum Vratislaviam menſe Julio anni 1673. miſſis.*]

OBSERVATIO LXXXIX.
D. CAROLI RAYGERI
DE
VERMIBUS CUM NIVE CADENTIBUS.

VErmes in nive vetuſtiori generari atque ibidem inveniri, res nova non eſt, ſed jam *Ariſtotelis* tempore cognita. Ita enim ille *l.5. de Hiſt. Anim. c. 19. Quin etiam in iis, quæ putredinem nullam poſſe excipere exiſtimantur, naſci animalia novimus; ut vermes in nive vetuſtiori, qui hirti ſunt pilis & rubidi, quoniam & ipſa nix vetuſtate rubeſcit; ſed in nive mediæ terræ candidi & grandiores inveniuntur. Torpent omnes ac difficulter moventur.* Vid. quæ habet *Ulyſſ. Aldrov. lib. 6. de Inſectis, c. 9.* & inſtar omnium quæ decus illud Medicinæ Boreale, *Thomas Barthol. in de nivis uſu medicô, c. 9.* annotavit. At novum, inſolitum quin immò inauditum, quod non ità pridem Neoſolii, [Neuſohl] in partibus Hungariæ montanis, ubi non procul cuprum effoditur præſtantiſſimum, accidit. Ibi enim anni 1672. die 20. Novembr. quæ erat Dominicâ, à pago, quem das Mayerdörffel appellant, in civitatem usque; iterùm ex alterâ parte ante argenti-portam (das Silber-Thor) in prato quodam latô & ſpatioſô, unà cum nive cecidére ultra decem genera diverſorum vermium, qui catervatim ſuper nivem repentes & ultra quatriduum viventes à multis, civitate egreſſis, viſi atque collecti fuere, Plurimi erant nigri cum pedibus & crenis luteis, erucis

ſimiles,

ſimiles, alii ſubrubentes, alii inſtar aranearum pedati, alii ſcarabeos parvos, aut muſcas referentes. Nullus autem horum intra mœnia cecidit, omnes extra portam & quidem in dictis tantùm locis inventi. Primum horum à genero ibi locorum habitante ſibi transmiſſum unâ cum relatione oſtendit mihi Dn. Otto Teucher / civis hujus urbis honoratus; poſt Viennâ miſſi Icones, ſed rudi calamo depicti; tandem per perſonam quandam Illuſtriſſimam & mihi quorundam, quatuor inquam generum, facta copia, quos ſiccatos, quò meliùs conſpici queant, protinùs in aquam conjeci, unde tumefactos & ad priſtinam redeuntes dimenſionem, eâ planè figurâ & magnitudine delineari curavi prout erant.



Repræſentat igitur *Figur. I.* vermem omnium, quos vidi aut habeo, maximum & pronè repentem & inverſum, ſeu ſupinum, totum nigrum, pedibusque donatum ſubtilibus luteis; *Figur. II.* Minorem priori non abſimilem: *Fig. III.* Minimum totum nigrum ſine pedibus; *Fig. IV.* Scarabæum parvum, ſed colore ſubcinericiò, referentem. Iam verò ſi tanta clariſſimorum & doctiſſimorum virorum ingenia torſit generatio & productio vermium ordinaria ex nive vetuſtiori, prout apud prædictos authores videre licet, quid fiet de iſta extraordinariâ & inſolitâ vermium nunquam ante hac viſorum generatione, figurâ, modò apparendi & ſimilibus? Quis verò locus deſignandus nativitatis? an terra? at illa gelu adſtricta: An media aëris regio, & nubes? aut cur non ubique cum nive cecidére; quandoquidem tàm in civitate

quàm extra eam ninxit? Unde attractum ſeminium hoc inuſitatæ & nunquam ante conſpicuæ formæ vermium? Unde tandem tanta vivacitas brumali inprimis tempore, ubi omnia aliàs hujus generis inſecta torpent & mortua jacent? Certè hic τὸ θεῖον jubet ἐπέχειν.

OBSERVATIO XC.
D. CAROLI RAYGERI
DE
FUNGIS MONSTROSÆ AC INSOLITÆ FORMÆ.



INſolitum hoc fungi genus ipſe ego meis manibus è terrâ erui in pago, ad S. Johannem, dicto, quinque milliaribus Poſoniô Moraviam verſus diſtante. Cum enim ibi eſſem, exhibitus eſt mihi talis non uſitatæ formæ fungus, nunquam eô locorum [credo ego etiam nuſpiam] viſus, petiique ſtatim monſtrarent mihi locum. Egreſſus vidi circa ſepimenta in loco quodam trium aut quatuor paſſuum longô, aliàs nullibi in toto diſtrictu, inter virgulta ex antiquo quaſi fimetô propullulare ultra centenos tales fungos majores, minores, eleganter certè & affabrè cum capitello ſuo factos, nihil in ſe monſtroſi habentes aliud, niſi quod à communi fungorum forma recedant, & neſcio quam inſolitam figuram monſtrent. Si exoleſcunt in pulverem abeunt; id quod & mihi factum, qui decerpturus quendam inſigniorem cum capitello lato & pulcrè faſtigiato, in idem impegi fregique, & ſtatim ex

rupto

rupto nihil niſi pulvis exivit. Videtur aliquô modô aſſimilari poſſe fungo Anthropomorpho, quem exhibet in Ephemerid. Curioſarum, anno II. Obſervatio LV. hâc ſaltim differentiâ, quòd ille altior ex pluribus junctis quaſi compoſitus, diverſis tamen capitibus modò plenis, modò rotundis, modò faſtigiatis conſtet; Hi autem noſtri minores ſemper ſinguli, rarò bini, omnes eâdem formâ & figurâ creſcant atque inveniantur tempore inſolitô ac planè inconſvuetô, quod magis hoc annô apud nos vernum, quàm hibernum videtur.

[*In litteris menſe Jan. ann. 1673. ad Coll. Ephem. quidem tranſmiſſa, ſed errore aut caſu extra ſuum ordinem delapſa.*]

OBSERVATIO XCI.

Dn. ANDREÆ CNOEFFELII

DE

MERCURIO FIXO HELMONTII.

IN tractatu *de Febribus cap. 17. §. 9.* Mercurium diaphoreticum fixum præparari cum elemento ignis, de vitriolo Veneris extracti, docet *Helmontius.* Veneris vitriolum quomodò arte parandum informat in *Parad. 3. §. 12. p. m. 422. in fol.*

Quid ſit ignis Veneris multi jam diſceptant. Et quid velit eo *Helmontius* intelligi, non concordant ſcriptores, præcipuè cum *Helmontii* requiſita ad modò dictum ignem Veneris, quod ſit *oleum viride & dulce à corpore Mercuriali ſui cupri planè ſeparatum,* multis anſam veræ præparationis è manibus eripuerint.

Cupro ineſſe iſtum ignem Veneris *c. 8. de Lithiaſi §. 8. p. m. 46.* affirmat. Cuprum autem metallum completum non facilè deſtructibile, aut retrocedens in ſua principia vocat §. 17. etiam vitriolum è Venere factum ignavius eſſe vulgari *§. 16.* docet. *§. 12.* & *18.* commendat loco vitrioli è cupro facti verum vitriolum, quod venam cupri lamberit & eam eroſerit, illudque cujus vena liberior ab alienâ malignitate viciniorque fuerit enti Veneris inculpatius vitriolum eſſe dicit. § 14. etiam non tàm Lazureum colorem eſſe reſpiciendum, quam ſalis puritatem & viriditatem. Itaque ad ignem Veneris conficiendum non opus eſſe vel vitriolo ex cupro facto *§. 17.* vel ex floribus æris, ſed VIRIDI PURI SALIS VITRIOLO.

Poſſet quidem fieri objectio, quod *Helmontius de Lithiaſ. c. 8. §. 5.* dicat: non poſſe haberi ignem Veneris, niſi cum plenariâ cupri deſtru-

ctione, corporiſque Mercurialis ipſius Veneris volatiliſatione, illudq; volatile in album metallum ignotum poſſe parari, & ita neceſſariò cuprum ad eandem materiam requiri debere. Sed, uti modeſtè opinor, eum in hoc paragrapho cupri venam eroſam intellexiſſe & nihil obſtare, quò minùs ea verba, quæ *§. 21.* ejusdem capitis, nempè *fecem colchotaris è deſtillatione reſiduam totam adhùc eſſe cupream*, leguntur, poſſint cum ſuperiori textu *§. 5.* combinari, præprimis, quandò § 11. c. 8. *de Lithiaſi* in quæſtione, an ignis Veneris ſit ſpiritus vitrioli rectificatus, reſpondeat, indefinitè affirmans, ſe deſtillationem per neminem traditam velle propalare; Colchotarque ex deſtillatione reſiduum, eſſe cupreum edoctus è Paracelſi *Tom. 1. operum in fol. p. m. 1050. Lit. C. de vitriolo* in verbis: Proba eſt, ſed ad medicinam inutilis, ſolum ad Alchimiam, *quod Colchotar per ſe in igne fuſum Venerem fundat.* De quibus tamen omnibus Lectori Benevolo liberum relinquo judicium.

Diſtinguendum autem juxtà mentem *Helmontii* inter ſulphur Veneris, quod ad vitam longam conferre dicitur in *lib. Butler p. m. 363. & in tractat. imperfect. p. m. 352.* in formâ olei rubicundi cum ſuo corroſivo deſtillatum per alembicum deſcendit, & ignis Veneris à *Paracelſo* vocatur: & inter illud, quod in *tractatu Butler* cum ſale armoniaco ſublimatum ad compoſitionem Driff. *autor* requirit. Illud quidem ad Mercurii fixationem omninò concurrere ſtatuendum eſſet, quoniam vis ejus aliquo modo præcipitationem Mercurii promovet, quodque ab *Helmontio §. 6. de Lithiaſ.* externum ſulphur Veneris dicitur. Hoc verò tantum ad corpus humanum directum eſſe videri poteſt. Dulcedinem hujus olei quod attinet, potiùs ad effectum, quàm ad eſſentiam reſpexiſſe *Helmontium*, humanitèr autumo, ſicut etiam eidem placuit, *§. 19. c. 8. de Lith.* affirmare, odorem ſpiritus vitrioli flaveſcentis, mellis grati odorem referre, cum tamèn experientia odorem ſulphureum, & ita contrarium ſufficienter demonſtret.

Maximè iterùm veniunt attendenda verba autoris, qui anteriorem chymicorum deſtillandi modum rejicit, & novum inuſitatum opponit, per quem oleum iſtud vitrioli dulce poſſit obtineri. Fateor quidem, quod oleum vitrioli, ex hac præſcripta *Helmontii* deſtillatione, non ita ſit corroſivum, & quidem aliquâ ex parte nigricans, ſed quod dulce ſit inſtar mellis, hæc obſervare mihi non licuit.

Nec obſtat, quod ignis Veneris non ſit ſpiritus vitrioli utcunque exquiſitè rectificatus. Locutus enim eſt, tanquàm Paracelſi diſcipulus.

Et

Et quoniam Paracelſo oleum nunquàm ſpiritus fuit dictum, ſed oleum pro cujuslibet rei ſulphure ſemper ab eo habitum eſt, ſulphur autem, ex Paracelſi ſententiâ, denotet ignem vel ignis elementum *Tom. 1. in fol. de ſulphure p. 1046.* ita etiam *Helmontius*, ſi placidè debeam reſpondere, uſus eſt hoc vocabulo, ut tum temporis diſputanti Medicorum calamo occurreret & probaret, quod affirmat *in tract. arcan. Paracelſ. p. m. 479. columu.* 2. ſe ex ſcriptis Paracelſi multum profeciſſe; Eundemque, ſui ævi chymicum non eſſe contemnendum, præprimis cum artis præcepta ab aliis etiam tradantur obſcura *in verbis p. 481. Quid enim ſecus &c.*

Viride & dulce eſſe iſtud oleum debere *Helmontius* affirmat. *Paracelſus* quidem *Tom. 1. oper. c. 8. p. m. 1055. Lit. A.* talis olei mentionem facit, ſed hoc tantùm ad uſum internum, ut dictum, & medicamentoſum eſſe, cujus præparationem ita deſcribit: *Oleum dulce gradetur in ſe ipſo, ita ut ſeparetur oleum à terreſtreitate & fecibus per Balneum Mariæ & terreſtreitas per ignem, ſpiritus autem olei ſeparatim colligitur, qui debet per ſe circulari, addetur deindè ſpiritus vini.* Quod verò debeat ad præcipitationem vel coagulationem concurrere Mercurii, negat *Paracelſus* in verbis, *oleum viride Alchimiam impertinens eſt l. c. Deliteſcit quidem*, ait ulterius *Paracelſus lib. 2. de vita long. p. m. 845. lit. ſub Colchotare oleum rubeum & viride, ſed oleum rubeum tantùm ad Alchimiam, viride vero ad morbos.*

Nec fuit unquàm animus Paracelſo, ſulphur aliquod Veneris, vel ex cupro, vel floribus æris, vel ipſo vitriolo ad præcipitationem Mercurii in formâ olei viridis dulcis requirere, nec ullum titulum ex eo demonſtrabit, quisquis erit. Nec videtur ea dulcedo in lingua apprehenſiva ineſſe ſulphuri Veneris, ſed effectiva (ſi aliqua eſſet) ſive per accidens, quia iſte Mercurius ſive potius ſulphur Mercurii, ſicut placet Helmontio loqui *in tract. Progymnasma meteori p. m. 42. §. 16.* Cum igne Veneris factus & cum ſale Taberzet, quo de infra loquar, paratus, non eſt dulcis, ſed tantum inſipidus & ſolutus à corroſivis ſalibus per iſtud ſal Taberi. Omnia verò, quæ dixi, majorem elucidationem in *Paracelſo lib. de chirurg. magn. Argentorati anno 1605. impreſſo*, obtinebunt, *p. m. 314. in lib.* Spittal-Buch *& p. 307. ſub tit. dulcia medicamenta. Item Paracelſ. oper. in fol. Tom. 1. de morte rerum natural. l. 5. p. m. 893. lit. B. C.*

Proceſſum quod ſpectat, ipſe Helmontius eſt valdè obſcurus. Quo tamen & aliis anſam inquirendi relinqueret, ad ipſum fontem, Paracelſi

nempe libros, quod in iis proceſſus eſſet deſcriptus, quem tamen vellet manifeſtius paulò declarare lectorem ablegavit. Manifeſtus quidem eſſe videtur in conjunctione elementi ignis de vitriolo Veneris cum aqua regia, ſed valdè obſcurus eſt, in explicatione ſalis Taberi, quod, præter mentem Paracelſi, ſpiritum vini explicat: Cui tamen experientia & Paracelſus ipſe contradicunt; licet enim centenis vicibus ſpiritus vini cum iſto pulvere corroſivo cohobaretur, manet tamen valdè corroſivus.

Quid verò per ſal Taberi intelligatur: illudque non eſſe ſpiritum vini patet ex allegatis Paracelſi locis. *Nam in lib. de Natur. Rerum Tract. 5. p. m. 893.* primò docet Paracelſus præcipitatum cum aquâ regia fieri, quem jubet ſpiritu vini cohobare & edulcorare, paulò poſt ſecretum promittit Paracelſus & quidem in verbis: Magnum arcanum de præcipitato intelligendum venit, quod ſi poſt calcinationem & colorationem cum aqua ſal Taberi edulcoretur &c. Et præfert hanc ſuperiori præparationi cum ſpiritu vini factæ. Obſtant deindè omnes præparationes, quas benevolus lector in præfata *chirurgia magna* videre & legere poteſt. *p. 115. 185. 169. 307.* In quibus locis non fit ſpiritus vini mentio, cum tamen æque verba ea, quæ *Tom. 1. p. 893. lit. C.* in citatis locis verbotenus inveniantur. In *chirurgiâ magnâ p. 314.* Paracelſus hanc litem dirimere videtur, dum per ſal Taberi, aquam ovorum ibi deſcriptam ſe intelligere indigitat, dum & ſpiritus vini & aquæ ovorum mentionem facit, quandò docet Mercurii fixi diaphoretici ad ulcera laryngis & veſicæ præparationem.

Idem facit *Helmont. in Tractat. de Febrib. p. m. 102. cap. 14. §. 10.* ubi in confectione purgantis Diuceltateſſon poſt abſtractionem liquoris Alkaheſt, non ad ſpiritum vini ſed ad aquam ovorum confugit, apprime ſciens, quod aqua ovorum ſit unica iſta aqua, per quam omnes ſpiritus corroſivi poſſint temperari & ſucceſſivè à ſolutis corporibus abſtrahi.

Obſcuritatem proceſſus non levem porrigit etiam, commixtionem elementi ignis de vitriolo Veneris extracti cum aquâ regiâ. Ubi notandum Helmontium ſtatuere, quod poſt quintam cohobationem pulvis fiat valdè corroſivus. Elementum ignis de vitriolo Veneris debet eſſe dulce inſtar mellis (niſi forte odorem mellis, de quo in deſtillatione ſpiritus vitrioli *l. c.* mentionem facit, intelligere velit) non deberet ergò corroſionem Mercurii promovere, ſed mitigare. Corroſionem enim

fieri

fieri ab aqua regia, probat omnis præcipitatus ſimplici tantum aquâ forti elaboratus, fieri autem ex additione ignis Veneris valdè corroſivum Mercurium, verba ſunt autoris loco citato.

Nec leve dubium relinquitur lectori: num non ſimul ignis Veneris ab aquâ regiâ mutetur ipſe, ut vires alteri conferre nequeat. Hoc quidem ſcio, ſi ſulphur Veneris, de quo in præparatione Driff mentionem facit autor, cum aquâ forti miſceatur, illud ſtatim in ſpeciem longè aliam priore & quidem in album corpus reduci poſſe, cum amiſſione virium priorum. Vix itaque credibile eſt, talem ignem Veneris dulcem ſi cum chryſulcâ commiſceatur, poſſe ſuas vires ſervare & alteri communicare, cum ſub forti hâc aquâ agente ſuccumbere omninò probaverim. Quod ſi verò Helmontius artis pyrotechnicæ ſatis gnarus, quia eum nunquam ejus fuiſſe intentionis credo, ut igni Veneris actualem illam dulcedinem vellet adſcribere, ſaltim tunc temporis confundere ſuos malevolos voluit, ei condonandum exiſtimo; Sin ſecus, pro defenſione hujus Mercurialis præparationis, quod tamen pace aliorum Chymicorum peritorum dixerim, rationem invenire vel ſubſtituere equidem vix poſſem, præprimis cum hoc concurrat, quod etiam pulvis Joannis de Vigo ſummè ſit corroſivus & jam præcipitatus, & non opus eſſet addere novam aquam regiam; ſed ſulphur Veneris ſi pro fixatione Mercurii & pro ejusdem dulcoratione adderetur, ſufficeret. Helmontius autem ipſe fatetur, quod poſt quintam cohobationem cum igne Veneris pulvis valde ſit corroſivus. Contrarium etiam ſtatuiſſe videtur *Helmont. in Tractat. de Herb. verb. & lapid. p. m. 353. in fol.* quandò dicit, quod argentum vivum abſque ulla ſui aut de ſuo participatione, imò & citra ullam de ſe commiſturam radicalem commutet, quicquid ſpiritus ſulphurei attigerit. Quæ verba cum actioni ignis Veneris opponantur, quod nempè ignis Veneris ſulphur Mercurii extra vertat, placido relinquo lectoris judicio.

Ex quibus omnibus, & quæ ſupra jam dixi, patebit, non ſpiritum vitrioli utcunque exquiſitè rectificatum, ſed oleum vitrioli, quòd ex forti deſtillatione de colchotare prodit, eſſe debere verum ignem Veneris Helmontii. Volente etiam hoc Paracelſo, qui *lib. de ſulphure tom. 1. pag. 1046. lit. B.* expreſſe docet, quod ſulphur volatile ſit elementum ignis, oleum autem eſt ſulphur volatile, volente Helmontio, *l. c. p. m. in fol. 352.* E. Hoc adhuc magis apparet ex *tractatu in herb. verb. & lapid. coumn. 2. p. m. 353.* Sic nempè Mercurius diaphoreticus ultimatum ſuæ entele-

chiæ ſco-

chiæ ſcopum acquiret per ruborem ſulphuris aſcendentis, cui ♎ ☿ii unione indiſſolubili nectitur, cujus modum deſtillandi & proceſſum, ut dixi, ipſe Helmontius *de Lithiaſi c. 8. §. 19. & 20. exhibet.*

MODUS PROCESSUS.

Eſſet itaque modus proceſſus Helmontiani Mercurii diaphoretici ſequens. ℞. *☿ii depurati* (nam non opus eſt pulvere Joannis de Vigo) ℥viij ▽F *& ol.* ⊕*li* āā ℥viij. deſtilla, prout moris, ex retorta vitreâ, repete, addendo novum oleum vitrioli & aquam fortem ad quintam usq; cohobationem, ſub finem augendo ignem. Hoc abſoluto edulcora pulverem (ſi placet) aquâ communi ad tempus, ſi non placet. ℞. *aquæ ovorum* ℥viij. abſtrahe, reitera novâ affuſa aquâ ovorum, donec corroſionem abſtuleris omnem. Hoc peracto, cohoba decies cum ſpiritu vini optimè dephlegmato. Exiccetur & igniatur in crucibulo, prout moris, manebit pulvis fixus, aliquomodo adſtringentis ſaporis. Doſis à gran. ij. ad iij.

Hæc ſunt, quæ mihi conſtant, de decantatâ hâc præparatione Helmontianâ. Eſt opus immenſi laboris & periculi. An autem deſiderio medentis ſatisfaciet, prout liber Helmontianus promittit, quilibet experiatur. Conſtitit mihi iſtud experimentum per vices reiteratum centum ultrà imperiales.

Cautela tamen hic maximè oſervanda.

1) ne omnis corroſio, vel ſalia ex ſpiritibus corroſivis concomitantia Mercurium, ab eo abſtrahantur, nihil enim deindè Mercurius operabitur, ſed facilè per ſublimationem in eundem Mercurium, qui fuit ante deſtillationem, mutabitur. Hæc voluit Helmontius indicare *c. 8. de Lith. §. 10.* in verbis: *Ablatis adjunctis mineralibus nunc ſpecie olei ⊖ vel ♎ per retortam pulſis, ſemper manet idem Mercurius, qui ante, reditque in priſtinum corpus.*

2) Si omninò fixus eſſet Mercurius, ut flante folle (quod tamen mihi non patet) in album metallum reduci poſſet, non eſſet medicamen, quia fermentum ſtomachi æquè eludet, ſicut aurum & argentum foliata,) quanquàm Helmontius contrarium ſtatuat, *in tract. in herb. verb. & lapid. p. 358. paulo ante finem* his verbis: *quique tametſi aſpernetur omnem digeſtionum laborem* &c.) & exindè nullius omninò uſus in medicinâ, niſi iterum in medicamentum reduceretur, teſte etiam Helmontio, eſſet expectandus. Verba ejus ſunt *lib. de Lithiaſ. c. 3. §. 17. p. m. 20. quoties à Mercuriis ſales diſtinxi, admiratus ſum eorum ignaviam:*

viam: & in tract. tria. princip. §.59. p. m.255. in verbis: *quanquàm pars Mercurialis* &c.

Contra verò ſi eſſet reductus, æquè nihil operaretur, quoniam Mercurius in ſe eſt immutabilis. *Tract. de trib. princeps. §. 13. p. m. 254.* in verbis: Mercurius eſt indiviſibilis. Quò tamen etiam lectori benevolo ex tot libris revolutis Helmontii, aliqua utilitas reſpondeat, paucis explicabo verum Paracelſi & Helmontii Mercurium diaphoreticum, quem ambo laudant. Helmontius etiam eundem præferre videtur eo, de quo egit in tractatu de febribus & lithiaſi. Locus iſte, in quo Helmontius de eo agit, eſt *Tractatus, Ignotus Hydrops §. 47.& 48.* Verba ſunt ſequentia: *Paracelſus ſuum præcipiolum, ſive Mercurium è ſuâ minerâ mortuum eductum, præ reliquis approbat remediis. Fateor, quod Mercurius ille votis meis ſemper obſecundaverit. Difficilis autem eſt ejus acquiſitio.* Et paulò inferius: *Oportet autem Mercurium mori absque ullo ſalium externorum ſodalitio aut ſpirituum alienorum conſortio. Gratulor illi, quem ignis docuit me intelligere.* Sufficientis informationis cauſa adeat benevolus lector ipſum fontem, nempè Paracelſum, *in chirurg. magn. lib. 2. de lue Vener. & correct. impoſt. c. 5. p. 165.* in quo loco totum proceſſum perſpicuè & luculenter inveniet, verba ejus ſunt: ℞. *Mineram ☿ii, prout in primâ coagulatione nondum indurata aut corporea facta invenitur* ℔xx. (norunt eam metallurgi) *pulveriſa, coque per horam aqua pluviali, ut ſordes depurentur, quæ fundum vaſis petent. Corpus autem purum reſerva, pone in cucurbita & deſtilla, prodibit liquor purus & albus, ſepara prout moris phlegma, manebit oleum in fundo album pondere Mercuriali, Doſ. gr. II. cum oleo ſpicæ-nardi.* Fortè & hæc materia tibi majora ſuggeret.

Quod ſi modus hic etiam non arrideat, & benevolo lectori placeat ☿ium parare diaphoreticum ex metallo & crudo Mercurio, inveniet etiam genuinum præparationis modum ſatis laudandum apud Paracelſum, cui omnes virtutes apud Helmontium *in libr. Febr.* ſuo Mercurio ibidem attributas verè tribuit. Locus iſte in *Chirurg. magn. Paracelſ. l. 19. de ulceribus & cicatricib. è lue Venerea p. m. 307. ſub titulo* Süſſe *medicamenta.* Cautelam ibi Paracelſus, magno & ſingulari judicio permotus, apponit in verbis: *In argento vivo etiam dulcis eſt Balſamus, ejus præparatio eſt, ut neq; calcinatio* (ſcilicet per aquas fortes) *neque ſublimatio* (ſcilicet per ſalia) *ejus fiat, ſed debet per aquam ovorum, è calce ſua deſtillatam, fieri coagulatio in rubicundum pulverem. Dulcis eſt hic Mercurius & ſanat ulcera & veſicæ & colli & laryngis.* Alias cautelas adjungit

M Para-

Paracelſus, nullum Mercurium cum aquis fortibus paratum poſſe eſſe verum medicamentum, quoniam corroſivi ſpiritus ex aquis fortibus fortiter ei adhærent.

Præparationem hanc ſæpius commendavit & reiteravit Paracelſus variis in locis. Im Spittal-Buch *p. m. 314. Item de correct. impoſt. l. 2. c. 12. p. m. 169. Item de curatione luis venereæ p. m 522.*

AQVA OVORUM.

Paratur autem aqua ovorum ſequenti modo: ℞. *ſpiritus phlegmatici aluminis, ſpiritus phlegmatici* ⊖*li* āā ℔ß. (NB. non debent eſſe fortiores ſpiritus, ſed priores, qui cum phlegmate egrediuntur). *Aceti deſtillati* ℔iß. *albumin. ovorum duriter coctorum* ℔iiij. (putamina potes addere) affunde pedetentim ſpiritus & acetum, nam fermentant valdè, deſtilla usque dum videris oleum prodire, tum abſtine à deſtillatione, calcina, quod in cucurbitâ reliquum eſt, reaffunde aquam de albumine deſtillatam, reitera deſtillationem, & ſic habes aquam ovorum.

Hæc itaque ſunt, benevole lector, quæ ex lectione & praxi obſervavi. Expreſſe autem proteſtor, me ea, non animo contradicendi, aut cum aliquo diſputandi appoſuiſſe, ſed aliis anſam dediſſe in arcanum Mercurii diaphoretici ulterius inquirendi, & ſic tandèm ad ſcopum in quantum fieri poſſit tanti medicamenti deveniendi. Ex Helmontii libris nemo inveniet iſtud arcanum, & praxis, ibi confuſè ſcripta, operanti multos labores, ſed ſine laboris pretio, cauſabit, quod experientur illi, qui ſecundum ejus ſimplicem ductum, laborabunt. Meam autem, ut dixi, tantummodò ſententiam & quantum ex lectione Paracelſi, Helmontii, & propria experientia mihi patuit, cujuslibet intentione & obſervatione per omnia ſalva, huc appoſui. Cum nemine etiam ſuper hac re litem movebo, ſed potius opto, ut viri docti manum huic operi admoveant, ſua experimenta jungant, quo fructus, quo honor DEI & proximi ſalus, eò excellentior progerminet.

[*Ad Collectores Ephem. ann. 1673. menſe Dec.*]

OBSERVATIO XCII.

DN. ANDREÆ CNOEFFELII

DE

DRIF HELMONTII.

BUtleri lapidem multos in admirationem rapuiſſe medicos conſtat exindè, quod mirabiles effectus ad ſtuporem usque, quos Dn. Helmont,

Helmont, tanquàm oculatus teſtis, enumerare voluit, exhibuerit. Dolendum eſt, hujus viri excellentiſſimum inventum nulli communicatum & terræ mandatum eſſe & oblivioni. Interim piè defunctus Helmontius aliud ſubſtituere in ejus locum viſus eſt medicamen, quod ſuâ vernaculâ Drif vocare ei libuit, cujus requiſita cum *in libro Butler* ipſe explicet, materiam verò & modum præparationis aliis ſuis tractatibus obſcurè ſaltem indicet, quæ mihi de Drif illo Helmontiano patent, ſalvo tamen meliori judicio, modeſtè explicabo.

In *tractatu de lithiaſi in fol. p. m. 46. c. 8. §. 21.* Fecem colchotaris ex deſtillatione reſiduã virideſcere & cupream eſſe, quod quidem etiam experientia probat, dum totum colchotar longo tempore in novum vitriolum iterùm deſtillabile per ſe in aëre poſitum reducitur. In *tractatu Duum-viratus p. m. 211. §. 9.* è colchotare præparationem ſulphuris vitrioli communem rejicit & aliam ſubſtituit. *In tractatu Butler in fine* repetit, ſe nempe docuiſſe in vitriolo, utut in Venere depravata ſæpiusque deſtillata adhuc ſupereſſe ipſam Venerem actualem, quæ depravata Venus eſt, quam in colchotare reſidere infra *de lithiaſi* meminit.

Itaque materiam hujus Drif ſuppono *colchotar vitrioli*, quod ex deſtillatione ſpiritus vitrioli reſiduum in retortâ remanet. Hoc itaque optimè calcinatum hujus Drif præparationi inſerviet.

Modum proceſſus ipſe Helmontius explicat: debet nempè reſuſcitari, reſurgere & ſublimari cum ſibi additis aliis. Debet autem fieri ſublimatio cum ente peregrino fermentali archæoque amico. Hoc ens eſt *ſal ammoniacum.* Indigitare hoc videtur Helmontius *in tract. Duum-viratus ſupra citato* §. 9. in verbis: *quod præſtat vulgaris ſal ammoniacus.*

Fit itaque Drif tali modo: ℞ *colcoth.* ℔ij. *ſal ammon.* ℔j. ſublima ſ. a. Aqua ex deſtillatione procedens ad alios uſus poteſt aſſervari. Flores tantum ad hoc opus requiruntur; ſi ſublimatio peracta, reitera hanc, flores nempè ſublimatos cum capite mortuo noviter commiſcendo; fac hoc tertia vice & habebis flores aurei coloris, veram Helmontii Venerem peregrino fermento comitatam.

Recipe hinc ſalis marini fuſi q. v. & commiſce cum ſubtripla parte hujus entis Veneris, fiet autem hoc commodius, ſi duo tigilla ad ignem apponantur, ut candefiant. Poſteà alterum recipe, & ens Veneris injice in tigillum iſtud candefactum, affunde ſtatim fuſum ſal maris & bene cooperi tigillum cum luto, permitte ſtare, donec refrixerint, & procede ulterius, prout in Helmontii Butlero videre licebit.

Hoc Drif non quidem attingit vires Butleriani lapidis, ſed uſus ejus tamen non eſt contemnendus, in doloribus ſtomachi, in nauſeâ & ſequentibus vomitibus. Sic etiam refert piè defunctus Patruus meus, D. A. *Crœſſelius S. R. M. Polon. & Svec. Archiater*, in ſuis obſervatonibus, ſe ipſum liberatum eſſe ab imminente hydrope ~~unius Obſervationibus, ſe ipſum liberatum eſſe ab imminente hydrope~~ unius tantum grani uſu diebus intermittentibus. Poſſunt, qui feliciori & copioſiori praxi utuntur, etiam hujus medicamenti vires ulterius explorare.

OBSERVATIO XCIII.

L. SIGISMUNDI GRASSII

DE

DEGENERATIONE ROSARUM.

PLantas multas degenerare, ſeu mutari in alias, easque viliores ſpecies aſſeveratur à Botanicis quorum tamen aſſertioni non ſemper reſpondet experientia. Ego recordor, mihi aliquando caulem floridum, (caul fior, Blumenkohl) per hiemem in cellâ repoſitum, & vere, conveniente tempore, telluri rurſùs immatriculatum, produxiſſe ſemen maturum, è quo plantulas quidem enutrivi, quæ tamen tranſpoſitæ produxére braſſicam non cauliflorам, quod etiam monuit *Laurемb. Horticult. c. 13.* ſed tantùm capitatam, eamque criſpam inſtar ſabaudæ, guſtusque tenerrimi.

Hactenus diverſis annis è locis diverſis mihi communicati ſunt roſarum, quas vocant *Batavicas* ſeu *centifolias*, frutices. Ex his ſperabam flores centifolios, ſed eventus è quibusdam, in ſingulis tranſplantationibus, exhibuit ſpeciem Roſarum viliorem dilutè rubeſcentium flore, ſemipleno, noſtrates à medio conſervante vocant *ſacharinas*, Zucker-Roſen: adeò ut per multos annos in hâc hæſerim hæreſi, me dono hoc, licet ab hortulanis pecuniâ redimendo, fuiſſe deceptum. Frutices quatuor per quadriennium excrevére luxurioſisſimè, quia in agro ruderato, roſis, juxta *Bauhin. Hiſt. Pl. l. 14. p. 32.* convenientisſimo, ſed ſine flore. Horticulturæ periti locum accuſarunt nimis umbroſum. Hoc Julio quinto ramus unus exhibuit roſas binas, easque non centifolias, ſed ſpeciei vulgatæ viliores, ſacharinas. Hæ mihi confirmare videbantur hortulanorum fraudes.

Paucis abhinc diebus errorem hunc ſuſpectæ fraudis excutere videbatur roſarium meum. Fruticem alui per decennium, in hortulo ædibus

dibus meis vicino, qui quotannis produxit centifolias elegantiſſimas, etiam hoc ipſo anno. Ex hoc frutice trunci uniús rámulus alter produxit & centifolias & tandem aliquantò ſerius ſimul aliam vulgò ſacharinam dictam, colore & multitudine foliorum etiamque odore à centifoliis penitùs diſſentientem. Color non erat ita roſeus, ut in centifoliis, ſed multò dilutior, qualis ferè florum Perſicorum. Foliorum numerus ferè quadruplo minor, ut antheræ globus nequaquam occultaretur, odor multùm ignavior.

Quænam hujus depravationis cauſa? Num *mora tàm diuturna in eodem loco?* Transplantationem enim roſarum ad conciliandam præſtantiam ex Theophraſto laudat *Bauhinus H.Pl.l.14.p.32.* An *fruticis ſenectus?* Vita enim roſæ non uſtæ, nec reciſæ quinqennium: & flores roſæ ſeneſcentis deteriores. *Bauhin.l. d.* An *temporis roſiferi conditio?* Serotina quippe fuit, quam degeneraſſe dixi, flores autem omnes, quò ſeriores, eò ignobiliores, cum ob radios ſolares plantæ minus convenientes, tùm ob exhauſtas illius à partu prægreſſo vires. Teſtes ſunt tùm roſæ, tùm violæ autumnales, quæ vernam odoris præſtantiam non aſſequuntur, rariùs etiam elegantiam. Violas flore pleno Martias habeo conſitas in loco umbroſo. Luxuriant ferè per totam æſtatem floſculorum rudimentis, ſed ad gratiam vernalem non adoleſcunt, adeò in contemtum florum ſerotinorum illud luſiſſe videtur *Horatius:*

Mitte ſectari, roſa quo locorum
ſera moretur.

An tandem *neglecta ſarritio & runcatio?* Graminoſum enim & herboſum agrum oderunt centifoliæ, vigorem ita nativum exuentes: Soli autem ſolitudine delectantur. Haſce cauſas, ſi concurrant ad degenerationem inducendam, eſſe puto ſat prægnantes. Ego ſaltem ex hoc roſæ vitio ſuſpicor, totum fruticem in transplantatione, ſolo & ſole non conveniente, poſſe degenerare, quod mihi contigiſſe dolui, & ex centifoliis fieri paucifolias & ſacharinas.

OBSERVATIO XCIV.

L. SIGISMUNDI GRASSII

DE

ROSA PROLIFERA

&

LILIO ALBO BULBIFERO

DUm roſis immoror, roſarum gratia monet non prodere duntaxat degenerationis vitium, ſed & earum luxuriam, hanc tamen ſine vitio, ideoque & ſine convitio.

Roſarum purpurearum ſpecies eſt, quas horticultores vocant *Gallicas*, Frantzöſiſche Roſen. Acanthon *rubellam plenam* videtur appellaſſe, *Bauhinus l. c. p. 29. & 35.* Fruticis ramulos armant ſpinulæ rariſſimæ, ut partim ſint glabri, partim potiùs hiſpidi, quàm aculeati. Ex his una vel altera mihi nata eſt *prolifera*, ita ut ex medio antheræ croceo propullulaverit cauliculus viridis cum calyce roſeo barbato: aliquàndo etiam cauliculus tantùm folioſus ſine calyce, ſeu ſurculus ad longitudinem digiti foliolis exiguis viridibus ſatis denſè ſtipatus. Prolificationis hujus formam exhibet *Tabulæ figura II.* & innuere videtur celeberrimus *Elsholtius horticulturæ ſuæ l. 4. c. 8. n. 28.* in deſcriptione *roſæ rubræ ſeu puniceæ:* An dieſer Arth Roſenſträuchen erzeigen ſich öfters/als an andern/Blumenzweiglein / welches iſt ein Spiel oder Irrthum der Natur/ da eine Roſe nicht an ihrem Stiel hanget / ſondern umb ein Zweiglein gewachſen iſt. Calyx ille roſeam quidem ex alabaſtris oſtendit purpuram, ſed propter roſæ matris ætatem brevem, & ferè ephemeram foliola prolis non ſatis explicantem, (quod monſtrat *tabulæ figura I.*) cum matre ſimul marceſcere conſvevit. Ob floris tamen rudimentum maximè conſpicuum proliferam jure dicendam eſſe cenſeo.

Veruntamen non hæc tantùm Roſa ſuperbit hoc luxu, quamvis forſan frequentiùs. In *ſacharinâ paucitlorâ* ſimillimam prolificationis fœcunditatem anno 1672. monſtravit ex hortulo ſuo fautor & amicus quidam, ut eruditione omnivariâ æſtimabilis, ita rerum hortenſium cultor curioſiſſimus. Eandem in *centifoliâ Batavicâ* prolificationem exhibuit annus hujus ſeculi ſeptuageſimus tertius; Calycem nimirùm, qualem deſcripſi, roſeum è centro centifoliæ natum in Roſeto Petriſylvano vidit, & teſtis oculatus recenſuit illuſtriſſimæ aulæ Gelhornianæ

Præ-

Ad Observ. XCIV.



Fig. I.

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY

Fig. II.



BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY

NATURAL HISTORY.


Ad Obſ. XCIV. fig.3.
Hierbey iſt zu ſehen wie die Natur
auch in der CENTIFOLIEN Roſen
geſpielet und dieſelbe geartet.
Obſerviret in Herren Chriſtoff Richters
Hauſgarten zu Altenburg in Meiſsen
in Monat Iulio.
ãto. 1657.

Præfectus, Illuſtr. Baro de Logavv. Propaginem autem folioſam digitum longam ex eâdem enatam ipſe reperi in horto amici ſuburbano. Calycem tandem hujusmodi roſeum floris nondum explicati, ex *albâ roſâ* luxuriantem in hortulo ſuo ſe decerpſiſſe gloriatur chirurgorum noſtratium quidam primarius.

In locis nimium apricis & cœlo ſicco prolificatio ejusmodi non eſt ſperanda. Luxuriam in multis plantis pariunt ſolum lætum, locus aliquantum umbroſus, & tempus pluvioſum. Hæ conditiones produxerunt mihi ante paucos annos *caulem lilii albi bulbiferum*. Floribus enim reſectis herbæ densè ſuccreſcentes in loco aliàs medium diem umbroſo, caulibus reſiduis defenderunt radios ſolares. Tandem ex iis caulis, ſed unicus tantùm, in ſingulis foliorum alis oſtendit bulbulos, quorum nonnulli piſi majuſculi quantitatem æquabant, quidam excedebant. Terræ commiſſi produxerunt liliorum foliola eo modo, quo ſolent bulborum ſegmenta: hinc tandem è bulbulis ad juſtam magnitudinem adoleſcentibus ſine dubio ſpes florum. Lilium cruentum bulbiferum vulgatæ eſt notitiæ: Albi autem & odoratiſſimi illius bulbiferi mentionem unquam factam eſſe non recordor.

[*Elegantiſſimo, experientiſſimi* Dn. Graſſii, *in Ephemerides translato roſeto, ut illam quoq; florentiſſimæ iconem roſæ, quæ viginti quaſi abhinc annis, Altenburgi in horto Richteriano provenit, inſeramus, operæ pretium videtur, quippe quæ triplici flore perfecto (licet non ejusdem magnitudinis ac plenitudinis,) rariſſimo ſanè amœnitatis exemplo, ſpectabilis fuit. Ipſam cum paucis diebus interituram ſciret* Dn. Richter/ *ne gratia memoria cum floris folio cadiva foret, ſculptoris artificio eam in ære conſervari curavit. Iconis vero prototypum* Dn. D. Wedelio, *Prof. Jenenſi, Fautori & Collegæ honoranter amando, acceptum referunt Collectores Ephemeridum.*] Vid. J. D. Majoris Unvorgreiffl. Bedencken von Kunst- und Naturalien Kammern, in dem anfang.

OBSERVATIO XCV.

L. SIGISMUNDI GRASSII

DE

CERASO PLENIFLORA PROLIFERA.

ANni ſeculi hujus ſeptuageſimi tertii, Majô ferè finiente, cum ceraſus pleniflora jam deflorere inciperet, flores quosdam vegetiores

getiores conquirebam decerpendos & amico roſæ albæ locô monſtrandos. Inveni multos, qui è medio novos floſculos è ſuis alabaſtris viridibus lætè prognatos, & matre foliosâ multò eminentiores, modò unum, modò plures, densô foliorum ſtipatu unum quaſi florem mentientes exhibebant, cum tamen è pluribus alabaſtrorum viridium coronis, intuenti penitiùs, totidem floſculorum oſtenderent progeniem. Ceraſus hæc, eo quòd omnis fœcunditas abſumatur in flores, aut nullos producit fructûs, aut certè rariſſimos, ut oculos ita ſaturet magis, quàm palatum. Aliæ autem pleniflora, in quibus luxuriam hanc prolificantem nondum obſervavi, fructibus abundant ſatis frequentibus, è quibus non rarò gemelli uni inſident pediculo. Ejusmodi luxum monſtraret natura forſan in floribus pluribus; ſi oculis examinarentur curioſoribus.

Ceraſus interim hanc meretur pagellam, quod ſub hâc floſculorum congerie memorabili nullibi deſcripta inveniatur.

OBSERVATIO XCVI.
L. SIGISMUNDI GRASSII
DE
FRIGIDA VOMITUS ET DIARRHOEÆ MEDELA.

IN multis morbis à bile oriundis convenire frigidam tàm antiquorum, quàm recentiorum ſcripta teſtantur.

Illuſtriſſimus quidam Baro, natione Gallus, ſupremus vigiliarum Cæſarearum præfectus, aliquando in conventu illuſtri diſceſſum ſuũ irrigavit plus quàm liberaliter nimbo Bacchi ex Canariis oriundi. Comites ejus aulici, quos idem honor comitatus erat, domum redeuntes vomitionibus tentabantur. Ridebatur hoc ſymptoma tanquam ex crapulâ natum. Die abhinc tertio Illuſtriſſimus ipſe malo vexabatur conſimili, ſed multò acerbiùs & contumaciùs, cum & ætas grandior & ventriculus ignavior non tàm facilè tantum demulcere poſſent errorem.

Vocor ego placaturus ſtomachum irritatum. Conor hoc efficere variis confortantibus internis, & adſtringentibus externis. Omnia in caſſum: quicquid aſſumebat ſeu potulenti ſeu eſculenti, ex fermentatione tantas excitabat inflationes & anxietates, usque dum evomitio reduceret inducias ad brevem quietem.

Tentabam phlogoſin ex vini flammâ contractam extingvere julebis vitrio-

vitriolatis & emulſionibus, ſed fruſtrà. Turbationes & aſſumptorum exturbationes inſtabant pertinaciter. Conjiciebam tandem, vitriolata potiùs exaltare vitioſum ventriculi fermentum, nec emulſiones etiam ſatis exceſſum illius infringere poſſe, eò quod non tàm copiosè vel ſvadeantur à Medicis, vel ab ægris aſſumantur ſine faſtidio.

Proponebam ideò hauſtum frigidæ, fermentum non augentis, ſed diluendo debilitantis, liberaliſſimum. Arridebat Illuſtrisſimus conſilio, licet vili, tamen grato. Evacuabat vitrum unciarum XII. capax: Hoſpitem amiciſſimum avidè excepit ventriculus & pacatè ſuſtinuit, citra ſolitam hactenus fermentationem.

Miratus hanc pacem Illuſtriſſimus, potu frigidæ continuato totum hunc archei furentis impetum citò, tutò, jucundè compeſcuit.

Contraxit hoc menſe Julio anni *1672*. Vir Nobiliſſimus ex vino ſibi ingrato in conventu funebri liberalius hauſto, ſimile malum, ſed atrocius. Bilis ſincera excernebatur *ἄνω καὶ κάτω*, ſumma nauſea ab omnibus eſculentis inſtabat adeò, ut & mentio ſaltem panis ſeu carnis everteret ventriculum.

Vocabar tandem, cum ſingulari deſiderio julebi alicujus refrigerantis & ſitim ſedantis. Præſens aquam fontanam cum ſyrupo rubi idæi vitriolato correctam propinabam. Potus erat gratiſſimus, ſed tamen fermentationes ventriculum & inteſtina diſtenſione ventosâ vexantes non placabantur. Parabatur emulſio ex amygdalis dulcibus cum decocto C.C. raſuræ & rad. ſcorzoneræ. Placebat & hæc palato. Fermentationes tamen diſtenſione dolorificâ moleſtæ, & hinc vomitiones & dejectiones bilioſæ nequaquam ſopiebantur, etiamſi pro ventriculo roborando adhiberetur ſcutum ſtomachale. Quin anxietas inclinante die tantoperè urſit, ut appellandum eſſet ad laudatiſſimum laudanum, cujus grana duo in pilulis deglutita noctem donabant placatiſſimam. Redeunte diluculo vomitus meræ bilis ſequebatur, cum *εὐφορίᾳ* tamen.

Hauriebatur hinc tantillum conſummati è capone, ut ſitim intolerabilem liceret potu ſolari: offerebatur paulò pòſt hauſtus unus & alter emulſionis. Poſt horam ferè rediit anxietas cum diſpnoëâ ſuffocationem minante, qualis nunquam atrocior. Metuebat nobiliſſimus æger tumorem ventriculi inflammatorium. Oppoſui dolorem hunc non eſſe perennem, ſed periodicum, ideoque cauſam hujuscemodi fixam & ſtabilem nequaquam eſſe formidandam. Eſſe potiùs tumo-

rem ventriculi flatulentum, qui ſummâ diſtenſione comprimeret diaphragma liberum reſpirationis inſtrumentum. Urgente ſymptomate applicati ſunt ad diſcutiendos flatus ſacculi ex flor. chamæmeli vino decocti cum querelarum decremento.

Interim aquæ ſimplicis hauſtum optavit Dn. æger, facilè conſenſiſſem, æſtimans ætatis florem & affectum bilioſum. Sed cum adſtantes hoc quid inſolitum & ventriculo inſveto funeſtum reformidare ſoleant, utrique parti ſatisfacturus, aquam quidem naturalem ſvaſi, ſed medicatam, acidulas nimirùm Egranas importari Vratislaviam, unde certo pretio poſſint redimi lagenæ. Arriſit hoc conſilium nobiliſſimo, præſertim cum antehac biberit acidulas. Mittebatur extemplò tabellarius, ſed ob diſtantiam loci tertio demum die reverſurus. Interim ut moræ hujus tædium ſolarer, Acidulas laudavi Sileſiacas, quæ è fonte duobus milliaribus hinc diſtante vel eodem die poſſint transportari. Accerſuntur. Priusquam autem apportaretur hoc palati deſiderium, revertamur ad Dn. ægri grabatum. Ille, ſymptomate matutino ſopito, per diem aliquantò pacatiùs vixit poſt dejectiones nonnullas bilioſas & flatulentas, quibus doloris diſtenſivi & ſuffocativi querela minuebatur, ſine vomitu hactenus conſveto, non vero ſine nauſeâ. Sed ſub veſperam, multò tardius, quàm pridiè fermentationes abdominis iterùm adoriebantur, quæ ob metum inquietiſſimæ noctis extorquebant doſin pilularum è laudano heſternam, victimam nimirùm, quâ tàm feliciter heri placata erat archei furia. Appellentibus hinc acidulis vicinis, appetitui mox ſatisfecit hauſtus ſummè proficuus. Illuceſcente die quærebatur maturè, num poſt ſumptum juſculum concederentur acidulæ. Annuebam. Viſitanti mihi laudabatur nox quietiſſima, acidularum guſtus tàm palato, quàm ventriculo gratiſſimus, & initium reconvaleſcentiæ lætiſſimum. Perſtitit ſpes hæc adeò, ut à meridie daret domuitionis licentiam. Octiduo transacto ſignificatur mihi valetudinis reparatio, niſi quod reſtaret humorum qualiscunque efferveſcentia & ſitis. Urgebam reſponſoriis acidularum continuationem, & ne formidetur à remedio aqueo noxa, transſcribebam ad nobiliſſimum eumque literatum, hiſtoriam ex *Amato Luſitano Cent. 2. curat. 46.* quâ refert, juvenem bilioſum, cum bilioſis dejectionibus vigente æſtate dyſenteriâ affligi cœpiſſet, cumque medicorum conſilio deſtitueretur, copioſiore aquâ frigidâ uſum, atque ſanitati reſtitutum eſſe.

Hac methodo ſed auſu, ſi nos judicemus, periculoſiore in febribus

bilioſis,

biliosis, diarrhœis, dyſenteriis alpium Helveticarum incolæ ſcribuntur bibere glaciem, Gletſcher / vocant idiomate vernaculo, quam perennando cryſtallinam induiſſe duritiem in ſolo natali nunquam ſolubilem, narrat *Eraſmus Franciſci* Geſchicht-Kunſt- und Sitten-Spiegel *l. 1. c. 28.* O dura meſſorum ilia! ventriculi noſtrates non tolerarent hujuscemodi delicias.

Haſce turbas vinum copioſiùs hauſtum excitabat aquarum inundatione ſedatas: δὶς καὶ τρὶς τὰ καλά: Etiam ex pharmaco violentiore eandem & periculoſiorem vidi tragœdiam. Evocabar ad Baronem illum illuſtriſſimum, quem ſcripſi ſuperiùs aquæ potu reſtitutum, affectui conſulturus alii. Sub auroram fabri ferrarii filius advolabat conſilium implorans extremis inteſtinorum doloribus, dejectionibus & vomitionibus, quibus parens excruciaretur. Pollicebar, ut arcis vicino, meam præſentiam, inquiſiturus cauſam, quæ reticebatur. Vir erat 40. circiter annorum, vix mente conſtans balbutiendo confitebatur errorem, ſe pridiè à circumforaneo coëmiſſe radices hellebori albi, Wendewurtzel vocabat, è quorum deguſtatione tàm atrociter excruciaretur: æſtuationem inprimis accuſabat interiora excoriantem & potûs omnimodam denegationem. Hanc, cum flammæ debeatur aqua, non improbare non potui, & inquiſivi, num ſerum lactis ſit in promptu. Hoc negato, aquam ſimplicem in urceo ſatis capaci offerre juſſi, cum juſſu, ut biberet, quantum poſſit. Conſilium hoc gratiſſimum ſimul & urceum ambabus amplectebatur manibus, & repletione ventriculi tàm liberali appetitum & ſitim & æſtum placabat è veſtigio, ut quaſi reviviſceret, & nullum præter hoc deſideraret auxilium.

OBSERVATIO XCVII.
L. SIGISMUNDI GRASSII
DE
ACIDULIS SWIDNICENSIBUS.

S*Widnicenſes* appellare placuit, quod in hoc diſtrictu ſcaturiant. Nomen etiam merentur ab oppido vicino *Waldenburgenſium*, vel etiam à pago viciniore Altwaſſer / *Veteraquenſium.* Mirabar Nobilis in Obſervatione prægreſſâ Generoſiſſimi ventriculum adeò placatum eſſe harum acidularum potu. Igitur harum viribus & ſapore invitatus conſtituebam propediem ipſum inviſere fontem. Proinde menſe Auguſto anni 1672. cum Dn. Jeniſio urbis Syndico & tùm Scabinorum

binorum Præſide, Dn. D. Hubrigio, & officinæ noſtratis Proviſore locum luſtravi. Invenimus fontem vix X. pedibus à molendino pagi diſtantem, & lignoſâ arboris excavatæ circumferentiâ incluſum. A meridie habebat colliculum graminoſum & ſparſim carbone foſſili nigricantem: à ſeptentrione rivum vix ulnis duabus à ſcaturigine prætérlabentem. Aquæ color erat lacteſcens, ſapor gratiſſimus. Hanc exhauriri juſſimus cum ſedimenti impuritatibus usque ad fundum arenoſum, ut aquæ recenter ſcaturientis color & ſapor exploraretur. E radice colliculi duplex videbatur effluxus, ſpithamâ ab invicem diſtans, & unus à latere rivuli, hinc ſuſpicio, ſcaturigines è colle medicamentoſas, à poſteriore debilitari. Aquam intra ligneum alveum affluxu ſatis largo citò ſuccreſcentem iterùm guſtavimus. Guſtus erat jam multò medicamentoſior & penetrantior, color verò magis lacteſcens, qui tamen intra horæ ſpatium ad pelluciditatem qualemcunque revertebatur. Acidulæ Egranæ hauſtu primo è lagenis cryſtallinæ, ſtatuuntur albeſcere, ob evaporationem ſpirituum debilitatæ. Nonnè hic judicandum, noſtras ex ſcaturigine rivi vicini infirmatas hunc colorem induere? Interim dum hydrothecæ noſtræ replerentur, ad compotationem ſatis liberalem nos invicem invitavimus, ſed nulli noſtrûm ventriculo Neptunus hic licet hoſpes inſvetus intulit quicquam moleſtiæ.

Reduces ſalutavimus ἐν παρέργῳ fontis vicinum Dn. Caſp. Thymium, artis chymicæ & rerum naturalium peritiſſimum, ut ejus judicium audiremus. Laudavit acidulas haſce ſuper omnes, quas habet Sileſia, ſe itaque ipſum, licet ſenio gravem, quotannis illarum uſu frui: participes eſſe ſulphuris è carbone foſſili, præterea Martiales & vitriolatas: odoratiores ſapidiores adeoque efficaciores per lunæ incrementum, quàm decrementum, cœloque ſereno quàm nubiloſo & pluvioſo. Commendavit tandem ita, ut accuſaret illos temeritatis & ſuperſtitionis, qui tantis impenſis accerſant Egranas, quæ tamen ob viæ diſtantiam evaporatione virtutis ſpirituoſæ diuturnâ non poſſint non infirmari. Judicium hoc ego nec improbo, nec laudo. Acidulis autem Egranis in loco natali potis has noſtras præferre non auſim.

Ne tamen de acidulis his nihil dicam, conſului rationem & experientiam.

Experientiam hactenus multis experimentis illuſtrare nondum licuit: multis inquam, ne pauciora ſint periculoſa juxta *ſ*. Hippocr. pauca tamen hactenus fuère tuta & proficua.

Ratio

Ratio poſtulat contentorum explorare naturam. Quod ſpirituoſum eſt hic, idque ſine dubio morbis tartareis fixis convenientiſſimum, difficiliùs nobis indulgebit ars chymica, quàm natura. Contenta fixiora monſtrat evaporatio. Hâc usque ad cuticulam inſtitutâ colligebatur terra ochrea lac ♀ quodammodò æmulans in linguâ ſolubilis, calefaciens, evaporavit usque ad ſiccitatem, unde ſedimentum guſtu & colore exactiſſimè nitroſum.

[non nihil in fine dulceſcens, reliqua aquâ filtrum ...iens —]

Sulphur ex carbone foſſili vicino non negabitur, nec *nitrum*, quod guſtus tàm egregiè commendat.

Vitrioli ſuſpicionem præbuit mihi ſipho dolioli, quo aqua transportabatur, ex alni ligno tornatus, qui nigredinem ex aquæ contactu contraxerat. Vitrioli præſentiam in Egranis gallâ probat *Cl. Dn. D. Auguſt. de Bois Phyſicus Egranus*. Cum experimentum mihi placeret, tentavi & hic gallæ non contuſæ, ſed tantùm inciſæ, unicæ, commiſcui aquæ noſtræ uncias tres. Dictum factum color aquæ limpidus ~~ſtatim~~ verſus eſt in obſcurum violaceum, miratus hoc ſum tantò magis, quod aquam hanc per ſeptimanas decem (licet incorruptam) in vaſe vitreo detinuerim.

Acidulas haſce, ſi Deo placuerit, in poſterum commendatum ibimus experimentis, hæc interim referre placuit, ut aquam hanc mineralem nec Medici formident vicini, nec ægri, ſed potiùs effectum ejus ſaluberrimum in morbis explorent.

[*In litteris menſe Decemb. anno 1673. ad Collect. Ephemerid.*]

OBSERVATIO XCVIII.

D. JOHANNIS FERDINANDI HERTOD DE *COLLI ANEURISMATE.*

ILluſtriſſima quædam Dna temperamenti ſanguinei, ubi per integram hyemem anni præteriti graviſſimis paroxyſmis aſthmaticis cum tusſi continuâ affligeretur, remediis incidentibus, attenuantibus, expectorantibus à me ordinatis melius habuit; Subſequente verò æſtate, dum de capitis gravitate conquereretur, & comedendo ordinariè obdormiret, leviqué deambulatione difficillimè ſine tuſſi reſpiraret, atque in facie primò cœruleo, poſteà verò nigricante colore imbueretur, meum denuò implorat auxilium. Ego ſymptomata hæc unà cum ſuis cauſis intimiùs penetrando, inveni ex utrâque colli parte arteria-

rum carotidum ancuriſma nucis juglandis magnitudine, adeoque prædicta graviſſima ſymptomata inde cauſari audacter pronunciavi: dum enim ex tusſi prægreſſa interna arteriarum tunica rupta eſt, fieri haut aliter potuit, quàm ut ſanguis à cordis impetuoſo motu ſurſum ad cerebrum & faciem delatus alteram arteriarum tunicam dilataret, quæ dilatatæ cum plus veherent de ſanguine, quàm venæ recipere & revehere valerent, quid mirum ſi ſanguis in cerebro quodammodò ſtagnans gravitatem capitis, per compresſionem & quaſi ſuffocationem ſpirituum ſomnolentiam, in facie nigricantem colorem, & ob circulationem impeditam difficilem reſpirationem procreârit. Factâ itaque nullâ vel exiguâ ſpe reſtitutionis, curationem exorſus ſum à venæ ſectione tàm in brachiis, quàm pedibus evacuationis & revulſionis gratiâ: à quâ cum per paucum tempus melius quidem habuiſſet, recurrentibus tamen paulò pòſt iisdem ſymptomatibus cum *Paulo Barbette* laminas plumbeas ſuper aneuriſmata portandas ſvaſi, ut ſi non verum, ſaltem palliativum experiretur remedium: Nullum enim colli aneuriſma curatum ſe vidiſſe confirmat præcitatus *Barbette.*

OBSERVATIO XCIX.

D. JOHANNIS FERDINANDI HERTOD

DE

ICTERO SINGULARI.

CElſisſima Princeps 53. circiter annorum, ſymptomatibus ſcorbuticis frequentius correpta, dum curæ majali ſeſe ſubmitteret, & à me ordinata medicamenta continuè conducerent, ad aliquod tempus valuit pancraticè. Sed ubi domo abſens aliquo modo inordinatiùs viveret, rediens ſenſit inexplicabiles dolores ventriculi, tales quidem, ut præ nimiis anguſtiis ſeſe morituram diceret, ſuperveniente frigore intenſisſimo, ſubſequente pauco calore per modicum tempus durante, totum tamen corpus occupante, & ſingulis diebus ad noctem repetente. His adjungebatur icterus gravisſimus cum dolore dextri hypochondrii, ſine tamen ullâ inflatione aut alio tumore, comitante urinâ ruberrimâ, & excrementis argillaceis. Dum prædicta ſymptomata intimiùs conſideraſſem, à ſucco pancreatico acidiore hoſce dolores oriri dicebam, dum ſcilicet vapores auſteri ad ſuperius orificium aſſurgentes id ipſum rodunt & moleſtiâ afficiunt. Hinc itidem ſuccus auſterior ſtagnatione factus dum per venas lacteas, ductum.

ductumque thoracicum cor penetrat, cum ſanguine ad totum corpus delatus intenſum frigus excitat: quia vero in inteſtinis bile acriori non conjungitur, ſed inter circulandum ſanguini tantùm bilioſo obviat, ſic eundem modicè exagitando, modicum tantum calorem producit. Itaque principalis & primaria cauſa prædictorum ſymptomatum eſſe videtur denegatio ipſius bilis, à quâ pituitâ inteſtinalis aliàs abſtergitur, & ſuccus pancreaticus eliminatur. Quia verò bilis denegatur propter obſtructiones, medicamenta ordinata, quæ easdem reſerárent, ſed fruſtraneo cum effectu, adeò, ut grandinem veſicæ felleæ adeſſe nullus dubitarem.

Itaque vomitu præmiſſo ubi pulviſculum *A.* cum juſculo *B.* Celſisſima ſumeret, eundemque ſæpiùs repeteret ultra centum grandines flavas inſtar nucis avellanæ per ſeceſſum excrevit, & deſuper optimè habuit.

Jam quæritur, ubi iidem grandines latuerint? Ego credo minores in veſicâ felleâ, majores verò in inteſtinis pituitâ viſcidâ inſtar involucri obductos fuiſſe.

Pulvis A.

℞. ⊖ *prunellæ, cryſtall. præp. lapid. ceraunii præp. judaici* ãã ℈ß. *magiſter. dentis caſtoris* gr. vj. *aſell. præp.* gr. iiij. *ſpir.* ⊖ *coagulat.* gr. iiij. f. pulvis.

Juſculum B.

℞. *rad. urticæ, petroſel. aſparag. chelidon. filicis* ãã ℥ij. *fol. heder. terr. abſinth. pont. carduib. flor. centaur. min. geniſtæ* ãã pj. *ſem. aquileg. alkekeng. ſaxifrag.* ãã ʒj. *lign. nephrit.* ʒij. *agaric. troch.* ʒvj. *turpeth. opt.* ʒij. *rhabarb.* ℈ij. *epithym.* ʒij. ⊖ ☿*ri* ʒj. M. inciſ. & contuſ. in 2. chartas æquali doſi diſtinctas. ſ. ſpecies zu den Suppen.

[*Ad Collectores Eph. ann. 73. menſ. Decembr.*]

OBSERVATIO C.

D. GEORGII FRANCI

DE

SUDORE UNIUS TANTUM LATERIS.

PRudentisſimus J. J. Erhard XIII. vir Argentoratenſis per omnem vitam tantùm ſudabat in dextris corporis partibus: Egoque vidi in fronte & alibi dextrum latus ſudore madere, ſiniſtrum nunquam. Obibat piè paucos ante annos ſexagenarius hydrope.

OBSER-

OBSERVATIO CI.

D. GEORGII FRANCI

DE

STEATOMATE IN PYLORO.

URſam, quam Argentoratenſes pharmacopœi propter adipem coëmebant, duabusque ſphærulis ſclopetorum trajiciebant A. C. M. DC. LXVII. 7. Aug. ſtyl. vet. in horto Breslerianô diſſecui, in cujus pyloro ſteatoma pugni magnitudine deprehendebam, quod omnem ferè exitum alimentis denegabat, ſiquidem ventriculus aſſumtis erat turgidisſimus, nec inter 28. horas quidquam aſſumſerat. Veſtigia lactearum apparebant tenuia, inteſtina erant 20. ulnarum, longitudo verò ipſius animantis 3. cordis ſeptem foraminulentum, ſed non perforatum. Cauſam iſtius tumoris rejecit venditor circumforaneus in currum onuſtum, quem ex improviſo rotæ ſuccumbens urſa ſuſtulit, à quo ſe malè habuerat ſanguinem vomendo.

[*Vid. Barthol. Acta Med. Hafn. Vol. 1. Obſ. 155.*]

OBSERVATIO CII.

D. GEORGII FRANCI

DE

HERNIÆ TRANSPLANTATIONE.

DIe Viridium depromatur è nido ovum gallinaceum adhuc calidum, aperiatur & ſorbeatur ab hernioſo ità crudum, evacuatâq; teſtâ, urinâ hernioſi repleatur, ſuſpendaturque in camino; videbis eôdem herniam detumere modô, quô urina exſiccabitur in camino; ceu multoties expertus eſt mecum Cl. *D. Samuel Geidelin*, Medicus felicisſimus Argentoratenſis, amicus intimus.

OBSERVATIO CIII.

D. GEORGII FRANCI

DE

MIRA ABSTEMIA.

VIrgo quædam Seleſtadienſis jam à XVI. annis ferè abhorret adeò à vino, ut nec in medicamentis quidquam de tartaro poſſit aſſumere, neque ſal, nec cryſtallos, nec cremorem, nec ſpiritum, nec tincturam, ſique porrigatur vel inſciæ, ſudore anguſtiis ac lipothymiis corripitur. Olim tamen bibebat vinum. OBSER-

OBSERVATIO CIV.
D. GEORGII FRANCI
DE
SOMNIO MORBI NUNCIO.

UXor chariſſima jam à tribus annis dolore vexatur hypochondriacô cum ſuetis ſymptomatibus; quæ noctu ferè eam affligunt. Antea verò per ſomnum quaſi ſentit venturum malum: quare ſomnia habet ut plurimùm hujus vel alterius morbi obrepentis, interdum periculi in aquis, nonnunquam aliarum rerum triſtium. Expergefacta ſtatim, vel paulò poſt ſentit incumbere dolores iſtos. Quoties ergò noctu contingit, (contingit verò maximè) toties per ſomnium nunciatur. Alia ſomnia veridica poſſunt videri apud *Henr. ab Heer Obſ. 2. & Gaſſend. in vit. Peireſc. l. 2. p. m. 75.*

OBSERVATIO CV.
D. GEORGII FRANCI
DE
AMBUSTIONIS REMEDIO.

APud fabros ferrarios ex manubrio iſto ligneo in malleo (Hammer-Stiehl) ſi ferro candenti adhibeatur, ſcaturiet oleum, quô loca ambuſta feliciſsimè inunguntur, ceu nuper vidi in Nobiliſſ. à Greisla Juniore, cujus facies valdè pulvere pyriô comburebatur, qui tamen intra paucos reconvaluit dies. Aliique plures certam hujus mihi experientiam faciunt.

[*Ad Dn. D. Febrium Heidelbergâ Svvinfurtum menſe Januar. Ann. 1675.*]

OBSERVATIO CVI.
D. GEORGII SEBASTIANI JUNGII
DE
SUCCO CICUTÆ INNOXIE HAUSTO.

CIcutæ lethale ineſſe venenum, eandemque vi ſuâ refrigeratoria enecare, tradit *Dioſcor. l. 4. de mat. med. c. 74.* & quidem horrendis præviis ſymptomatibus, quæ idem recenſet *lib. 6. c. 11.* his verbis: *Cicuta pota vertiginem excitat, oculis caliginem affundit, ità ut nec minimum cernatur: ſingultûs ciet, mentem turbat, extremi artus*

 gelantur:

gelantur: deniq; convulſi, ſuppreſſò arteriæ ſpiritu, ſtrangulantur. Confirmat hæc Dioſcoridis verba ipſa rerum optima magiſtra experientia, totque graviſſimorum virorum indubitata teſtimonia, ex innumeris ſequentia nunc ſufficiant. *Simon Pauli* in ſua de febribus malignis πυρεκβόλῳ, triſtem refert cataſtrophen de tribus perſonis; Capitaneô nimirum quodam, ejusdem conjuge, & aliâ quadam fœminâ crambem, cui cicutæ folia admixta fuerant, & vix non unà mortem ſociam ex eadem ollâ comedentibus; cujus eſu Capitaneus mox periit luridâ ac horrendâ facie in terram proſtratus: ambæ verò fœminæ jamjam moribundæ adeò langvebant, ut palpebras non attollere, membra non flectere, linguâ tremulâ vix fari poſſent, cum pulſu adeò langvido, parvô & tardo, ut trium pulſuum quies inter unum & alterum ictum intercederet, ità ut jamjam ſpiritum efflâſſent, niſi ſacrâ alexipharmacorum anchorâ ſuffultæ fuiſſent. Sic quoque Franciſcus Trapollinus, (*Jonſtonô in Thaumat. c. 16.* teſte) cicutam petroſelini locô in juſculo ab ancilla appoſitô ſumens amens obiit. Pariter *Amatus Luſitanus centur. 5. curat. med. 98.* mercatoris cujusdam filium undecim annorum extra urbem cicutæ ſummitates jejunô ſtomachô comedentem, & ad torridum ſolem illicò dormientem, poſt expergefactionem verò nec videntem, nec mente conſtantem brevi mortuum fuiſſe recenſet. Ità quoque ipſô cicutæ ſuccô ſummum Philoſophum Socratem ab Athenienſibus interemptum, *Plato* ſcribit. Immò narrat *Kircherus mund. ſubterr. lib. 9. ſect. 2. c. 2. f. 126.* audiviſſe ſe à nautis & piſcatoribus, nonnullos fuiſſe, qui aridis cicutæ ſtolonibus piſces infixos cum torruiſſent, quotquot ex iis poſteà comediſſent, variis ſymptomatum tormentis tandem extinctos fuiſſe. Licet verò cicuta aſſumta, aut ob exiguam ejus quantitatem [nam exiguum quiddam cicutæ ſumtum mortem homini nequaquam inferre ipſe aſſerit *Galenus l. 3. de ſimpl. med. facul. c. 18.* immò modicâ cicutæ ſorbitione Ægyptiorum ſacerdotes, referente *S. Hieronymô in Epiſtolâ*, ſe impunè caſtrabant] aut cum aliis vires ejusdem obtundentibus mixtionem: aut ob ſubitò antidotorum imploratam operam non omnibus exitialis extiterit, ſæviſſimis tamen ac periculoſiſſimis incautos miſeros excruciare ſolet ſymptomatibus. Ità legimus in *Matthiol. comment. in librum Dioſcor.* ſuprà citatum, cicutæ radices à ruſtico in vinea paſtinacæ locô effoſſas, domum delatas, coctasque ab eôdem & uxore in cœnâ comeſtas, tanta excitâſſe ſymptomata, ut mediâ nocte ambo expergefacti, omni penitùs amiſſâ ratione, huc

ne, huc atque illuc per domum in tenebris vagarentur, amentiâ & furore ducti, nec non caput, faciem & oculos in parietes percuterent, ut manè accurrentibus vicinis, partim percusſionibus tumidi, partim effuſô ſub cute ſanguine liventes horrendam ac monſtroſam oſtenderent faciem, quos tamen [ut & monachum Franciſcanum, qui pluribus menſibus modò amentiâ, modò furore agebatur, quòd cicutæ folia petroſelini hortenſis loco piſcium quorundam juſculis impoſita comediſſet] reſtituit *Matthiolus*. Sic quoque œnopolam Colbergenſem in prandio carnes bubulas, radicibus cicutæ locô petroſelini per ignorantiam conditas, comedentem tertiô tandem menſe à ſupervenientibus ſymptomatibus integrè liberavit *Timæus l.7.caſ.med.4.* Cicutæ paſtinacæ locô ſumtæ exemplum videatur in *Trago l.1.c.159.Hiſt.Stirp.* Item in *Ephemerid.Curioſarum anno 3tio obſerv.345.* ac *Schenckii obſ.med.l.7.obſ.133.* Admiratione dignum eſt, quod affirmat laudatus *Kircherus lib. & ſect.citat. c.4.* ſe in duobus ſuæ Societatis Patribus ſpectâſſe. Hi incuriâ coci radices cicutæ pro petroſelini radicibus coctas ex laboribus reduces, fame ſtimulante, magnâ aviditate comederant; quæ vix ſtomacho redditæ, cum ecce fumis jam aſcendentibus, mente obnubilati, omnibus ſeſe veſtibus ſpoliatos in vicinum vivarium præcipitârunt, à quo erepti antidotisque reſtaurati, à morte quidem redemti, ſed deinceps præoccupatis venenô nervis miſeram vitam ad triennium ſemiparalytici egerunt; rogati poſtmodùm, quid ſibi in ſua inſania imaginati eſſent, reſponderunt in anſeres ſeſe transformatos fuiſſe, putâſſe, atque eam ob cauſam intra aquas ſe more anſerum nataturos præcipitâſſe. Herbæ quoque huic potisſimùm adſcribendæ videntur choleræ ac diarrhœæ hìc Viennæ ab eſu acetariorum & herbarum recentium, & recens prodeuntium farragine [vulgò Kräutel-Salat/] conflatorum ſat frequentes: dum nimirum incauti collectores, rudes nimirum ac cœcæ anus eandem chærefolii locô, cui in juventute ſuâ foliorum ratione valdè ſimilis, cæteris admiſcent, non ſine maximo ſumentium damnô, vitæque periculô, cujus forſan non paucæ allegari poſſent hiſtoriæ. Unde verò cicuta deleteriam ſuam nanciſcatur vim, ex ejusdem natalibus facilè liquet: nam experientiâ conſtat, in iis locis, fosſisque, in quæ morticina & variorum animalium cadavera conjiciuntur, ut plurimùm cicutam, hyoſcyamum, & omnis generis venenoſas herbas naſci, quæ ut ex venenatæ qualitatis putredine arſenicali, mercurialique imbutâ naſcuntur; ità quoque conſimilis qualitatis herbas producunt. Nos [ſalvô

aliorum judicio] activitatem illius à ſulphure aliquo ſylveſtri ac narcoticô, quô copiosè cicutam abundare, non modò gravisſimus illius fœtor, verùm etiam triſtia inde oriunda ſymptomata abundè loquuntur, dependere cenſemus: à ſulphure enim narcotico ob ſanguinis, ſuccique nervoſi fixationem & coagulationem pulsûs tarditas, raritas, debilitas, facies livida, ſtrangulationes & ſuffocationes, amentia, aliaque ſuprà ex *Dioſcoride* recenſita ſymptomata, maximè verò ſomnolentia, ſopor, ac torpor, ita ut non tantùm ſtupidi ſed planè mortui videantur, ortum ducunt: obſesſis nimirum ac oppletis nimiùm à narcoticis hujusmodi particulis cerebri porulis ac meatibus, ejusdemque ſuccô nimiùm condenſatô, & quaſi congelatô. Ridiculum hujus rei exemplum recenſet *Matthiolus* de aſinis ex eſu cicutæ in ejusmodi ſoporem incidentibus, quos cum ruſtici hujus rei ignari mortuos crederent, pellemque ad uſum detraherent, accidit mirum, quòd in medio ferè operis aſini expergefacti ſint, non ſine magno excoriantium terrore, atque ingenti ſpectantium riſu. *Comm. ad cap. 47. lib. 4. Dioſcoridis.* His tamen omnibus non obſtantibus intimè nobis notus eſt vir quidam urbis noſtræ apprimè literatus, qui ad extingvendum calidioris hepatis [ut vulgò vocant] ſeu potius ſanguinis fervorem, ac inde enatam faciei rubedinem extirpandam, per octiduum omni mane ſucci cicutæ ℥iij. circiter cum ſaccharo delibavit, nullô aliô ſymptomate, niſi virium notabili debilitate, nec tamen faciei pallore, adeò deſiderato, ſubſequente. Mirandum ſanè, immò obſtupeſcendum eſt, nulla alia ex repetita hâc ſucci cicutæ ſumtione emerſiſſe incommoda, cum tot infauſtos aliorum ſuperiùs enarraverimus eventus: multò minùs verò ratio hujus divinari poſſe videtur. Multum quidem loco natali tribuendum eſſe novimus: maximam enim vim illi cicutæ ineſſe refert *Plinius*, quæ naſcitur in terra Parthorum, mox Laconicæ, Creticæ, Aſiaticæ: in Græcia verò Megaricæ, deinde Atticæ. Sic quoque tradit *Petrus Joann. Faber in Panch. l. 1. c. 43.* Cicutam & napellum, quæ verſus meridiem in montibus ſcilicet pyrenæis venenata ſunt; ſi transplantentur verſus loca ſeptentrionalia & valdè humida, omnem malignitatem deponere, immò comeſtibilia fieri, quod de napello in Britannia & in hortis civium Rheodenſium culto ſe obſervâſſe teſtatur Excell. *Martinus Bernhardi de Berniz. Miſcell. Acad. Nat. Curios. ann. 2. obſ. 42.* ubi quoque citat hiſtoriam napelli in Poloniâ innoxiè comeſti. Attamen cicutam in Italia, Germania, Dania, aliisque in locis gravisſima introduxiſſe mala ex hi-


ſtoriis

ſtoriis antè allatis conſtat. Veriſimile itaque videtur, potisſimam hujus cauſam in fermenti ſtomachici, ipſiusque ſanguinis diatheſin ac diſpoſitionẽ variam referendam eſſe, cujus quoque beneficiô puella illa Indica *Joann. Langii l. 1. Epiſt. 69.* & anus Athenienſis *Galeni l. 3. de ſimpl. med. fac. c. 18.* à momento cicutæ ſæpiùs aſſumto paulatim aſſuevére, ut integros ejusdem manipulos devorârent, ſic quoque

Profecit potô Mithridates ſæpè venenô,
Toxica ne poſſent ſæva nocere ſibi.

OBSERVATIO CVII.
D. GEORGII SEBASTIANI JUNGII
DE
LAPIDE CORVINO.

VArios non modò in hominibus, verùm etiam animalibus brutis, diverſisque eorundem partibus inventos fuiſſe lapides, innumeræ gravisſimorum Authorum teſtantur Obſervationes, quarum Catalogum recenſet Curioſisſimus p. m. *Sachſius Gam-*



AD OBS CVII

marologia ſua lib. 1. c. 14. Videri quoque poteſt Muſæi metallici *Ulyſſ. Aldrovand. l. 4. c. 58.* Item & *Ephemer. Curioſ. Germ.* rariores tamen in avibus inveniuntur. Sunt quidem aliqui, qui cum *Sexto* ætitem in ventre aquilæ inveniri dicunt, alii verò ex cerebro vel capite ejusdem illum eximi ajunt; ſed primos nimiùm errare, ſecundos ſummoperè fallere, ac falli tradit *Joh. Laurent. Bauſchius*, primus p. m. Curioſorum

 Colle-

Collegii fundator ac Præſes digniſſimus *de Ætite c.1.f. 14.* ultimumque hunc errorem inde natum autumat, quòd *Kiranides l.4.n.1.p.141.* quem etiam allegat *Geſnerus hiſt.anim. l.4.* è capite aquilæ piſcis lapidem eximi ſcribat, quod tamen itidem fabuloſum eſſe aſſerit *Jonſtonus hiſt. natur. de piſcibus l.1.tit.1.c.3.artic.3.puncto 3.*

Referunt alii eſſe quandam ſpeciem mergi Indici, in cujus ventriculo lapis permagno æſtimatus ab Indis reperitur, ideoque hunc tanquam gemmam ſuis idolis offerunt. *Vid. Muſæum metall. Aldrovand. f.788.* Nos hic lapidem ſiſtimus in ventriculo Corvi ab Illuſtriſſimo Barone Francis. Ignatio de Kirchperg &c. propriis manibus ſclopetô trajecti & exenterati repertum, quem huc usque Bibliothecæ noſtræ aſſervandum concredidit Illuſtriſſimus Dn. Baro. Figura lapidis hujus ovalis eſt; magnitudo, quam ſchema monſtrat: color ferrugineus: pondus ℥ß. ℈ij. ſapor nullus: durities ſilicis; & lapidi lydio affrictus mineram quandam quaſi Martialem prodit. An lapis hic in Corvi ventriculô generatus fuerit, affirmare ob prægnantes rationes non audemus: Credibile potiùs eſt, eundem fuiſſe à Corvo deglutitum, quem forſan ex minera quadam acceperat, unde dein temporis diuturnitate ab acido ventriculi fermento, ac bile ſuccóve pancreatico in ventriculum forte ad morticinorum fermentationem regurgitantibus, ita lævigatus, politus, hôcve colore imprægnatus fuerat. Plebeji aliàs lapides in corvorum ventriculis repertos ad epilepſiam prodeſſe ſuſpenſos credunt. Deſcribitur lapis Corvinus à *Ludovico Dulci*, ac in capite corvi piſcis cum ſocio reperiri colore albo, obſcuro; formâ ovali, ab una parte concavâ, ab alterâ convexa, in cujus medio tuberculum ſit, ac è piſce excavari creſcente luna, Majo menſe, dum adhuc palpitat. Dolores inteſtinorum depellere, ſi carnem attingat, traditur. Corvinum lapidem alium deſcribit idem *Ludovicus* colore flavô, ſed qui non niſi hâc induſtriâ haberi poſſit. Primâ Aprilis corvi ova coquantur ad duritiem, refrigerata nido imponantur, ita corvus ovorũ jacturam percipiens hunc lapidem quærit, quô inventô, nidoq; impoſitô ova in priſtinum ſtatum reſtituuntur, prolesque inde ſuſcitantur. Verùm lapis citò auferendus eſt, ut geſtatus divitias augeat, honores conciliet, ac futurorum eventum prædicere faciet. Sed vana hæc ſunt, ac pura putaque mendacia teſte *Anſelmô Boetiô de Boodt. de gemmar. & lapid. hiſtor.* Eſt quoque lapis in India Cacaotetl ſeu corvinus dictus ex Hiſtoria Braſiliana, qui calefactus tonitru edit, referente *Borello obſ.38. cent. 2.*

[*Ad Collect. Ephem. ann. 1674. menſe Januar.*]

OBSERVATIO CVIII.

Dn. ANDREÆ CNOEFFELII
DE
ALKAHEST HELMONTII ET PARACELSI.

Lector Benevole, offero tibi nomen *Alkaheſt* ſive velis Helmontii ſive Paracelſi, per me liberum eſto. Dico nomen: ſiquidem ex denominatione cognovi quid ſit Helmontii, & ex eo quid Paracelſus velit eſſe Alkaheſt. Num verò liquor *Alkaheſt Helmontii* ſit liquor Alkaheſt, quem deſcribit Paracelſus *lib. d. virib. membr. T. 1. c. 6. in fol. p. m. 320. (edit. Germ.)*; Et num *ignis gehennæ Paracelſi* ſit Alkaheſt Helmontii, tu ipſe B. L. ex allatis judica, ſiquidem Davum, non Oedipum agam. Quid autem ſibi velit Paracelſus vocabulô Alkaheſt, neminem vidi, qui potuit ex ejus libris genuinam enodare ſignificationem. Siquidem quantum ego memini nullô aliô in loco legi, niſi hoc in præallegato *de virib. membr.* Spiritum autem aliquem eſſe debere patet ex verbis: *ſed & liquor Alkaheſt magnæ virtutis eſt, confortandi hepar & conſervandi ab hydrope; ejus proceſſus eſt, ut poſt coagulationem reſolvas & coagules in formam transmutatam; ſicut proceſſus de coagulando & reſolvendo docet. Tunc enim, ſi ſuperat ſuum ſimile, medicina fit hepatis.* Huc usque Paracelſus. Helmontius deſcribit liquorem Alkaheſt ita: *quòd ſit liquor immortalis, immutabilis, aqua ſolvens & ſal circulatus, qui reducit omne corpus tangibile in liquorem ſui concreti.* Tr. Arcan. Parac. p. m. 481. in fol. Ultimaria autem verba, *qui reducit* &c. non invenio in Paracelſi lib. d. virib. memb. quod ea ſuo liquori ibidem adſcribat.

Verba hæc & deſcriptio Helmontiani Alkaheſt, obſcuriora fiunt ex *Tr. complex. figm. §. 6. p. m. 65. in fol.* in verbis: *quædam corpora in tria dividi recuſant, in ſalem adjunctô liquore Alkaheſt Paracelſi tandem fatiſcunt.* Et in Tr. Arb. Vit. p. m. 485. *cum parvi ponderis liquoris Alkaheſt, videbis Cetim in ſuccum lacteum migraſſe.* Tr. terra §. 15. 16. p. m. 35. *Arena ſive terra originalis ab igne artificiali* (qui eſt liquor Alkaheſt, ut infrà probabitur) *fit ſal.* Tr. d. Lithiaſ. l. 7. §. 23. p. m. 44. ℞. *ludi pulverati* ℔j. *ac tantundem liquoris Alkaheſt, deſtilla hunc inde, & primâ vice totus ludus mutatus erit in ſalem.* Tr. ign. Act. Reg. §. 11. p. m. 204. *A ſolo autem compari ſubter jugum trahitur atque permutatur.* Arc. Parac. p. 481. dicit: *Liquorem Alkaheſt coagulare Mercurium in fixum pulverem.* Modò dicta cùm deſcriptioni priori videantur contradicere, dubius hærere vel prudentis-

dentiſſimus poſſet, quid ſibi excellentiſſimus Helmontius cum ſuo Alkaheſt toties decantatô voluerit, quod rem tàm ſecretam adhuc obſcuriùs tractaverit. Num autem aliquam informationem ex libris ejus obtinere poterimus, patebit ex ſequentibus:

In tract. form. ort. §. 8, 9. p. m. 92. *Helmontius liquorem Alkaheſt vocat ignem Gehennæ Paracelſi* in verbis: *Quippe per ignem Gehennæ, qui eſt liquor Alkaheſt Paracelſi, ſciri poteſt, quantam alterutrius luminaris partem vegetabile poſſideat.*

In Tr. terr. §. 15. p. m. 35. *Cum igitur arena, ſive terra originalis, tàm arti quàm naturæ reſiſtat, nec queat ullis adminiculis (unicô duntaxat Gehennæ artificialis igne exceptô) naturæ vel artis recedere à primæva ſui conſtantia* &c.

Tr. pot. medic. §. 44. p. m. 296. *Liquor Alkaheſt mundat naturam virtute ſui ignis.* Item: *Mercurius præter igneam Gehennæ vim clarificat organa* &c.

Lib. d. febr. c. 16. §. 25. p. m. 105. *Igitur ſi ad iſtud ignis arcanum non pertingatis* &c.

Ut itaque pateat, quid ſit ignis Gehennæ, remitto lectorem ad ipſum fontem, & quidem Paracelſum tom. 1. Archid. lib. 7. de ſpecificis, ſub titulo Specificum Corroſivum p. m. 817. in fol. quô locô Specificum ſuum Corroſivum, ignem Gehennæ nominat, in verbis: *Etſi majori authoritate ignis nominari queat, quam medicamentum*; nam *corrodit catenas* &c. & paulò inferiùs: ℞. *prædicti ignis Gehennæ* &c. Helmontium autem per ſuum Alkaheſt Specificum hoc Corroſivum indigitare voluiſſe patebit ex verbis:

Helmontii.	Paracelſi.
1. *Tr. Act. Regim. p. m. 204. §. 11.* Liquor Alkaheſt omnia totius univerſi corpora tangibilia perfectè reducit in vitam eorundem primam.	1. *Loco citato:* Corroſivum Specificum metalla in nihilum reducit, ita quidem ut non ulterius in eis corpus priſtinū reperiatur, ſicut lignum igne conſumitur.
Et Complex. & miſt. elem. figm. p. m. 67. §. *27.* Novi aquam, cujus medio omnia vegetabilia in ſuccum deſtillabilem ſine ulla ſui fe-	*Et paulò inferiùs:* Nulla invenitur materia reſoluta in Specifico Corroſivo, quæ in priſtinum pondus & formam metallicam reduci

cum

cum in fundo reſidentiâ commutantur.

queat.

2. *Tr. d. Lith. c. 4. §. 6. & 7.* In aliis verò liquorum activitatibus corpus nunquam radicaliter ſe poteſt commiſcere liquori ſolventi, ideoque corroditur quidem, at non ſolvitur intimè.

2. *Loc. cit.* Quanquam in aquis fortibus tales etiam fiant corroſiones, attamen manent metalla in pondere & eſſentia indeſtructibili, & poſſunt reduci in priſtinum corpus.

3. *Tr. d. Lithias. c. 9. §. 27. p. m. 57.* Nemo autem medentum curavit unquam lepram, qui non fuerit potitus liquore Alkaheſt.

Et Pot. Medic. §. 43. p. m. 296. Liquor Alkaheſt mundat naturam virtute ſui ignis.

3. *Loc. cit.* Varia ulcera in corpore humano cum hoc corroſivo poſſunt ſanari, fiſtula, ſcrophulæ, cancer.

Et paulò inferius: ſicut etiam in lepra, morphea, ſerpigine & lentigine procedit.

4. *Pot. Med. §. 24. p. m. 292.* Summus autem ſalium eſt, qui ultimam puritatis metam in naturâ attigit.

4. Paracelſi videatur proceſſus compoſitionis Corroſivi Specifici, qui ſequetur paulò inferiùs.

Ex quibus adductis & comparatis patet *Ignem Gehennæ eſſe Specificum Corroſivum Paracelſi.* Si itaque ignis Gehennæ Paracelſi, ſit liquor Alkaheſt Helmontii, prout ipſe locô ſuperiùs allegatô innuit, habebis B. L. variis intricatum meandris liquorem Alkaheſt Helmontii, indagandi patentem ſemitam. Specificum autem hoc Paracelſi Corroſivum non eſſe liquorem Alkaheſt, cujus meminit Paracelſus *l. 2. d. virib. membr. c. 6. p. m. 310. in fol.* ex hoc patere, ſalvô meliori doctiorum judiciô, modeſtè opinor; quia Paracelſus Corroſivô ſuo Specifico internè nunquam uſus eſt, neque ipſe Helmontius in omnibus ſuis tractatibus unicâ vice mentionẽ facit uſûs interni, niſi quod externè commendat in lepra: itẽ, quod ludi oleo conficiendo & ſolutionibus faciendis. Multò potiùs patet ex Paracelſi locô citatô p. 817. quòd tantùm propter externam applicationem inter medicamenta relatum ſit; In verbis: *Hâc de causâ inter medicamenta referimus, quod multa ulcera externa cum eo ſanari poſſint.*

Itaque neceſſariò diſtinguendum inter Alchaheſt Raymundi Lullii,

ab Helmontio allegati,& inter Alchaheſt medicinale Paracelſi,& inter Corroſivum Specificum Paracelſi & Alchaheſt Helmontii.

Jam tantum liquorem Alchaheſt, qui eſt Ignis Gehennæ artificialis Paracelſi, ut loquar cum Helmontio, deſcribam,de reliquis, pauciſſimis diſcurſivè quid ego ſentiam, agam.

IGNIS GEHENNÆ

Deſcriptio & compoſitionis modus.

EST autem ejus compoſitio ex ipſo Paracelſi fonte deſumta talis, quæ ſequitur: *Recipe aquæ fortis à capite mortuô rectificatæ* ℔j. *Mercurii ſublimati, ſalis ammoniaci* a. ℥ij. *miſce ut inter ſe conſumantur. Poſteà recipe aquam Mercurialem ad pondus omnium & reſerva pro uſu. Huic Corroſivo neque Adamas reſiſtere poteſt.* Huc usque Paracelſus. Qualis autem & ex quâ materiâ aqua Mercurialis componatur, quam hîc loci citat, non leve lectori poſſet exurgere dubium. Ut itaque etiam hæc Mercurialis aqua fiat manifeſta, & authoritas quâ liquorem Alkaheſt, ſalium ſummum Helmontius deprædicat, adeat Lector Theophraſti Paracelſi appendicem chirurgiæ magnæ in editione Argentoratenſi in folio anno 1605. typis & ſumtibus Lazari Zezneri p. m. p. 15. ſub titulo, Aqua Mercurii maximum arcanum. Ejus deſcriptio eſt talis: Verba quæ ſequuntur ſunt Paracelſi propria: *recipe Mercurii à ſale Tartari toties (ſublimati) donec non aſcendit, quod fit ſeptimâ vice, & pariter arſenicum ſublimatum, & pariter ſal ammoniacum ſublimatum*, a. ℔. j. *imbibantur cum oleo ſalis alcali Tartari ſæpiùs, pòſt diſſolve ſupra marmor in aquam:* hæc eſt aqua Mercurialis.

Qui plura vult, adeat autorem ipſum & perlegat ejus verba, & videbit verba ibi ſequentia concordare cum anteà citatis & allegatis. Hic habes IgnemGehennæ artificialem!

Num verò decantatisſimus hic liquor Alkaheſt præſtet, quæ Helmontius ei attribuit, Lectori probanda relinquo. Ego nunquam feci experimentum, neque potui mihi in animum inducere, Paracelſum, ut ſuprà dixi, Igne hoc voluiſſe aut propoſuiſſe hepar reſtaurare aut curare. Interim tamen cuique liberum relinquo judicium, neque hâc de re ullam litem movebo. Ego paucis probabo Paracelſum lib. de virib. membr. per ibi laudatum Alkaheſt intellexiſſe Specificum Purgativum, quod lib. 7. Archid. p. 815. 816. deſcribit, & ex ſalibus ſuam originem trahit. Verba Paracelſi in lib. d. virib. membr. ſunt ſequentia: *Liquor Alkaheſt magnam hepatis confortandi vim, adeoq; ab hydropiſi & ejus omnibus generibus,*

ribus, ab hepatis vitiis obortis præſervandi vim habet; & ſi hepar ruptum & diſſolutum eſſet, locô tamen totius hepatis eſt; lib 7. Archidox. de Specifico Purgativo, poſtquam recommendavit tartarum & vitriolum,& ex iis medicamenta docuerat, addit: *Fundabimus nos ſuper iis, quæ non particulariter unum aliquid, ſed generaliter omnia mala conſumant, ſive ſit materia peccans, ſive putredo &c.* Et paulò inferiùs; *ſed iſta duo principaliter in his omnibus putrefactionibus & ſuperfluis fecibus corporis undicunque conſumunt & purgant, ſicut aqua abluit pannum, & ſicut ſapo omnes linos clarificat, de non-curante impedimento cujuscunque naturæ, vel unde proveniat, ſed ſingulariter accipit in ſimile.* Huc usque verba ipſius Paracelſi. Pluribus detegit Paracelſus animum ſuum l. d. virib. membr. 2. c. 8. *quod Sutratar* (per metatheſin literarum Tartarus) *præſcriptô modô præparatus totum ſplenem abſumat* (ſuô ſenſu iſta debent intelligi) *nec aliquid relinquat ſplenis; quòd etiam conſumat id, quod ſplen debeat digerere.* Quò inclinare videtur Helmontius lib. d. Febr. c. 16. §. 25. p. m. 105. quando ſvadet, ſi ad iſtud ignis arcanum pertingi non poſſit, *ut diſcant ſalem Tartari volatilem reddere.* Et in Paſſiv. Schol. Decept. c. 1. §. 89. mirum, quantum ſal tartari, vel unicum, volatile factum, non præſtiterit, &c. Librô verò d. Lith. c. 8. §. 21. p. 48. aſſerit Helmontius, quod ſpiritus vitrioli ſecundum ſuam deſcriptionem paratus & rectificatus pergat in quartam digeſtionem.

Quomodò verò tartarus & vitriolum præparari debeant, ut Alkaheſt hepatis fiant, locô citatô invenies.

De *Lulliano Alkaheſt* meum non eſt tractare, cum ſciam plurimos chimiatros ejus eſſe opinionis, Lullium uti verum lapidis Philoſophici poſſeſſorem coagulum Mercurii perfeciſſe *auro ſuo Mercuriali*, quod non ſolum Mercurium coagulavit, ſed etiam in aurum ſimul transmutavit, quales hiſtorias etiam Helmontius ipſe enarrat tract. natura contr. neſcia. §. 40. p. m. 108. in demonſtr. Theſ. §. 58. p. m. 409. Tract. d. vita æternâ p. m. 452. Tract. Arb. Vit. p. m. 483.

Neque adducar, ut credam aurum cum iſto Alkaheſt Helmontii radicaliter poſſe ſolvi, & naturaliter, prout chimici libri ſvadent, cum eôdem iterum conjungi, ſicut aliàs facili negotio talis naturalis ſolutio procedit, ſi aurum in ſpiritu mineræ argenteæ rubeæ pellucidæ amicabiliter ſolvitur & deinde coagulatur, cujus rubra in fundo materia cum ſpiritu vini extracta, omnium membrorum præſtat confortativum

& reſtaurativum medicamentum: Sic etiam aurum in ſpiritu mineræ argenteæ immaturæ, vulgò ungediegen Glaß-Ertzt / ita reſolvitur, ut cum eo intimè jucundiſſimo ſpectaculo uniatur; quod etiam in cupro, ſi naturalis ejus ſpiritus non ſufficit, cum ſpiritu lapidis calaminaris ex parte procedit. Hæ autem ſolutiones omnes etſi ſint naturales, tamen ſunt particulares. Num vero Helmontii Alkaheſt univerſaliter idem præſtabit, tu Benevole Lector, ipſe da operam inquirendi, & fac experimentum.

Et ſic paucis, debitâ cum obſervantia ſuperiorum & doctiſſimorum virorum, volui, quantum potui, exponere liquorem Alkaheſt Helmontii, utrum & in quantum eſt Ignis Gehennæ Paracelſi. Præſentibus autem expreſsè me declaro, quod nunquam fuerim ejus intentionis in hoc ſecreto arrogare mihi quandam ſcientiam, ſed ut potius tironibus medicinæ aliquam præbeam occaſionem curioſiùs in Paracelſi & Helmontii opera inquirendi, majoraque arcana inde enucleandi, quoque magis ~~ipſos~~ in hac arte me & ~~eos~~ ulteriùs informent, ſicque tandem, ſi unus alteri ſuppetias feret, aliquis hujus medicinæ expectatus ſucceſſus ſequatur.

+ſemetipſos|

OBSERVATIO CIX.

DN. ANDREÆ CNOEFFELII

DE

AROPH PARACELSI.

Hujus Aroph meminit Paracelſ. lib. 2. d. virib. membr. c. 10. in verbis: *Materia peccans renum aufertur per Aroph, quod per deſtillationem ex pane in liquorem reducitur.* Helmont. tract. ſupplementorum Paradoxo numero critico §. 53. p. m. 429. Hoc Aroph valdè commendat in verbis: *Porrò ad pacem illam optatam in renibus capeſſendam feliciter hactenùs uſi & potiti ſumus medicamento, Aroph à Paracelſo lib. d. virib. membr. deſcriptô.* In hoc autem loco noluit ſe explicare, quid ſub Aroph intelligi velit. Libro verô d. Lith. c. 7. §. 14. Helmontius Aroph declarat, quaſi eſſet Aroma, & quidem renum, in verbis: *Quoad ablationem, inclinationis ergò, inprimis medicamentum Aroph Paracelſi, quod ſonat Aroma Philoſophorum (propter auream tincturam) præparatum ſub fimo, cum mixturâ panis ſecalini, ac poſtmodùm S V. extractum, curat inclinationem veterem ad calculum renum.* Materiam, ex qua præparetur Aroph, Paracelſus locô citatô panem; Helmontius, panem

panem ſecalinum cum S. V. extractum deſignant. Præparationem Helmontius dictô in loco, uti chymicus chymico exhibet, Paracelſus verò obſcurior: Videtur tamen ſe explicare l. 4. Archidox. de Quinta Eſſ. p. m. 802. l. A. ſub titul: Quinta Eſſentia comeſtibilium. Et l. 6. d. Magiſter. p. m. 812. L. A. B. C. 813. L. A. Proceſſus autem ex ambobus locis collectus erit talis, qui ſequitur: ℞. *Panis ſecalini optimi (vel ſi mavis tritici optimi) q. s. affunde S. V. ad eminentiam trium digitorum, ſtet in digeſtione per aliquot dies, usq; benè ſaturetur Spiritus Vini, & colore aureo & flavô tingatur, effunde, & affunde novum S. V. & procede usq; ad omnimodam tincturæ extractionem, poſteà omne quod extractum, infunde in phialam & appoſito Alembico detrahe ſuperfluitatem S. V. remanebit in fundo liquor craſſiuſculus, Quinta Eſſentia, coloris aurei & boni odoris, verum Aroph:* Hujus ℥j. in vehiculo appropriato exhibetur mane.

Notandum verò, quod Helmontius tempus propinationis medicamenti hujus, non ſine gravi ratione commendet Tract. d. Lithiaſ. c. 7. §. 29. in verbis: *Remedia autem adverſus Duelech potentur jejunô ſtomachô, absque heſternâ cœnâ:* quod etiam ego adhortandum eſſe duxi. Poſſum enim ſanctè affirmare, quoties ſtrictè monito huic non paruit patiens, toties fruſtrà propinatum hoc medicamentum fuiſſe deprehendi. Debet autem huic præſcriptæ curæ & diætæ ad minimum duabus ſeptimanis morem gerere, niſi ſpe curationis velit patiens fruſtrari.

OBSERVATIO CX.

Dn. ANDREÆ CNOEFFELII

DE

SEMINIS DAUCI USU IN LITHIASI.

AROph adjungendum cenſeo ſemen Dauci ex commendatione Helmontii, quia præſervatorium à Lithiaſi laudatur. Meminit hujus ſeminis Helmontius Tract. d. Lithiaſ. c. 1. §. 19. p. 14. in verbis: *Quatenùs odor ſeminis Dauci odorem ſaxatilem domat, & comprimit.* c. 7. §. 14. *Conſiliarius cum per quindenas ſingulas miſerè ſoleret decumbere, uſus deinceps cerevisiâ, cui Dauci ſemen incoctum eſt, liber à Lithiaſi vixit modò per aliquot annos* c. 8. d. Lith. §. 23. p. m. 48. *Daucus præſervat quidem ſub continuâ ac ſtrictâ obligatione, prout Aroph confortat renes:* quale autem ſemen Dauci requiratur, ipſe Helmontius l. c. explicat ſequentibus. *Cæterum, jam antè tradidi modum præſervandi à Lithiaſi per Aroph, itemq; per cereviſiam cum ſemine Dauci vel flavæ paſtinacæ ſylveſtris, coctam.* Ut itaque unum alteri ſubveniat, poteſt Practi-

cus ipſe perlegere loca citata & pro requiſitione morbi, facultate patientis, & circumſtantia temporis, quomodo ægro ſubveniendum ſit, cum judicio diſponere.

OBSERVATIO CXI.
DN. ANDREÆ CNOEFFELII
DE
OLEO LUDI HELMONTII ET PARACELSI.

BEnevole Lector, dum olei Ludi præparationem deſcribere ſatago, ea quæ ex Helmontii & Paracelſi libris patent, proferam. Hâc enim ſolâ intentione hoc ſcribendi munus in me ſuſcepi; ut tandem cooperantibus aliis, quæ ad hunc usque diem confuſa, partim verò obſcura & abſcondita latent pretioſa ſecretioraque luci exponantur, medicamenta. Inter quæ etiam oleum ludi meritò connumerandum eſſe cenſent Medici inſigniores. Quid autem ſit Ludus, & quid ſub nomine Ludi ab Helmontio & Paracelſo intelligatur, non æquè patet. Helmontius l. d. Lith. c. 3. §. 28. p. m. 21. Ludum ita deſcribit: *Neque Ludus Paracelſi parat lixivium, ſed ſal ex acido amarum, quapropter ſuum Ludum fel terræ vocat; eſt enim lapis ſiliceus, tenerior tamen, & qui ferè totus per diuturnum bidui ignem avolat.* c. 6. §. 22. p. 41. *Porrò ad veram generati Duelech reſolutionē liquationemq́; primatum obtinet Ludus Paracelſi ſic dictus, non quod ſilex ſit & pueri cum illo ludant, ſed quia Ludus ſemper tali teſſeræ, aut cubi formâ eruitur, cujus præparationis hæc eſt deſcriptio apud authorem Paracelſum: Ludus optimè confuſus, calcinatus & usque in olei formam bullitus, quod unicô ferè verbô vocat fel terræ & Altholizoi correctum:* Confer. Parac. lib. d. morbis ♀reis Germ. c. 20. p. 314. & Tractat. 2. de morbis ex ♀r. c. 1. p. m. 485. Et paulò inferiùs: §. 22. *Ludus eſt lapis palleſcens, ſubinde cruſta perſpicua per commiſſuras obductus, magnâ ſui parte in clibano figulino volatilis.* Locum generationis indicat Helmontius l. c. §. 22. in verbis: *Reperi autem illum ad ripam Scaldis propè Antwerpiam, ubi lateres coquuntur.* Hæc eſt ſententia Helmontii.

Paracelſus, quid per Ludum intelligat, mentem non ſatis ſuis in libris expreſſit.

Quidam volunt ac ſi per Ludum intellexiſſet calculum humanum. Hoc verò in ſuis libris nondum mihi invenire licuit. Tract. 2. Germ. p. m. 484. de ♀ro, Ludi effectûs mentionem facit in verbis: *Ludus omnes lapides*

lapides pellit ex tartaro. Sed neque ſe declarat, neque manifeſtè patet ex lib. d. morb. tartareis: c. 20. p. 314. Ludum eſſe fel terræ, certum quidem eſt, Paracelſum nunquam ſciviſſe lapidem Antvverpianum; ſed ſi conjectandi locus daretur, poſſet demonſtrari Paracelſum, ſi lapidem veſicæ noluiſſet per Ludum intelligere, ſe Saxifragium eô titulo donaſſe. Probatur hoc lib. 1. de Præparat. de Saxifragio p. m. in fol. 867. in verbis: *Saxifragus eſt propriè,* die bleichen Cryſtallen / heiſſet *lapis citrinolus* oder *Citrin.* Citrinus lapis eſt medius inter cryſtallum & berillum flavum. Fiat liquor in modum Alkali, quod repetit lib. 2. d. ♀ro Latinè conſcriptô Tractat. 3. c. 5. p.m. 443. de lapidis veſicæ curatione ſub tit: ſaxifragium in cura lapilli ex gemmâ reſolutâ, in verbis: ℞. *citrini, (citrinus lapis medius eſt inter cryſtallum & berillum flavum.)* Item tractat. d. morb. ♀r. Germ. c. 21. commendat liquorem duræ glaciei i. e. cryſtalli, ſicut ſeipſum explicat in Chirurgiâ magnâ, fragment. d. morb. Gall. Apoſtem. p. m. 658.

Quicquid ſit, per me ſtet, quem velit quisquam: *Hoc expreſſè affirmo, me è ſilice nigro, quô ad excutiendum utimur ignem, æquè obtinuiſſe oleum, quod nunquam medentis intentionem fefellit.* Itaq; ponamus pro ſubjecto, vel lapidem Ludi Antvverpianum, vel cryſtallum, vel ſilicem nigrum, aliàs Pyritem, aut tandem lapidem lyncis, cujus magna copia in littore fluvii Nogathi, penes Mariæburgum colligi poteſt. Præparatio hujus ludi iterùm multas parit difficultates. Priùs hic bonâ cum veniâ Lectoris, mentem Helmontii, deinde quid ego ſuper iſta præparatione ſentiam, exponam. Helmontius c. 7. d. Lith. §. 22. duplicem præparationem exhibuit; Unam cum ſale circulatô, alteram cum liquore Alkaheſt: quanquam primis temporibus non aliam fovi ſententiam, quàm quod Helmontius l. c. unius faciat mentionem præparationis, attamen ſubſequente tempore ſententiæ, quam nunc explico, ſubſcripſi.

Certum eſt, Paracelſum per ſal circulatum, ſpiritum ſalis ſuô modô præparatum intellexiſſe: vid. l. 6. Archidox. de Magiſt. p. 809. in verbis: ℞. *circulati injice auri vel metalli laminati, quidvis, partem* &c. & quæ ibi ſequuntur, habebis aurum potabile. Seipſum explicat Paracelſ. tom. 1. de ſale. c. 4. p. m. 1037. quomodo auri-oleum & tinctura fieri debeat, in verbis: *Similiter de aquâ ſalis* (intelligendum) *quæ ex ſale calcinato deſtillatur in ſpiritum, qui ſpiritus eſt, qui ſolvit aurum in oleum.*

Et

Et in chirurg. magnâ lib. 2. tract. 3. p. 1. c. 2. de tinctura ſalis p. m. 102. in verbis: *Corpus auri è metallicâ formâ reducendum per aquam ſalis, cujus præparationem & quomodò ſal circulari & deſtillari debeat, ibi oſtendit: Circulari autem idem eſſe ac deſtillari in ſpiritum,* patet ex lib. Archidox. 8. cap. 3. de Elixir ſalis p. m. 821. Tom. 1. in verbis: *adde vini circulati, i. e. ſpiritûs vini deſtillati.* 2. patet ex ipſo Helmontio de laude ſpiritûs ſalis, quod expreſsè ei vim diureticam adſcribat in locis c. 3. de Lithiaſi. §. 31. p. m. 22. *eſt ſpiritus ⊖lis acidiſſimus nec ſibi par habet medium extinguendis ardoribus urinæ.* c. 5. de Lith. §. 18. p. m. 32. *Spiritus ⊖lis marini nedum diaphoreticus eſt, ſimulq; ſtranguriam lenit, quibus calculus in veſica volvitur; verum inſuper calculos renum minuit, ſi ultimô igne deſtillatur reverberii* c. 7. §. 28. *Hoc didici, quod ſpiritus ſalis Hiſpalenſis extremo reverberii igne, unà cum terra figuli deſtillatus, manè ſingulô bibitus cum vino albo pridiè è vaſe depromto, nedum ſenum tollat mortales ſtrangurias, totusq; diureticus aliquot ſanaverit; verum inſuper quibus decidens, juſtô major calculus è rene, per aliquot menſes in veſicâ moratus erat, tandem minutus mejendoq; excretus fuit.* Declarat ſe Helmontius, qualis requiratur ſpiritus ſalis c. 7. d. Lith. §. 17. p. m. 40. in verbis: *quanquam in ſucco citri, multoq; magis in ſpiritu ſalis marini ſolamina ſint calculoſis, hæc tamen non obveniunt niſi valedicto priùs acore.* Pro ſpiritûs ſalis præparatione etiam non quodlibet ſal, *ſed ſal ex muria ſuillâ* c. 3. de Lith. §. 23. commendat.

Ex allatis ita concludo; ſi ſpiritus ſalis, ritè præparatus, calculum in veſica minuit, quod omninò poſſit concurrere ad præparationem Ludi, utpote per quem acor ſpiritûs ſalis corrigitur; Helmontiumque in defectu Alkaheſt: ſilicem vel Ludum docuiſſe parare cum ſpiritu ſalis marini, & præparationem quam ponit §. 22. c. 7. eſſe eam, quam hîc pono primam cum ſpiritu ſalis, alteram §. 23. cum liquore Alkaheſt. Prima elaboratio procedit prout promittit, quoniam absque ambagibus eam deſcripſit, itaque Benevolum Lectorem non immorabor.

Paracelſ. Tr. 2. d. ♀r. Germ. p. 485. ita deſcribit proceſſum: *Recipiatur Ludus, teratur probè, calcinetur & per reſolutionem in oleum coquatur.* Conveniunt verba Helmontii & Paracelſi hîc loci, & vocatur hoc remedium à Paracelſo remedium potentivum. Si itaque Ludi oleum, ſit oleum fellis terræ, cujus meminit Paracelſus lib. d. morb. ♀. c. 20. &c. p. m. 314. in fol. Tom. 1. non pariet aliquam difficultatem vocabulum appoſitum

ſitum *Althalizai.* Subeſſe enim puto ſphalma typographicum; exiſtimo enim, quod poni debuit Alcooliſatum i. e. ſubtiliſatum; Alcool ſignificat Paracelſo ſubtiliſſimum cujuscunque rei in ſcholiis de ♀r. lib. 2. Tom. 3. §. 5. p. m. 178. lit. A. in verbis: *Oportet tartarum ſolvi in liquorem vel pulverem Alcool, id eſt, ſubtiliſſimum.* Sic Alcool vini ſignificat vinum ardens, lib. chirurg. mag. de ulcer. c. 59. p. m. 618. lit A. *Sic Alcool vini exſiccati ſignificat,* wenn *ſuperfluitas vini* darvon kommt/und iſt *vinum ardens,* der trucken außbrennt/ohne allen Schmutz/läſſet keine *feces* im Geſchirr. Propria verba Parac. l. 9. Paragraphorum §. 4. p. m. 470. lit. C. Poteſt etiam ſententia Helmontii ſtare, & ſignificare al tho öli geſotten. Eſſet verò deſcriptio talis proceſsûs, quæ ſequitur: Ludus, vel ſilex, vel lapis liquoris teratur in pulverem, deinde ſub cote (hoc maximè requiritur, ut fiat ſubtilisſimus pulvis) ſubtilietur, affunde ſpiritûs ſalis, quantum fieri poteſt, rectificatiſſimi, ſolve & abſtrahe ſpiritum ſalis ad usque ſiccitatem, quod remanet in fundo, reponitur in cellâ, in humido loco, & ſponte ſuâ intra aliquot ſeptimanas decurret, & fiet oleum per deliquium. Hoc Oleum claudatur Hermeticè ſigillo in ovo longi colli & in igne arenæ ſecundi gradûs bulliat continuò, donec totus Ludus repræſentet axungiam liquatam. Doſis ejus eſt à gr. x. usque ad ℈j. Ad evitandam obſcuritatem ſtudiô non utor vocabulô Calcinationis, quod in uſum trahere voluit Helmontius; Paracelſi ſuffultus authoritate, qui l. 5. d. Nat. & quidem d. Morte rer. natural. p. 89. ſub calcinationis vocabulo varios laborandi modos, ad quem locum Lectorem remitto, expoſuit.

Alter modus cum liquore Alkaheſt, ut à me nunquam elaboratus eſt, ita poterit à diligenti experiri artifice, prout deſcriptus eſt ab Helmontio, c. 7. §. 23. mihi ſufficit prior elaboratio.

In gratiam autem miſerè decumbentium alium adhuc modum Oleum Ludi conficiendi candidè commendabo, qui tamen non eſt propriè meæ inventionis, attamen jucundiſſimæ, ſed laborioſiſſimæ præparationis. *Proceſſus eſt talis.* ℞. Pyritis bonam quantitatem eam primùm forti igne calcina & candentem injice in aquam frigidam, ut fiat friabilis, poſteà tere quàm ſubtiliſſimè, in hoc enim totus cardo Olei conficiendi verſatur. Obtentô itaque tali ſubtiliſſimô pulvere; recipe nitri probè depurati, fluat benè, & injice tribus partibus ⊖tri unam partem pulveriſati lapidis pyritis, fluant igne follium fortiſſimi,

usque

usque ſtylô ferreo adhæreat materia ductilis vitrea: materiam adhuc in crucibulo ferventem cum ſtylo ferreo exime, & ſtatim, antequam frigeſiat, contunde probè, ut fiat, quantum poſſibile, pulvis ſubtiliſſimus. Hunc pulverem in cucurbitam vitream injice, & ſtatim affunde ſpiritum vini, obtura vitrum veſicâ, & conquaſſa fortiſſimô motu per ſemihoram, ſubſidebit in fundo materia oleoſa, mihi oleum ſilicum dictum, quod per linteum ſubtile purificari poterit intra duas ſeptimanas, ſi libet, totum in lapidem concreſcens, jucundô ſpectaculô.

Spiritus verò vini levi accedente trium dierum digeſtione, colore tingitur, & exhibet tincturam Aromaticam excellentiſſimi odoris, magnarum virium, ſaporis urinoſi: Cujus ℥ß, per vices in vino vel cereviſia tepidâ propinata, infantibus eſt panacæa, de qua tinctura, ſi vacabit, plura.

OBSERVATIO CXII.
DN. ANDREÆ CNOEFFELII
DE
SPIRITU SAMECH.

IN ſæpiùs citato Tract.2. d. ♀r.p. 484. Paracelſus etiam mentionem facit *Samech*, quod pellat calculum renum. Quid verò Samech ſit, explicat Paracelſus, in fragment. med. c. de febr. hepatis p. m. 165. lit. C. in verbis: ℞. Samechi i. e. Tartari. Pro fugienda ulteriori digreſſione & defatigatione commendo hic loci *tartari vitriolati* ℥ß. pro doſi, vel ex eo deſtillati ſpiritûs ℈j. qui magnarum virium eſt, reiteratis vicibus aſſumtus, nunquam medentem ſpe ſuâ fruſtrabitur. Coronidem imponet ſpiritus ſalis ♀ri volatilis, vel ſpiritus ſalis ammoniaci urinoſus, qui in defectu ſpiritûs ſalis tartari ejus vices ſupplere poteſt. à ℈ß. ad ℈j. urgente neceſſitate in cereviſiâ tepidâ propinatus.

OBSERVATIO CXIII.
DN. ANDREÆ CNOEFFELII
DE
BALSAMO SAMECH.

STudiô oleo Ludi adjunximus *Balſamum Samech*, utpote quod chirurgis, præprimis qui circa lapidis veſicæ exciſionem occupantur, non leve in ſanando vulnere præſtabit remedium. Hoc Paracelſ. d. tart. Germ. tom. 1. p. m. in fol, 314. deſignat in verbis:

Nunc

Nunc autem alii malis ulcerationibus infecti, &c. *Hos cumbis oleo antimonii & oppodeldoch, item Balſamo tartari acaciati.* Certum eſt, multos ſupina chirurgorum ignorantia & laniena, deſtitutorum genuinis externorum remediorum arcanis, debitum talis chirurgi ignorantis perſolvere, præprimis circumforaneorum, de quibus locô citatô Paracelſus maximè conqueritur. Quò itaque aut putredini obviam iri aut citeriori coalitioni vulneris ſubveniri poſſit, cum Paracelſo & Helmontio, ego oculatus teſtis, hoc Balſamum maximè commendo, certum enim eſt, poſt 24. horas multa recentia vulnera hujus beneficio coaluiſſe. Quod etiam in inveteratis ulceribus apprimè conducere, authores ſunt, Helmontius, & Paracelſus. Ejus præparationem Paracelſus lib. 9. Archidox.d. Extern. p. m. 822. 823. ſub tit. - - - Remedium in ulcus, more ſolitô obſcurat; deſcriptio eſt talis: ℞. Samech ad albedinem calcinati, affunde circulatum minus, deſtilla ut caput mortuum maneat ſiccum, ita quidem ut vitrum candeſcat, affunde novum, perge usque circulatum minus dulce maneat, ſicut affuſum eſt, reſolve id per ſe, & quod reſolutum eſt, eſt remedium in ulcus, quod Balſamum vocari poteſt. Quod per Samech Tartarum intelligat Paracelſus, ſæpius deduxi. Per circulatum verò minus, intelligere ſpiritum vini ſimplicem, innuit ipſe lib. 8. Paragraphorum de Aſthmate, p. m. 468. lit. B. Præparationem repetens. Quod autem Balſamum acaciatum nominet, fit propter adſtringentem, quem in reſolutione nanciſcitur, ſaporem. Helmontius etiam hujus Balſami recordatur Tract. Balſ. Humanum §. 40. 41. & Tract. ſcabies & ulcera Scholarum §. 36. Ejusque præparationem ibidem docet, quò Lectorem remitto, hoc adjungens, quòd propter adſtringentem vim, patienti talis inunctio primâ fronte valdè ſit moleſta, & dolores citò tamen evaneſcentes pariat; proinde delicatulis vix debeat adhiberi, niſi ſit probè temperatum, quod fit ſpiritûs vini ſimplicis adfuſione, & ſi parum myrrhæ addatur, ab omni putredine conſervat ulcus. Fuit 1646. quidam circumforaneus, qui publicè cultris brachia & gladiô latus perfodebat, alterô die in forum procedens vulnere coalitô & ſanatô. Hic Balſamum hoc miſcuit ſevo hircino & pro axungia murmentorum vendidit. Uni autem ex chirurgis Budiſſinenſium, à quo & ego obtinui, locô magni ſecreti communicavit.

Blas

OBSERVATIO CXIV.
D. SIMONIS SCHULTZII
DE
ABSCESSU RENALI CUM INCENDIO VISCERUM, FUNESTA SYMPTOMATA ET MORTEM INFERENTE.

SEreniſſimus & Potentiſſimus quidam Princeps annos 53. natus, naturâ plethoricus & corpulentus, cum quodã tempore æſtuante ſole inter venatorum turmas ſummô mane campos ingreſſus eſſet, non prius venari deſiit, quàm ſol ad occaſum inclinans eundem abſtinere cogeret. Ibi vehemens ac violenta corporis, ſuô pondere gravis, & nedũ optimè poſt tot morbos compoſiti, agitatio, occaſionem & cauſam fatalis morbi certò provocabat: ibatur enim venaticô curru per invia tantô animi æſtu, ut cum auriga non ſatis audacter pro reverentiâ Majeſtatis, Regem ſulcis, ſaxis, ſtirpibusque ſuperveheret, Rex ipſe, excuſſô è curru homine habenas raperet, & animo alacriter indulgens, curſumque nullâ lege temperans, nec currui parceret, nec ipſe ſibi. Alterâ poſt mediam noctem horâ triſtem effectum exercere cœpit violenta voluptas, ac primùm quidem nephriticis correptus cruciatibus præter morem doluit. Repetitum eâ die bis térve balneum neque calculum neque dolorem locô movit. Altera tamen dies benignior viſa eſt: jamque cum venatoribus nova expeditio deſignabatur, quamvis interim ſitis faucium permoleſta, & quædam inappetentiæ faſtidia non deſiſterent. Quartâ morbi die vehementiùs exarſit renum, vicinorumque viſcerum dolor, quem excepit ingens ventriculi & præcordiorum atque totius corporis concuſſio, cum vehementiſſimo ad vomitum conatu, & omnium, ut videbatur, vitalium immiti conflictatione. Apparebat ex illâ naturæ violentiâ, omnes quicunque in tanta corporis mole deliteſcebant humores ad tumultum excitos turbare & omnia miſcere, præcipuamque rebellionis ſedem jam tunc in ſtomacho refigere. Febris certè manifeſtis ſeſe prodidit argumentis, dolore capitis, æſtu, ſiti, tædiis & aliis ejus generis. Quare quæcunque contra nephriticos dolores ſunt adhibita remedia, ita temperabantur, ut ſimul calorem expugnarent. Quintâ morbi die, cum malum creſceret, apertâ venâ emiſſus eſt copioſè ſanguis usque adeò floridus, ut nunquam hactenùs ab annis plurimis obſervare licuerit meliorem; nam etſi primô vaſculô nonnihil putridioris admixtum innataret, tribus tamen aliis adeò purus exceptus fuit, ut vel inde perquam

quam facilè fuerit Medicis concludere, febrim illam non ipsâ in ſangvinis maſſâ exarſiſſe intra venas, ſed extra vaſa ab æſtuante alicubi pravô quopiam aut etiam maligno humore, & præcipuè ab illa intra ventriculum ſtabulante flammâ concepiſſe. Firmabatur hæc opinio ab incrementis deteriorum ſymptomatum: nam quamvis ſanguinis illa miſſio in corpore plethorico opportuna fuerit & laudabilis, poſt illam tamen non imminuta ſunt mala, ſed advecta aliunde, inter quæ primas ſibi vendicare viſus eſt gravis & in omni febre periculoſus ſingulrus. Hic cum in horas creſceret, nihil, quod ad eundem compeſcendum conducibile videbatur, intermiſſum eſt: continuo enim biduô aptiſſima & præſtantiſſima medicamenta propinata ſunt, nihilominùs febris reſtincta non eſt. Singultûs autem vehementia adaugebatur in momenta. Hinc demùm Medici cum ex aliis ſignis tùm præſertim ex illis atrocibus ſingultuum incrementis præſentiſſimum & planè extremum periculum adeſſe præſagiebant, credebantque fieri vix poſſe, ut Rex, quantum quoq; viribus polleat, diem unam aut alteram inter ſingultûs illos ſupervivat. Quare in eam partem omnes converterunt curas, ut ſtomachum ab illa labe ſeu æſtuante bile, fundo ventriculi innatante, partimque ejus lateribus impactâ liberum facerent: evidenter enim inde apparuit, ab illa ſola aſſurgere halitum venenatum, qui ſuperius orificium ventriculi ſuffumigans, acrimoniâ ſuâ ſingultûs illos exciret, totumque corpus concuteret. Quia verò præviis purgatiunculis nihil fuit effectum, concluſum eſt communi conſiliô vomitorium porrigendum eſſe: adhibitus in eam rem *crocus metallorum*, ſed beneficiô naturæ factum, ut medicamentum aliam aperiret viam; omnis enim ille pravæ bilis apparatus, qui ſanè magnus fuit, non vomitu ſed faciliore per alvum dejectione copioſè ad admirationem usque & quandam formidinem deturbatus eſt, nec ſine manifeſtô emolumento; mox enim poſt unam aut alteram horam omnis illa ſingultuum tempeſtas ad malaciam compoſita eſt, & tandem deſiit, cunctosque in ſpem erexit integræ ac perfectæ ſanitatis. Sed quamvis tanta aduſtæ bilis copia intra paucas horas educta ſit, & major deinceps continuatis purgationibus copioſiùs educeretur, ceſſantibus tamen ſingultibus adhuc ardor febrilis ab incendio ſtomachi prorumpens, cor ipſum vehementer affligere, & patientem ad extremas adigere anguſtias non deſiit. Demùm integrô poſt ſacram ſynaxin triduo alternis eventibus cum morbo & doloribus luctabatur: victor interdum & quaſi periculum prætergreſſus, morbo ſuperior, interdum usque ad deſperatio-

nem adſtantium morbô ſuccumbens, poſtquam ex diuturniore luctâ inſignis tùm corporis tùm animi mutatio vix aliquid boni promitteret: alternabat tamen ſpes & metus, donec ex multa conflictatione vires collapſæ penitusque reſolutæ nihil medicis in naturæ vel artis ſubſidiis bonæ ſpei relinquerent. Tandem peractâ extremâ unctione circa horam undecimam nocturnam manifeſta deficientis vitæ ſigna ſe prodiderunt, ita ut ante ſecundam poſt mediam noctem horam iſtis verbis prolatis: Domine JESU! in manus tuas commendo ſpiritum meum! expirarit ſvaviſſimè, omnibus, qui aderant, quietem illam tàm corporis quàm animi admirantibus, palamque profitentibus, vix unquam ſvaviorem hominis expirationem & veluti indormitionem ſe vidiſſe. Poſt meridiem ſectione corporis factâ, videre licuit manifeſtam morbi mortisque cauſam, partim in rene ſiniſtro, qui quantus fuit, fœdè computruerat, nihilque aliud fuit, quàm merisſimus mucus & putrilago, partim in ventriculo, cujus fundo & inferiori orificio innatabat pars non minima bilis aduſtæ: cætera quoque viſcera haud leviter inflammata conſpiciebantur. Cujus morbi hiſtoriam tibi, Benevole Lector, ita candidè exhibeo, ceu eandem oculatus & veriſſimus quidam teſtis propriâ manu conſcripſit, eamque mihi fideliter communicavit.

Sed D. Andreas Cnœffelius, Archiater olim Regius p. m. in *exercit. epid. febr. contra D. Auguſtinum Corrade, exercit. IV.* tragici hujus caſûs cauſam in crocum metallorum, quem unus medicus inſciis reliquis, à balneatore quodam mutuatum, temerè ad tredecim grana in ſubſtantia propinavit, loco citato, planè rejicit. *De abſceſſ. ren. vid. in Ballonii conſil. med. l. 1. conſil. 41. & in anni I. Miſcell. Med. Phyſ. Curioſ. Germ. Obſerv. 64.*

OBSERVATIO CXV.

D. SIMONIS SCHULTZII

DE

VULNERE PECTORIS ET PULMONUM FERE QVINQVENNALI, MINIME TAMEN LETHALI.

Scilicet

Continuatio Obſervationis CLXXXIX. anni III. Ephem. Curioſ. Germanic.

BOnus ille Decurio Melchior Schwartz à milite gregario Jacobo Pohl clandeſtinè in pectore vulneratus, cujus *in Obſ. 189. anni tertii*

tertii miſcell. med. Phyſ. Curioſ. Germ. mentio facta eſt, ab anni 1672. menſe Majo, (quo tempore obſervationem iſtam conſcripſeram) usque ad anni 1673. vernum tempus ſatis commodâ valetudine uſus eſt, muniaque ſua tàm publicè quàm privatim absque impedimento obire potuit, iterumque filiolam ſanam è conjuge ſuſcepit: vulnere interim pectoris apertô manente, per quod natura ſauciatorum pulmonum ſaniem apprimè expurgabat; ſed cum prædicto anno ſeptugeſimô tertiô circa feſtum Pentecoſtes ſuburbium Thorunienſe extremum, die Mocke-rau dictum, à Polonis militibus contra jura Civitatis petulanter infeſtaretur, illeque cum urbanis militibus iſtud ſtrenuè defenderet, atque hoſtes exinde expelleret, lethale capitis, præter alia ſcapulæ & brachiorum gravia vulnera, inde ſuſtulit, & licet ab Antonio Stattlender / chirurgo, circa deligationem vulnerum ſumma diligentia adhibita fuerit, nihilominùs tamen naturâ ſuccumbente miſer ille, non ad unum infortunium natus, circa principium autumni anni 1673. occubuit, vulnuſculô illô pectoris ad finem vitæ usque pus coctum ejiciente: cujus ego tragici caſûs ultimam periodum, promiſſis ſtans, hâc vice Curioſo Lectori lubenter communicare volui. Apparet ex iſta relatione, mortis illius cauſam non fuiſſe vulnus pectoris cum læſione pulmonum ſatis periculoſum, ſed recens capiti inflictum lethale vulnus.

OBSERVATIO CXVI.

D. SIMONIS SCHULTZII

DE

FONTICULIS NATURALIBUS IN BRACHIO ET PEDE.

NObiliſſimus Andreas à Brand / Eques Boruſſus, per longum tempus puſtulis capitis, partis ſiniſtræ, cum ingenti dolore, moleſtisſimis laborabat, humore autem peccante à capite ad brachium ſiniſtrum derivatô, ibidem natura tria ulcera efformabat, per quæ humor ille longô ſatis temporis ſpatio quaſi per fonticulos quotidiè copioſè effluebat, dolore capitis ſtatim ceſſante, puſtulisque evaneſcentibus. Tum ille ſvaſu cujusdam empirici Dantiſcani aliquoties utebatur vinô aduſtô laxativô, ros ſolis ab ipſo dictô, ad eum finem, ut humorem ſuperfluum à brachio derivaret, ſeu ut ille opinabatur, planè expurgaret: poſt cujus uſum quidem ulcuſcula illa brachii exſiccata & perſanata ſunt, ſed tot numerô in pede ſiniſtro rurſus exoriebantur, per quæ materia peccans quatuor annorum curriculô, immò usque

ius ad mortem effluebat. Hæc mihi verâ fide retulit filia ipſius, Nobiliſſima matrona Anna Brandia, Generoſi Dn. Johannis Biedrzicki, Nobilis Poloni conjux, Thorunii hydrope aſcite lentâ morte anno 1673. 26. Auguſti extincta.

OBSERVATIO XCVII.
D. SIMONIS SCHULTZII
DE
FONTICULO ABDOMINIS NATURALI.

Optimè D. D. Cæſo Grammius in *Obſerv. 257. de fontic. natur. in abdomine & thorace, anni II. Miſcell. Med. Phyſ. Curioſ. Germ. ſcribit:* naturam optimam medendi magiſtram eſſe & ſæpè intentô quaſi digitô artificibus monſtrare vias, per quas commodiſſimè velit ac poſſit ab humoribus ſuperfluis, acribus & ſalſis liberari: præter cœtera evincunt ulcuſcula illa, quæ ipſa natura nonnunquam in extremâ corporis parte excavat, quæ proinde fonticuli naturales appellantur, & contrà diſtingvuntur artificialibus, quos naturæ ductum imitati artifices ope cauteriorum vel actualium vel potentialium efformare ſolent. Hucusque ille. Jam citatæ Obſervationi ſimilem hic ſubjungo. Habitat nobiſcum honeſta matrona, Magnifici cujusdam Burggrafii Regii & Proconſulis Thorunienſis ſuperſtes vidua, ſexageſimum annum ſupergreſſa, quæ jam ab aliquot annis ad hydropem proclivis, tumore abdominis levi afficiebatur, à quô eandem benigna natura, ulcuſculo in abdomine ſub epigaſtrio à parte dextra umbilici exortô, planè liberavit, extillante per illud quotidiè paulatim materiâ ſeroſâ, jam ultra annum curriculum, quod illa aliquoties fruſtrà conſolidare ſatagebat, ſed nunc eidem asſveta, idipſum absque moleſtiâ ſuſtinet. De fonticulorum artificialium utilitate tàm in genere quàm in ſpecie evolvat B. L. *obſervationem meam 156. anni III. Ephemer. Curioſ. Germ. tùm ejusdem anni obſerv. 214. Dn. D. Ehrenfridi Hagendornii de fonticulorum artificialium utilitate in ulceribus chronicis.*

OBSERVATIO CXVIII.

D. SIMONIS SCHULTZII

DE

COLICA VINO HUNGARICO SUBLATA.

NObilis quædam vidua juvencula, anno 1673. menſe Septembri ex debilitate ventriculi & vitio diætæ graviſſimos dolores colicos patebatur, qui cum neque enematibus tàm anodynis quàm purgantibus, neque medicamentis narcoticis tùm internis tùm externis tolli & ſedari poſſent, potu tandem vini Ungarici generoſi ſublati ſunt. Quid mirum? Vinum generoſum ventriculi calorem debilem refocillando ejusdem robur auxit, & vi narcoticâ dolorem & inflationem inteſtinorum ſedavit. Evolve *Ant. Gazium in corona florida cap. 249. de Nat. Vini Vet. & Arnold. Villanovanum in Tract. de vinis p. m. operum ejus 584.* Particulariter autem vinum colicam expellere teſtatur ex aliis *Petr. Andr. Canonherius de admirand. vini virtut. c. 3. §. 32. p. 151.* & *Phil. Jacob. Sachs à Lewenheimb de vite vinif. ſect. 6. membr. 2. c. 6. p. 309.* Verùm cum nobilis iſta vidua non ſolùm in diæta quotidiè nimiùm delinquat, ſed etiam affectibus maximè indulgeat, omniaque remedia planè reſpuat, ſæpiſſimè dolores revertuntur, verendumque eſt, ne tandem, quod DEUS avertat, in paralyſin omnium membrorum incidat; cujus prodromi jam ſatis manifeſtè in manibus apparent.

OBSERVATIO CXIX.

D. SIMONIS SCHULTZII

DE

CURATIONE VENTRICULI POST HAUSTAM AQUAM FORTEM SIVE REGIAM.

JOhannes Kluge / civis Thorunenſis & opifex ſtannarius cum aliquando nocturnô tempore benè potus domum veniſſet, atque cubiculum intraſſet, ex laguncula vitreâ hauſtum aquæ vitæ ſumere volens, in tenebris arripuit lagunculam aliam iſti ſimilem, aquâ Regiâ ſive forti; plenam, ex eâque bibens, ſtatim faucium atque ſtomachi inſignem ardorem cum eroſione ſenſit: Cui excellentiſſimus p. m. Dn. D. Meiſnerus, anteceſſor & collega noſter colendiſſimus, in conſilium vocatus, ſequentia præſcripſit. ℞. *aqu. malvæ* ℥iiß. *ſyrup. cord. D. Meiſn.* ʒj. *mucilag. ſem. pſyllii, cydon. aquâ roſar. extr.* āā ʒß. *lap.*

cryſtall. præp. ℈ij. M.F.Potio.Dein, ℞. *mucilag. ſem. cydon.* ℥iij. *pulv. ſem. malv. portulac. melon.* āā ℈iß. *boli armen. Orient. præp.* ℈ij. *mell. roſar.* ʒvj. *m. pro lambitivo.* Quibus uſurpatis, per Altiſſimi gratiam evaſit, & plures annos ſupervixit, non ita pridem phthiſi extinctus. Similiter Foreſtus puerum poſt hauſtam aquam fortem, cui præ ardore gula præcludebatur, ſuffocationiſque periculum imminebat, mucilagine ſem. cydon. reſtituit, ut videre eſt apud eundem *obſerv. medic. lib. 15. obſerv. 30.* Quomodo *Baldu. Ronſſeus* in tali caſu nautam reſtituerit, *vid. ejusdem epiſt. 9.* Sed quàm miſerandis, diriſque cruciatibus puella quædam poſt aſſumtam aquam fortem extincta ſit, deſcribit *Bruno Seidelius pag. 13. de morb. incurabilibus. Confer. Henr. ab Heer obſerv. 16. p. 201. ſeqq.*

OBSERVATIO CXX.

D. SIMONIS SCHULTZII

DE

USU ARGENTI VIVI IN VERMIBUS.

EST mihi catellus melitæus filiolæ meæ ab amico quodam dono datus, idiomate Polonico Spanek dictus, amabilis, variiſque ludicris artibus mirè inſtructus, qui per aliquot ſeptimanas malè habens, lumbricum latum duodecim fermè ulnarum longitudinis, ſed partitis vicibus excrevit: huic ego Mercurii vivi ad drachmam unam deglutiendam dedi, à cujus uſu poſt bihorium humoris viſcidi, inſtar gelatinæ magnam copiam ex inteſtinis ejecit, & ab illo tempore hucusque ultra octo ſeptimanas nihil tale amplius patitur, nullaque vermium ſigna apparent, ſed ille vegetus artificia ſua ad nutum dominæ cum riſu & delectatione adſtantium exhibet. Quod nos in cane experimentum fecimus, id *Ant. Muſa Braſſavolus in exam. metall. p. 422.* in infantibus vi vermium ſemimortuis cum reſtitutione ſanitatis ſe feliciter obſervaſſe ſcribit. Idem ex eo teſtatur *Matthiolus comment. in libr. 5. Dioſcor. de medic. materiâ cap. 70.* & *libr. 6. cap. 28.* additque ibidem Goritienſes obſtetrices, ubi gravidæ diu in partu laboraverint, eisdem ſtatim argentum vivum ſcrupuli pondere, nullis incommodis potandum exhibere. Adjungat hiſce L. B. *Miſcellan. Curioſ. Med. Phyſ. Germ. I. anni, obſerv. 148. ejusq; ſcholion, & anni II. obſervationi 24. adnexum ſcholion.*

OBSERVATIO CXXI.

D. SIMONIS SCHULTZII

DE

SINGULARIBUS MORIENTIUM MACULIS.

OCcubuit nuper inter noſtrates Johannes Deutſchmann / civis optimus & vir probus, affinis & compater meus, annos tres ſupra ſexaginta natus, maraſmô conſumptus, cui nonô ante mortem die maculæ purpureo-lividæ per totum corpus plurimæ erumpebant, & manûs dextræ carpus cum metacarpio ad cubitum usque livido & ad nigredinem vergente colore totus tinctus apparebat: quæ omnia ad finem vitæ perdurabant, neque poſt mortem diſparebant; qualia ſigna mihi, quantum memini, nunquam aut rariſſimè in morbis chronicis ante mortem, niſi in ſcorbuto, aut febribus malignis peſtilentialibusque: poſt mortem autem ſæpiſſimè obſervare licuit. Sed Dn. D. Johann. Blümig / gener meus, quintô die ante mortem in carpo ſiniſtræ manûs maculam livido-purpuream rotundam cum radiis quibusdam in matre ſuâ chariſſimâ ſe animadvertiſſe mihi narravit, quæ autem alterâ à morte die planè evanuit. Tales *Joh. Tilemannus in Explanat. Aphor. Hippocr. p. m. 237.* maculas agonizantium appellat, indicesque mortis inſtantis vocat. Verùm ejusmodi macularum doctrina in libris medicis parùm adhuc exculta eſt.

OBSERVATIO CXXII.

D. SIMONIS SCHULTZII

DE

GANGRÆNA INTESTINI RECTI.

ANno 1673. die Auguſti 10. vocatus ſum unà cum Antonio Stattlender, chirurgo ad Magnificum Dn. Burgravium Regium & Proconſulem I. N. annos natum 65. qui de dolore ani ſeu inteſtini recti, maximè circa dejectionem fecum alvinarum jam à ſesquiſeptimanâ continuante conquerebatur: hic autem quotidiè intenſior factus eum prædictâ die lecto affixum domi detinuit. Eâdem die & 11. Auguſti, horâ quartâ veſpertinâ febriculam percepit: urina erat admodùm tincta & nonnihil confuſa, pulſus celerrimus, calor ad tactum intenſiſſimus, ſitis maxima, hinc dolor partis affectæ, qui noctes diesque durans, omnem cibi appetitum proſtravit & ſomnum cum ma-

gna inquietudine ademit. Chirurgus affectum locum cum inſpexiſſet, invenit inflammationem inſignem cum tumore ab interiore inteſtini recti parte circa orificium veſicæ ad exteriora vergentem, ſed cum ſpeculum ob dolores Magnificus admittere nollet, iſte omnia manibus tractare neceſſum habuit. Cum verò ante tres ſeptimanas Magnificus Proconſul purgatione ſolitâ, hucusque ob publica negotia dilatâ, uſus eſſet, & ante duodecim dies venæ ſectionem ſatis largam inſtituiſſet, viriumque languor inſignis adeſſet, julepis tantùm & aliis alterantibus atque corroborantibus, tàm internis, quàm externis pro virili optimè ei ſuccurrimus: ſed inflammatio indies majus incrementum ſumſit, viribus interim corporis ſummè deficientibus. Die 14. Auguſti, poſt applicationem enematis [cujus emolumentum jam ſemel expertus eſt, ejusque repetitionem ideò petiit] gangræna ex interiore inteſtini recti parte verſus ſcrotum, [quam ominabamur] in conſpectum veniebat. Iſta, licet linimento magiſtrali Hildani & ſpiritu vini camphoratô ei ſatis proſpiciebatur, in horas creſcente & ſcrotum occupante, naturâque ſuccumbente die 15. Auguſti horâ mediâ ſextâ veſpertinâ Magnificus Dn. Burgravius placidè in Chriſto expiravit. Notandum hic, quòd jam à tribus circiter annis Magnificus Proconſul à dolore atrociſſimô in ſiniſtrâ parte faciei circa maxillam & oculum maximè infeſtabatur, qui quidem aſſumtis quôlibet vere & autumno medicamentis purgantibus ſolitis aliquantisper remittebat, ſed iterùm mox revertebatur: quâ de cauſâ ipſi ſvaſi, ut fonticulum in brachio ejusdem lateris admitteret, ſed fruſtrà. Præterea ſæpiſſimè eidem moleſtus fuit totius corporis, præſertim autem ſuperiorum partium, pruritus cum puſtulis quibusdam, cujus gratiâ frequentes ſcarificationes, & quôlibet vere ſemel venæ ſectionem adhibebat: quæ autem ſymptomata, poſt inflammationem in inteſtino exortam, penitùs evaneſcebant; ſciliet metaſtaſi acrium humorum à capite ad inferiora & inprimis inteſtinum rectum factâ. De quibus vide ſis *Stephanum Rodericum Caſtrenſem in libello, Quæ ex quibus, dictô, cum primis libri 2. cap. 2.3.* &c. pulcrè & doctè diſſerentem.

OBSER-


AD OBS. CXXIII
TRIFOLIUM PALUSTRE ANTIARTHRITICUM.
IL. f

OBSERVATIO CXXIII.

D. SIMONIS SCHULTZII DE *TRIFOLIO ANTIARTHRITICO.*

NUlla vox pluribus plantis communior, quàm Trifolii, quâ non modò herbarum varia genera, ſed etiam arborum & fruticum complectimur; quod cuncta ea Trifolia ſint, quæ ſemper terna folia tantùm proferunt in unius pediculi extremitate; duo à latere ſibi invicem oppoſita, atque tertium in extremo, quemadmodum in vulgari herbâ, quæ Trifolium appellatur, conſpicimus: ita rectè monet doctiſſimus *Spigelius in Iſagog. in rem herbar. lib. 1. cap. 17.* Trifolium, de quo jam nobis ſermo, eſt Paluſtre, ſive Aquaticum, & naſcitur in locis uliginoſis & aquoſis, cujus folia viſciditate quâdam prædita ſunt, editque flores ex cœruleo albicantes menſibus Majo & Junio, in ſummo caule in brevem veluti ſpicam coagmentatos: colliguntùrque folia apud noſtrates ſtatim à feſto S. Johannis Baptiſtæ, ac videtur eſſe *Jacobi Theodori Tabernam. Trifolium fibrinum III. Herbarii libr. 2. cap. 23. & Dodonæi trifolium paluſtre in hiſt. ſtirp. pempt. 4. libr. 4. cap. 25. p. 580.* niſi quod noſtrum ſerrata folia habeat.

De Trifoliorum ſpeciebus *vid. comment. Matthioli in Dioſcorid. lib. 3. cap. 7. p. m. 555.* Qui autem omnes Trifoliorum ſpecies accuratè dignoſcere cupit, evolvat *Pinacem Theatri Botanici Caſp. Bauhini lib. 8. ſect. 6. p. 527.* Nos hic iconem circa Thorunium naſcentis ad vivum expreſſam adjungimus. Occaſionem autem de hâc herbâ ſcribendi nobis hâc vice ſuppeditant vires ipſius inſignes, quas in morbo articulari debellando exerit, apud nullum quidem inter Botanicos ſcriptores hactenùs lectas, ſed in nonnullis ægris reipsâ feliciter expertas. Primus, qui ejus uſum à mulierculâ quâdam ruſtica edoctus in morbo articulari per aliquot annos ſalutiferum deprehendit; eſt Simon Eckert / civis, mercator & œnopola Thorunenſis opulentus, vir probus, conjugisq; meæ cognatus: decoquit ille herbæ folia in cereviſiâ, & ſic bis aut ter de die, dolores ſentiens, quamvis ingratiſſimi odoris & saporis ſit, bibit, ſemperque doloris allevationem percipit; verùm ob vini crebriorem uſum [ut ipſe fatetur] dolores ſæpiùs revertuntur. Ab hoc iſtud remedium mutuati, Matthias Krieger / ſexagenariô major, civis & Proconſularis miniſter, atque Petrus Graudentz ſupra quadraginta annos natus,

civicæ contributionis exactor: nec non robuſtus quidam vir nomine Balthaſar, aquis & vinis deſtillandis operam navans, à doloribus podagricis per plures annos miſerè divexati, jam verò per DEI omnipotentis gratiam ſinguli ope illius herbæ, ab illis liberi, obambulant, muniaque ſua ſine impedimento obeunt.

Præter iſtos novi matronam quandam, quæ folia iſta in aqua decocta & calidè parti affectæ applicata in arthritide vagâ, admodùm deprædicat. Quod autem hactenùs illius herbæ efficaciam plures inter noſtrates non experti ſint, in cauſa procul dubiô erit, ſapor & odor ejus ingratisſimus, acerbo-amarus, vi haud exiguâ reſolvendi & diſcutiendi pollens: ſed qui præparatione uſitatâ in ſpiritum, extractum liquidum ſal & ſyrupum in pharmacopoliis inpoſterùm, DEO volente, gratior reddi poterit. Apparet hinc plurimas adhucdum vires in rebus naturalibus abſconditas latere.

OBSERVATIO CXXIV.

D. SIMONIS SCHULTZII

DE

RADICIBUS HYOSCYAMI PER ERROREM COCTIS, INFELICITER COMESTIS, TRUCULENTAQUE SYMPTOMATA PRODUCENTIBUS.

CUm Dominus Baſilius Czölnerus, p. m. Philoſ. Magiſter, & Medicinæ Baccalaurius clarisſ. Gymnaſii noſtri ultra novem luſtra Phil. Profesſ. Conrector & tandem Director longè meritisſimus, Præceptorque meus æternùm devenerandus, in ædibus ſuis, multos commenſales ſtudiorum causâ ibidem commorantes aleret, accidit anno 1636. præterpropter, ut coqua domeſtica radices hyoſcyami & paſtinacæ ſativæ per ignorantiam in horto ob radicum ſimilitudinem unà erutas, ſibique allatas, cum carnibus bubulis elixaret; de quibus, quotquot comederunt [fuerunt autem quatuor juvenes ſtudioſi & ipſa coqua] mox omnes magnam mentis perturbationem & emotionem pasſi ſunt, & quaſi furore perciti, primùm jurgiis, dein verberibus ſe exceperunt manifeſtis, & niſi vi abacti forent, forſan ad internecionem perventum fuiſſet; Poſtmodùm miras in ſingulis obſervare licuit, ſecundum cujuslibet naturæ inſtinctum, geſticulationes: unus inſtar hiſtrionis ſemicaligatus, vocatus tamen, Dn. Hoſpitem accesſit: alteri omnia, quæ tantum in conſpectum veniebant, ut Midæ, aurea eſſe videbantur,

bantur, etiam cibi menſæ appoſiti: tertius homines porcos eſſe ſtatuebat, quos pridiè in horto conſpexerat, quaſi à Circe in eos cummutati eſſent, propterea ædibus expellendos jubebat: quartus inſtar alterius Martis tetricus & quaſi furibundus cum depravatâ bombardâ, quos adoriebatur, trucidare intendebat, eâque vi ablatâ, iisdem oculos eruere volebat; coqua autem ſeorſim in lecto detinebatur, & ſopore obrutâ, quid cum ipſa & aliis agebatur, ignorabat, ac niſi eadem obſonium deguſtâſſet, ſuſpicionem propinati veneni incurriſſet. Sed adhibitis ab excellentiſſimo p. m. Dn. D. Georgiô Mochingerô, Anteceſſore & Collegâ noſtro ætatem honorandô, idoneis remediis, priſtinæ ſanitati reſtituti ſunt. De hyoſcyami generibus ita ſcribit *Dodonæus hiſtor. ſtirp. pempt. 3. libr. 4. cap 21.* Hyoſcyami tres veteribus ſunt; niger, luteus & albus: poſterior ætas Peruvianum quartum adinvenit. *Dioſcorides de mater. med. lib. 4. cap. 64. & libr. 6. cap. 15.* teſtatur, hyoſcyamum potum & in cibo ſumtum ebrietati ſimilem amentiam facere. *Plinius lib. 35. natur. hiſt. cap. 4.* etiam foliis mentem corrumpi ait, ſi plura quàm quatuor bibantur: mitior autem habetur candidus, quem Medici, ſecundum Dioſcoridem recepére, deinde luteus, niger ut deterrimus improbatur. *Galenus de ſimplicium medic. facult. lib. 8. edit. Venet. p. 63.* nigrum etiam inſaniam ac ſoporem afferre affirmat: Hincque flavum ſive luteum propinquam obtinere facultatem: fugiendum utrumque ut inutilem & venenoſum, candidum ad ſanationes maximè idoneum eſſe. Adde citatis doctisſimos commentarios *Matthioli in Dioſcor. de mat. med. lib. 4. cap. 64. & lib. 6. cap. 15.* prædicta clariùs explicantes. Cujus autem generis noſter fuerit, imposſibile eſt indagare: Sed curioſus Lector credat velim certiſſima eſſe, quæ ſcribimus; vivunt enim adhuc hiſtoriæ hujus teſtes fide digni, & coqua ipſa, quæ poſtea prædictorum ſodalium uni nupſit, ac jam in viduitatis ſtatu vicinam nobis ædem inhabitat.

OBSERVATIO CXXV.

D. SIMONIS SCHULTZII

DE

LAPILLIS PER ALVUM EXCRETIS.

REfert excellentiſſimus Dn. D. Laurentius Wolffſtriegel/ *anni II. Miſcell. Med. Phy. Curioſ. Germ. obſerv. 89.* mulierem quandam annos 40. natam poſt frequentes ſummosque dolores colico-

nephri-

nephriticos poſt injectum enema tandem ſimul ac ſemel lapillos numerô 37. octogonos, quorum quilibet grana ſex ponderabat, per ſedem cum ſtrepitu excreviſſe. Talem etiam nos hâc vice nobilem & juvenculam Conſulis cujusdam optimè meriti relictam viduam, præclarorumque parentum filiam, ſed valetudinariam, annos 29. natam curioſo Lectori repræſentamus, quæ poſt atrocisſimos infimi ventris dolores per inteſtina excrevit lapidem, ovi columbini majoris magnitudine, verùm angulari formâ, unum, & dein partitis vicibus ultra viginti minores, triangulares, quadrangulares, rhomboides & pentagonos, cunctos cineritii coloris tartaro ſimiles, qui poſt excretionem parùm friabiles erant, tempore autem duritiem acquiſivere. Hos mihi ad videndum & palpandum libenter exhibuit, Experientisſ. Wenceslaus Duroſch, Philoſ. & Med. D. & Practicus, amicus meus peramandus, cognatus illius anno præſente 1674. 16. Januarii. Quales nos cum excrementis, ſed ſine dolore, diverſisque temporibus ejectos fuiſſe plurimos calculos in duabus perſonis (quæ hucusque vivunt & talia patiuntur) animadvertimus: inveniet L. B. *obſervatione 136. anni II. Miſcell. Curioſ. Germ.* ad quam eundem remitto.

[*Huic apprimè ſimilis obſervatio videatur ap. Thom. Bartholin. Vol. 1. Act. Hafn. Obſ. 100.*]

OBSERVATIO CXXVI.

D. SIMONIS SCHULTZII

DE

URINA, POST EMISSIONEM, LAPIDESCENTE.

EAdem nobis vidua, de quâ præcedente obſervatione mentio facta eſt, emiſit aliquoties urinam, in cujus fundô poſt duarum horarum ſpatium lapides friabiles poſteà duriores facti concreverunt, quos mihi itidem præfatus medicus benevolè monſtravit, & ego nullibi hucusque obſervatos & connotatos me legiſſe recordor: quàm quod nuper in filiolo quadrienni Conſulis cujusdam Thorunenſis poſt emiſſam urinam turbidam in fundo ſimiliter lapides duros coagulatos vidi, qui à parentibus reſervantur. Sed fontem quendam in Britannia in Foreſta de Knarresborn eſſe ſcribit *Guil. Gilbertus Philoſ. nova de mundo ſublunari lib. 5. cap. 1. & 12.* cujus aqua, ligna, frondes, carnes in lapides mutantur, poſtquam aliquod tempus in eo reſederint. *Idem ibid. lib. 5. cap. 1.* recenſet ex Boethio, eundem in Hiberniâ vidiſſe lacum, circa

quem

quem nec herba, nec arbor ulla naſcitur, ampliſſimô circumquaque ſpatio; in quem ſi lignum infigas, anni circiter unius curriculô, id quod in terra fixum erat, in lapidem convertetur: quod deinceps aquâ operietur, in ferrum; reliquum aquâ extans ligni formam naturamque ſervabit; ita lapis, ferrum & lignum eôdem in ſtipite commixta, inauditâ novitate conſpectantur.

OBSERVATIO CXXVII.

D. SIMONIS SCHULTZII

DE

SYMPTOMATE QUOTANNIS CERTO MENSE ET DIE RECURRENTE.

NObiliſſima quædam p. m. virgo, cum ei ante aliquot (dum viveret) annos cum ferculo venenum propinaretur, illaque partim naturæ robore per ſpontaneas easq; plurimas dejectiones *ἄνω καὶ κάτω* factas, partim etiam ope præſtantiſſimorum alexipharmacorum, adjuvante divinâ gratiâ, ab ejus nocivâ vi liberaretur; accidit, ut quotannis ipsâ aſſumpti intoxicati cibi die, nempe ſextâ Maji, per plures annos usque ad ultimum vitæ terminum memorabile ſymptoma ſemper recurreret, ſcilicet anxietas cordis cum lipothymiâ graviſſimâ, quæ tamen, acceptô aliquô cordiali pharmacô, largiſſimo ſudore ſolvebatur.

OBSERVATIO CXXVIII.

D. SIMONIS SCHULTZII

DE

USU FORMICARUM INSIGNI IN PARALYSI.

QUantum balneum ex decoctione formicarum in paralyſi proſit, expertus ſum nuper in honeſtâ matronâ Hedvvigi Klipeliâ, annos 47. natâ, ingenioſi Caſpari Schefferß/civis & automatarii Thorunenſis conjuge, quæ primâ die Maji, anni 1673. paralyſi dextri lateris tactâ, nec manûs nec pedis officio fungi potuit, atq; balbutiente linguâ verba ægrè proferebat: ubi primùm adhibitis idoneis medicamentis ei pedetentim loquela reſtituebatur, præſertim poſt iſtius mixturæ uſum: ℞. *mithridat. Dam.* ʒiij. *extracti caſtor.* ℈j. *aqu. apoplect.* ʒij. *ol. deſt. lil. convall. roriſmar.* ãã g. v. *ſir. de ſtœchade* ſ. ℥j. M. quâ frequenter lingua & fauces inungebantur. Sed ſenſus motusque

brachii & pedis tardiùs rediere, quamvis variæ inunctiones tàm ſpinæ dorſi ad principia nervorum, quàm artuum cum frictionibus ſæpiùs inſtitutæ fuerint; donec tandem fomentationes quotidianæ ex formicis & earum myrmeciô cum aquâ fontanâ decoctis, benedicente Deo, præſentaneam opem, & firmum conſtansque partibus affectis robur attulerunt.

[*Ad Collector. Ephemerid. ann. 1674. menſe Jan.*]

OBSERVATIO CXXIX.

D. JACOBI BREYNII

DE

QVERCU NIVEA, UBI ALIARUM ETIAM QVARUNDAM PLANTARUM FOLIIS VERSICOLORIBUS, FIT MENTIO.

ARborum Germanicarum rariſſima, junior quædam pedalis magnitudinis arbuſcula fuit, foliis ſex vel ſeptem quercui vulgari ſimilibus, ſed omninò niveis, aſpectu jucundiſſimis, mirificiſſimisque ornata, ante annos ſex in Caſſubiæ montibus enata, indeque effoſſa, horto meo illata. In quo ſolertiam tamen omnem, adhibitamque eluſit curam, & elapsô brevi temporis ſpatio, non ſine dolore meo maximo interiit. Tantùm breviter. Ubi notandum, raro admodùm plantas foliis ex toto albis, ut in hac quercu, inveniri; ſed ſæpiùs quibusdam albis, aut viridibus, quibus albus aut flavus, aut uterq; ſimul, aut etiam cum aliis mixtus ſit color. Quemadmodùm ex compluribus ab aliis jam antè commemoratis, ut menthaſtrô niveô, alaternô variegatô, ſalviâ marmoreâ &c. Et ex nonnullis etiam novis, ut ex tithymalo, cyparisſiade, borragine, elaphoboſcô, leucojô arboreſcente folio incano, quas albis & viridibus inſperſas: Et ex marrubio nigro, euphraſiâ alterâ Dodonæi, plantagine latifolia, bardanâ, quas aureis & viridibus variegatas foliis animadverti, colligere licet. Cauſam diverſi hujusmodi in foliis coloris Botanicus celeberrimus Dn. D. Moriſon, in præludio ſuo Botanico calci tribuit, radici ſuppoſitæ, vel pari mixturæ calcis cum terrâ ruderosâ, à qua attractô per radicem ſucco, folia veluti morbum contrahant, qui pangendo in perennibus duret, ſatione evaneſcat. Ad me quod attinet, huic inventioni non repugno. Verùm quòd etiam ex ſemine ſine additamento calcis verſicoloribus foliis quædam educentur plantæ, experientiâ novi. Inprimis

in

in Datura turcarum, quæ caſu in horto meo viridibus, flavis & albicantibus variegatis foliis apparuit: ex cujus ſemine non iterùm plantæ tantùm cum ejusmodi foliis diſcoloribus; ſed cum quibusdam fructibus etiam viridi flavoque colore ſtriatis, provenerunt: Neque quercum noſtram ex calce; ſed ex glande, ex qua enata, virtute quidem producendi aliquid præditâ; ſed verâ productrice viriditate deſtitutâ, candorem ſuum traxiſſe autumo, quâ deficiente, viredo abſolvi haud potuit. Et plantæ hanc ob cauſam verſicoloribus aut niveis foliis præditæ, ex ſemine iterum produci diſcoloribus poſſunt. Quanquam ex eodem etiam ſemine, ſi vigorem naturalem plenè iterum recipiat (quod facilè fieri poteſt) planè viridibus naſci poſſint.

OBSERVATIO CXXX.
Dn. JACOBI BREYNII
DE
ARBORE CANELLA ZEILANICA,
& de
ARBORE CAMPHORIFERA JAPONICA.

Arbor Canella præſtantiſſimo cortice aromatico in toto ferè terrarum orbe celeberrima, non ſolùm in variis Indiæ locis; verùm etiam in Sina; optima autem omnium, in Inſula, ut perhibent, Zeilan, gignitur. Et licet nonnullorum ſententiâ, Canella & caſſia lignea officinarum cum foliis Malabathri nuperorum, hujus Canellæ arboris eſſe credantur; tamen quamlibet harum trium peculiarem agnoſcere arborem, quamvis omnes ſint arbores canelliferæ; ſed diverſi generis, aliô tempore (cum de Cinamomo antiquorum agere conſtituimus) dilucidè nos oſtenſuros ſperamus. Hâc vice notiſſimam tantùm videbimus, cujus interior cortex pro Cinnamomo nobis adfertur & in officinis uſurpatur. Hæc arbor mediocris & cum tempore ſatis magna; lignô albô, inodorô, molli, ſalicis non abſimili; variis concinnô ordine ramis diffuſa: Quorum minores plerumque iterum aliis binis ſibi alternatim oppoſitis ramis prominent; pariterque foliis, tenues, ut oleum ferè Canellæ acri & ſvavi ſapore oleaginoſos, pediculos habentibus, tribus nervis inſignitis, Tamalapatræ ſimilibus; at, ſi quis attendat, ſubſtantiâ plerumque ſolidiore, craſſiore; ſæpiùs forma latiore minusque acuminata, & inprimis ſemper notabilioribus elatioribusque fibris inter intransverſas currentes venulas ſignatis, ſaporem caryo-

 phyllorum

phyllorum aromaticorum præ ſe ferentibus, ornati. Racemoſos, odoriferos, eosque albos fert flores: qui calicibus præditos, ad flavum tendentes tandemque obſcuriores ſimiis & avibus expetitos glandium magnitudine fructûs proferunt. Ex quibus fructibus Zeilanenſes ſalutare oleum ſebaceum conficiunt, multis rebus inſerviens. Quemadmodum etiam varias, ſalubres jucundasque ex hac arbore igne eliciunt aquas, ut ex craſſioribus corticibus artificioſa ſcrinia (quæ ſæpiùs oleo Canellæ majoris odoris gratiâ inunguntur) præparare nôrunt. Arboris Canellæ radices non ſolùm camphoræ ſimilem liquorem; ſed camphoram etiam ipſam proferre, non mihi tantùm à Dn. - Conſiliario Indiæ annis abhinc duodecim, & annô 1669. ab *Illuſtriſſimô Domino Hieronymo à Beverningk*, cui idem à *Domino Padburg*, Doctore in Zeilan confirmatum; ſed hôc ipſô quoque annô à chirurgô quodam in Zeilan mihi detectum. Idem etiam aſſerit Dn. *Philippus Baldæus in deſcriptione Inſulæ Zeilan p. 196.* Ego autem quamvis camphoram ex arbore Canellâ promanare confirmatum habeam, eâ ſententiâ fui, ex aliis eandem quoque arboribus provenire, partim quoniam Japan, ubi eadem ferè cœli, quæ in Germania, temperies, maximam copiam camphoræ emittit, partim quoniam lignum camphoræ oculis obverſabatur. Inde ad varios Clariſſimos Curioſæque eruditionis viros literas exarare auſus ſum.

Donec tandem excellentiſſimus *Dn. Arnoldus Sye, Profeſſor Medic. & Botanices Leidenſis*, vir ſanè non minùs ſummæ in ſtudio Botanico experientiæ, quàm ſcrutationis in rebus naturalibus abditiſſimis diligentiſſimæ, deſiderio meo in multis ſatisfecit; dum ſequentia mecum humaniſſimè in literis doctiſſimis die 26. Martii anno 1673. communicavit. hæc

De Camphora mihi relata ſunt ab ampliſſimo *Dn. de Buchilion*, qui „nomine Societatis per plurimos annos præfecturam in Japoniâ geſſit. „Teſtatur nempe arbores, quæ camphoram præbent, proceras eſſe, noſtrarum tiliarum inſtar & non abſimili folio, & quamvis etiam alibi in „Japonia naſcantur, copioſiſſimas tamen inveniri in provinciâ Zathuma dictâ. Arbore autem cæſâ radices effodi, minutim concidi & in lebetem æneum conjici tùm aquam eâ quantitate ſuperaffundi, ut radices modicè obtegat: Lebeti autem imponi pileum vel operculum „ſtramineum, in acutum faſtigiatum, moxque ignem admoveri modicum,

cum, cujus ope partes radicis volatiles ſeparantur, adſcendunt, & di-„ ctô pileô cryſtallorum inſtar adhæreſcunt, qui viciſſim aufertur, mun-„ datur, rurſusque ſuperimponitur, tantamque dictarum arborum eſſe copiam, ut omnem ſuperet exſpectationem. Accuratiùs autem hæc &„ ſingulatim mihi ſe narraturum ampliſſimus Vir promiſit, cum plurimis„ aliis huic ſcopo inſervientibus, ut & hiſtoriam Camphoræ de Borneo, quæ totô cœlo ab hac differt.

Atque hæc, ex quibus patet, Camphoram non ſolùm ex arbore Canella; ſed ex aliis etiam oriri, hâc vice dicta ſufficiant. Plura alio in loco, & tandem pleniora, cùm eorum participes facti erimus, quæ nobis *Dn. Doct. Guilbelmus ten Rhyne*, vir ſummô ingeniô, induſtriâ ac ſtudiô, qui in Japoniam Medicus magni Imperatoris vocatus abiit, pollicitus eſt. Hic in gratiam Curioſorum Botanicorum addimus, folium illud primùm omnium à Carolo Cluſio, & deinde à Lobelio, Camerario in Matthiolum, Tabernæmontano, Packinſonio, aliisque pro folio cinnamomi exhibitum, non Canellæ arboris; ſed Cenanam de Quahuna Hoac Recchi eſſe. Contrà à Matthiolo Canellæ folium, pro caryophylli aromatici exprimitur: cujus imitatores Camerarius, Caſparus Bauhinus in Matthiol. & Tabernæmontanus (qui in iconibus ſuis folia illa Canellæ, ramis caryophylli aromatici adpinxerunt) fuerunt. Erroris hujus cauſam primò ſaporem; illius autem nomen barbaricum *Cenanam*, ad cinnamomum inclinans, fuiſſe exiſtimo. Fuerunt etiam viri docti, qui arborem Canellæ in Europam allatam, in laurum mutari, exiſtimaverunt. Quod, ut fieri nequit, experientia aliter comprobavit: cum ante annos aliquot *Illuſtriſſimo Domino Dn. Hieronymo à Beverningk* ex Zeilan complures arbores ciſtis terrâ repletis inditæ, transmiſſæ ſunt, quæ in incomparabili ejus horto zu Loctḥorſt in Bataviâ viguerunt, nec ibi vel hilum mutatæ. De quibus folia non tantùm quædam, quæ æquè ac pediculos ejusdem ſaporis & formæ cum Zeilanicis comperi, *Illuſtriſſimo Viro* mihi ſubmittere placuit: verùm planè etiam vivâ adhuc arbuſculâ ex ſingulari benevolentia benignisſimè me donare conſtituerat. Quod tamen hiemis anno 1669. vehementiâ, quæ omnes ſummi Mæcenatis arbores interemit, impeditum.

Ita putat K… rus in Mund. Tom. 2. lib. 9. Cap. 5. pag. 1…

OBSERVATIO CXXXI.

Dn. JACOBI BREYNII

DE

CORTICE AROMATICO INDIÆ ORIENTALIS CANELLÆ FACIE.

COrtices etiam complures, non Canellæ, ſed aliarum arborum fœtus dari, Canellæ æmulos, caſſia caryophyllata Piſonis, Hinhinna Jonquetti ſive ganada perida, & macer Monardi, quas cum Canella Malabarica, cum variis Caſſiæ ſpeciebus, aliisque corticibus aromaticis aſſervo, teſtantur. Quorum poſtremorum unus mihi gratisſimus rarisſimusque Indiæ Orientalis; Canellæ ſimilis, nec ita tubuloſus, ſed planus. De quo nonnullas palmam longas, duos digitos latas, & culmum ſtramineum craſſas; extrinſecus purpureas, inferiùs ferrugineas; intrinſecus cinereas, &, ſi inter frangendum lacerentur, micantes ex lurido ad glaucum abeuntes partes oſtendere poſſumus. Hæ ex maci & nuce moſchatæ mixtum odorem aromaticum ſpirant, & æquè gratum ſaporem probant, cui ſimul acrimonia quædam caryophyllis aromaticis non abludens, inſit. Mederi eandem cephalicis, ſtomachicis, uterinis morbis & frigidis ventoſisque affectionibus, quantùm ex ſapore judicandum cenſeo. Certius quiddam ex ipſis particulis, quas cum Caſſia caryophyllatâ Piſonis & quibusdam rebus exoticis aliis transmitto, colligere licebit.

OBSERVATIO CXXXII.

Dn. JACOBI BREYNII

DE


FOLIIS ARBORIS GUYANAICÆ COLOREM PURPUREUM FUNDENTIBUS.

HOrum non exiguam copiam operâ *Petri Breynii*, fratris mei charisſimi, ex Guyanâ, unde propter colorem purpureum, quem benè præparata fundunt, transmiſſa accepimus. Myrti laureæ foliis ex purpureo obſcurè rubentia, & propter marginis in ſuperiore latere altiùs prominentes obliquâ ac minùs formoſa. Superiore parte glabra ac ſplendida; alterâ verò, ubi coſta, venæ ac fibræ magis conſpicua, rugoſa ac minùs micantia. Dentibus conciſa colorem purpureum, & ſaporem ligni Braſilii præ ſe ferunt. An frondes cujusdam arboris,


CORTEX INDICUS AROMATICUS CANELLÆ FACIE.
AD OBS. CXXXI
LIA ARBORIS GUYA-NAICÆ, COLOREM PURPUREUM FUNDENTIA
AD OBS. CXXXII

BRITISH
NATURAL HISTORY

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY


Ad OB
CXXXIII
Mogori Indorum.

arboris, quæ benè præparatæ, colorem obſcurè rubentem fundant, *Johannis de Laet. in deſcriptione Guyanæ & Piſonis in mantiſſâ aromaticâ cap. 2. pag. 171.* apud quos præter dicta plura non leguntur.

OBSERVATIO CXXXIII.

D. JACOBI BREYNII

DE

MOGORI FRUTICE

FRutex Mogori Indorum, de quo nuper quidem Bontius, & de floribus ejus jam dudum Gartias ab Horto aliique ſcripſére, ſed tantâ & brevitate & obſcuritate, ut nec formam ejus, nec genus cognoſcere liceat: eſt frutex quinque cubitorum altitudine, ramoſus, foliis binis (partim rotundioribus & obtuſioribus, partim longioribus & magis acuminatis) ex adverſo ſitu Jaſmini Arabici Cluſii majoribus, ſubſtantiâ tenuioribus, fibris denſioribus ac ſubtilioribus diſcurrentibus præditus; Floribus item plurimis in ramulorum cymis perelegantibus candidis, admodùm ſvaviter olentibus, violarum, Jaſmini & malorum aurantiorum flores longè ſuperantibus, tubuloſis in decem folia diviſis, duplici ſerie diſpoſitis, onuſtus; è calicibus in tenuiſſimas filo ſimiles lacinias diductis, quaſi barbatis, exeuntibus. Hi floſculi magnitudine paululùm excedunt Jaſmini Arabici memorati, cum quibus planè conveniunt, cui hic frutex, niſi unus idemque & ratione tantùm loci variat, affinis.

Flores mulieribus Indiæ, quæ Fulle de Mogori vocant, ſeque iisdem exornant, propter odoris ſvavitatem in magno ſunt pretio. Aqua etiam ex iisdem deſtillatur maximè cordialis, cujus uſus in medicina celebris, ut apud *Bontium in Hiſtor. Natural. & Medic. Indiæ Orientalis lib. 6. c. 65. pag. 140.* legere eſt. Inde plura referre ſupervacuum exiſtimavi. In icone flores filo trajectos, ut in India in foro venales exponuntur, adjeci.

OBSERVATIO CXXXIV.

DN. JACOBI BREYNII

DE

BULBO LILIACEO VOMITORIO CAPITIS BONÆ SPEI.

HIc annos abhinc circiter V. aut VI. *Illuſtriſſimo* ac *Generoſiſſimo Dn. Domino Hieronymo à Beverningk*, nunc

Legato

Legato *Plenipotentiario* fœderatarum Belgii Provinciarum Coloniæ ad compoſitionem pacis univerſalem, ex Africâ novarum usque feraci rerum, ubi in Promontorio Bonæ Spei, florum plurimorum abundantiſſimo, naſcitur, in Bataviam transmiſſus. Cujus memorati Mæcenatis ſummi gratiâ, & immeritâ in promovendis ſtudiis noſtris benevolentiâ, hujus bulbi cum multis aliis novis atque ignotis rebus Botanicis participes facti ſumus.

Comperi autem eundem Lilii Byzantini miniati bulbo ſimilem, exceptô quod major, & ex majoribus, validioribus, craſſioribus, purpureis ſquamis compactus, in quibus, ſoli obverſis, innumera obſcurè pupurea punctula denſè inſperſa, & lineolæ quædam per longitudinem excurrentes videntur. Sapore ab initio hærebat aquolo & viſcoſo, mox verò acerrimo, ac Ari ſimili; ſed minùs ita linguam cultelli inſtar transadigente. E bulbi medio folia multa liliacea, ſed anguſtiora emergebant. De quibus pariter ac floribus, nec non caule, prout in horto Beverningiano apparuére, plura in centuria primâ.

Naturam calidam & ſiccam, atque vim abſtergendi, attenuandi, incidendi, aperiendi & provocandi habere [niſi quid viroſi illi inſit] exiſtimo. Tres aut quatuor hujus bulbi ſquamas cum nonnihil carnis inciſæ famelico cani devorandas objeci, qui elapſis quibusdam poſt ſumtum hoc ferculum horis, multam tenuem craſſamque pituitam evomuit. Tandem & materiam pituitoſam per alvum rejecit, quanquam non ſine magno langvore. In majorem rei certitudinem alio libenter experimento hoc cognoviſſem; ſed ob bulborum defectum, & hominum quorundam ſtudia faſtidientium perverſum judicium, intermiſi.

OBSERVATIO CXXXV.

DN. JACOBI BREYNII

DE

CHRYSOCOME SIVE STOECHADE IGNESCENTE.

PLanta Botanicis curioſis maximè expetita. Naſcitur in Caſſubiæ ſterilibus, arenoſis, aridis apricisque locis, inter ſtœchadem citrinam Germanicam latiore folio Joh. Bauhini, cui in omnibus ſimilis, præter ſquamulas florum, quæ admodùm eleganter ex aureo in modum prunæ rutilant, & aſpectu pulcherrimæ jucundiſſimè ſplendent. Natura viresque vulgari conveniunt, cujus à nonnullis flores felici ſucceſſu adverſus morbum regium uſurpantur.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY


Convolvulus heptaphyllos Indicus.
Planta ſcandens hederaceis foliis Zeilanica.
AD OBS. CXXXVI
AD. OBS. CXXXVII

7nos

OBSERVATIO CXXXVI.
Dn. JACOBI BREYNII
DE
CONVOLVULO HEPTAPHYLLO INDICO VILLOSO.

COnvolvulum hic ſanè novum, perrarum pulcherrimumque Inſulæ Zeilan indigenam, damus, non ſecùs ac congeneres ejus topiariorum operum uſibus ad pergulas obumbrandas inſervientem, propter rotunda ac cava flagella, res quas arripere poſſunt circumplectentia; quibus folia longis pediculis adhærent, profundè in lacinias ſeptem ſpecioſas, inferiùs anguſtas, ad medietatem ſenſim latiores, & poſtmodùm rotundiores, tandem in acuminatas deſinentes, diſtributa. Flores concavi & monophylli, aliorum convolvulorum more perhibentur. Planta tota villoſa, parte inprimis foliorum prona & in ſarmentorum ſummitatibus.

OBSERVATIO CXXXVII.
Dn. JACOBI BREYNII
DE
PLANTA SCANDENTE HEDERACEIS FOLIIS ZEILANICA.

HÆc in Zeilan Inſula ſentibus & fruticibus ſe circumvolvens planta, flori paſſionis hederæ folio, ſeu clematiti paſſifloræ flore luteo, Muntingi (quà folia, capreolos & caules) perquam reſpondet: quanquam viticulis capreolisquè multo tenuioribus, atque foliis minus durioribus, quæ etiam acutiora & quodammodo denticulata apparent. Flores (quos in icone ſeorſim pingendos curavimus, ſicut eos accepimus) oblongos, tubuloſos, anguſtos, in quinque foliola exeuntes, Quamoclit florum æmulos, ſed niveos, & ob lacinias tenues in fibras plurimas, ſubtiliores, criſpas diviſas, quaſi radiatos, aſpectu digniſſimos, ferre ajunt.

OBSERVATIO CXXXVIII.
Dn. JACOBI BREYNII
DE
APOCYNO INDICO MINORI NUMMULARIÆ FOLIIS.

SImile eſt Apocyno primo latifolio, Cluſii; & ſicut minus, ita in omnibus ſubtiliùs deprehenditur. Caules profert tenues, teretes, convavos, lacteſcentes; per quos ad genicula naſcuntur folia

T gemina

gemina contrario ſitu oppoſita, nummulariæ paria, magis acuminata, quorum unum majus alterumque minus, ſemuncialibus & longioribus pedicellis nixa. Floſculi perpuſilli, muſcoſi, in caulium & ramulorum apicibus, ac inter foliorum alas alternô ordine, in umbellis parvis, cauliculis tenuiſſimis, ſeſcuncialibus, inſidentibus diſpoſiti. Ex Inſula Zeilan, ubi oritur, accepimus.

OBSERVATIO CXXXIX.

DN. JACOBI BREYNII

DE

BUGLOSSO ECHIOIDE INDICO, CONVOLVULI COERULEI MINORIS FOLIO.

E radice caules prodeunt pedales & majores, rotundi, anguloſi, virides, leniter hirſuti; quos folia bina, petiolis ferè carentia, ſemper ſibi mutuò oppoſita cingunt; Convolvuli cœrulei peregrini Caſpari Bauhini foliis forma, magnitudine & hirſutie reſpondentia: ex quorum alis utrinque ramulus ſeſcuncialis, pertenuis, emergit; floribus ternis, ſenis vel pluribus, Bugloſſi & Echii faciem mediam obtinentibus, cœruleo-purpureis; ex calicibus hirſutis, quinque partitis, emicantibus; ſecundum longitudinem ſerie quâdam digeſtis, onuſtus. Et hoc ex Zeilan Inſulâ habemus.

[*Ad Collectores Ephemerid. Vratisl. ann. 1674. menſe Jan.*]

OBSERVATIO CXL.


D. JUSTI CORTNUMMII

DE

DOLORIBUS HYPOCHONDRIACIS MENSTRUIS.


VIr duodequinquaginta annos natus, rerum medicarum ſcientiſſimus, mœrore ob unici filioli præmaturum obitum confectus, & nuncio de vicinæ domus incendio accepto, conſternatus, horret aliquantulum, calore 24. horarum ſatis moleſto ſequente. Ab eo tempore ſingulis menſibus certo die infeſtatur acerrimis, anxioſis & cruciantibus dextri hypochondrii doloribus, qui primùm ventriculum, deinde cor ipſum occupant, mirum in modum comprimunt & anguſtant, atque interdum dextrum pectus usque in caput perreptant. Mox in primo dolorum inſultu adſunt nauſeabunda ſalivatio vix ante paroxyſmi vigorem ceſſans: quam ſequitur continua

uglosſum Echioides Indicum.



OB. CXXXIX.

Apocynum Indicum minus Nummulariæ foliis



Ad OBS. CXXXVIII

BRITISH
NATURAL HISTORY.

ad ſeceſſum, in quo tamen vix aliquid notatu dignum excernitur, dein ad vomendum ſtimulatio, nullo tamen vomitu, niſi in ſummo paroxyſmi furore, ſubſequente: oſcitationes & ſpandiculationes frequentes: irrequietus & gravior in latus ſiniſtrum præ dextro decubitus. Enematis & aliis carminativis medicinis fruſtra adhibitis, ſolâ mannâ in aqua flor. chamæmel. compoſita, exhibitâ in principio implacabiles iſti dolores potuerunt coërceri, quæ tamen in morbi progreſſu ſtatim vomitu rejiciebatur. Tum ſyrupus de papavere ſimplex profuit. Tandem Apozema aliquod egregiè purgans biennium poſt primam invaſionem uſurpatum, paroxyſmum præcavere viſum eſt, non neglecto per intervalla hauſtu ex eſſentia flor. hyperic & Elix. Propr. cum vino abſinthiaco.

Miſſis aliis hoc unum excell. Dnn. Curioſis perpendendum exhibeo, *cur menſtruam hi dolores obſervaverint periodum*, h. e. eodem ferè die ſingulis menſibus redierint, ut inde non immerito *menſtrui hypochondriaci dolores* poſſint vocari, cum tamen paroxyſmi dies neque fuerit viri natalis, neque filioli emortualis. Memini incomparabilem Ballonium quater in anno in magnis quatuor anni mutationibus febriculâ tanquam diariâ prehenſum, cum totius corporis gravitate & inappetentiâ maximâ 1. Conſil. 48. in Islandia quovis anno vigeſimo variolas recurrere excell. noſter *Bartholinus* narrat *cent. 3. epiſt. med. 90.* Quis vero ſimile quid unquam accepit de malo hypochondriaco? unde ego manum de tabula, ne quis mihi illud Hippocratis μηδὲν εἰκῆ, μηδὲν ὑπερορᾶν oggerat.

[*In litteris ad Dn. D. Majorem, Kiliam 5. Cal. Febr. ann. 1674.*]

OBSERVATIO CXLI.

D. JUSTI CORTNUMMII

DE

PARAPLEGIA BRACHII A TUMORE.

PUello elegantiſſimo 10. Decemb. ann. 1672. honeſtiſſimis parentibus recens nato dextrum brachium ἀπὸ τοῦ ἀγκῶνος in extremos usque digitos dependebat paraplecticum. Sive enim id totum, ſive digitorum unum aut alterum elevares, mox in priſtinum labebatur ſtatum.

Mater puerpera multis lacrumis meam petiit opem. Jubeo obſtetricem faſcias & involucra puelli ſolvere; explorando alia omnia optimè

conformata invenio, præterquam in anteriore humeri oſſe prope cubiti flexuram, ubi frequenti contrectatione tumorem ad pollicis longitudinem craſſitiemque durum & renitentem ipſi oſſi incumbere. Ratione ſubductâ colligo, vaſa ſpiritus in muſculos deferentia à tumore iſto comprimi. Parentibus ergo bono animo eſſe juſſis, curo emolliens emplaſtrum apponi & biduum relinqui, quibus elapſis iterum tango tumorem & aliqualem ſentiens mollitiem, pollice eum fortiter comprimo & hinc inde moveo, ſi forte vaſa complicata poſſem ſejungere. Res ex voto ſucceſſit, & impoſito vicisſim eodem emplaſtro tumor intra paucos dies prorſus evanuit. Brachio vero cervicibusque aquâ paraplecticâ optimâ & oleis convenientiſſimis inunctis, rediére indies tam digitis quam toto brachio ſenſus & motus, quo puellus jam, Deo ſit laus, æquè ut ſiniſtro utitur, ex naturæ inſtituto convenientiſſimè.

Docebit obſervatio hæc novellos Doctores praxin auſpicaturos, periculo non vacare, non intellectâ morbi eſſentiâ, remedia decernere; ſi enim ψυχαγωγικοῖς ab initio ſtatim militaſſes, ut non-nemo hodiè docere videtur, è ſequaci & morigero tumore, in iſtâ ætatulâ, levi negotio rebellem ſcirrhum feciſſes, atq; curabilem paraplegiam in incurabilem convertiſſes.

OBSERVATIO CXLII.

D. GEORGII SEGERI

DE

HEPATE INSOLITÆ MAGNITUDINIS, ET VARIIS ALIIS IN ANATOME INFANTIS OBSERVATIS.

ANno 1672. menſ. Oct. nata G. W. civi ac mercatori Thorunienſi è primariis haud poſtremo, filiola egregia, optimæque, ut videbatur, conſtitutionis, quam etiam per medium annum integram ſervaverat. Aſt hoc elapſô, varia infantem affligere cœperant accidentia, quæ tamen, quia levia, facilè ſuperabantur. Usq; dum ſub medium Julium anni præteriti 1673. ingraveſcentibus malis in ſubſidium me vocavit parens. Apparebat tumor totius abdominis durus, qui in hypogaſtrio tantus erat, tamque dolorificus ac plumbeus, ut ibidem magnum latitare ulcus nemo ambigere potuerit, & quia puella omnem medicamentorum uſum cum ſummo averſabatur horrore, pro deplorata habebatur ab omnibus.

Pugnatum interim eſt inunctionibus atq; cataplaſmatibus, emollientibus digerentibusq;,quibus id tandem,Deo benedicente,obtentum, ut ſub Auguſti incrementum, magnâ puris copiâ per aliquot dies cum lotio ejectâ. melius ſe habere cœperit puella, & abdomen detumuerit. Unde omni adhibitô aſtu id tandem obtinuimus, ut ſyr. de tribus infuſ. cochleare unum abſumſerit illa. Cœterùm vix elapſis aliquot ſeptimanis rediêre priſtinæ infirmitates, quæ tamen, ubi maculæ quædam ad inſtar ſcorbuticorum, in pedibus imprimis & collo, eruperunt, denuò remiſerunt, ita ut rurſùm reſtituta crederetur puella. Idem poſt tres ſeptimanas iterùm accidit.

Et licet poſtmodùm quædam medicamenta aſſumſerit, accedente tamen diarrhœâ, viribusque proſtratis, die 18. Decembr. naturæ debitum ſolvit, erumpentibus denuò in pedibus dictis maculis. Poſt mortem, aperto à chirurgo Petro Puls, me præſente, corpuſculo, omentum cum meſenterii magnâ parte putredine conſumtum apparebat. Hepar verò inſolitæ magnitudinis pallidique coloris totam ferè cavitatem abdominis repleverat. Quod exſciſſum, pondere ſuo ſesquilibram civilem ferè æquabat. Veſicula fellis ſatis magna bile ſubpallidâ ſcatebat. Lien nigricans, quadratus & ſcirrhoſus, vix triuncialis erat magnitudinis. Ventriculus cum veſica urinariâ, nihil peculiare fovebant. Pancreas putridum erat; Inteſtina flatibus diſtenta videbantur. Ren uterque eam magnitudinem, quæ in adultis occurrit, obtinebat. Horum dexter ſatis naturaliter erat conſtitutus, ſiniſter verò diſciſſus copioſam fundebat ſaniem, in quam tota renis ſubſtantia ita mutata erat, ut diffluente pure ſola vaſorum concurrentium interſtitia, quæ apum loculamentis haud abſurdè comparat Highmorus, remanſerunt. Pulmones flaccidi & ſubnigricantes, inque plurimos lobos diviſi, cor juſtò exiguum & pallidum ſtipabant. Plura ſcrutari non licuit. Hoc quoque addo. Infantem hunc per totum vitæ ſuæ curriculum nunquam ſudaſſe, etiam aſſumtô ſudoriferô,

OBSERVATIO CXLIII.
D. GEORGII SEGERI
DE
ESU RERUM ABSURDARUM.

PIcæ in gravidis plurima exempla annotarunt authores, ita ut niſi cibi, quem eligunt, inſolita abſurditas raritatem iis conciliet, vix jam rarioribus obſervationibus mereantur annumerari. Unde nec ego Wenceſlai Petri, civis Thorunienſis & fabri ærarii uxorem, quæ anno 1663. gravida me præſente arenam glareoſam humidiorem orbi impoſitam, & è cella ab ancillâ ſibi allatam, copiosè ſine noxa devoravit, filiolumque ſanum die 21. Septembr. peperit, mentionem injiciam. Quia tamen infrequentior ſolet eſſe pica illa, quæ infeſtat virgines, & inprimis illas, quæ adhuc minùs ſunt nubiles, in theatrum jam produco virginem, generis & virtutum laude Thorunii maximè conſpicuam. Ea octavo ætatis anno vix ſuperato, eſu calcis cum limo & arenâ miſtæ, quâ parietes ferruminare & cruſtare ſolent, ita delectari cœpit, ut ſæpè & citra voluntatẽ ſuam è pariete illam abraſerit atq; deglutiverit. Tandem tamen evanuit inordinatus iſte appetitus, poſt ſe relinquens pallidum faciei colorem, ſimilium nimirum eduliorum effectum ſolitum. Cœterùm dum hoc ſcribo, incidit mihi in memoriam Pragenſis ille παμφάγος ſeu omnivorus, cujus meminit piè defunctus *Sachſius* noſter, *in fine ſcholii ad obſerv. 83. anni 1 Ephem. Germ. Curioſ. pag. 202.* hunc communi nomine Pellivorum den Peltzfreſſer vocârunt incolæ. Is anno 1659. die 26. Junii ante meridiem me cum aliis præſente & procurante, pretio unius aurei nummi conductus, porcellum vivum ſatis grandem, pro quo binos ſolveramus imperiales, unà cum cute ſetigerâ fruſtillatim devoravit, non niſi ſale pro condimento utens, & interdum cereviſiæ hauſtum ſuperbibens. Interrogatus à me, an reverà gratum aliquem perciperet ſaporem, gratiorem ſibi hunc eſſe cibum crudum affirmavit, quàm ſi coctam voraret carnem. Omnibus autem prætulit linguam, quam etiam è faucibus porcelli vi extractam, dentibusque mordicus ablatam avidiſſimè deglutivit. Idem & lyttam, vermiculum illum in lingua canum, ut *Plinius lib. 29. cap. 5.* loquitur, exiſtentem, quem tùm juniori cani meo eximere curavi, non quidem ut ſe à rabie immunem redderet mando, quas vires vermi illi adſcribit Plinius, ſed ut pretium qualecunque reportet, crudum devoravit.

OBSER-

OBSERVATIO CXLIV.

D. GEORGII SEGERI

DE

ROBORE CORPORIS INSOLITO.

PRodigioſi roboris exemplum Manocius ille Heros Simſon præbet, de quo Sacræ Paginæ. Præter quem tamen & alios quoque admirandas obtinuiſſe corporis vires, ex authoribus fit manifeſtũ. Sic Turnum extollit *Virg. Æneid. lib XII. v. 899.* Baronem quendam Sileſiacum *Sachſius* noſter *in Ephem. Cur. Germ. anno I. obſ. 98. p. 228.* Alia autem exempla collegerunt, *Plinius hiſtor. nat. lib. 7. cap. 29. Et Jonſtonus Thaumatvgr. nat. claſſ. 10. cap. 8.* His addo Chriſtophorum Bavariæ Ducem, Alberti Tertii, cognomento Pii, in repetito matrimonio ex Eliſabeta Wirtenbergica Anno Chriſti 1449. ſuſceptum filium, qui anno 1493. in reditu ex Palæſtinâ mortuus eſt Rhodi. Is ſaxum prægrande, libras 340. pendens, anno ante obitum tertio, ætatis 41. è humo ſuſtulit, atque longè à ſe projecit. In cujus facti fidem ſaxum illud, catena ferrea ad interiorem auguſti illius palatii, quod Monachii eſt, ingreſſum, affixum jacet, adſcriptis in pariete ſequentibus rhytmis Germanicis, quos anno 1659. & legi & deſcripſi:

Alß nach Chriſti Gburt gzehlet war/
Tauſend vierhundert neunzig Jahr/
Hat Hertzog Chriſtoph hochgebohrn/
Ein Held von Bäyern außerkohrn/
Den Stein gehebt von freyer Erd/
Und weit geworffen ungeferd/
Derwigt dreyhundert viertzig Pfund/
Des giebt der Stein und Schrifft urkund.

Hi Latinè ita fortè redderentur:

Annos bis ſeptem centenos, luſtra novemque
Virginis à partu numerant bis, Bavarus hic Dux
Chriſtophorus poſtquam nervoſo robore ſaxum,
Tricenas denasque quater dans pondere libras,
Suſtulit, inque patens ſpatium projecit abinde;
Quod lapis, & muro quæ ſunt inſcripta docebunt.

OBSERVATIO. CXLV.

D. GEORGII SEGERI

DE

PISCIUM AUDITU.

PAlam eſſe, quod piſces audiant, olim jam monuit *Ariſtoteles in Hiſtor. de Animal. lib. 4. c. 8.* cujus rationes ſeptenariô numerô incluſit, genuinus ejus interpres *Jul. Cæſar Scaliger in Comment. ad hunc locum pag. 479. & 480.* Illis adſtipulatur & *Nierembergius in hiſt. nat. lib. 3. c. 9. p. 36. b.* qui majoris illuſtrationis gratiâ hæc inter alia profert verba: Tintinnabuli ſono in multis ſtagnis ad cibum vocati piſces accurrunt. Quæ vera eſſe ego olim ipſemet obſervavi. Cum enim anno 1659. unà cum amicis quibusdam amplum & amœnum Illuſtriſſimi atque Reverendiſſimi Archiepiſcopi Salisburgenſis hortum, extra Salisburgam ſitum, contemplaremur, ad piſcinam quandam, lapidibus variis in fundo ſtratam, deduxit nos hortulanus: Ea limpidiſſimâ aqua ſtagnans piſcibus quidem expers apparebat, ubi verò proximũ tintinnabulum pulſavit ille, ex omnibus angulis & piſcinæ lateribus concurrerunt truttæ in magna copia, quibus cibum ſuppeditavit, quô abſumtô ad latibula redierunt iſtæ. Hortulanus autem non aliô, quàm hoc modô ſe eas ad cibum capiendum convocare ſolere affirmavit. Nos verò cum poſt ſemihoram obambulando, ad hanc piſcinam denuò reverteremur, pulſato tintinnabulo truttas copioſè ad locum conſvetum iterùm accurrentes jucundô obſervavimus ſpectaculô.

Cæterùm, licet ſatis manifeſtum jam ſit audire piſces, quô tamen organo auditum perficiant, nondum liquet. Expendant curioſi ſequentia ingenioſiſſimi *P. Athan. Kircheri* verba, quæ leguntur *in Muſurg. univ. lib. 1. c. 2. p. 13.* ſuntque hujus tenoris: Piſces (quibus pulmo, quô alia animantia ſpiritum atque aërem ducunt redduntque, deeſt) quâ parte audiant, à nemine adhuc penitùs exploratum eſt. Utrum enim foramina ante oculos poſita ad audiendum aut ad odorandum data ſint, etiamnum ambigitur: Horum tamen quibusdam aures omninò deeſſe certum eſt. Nam qui oculis, iidem auribus carent, ut mytuli, oſtreæ, omniaque dura teſta intecta; quæ etſi ſe contrahant, cum ferreis hamis appetuntur, agitatione tamen aquæ potius ſentire, quàm

audi-

auditione audire videntur. In reſpirantibus verò piſcibus ac pulmonem habentibus, ut in balenis, delphinis, vitulis marinis, aures haud latitant, quamvis in iis meatus exterior inveſtigatu ſit difficilis. Piſces enim intra aquam, tanquam intra medium craſſius ſpecierum ſoni retardativum, uti obtuſè audiunt, ità tàm exquiſitum quoque organum auditûs non habent, ut reliqua animantia terreſtria, quæ in medio aëre degunt. *Hæc Kircherus.*

OBSERVATIO CXLVI.
D. GEORGII SEGERI
DE
ASTHMATE ET RAUCEDINE IN DENTIENTE.

NObilis & ſpectabilis viri Thorunienſis Dn. S. S. filiolus bimulus, hoc 1674. anno, & illo, qui iſtum præceſſit, quotiescunque dentes, ſive illi primores fuerint, ſive canini, ſive molares, emiſit, toties aſthmate cum raucedine ita ſubitò ſimul vehementer corripiebatur, ut in præſentiſſimo mortis periculo conſtitutum eum judicaremus omnes, & diligenti ſtudiô circumſpectaque curâ anguſtum ſpiritum ad plenum usque egreſſum dentis demulcere aliquoties coacti fuerimus.

OBSERVATIO CXLVII.
D. GEORGII SEGERI
DE
GANGRÆNA EX TERRORE MATERNO EMBRYONI IMPRESSA.

QVanta quàmque diverſa mala embryonibus ſuis imprimant matres errantes, plurima docent exempla, ab authoribus conſignata. Ego illis bina jam addam, Thorunii à me obſervata, quæ rarioribus annumero, quia artûs infantum, uterô adhuc incluſorum, ex terrore, quô matres affligebantur, gangrænam contrahere, rariſſimè contingit. Cum anno 1667. die 13. Julii Regii Commiſſarii, ita volente Sereniſſimo, templum S. Jacobi, quod in novo oppido eſt, monialibus traderent, uxor gravida cujusdam viri literati, ibi habitantis, durante occupatione, inſigni anxietate & terrore angebatur.

gebatur. Hæc quintô pòſt die enixa eſt filiolam, cujus dextri pedis digitos omnes ipſamque pedis plantam, & ſiniſtri digitos binos gangræna ita corripuerat, ut vix aliquam ſcarificationem ſentiret. Noſtrâ tamen & chirurgi Antonii ſedulitate, benedicente DEO, plenam recuperavit ſanitatem, amiſsô tantùm primô dextri pollicis articulo. Sic cum anno præcedenti 1673. die 4. Novembr. à meridie domus quædam in novo oppido flammam concepiſſet, & hæc antequam reſtingveretur, ſuperiores illius contignationes confeſtim abſumſiſſet, Joh. Tirſelt, fabri bombardarum uxor gravida ſcintillas cum fumo aſcendentes pavente animo oculisque ſuſpenſis obſervans, die 14. Decembr. puellam peperit, cujus utrumque crus gangræna occupaverat. Quartô poſt nativitatem die ego vocatus citò gravi hoc malo ut inſtanti chirurgus vocetur monui. Accerſitus Bartholomæus Toubenheim, ſenex longâ experientiâ clarus, atque hactenùs Sereniſſimorum glorioſiſſimæ memoriæ Regum, Vladislai IV. & Joh. Caſimiri chirurgus fidiſſimus, qui debitâ diligentiâ tenerrimæ ægræ proſpexit. Sed tamen fruſtrà. Licet enim ſigna ſeparationis, ſanæ carnis à corruptâ apparere inceperint, deficientibus tamen viribus, octavâ ætatis die, quæ erat 21. Decembr. exſpiravit.

[*In literis ad Collect. Ephemeridum, menſe Febr. anni 1674.*]

OBSER-

OBSERVATIO CXLVIII.

Sive

CASUS HYDROPIS ASCITIS CUM HYDROMPHALO

enodatus

A

JOHANNE SCULTETO, NORIBERGENSE PHIL. & MED. DOCTORE,

cui inſerta eſt

Diſceptatio ſanè ardua & intricata

de

GENUINA HYDROPIS ASCITIS SEDE, hactenùs à plurimis negligenter habitâ,

ut &

de

PARACENTESEΩΣ VERA AC PERFECTA ADminiſtratione contra vulgi opinionem, graviſſimè circa hanc operationem chirurgicam impingentem.

STAT GLORIA JUNCTIS
MORUM ET VIRTUTUM
FACIS AD INSTAR DUPLICATUS SPLENDOR
INDE REFULGET
URIT ET HOSTES.

Quis itaque tàm inhumanus, modò dixiſſem alienus eſt,

VIRI S. R. J. JOVIS Patrocinio hactenùs freti O. M!
qui vitio vertat,
quòd

CASUM HYDROPIS ASCITIS,

Anno poſt redemtum mundum milleſimô, ſexcenteſimô ſexageſimô tertiô,

in publico conſeſſu

Incluti Collegii Medici Noribergenſis
enodatum & recitatum,

Eundem

Et VOBIS, fulgentiſſima Machaonis Sidera!
denuò evolvam?

Eſto igitur:

Juncti ſint labores noſtri!

SIC
MORUM ET VIRTUTUM
GLORIA SURGET
LIMINE TALI.

PRÆ-

PRÆFATIO.

ad

Inclutum Collegium Dn. Dn. Medicorum Noribergenſium.

VEreor, VIRI Nobili Aſclepiadeâ Sapientiâ Eminentiſſimi, Celeberrimi, Collegiali Societate mihi conjunctiſſimi, Amiciſſimi! Vereor, inquam, ne vox illa, dum de jam agitatâ atq; binis, immò ternis vicibus quàm doctiſſimè excogitatâ, pertractatâve materiâ iterum ad Vos ſermonem facio, graviter in hæc mea redundet:

Occidit miſeros crambe repetita Magiſtros.

Quid tandem reſtabit, quæſo, ulteriùs tàm docto Conſeſſui Veſtro in hoc argumento proponere, quod nauſeam, ſtomachumve movere non valeat? Equidem vix certus ſum, pergámne in propoſito caſu, num planè ſileam? Venerabilis verò expectatio Veſtra, VIRI χαριέστατοι, jam aliundè procraſtinandô laceſſita, facit, ut audacior factus, inundationis Microcoſmicæ caſum tertium vobis proponam.

Quod, dum præſtare conor, Vos Medicæi Fani Proceres Nobiliſſimos Dnn. Auditores, longô rerum uſu & ſagaciſſimâ Experientiâ Clariſſimos, ut me de difficilioribus in hâc materiâ diſſerentem, immò balbutientem potiùs Benevolentiâ Veſtrâ ſublevetis, eâ, quâ par eſt, animi demiſſione oro & obſecro. Quod reliquum ſupererit temporis, doctiſſimis Veſtris calculis comprobare, vel ſimilium hiſtoriarum, ut volunt leges noſtræ, recitatione longè ſvaviſſimâ mea demulcere ne dedignemini, quò viliora hæccc, Veſtrô colluſtrata favore, majori jubare fulgeant.

CASUS.

VOcatus ego in ſuburbium noſtrum, portæ B. Virginis vicinum, ad fœminam ægrotam, ut ei in caſu difficiliori opem ferrem medicam, ſtatim per diſcurſum, non per hiſtrionicas ambages, ut ſolent quidam, qui neſcio queis geſticulationibus ludicris, verborumque deliriis, ægrum, aliàs lethaliter, ſæpe decumbentem, excruciant, morbumque inſulſis ſuis garrulitatibus exacerbant, ab Hippocratis & Galeni, Principum Medicorum, doctrinâ non diſcedens, eam circa multa interrogo.

Noſtis enim decem ſumma ac præcipua iisdem eſſe capita, in quibus ex modò citatorum medicorum, *Hippocratis, lib. de internis affectionibus, & Galeni 4. ſanit. tuend. cap. 4.* interrogandi ſunt ægri: *Primô*, quæ patiatur, ſive quis morbus, qui eum affligat: *Secundô*, quot ſint dies decubitûs, aut morbi, à quo laborare cœperit; *Tertiô*, ex quâ cauſâ morbum contraxerit: *Quartô*, quem victum obſervârit; *Quintô*, an venter ſuccedat, nec ne: *Sextô*, ex quô humore morbus producatur; *Septimô*, an morbus ſit in principiô, num in augmento, in ſtatu ne, an verò in declinatione: *Octavô*, an ſoleat ſponte ſuâ pravum generare ſuccum; *Nonô*, an aliqua deſierit evacuatio naturalis; & tandem *decimô*, quomodo ſe habeat ad exercitium. Quæ omnia quidem ex ſequentibus manifeſtiora fient. Hiſtoriam caſus enodandi propono talem:

Fœmina licet plebeja, & vulgaris vitæ, honeſta tamen, temperamenti ſanguineo quondam melancholici, annô ætatis ſexageſimô ſextô ſentire cœpit circa ventriculum gravitatem quandam, quæ ipſum abdomen totum occupare, idemque extendere videbatur, quin immò umbilicum eo usque inflatum, ad pugni magnitudinem protuberantem, cum dolore & motu hypochondriorum, fluctuatione ac pondere aquæ preſſum ſentiebat; ſitis erat minimè tolerabilis, aliquando ad plurimos dies febre carebat, aliquando vel leviter ſaltem ab ea tentabatur; pedes in principio, uti referebat, parùm elati, poſt incrementum ſumſere in immenſum: urina erat pauca, ruffa, interdum citrina, & quaſi aquâ diluta; pulſus parvus, durusve. Vires ſumebat morbus per integros, ut poſt obitum narravit maritus, decem menſes, priusquam eidem ſalutari conſilio obviare appeteret: neque id quidem primò ſtatim conſecuta fuit; ſiquidem hecubæ cuidam malè feriatæ, dem Weber-Ehlein/ ita namque vocabatur, unde morbi ſui magni expoſcit medelam ineptam, curam τȣ̃ ὑδρωμφάλȣ commiſit, quæ pro ingeniô ſuô, viribusque, quibus ſtolida illa falſò ſibi perſvaſa in medicâ arte pollebat, eminentiæ umbilici ceratum appoſuit ſatis tenax, robuſtúmve, valdèque attrahens, quod adhæſu ſuô dolorem inferebat non mediocrem; unde enatam tenuem transparentemque pelliculam protuberantiæ, poſterâ die hecuba revertens cum removere vellet ceratum, rupit ad latera umbilici; inde aquæ copia ſat magna ubertim effluxit, absque tamen ægræ ſingulari virium detrimentô. Viſô hoc, hecuba confeſtim ceratum heſternum denuò applicuit, loco jam disrupto, ægramque

grámque vanâ ſpe reditûs poſt prandium lactavit, immò fraudulenta planè deſeruit: unde in binos alios ejusdem fidei homines medicaſtros incidit, qui ægram vaniloquâ garrulitate plùs enervaverant, quàm ſalutari conſilio eidem profuerant; quorum impoſturæ pertæſa, meam tandem imploravit opem, quam pro virili quidem ſpopondi, eamque eo usque præſtiti, donec eductâ pro viribus aquâ, & conſolidatâ labe, pedem domô efferre, & publicum, licet ægrè ſatis, frequentare potuiſſet. Sed vitæ, victûsque errores hanc nondum, vel vix reſtitutam denuò eò deduxêre, ut recidivam pateretur; & poſt aliquot à primâ dimiſſione ſeptimanas, alterâ vice decumberet; ſiquidem plus genio palatóve ſtuduit, quàm ſanitati. Effractis hinc per παλινδρώμην ſecundâ vice aquarum cataractis, iisque pro facultate iterùm depletis, dum de corroboratione viſcerum agerem, & pro exhauriendâ ſentinâ excubarem, ipſaque meliùs ſe quodammodò haberet, ſoſtrô liberali præter ſpem me donavit; medicamenta verò modò præſcripta ulteriùs aſſumere negavit. Verùm vix octodecim abiêre dies, à ſecunda dimiſſione, ubi & tertiò à marito vocatus ſub initium decimi quinti menſis, à quo facta fuit ὑδρώμφαλος, comparui, ubi decumbentem noſtram delaſſatam, omnibusque viribus inermem deprehendi, facie Hippocraticâ, oculis torvis truculentisve, ore diſtortô, pulſu nutante, mox planè dehiſcente. Inquiſivi in cauſas tàm præcipitis dejectionis virium omnigenæ deque decubitûs hujus lethalis ratione; reſponſum accepi, id omne ex irâ concepiſſe: fati proximam eſſe, marito, adſtantibusve cum innuerem, ægrota ad ſermones mecum mutandos impos, manu renuit auxilia ad unum omnia, atque per quatriduum agonizans, tandem ſeptimâ, à præconceptâ irâ, die vitam cum morte commutavit. Si longior fortè fui in enumerandâ hiſtoriâ, ne vos malè habeat, Sacratiſſima Machaonis Lumina, quæſo, ſiquidem perſpicuitatis gratiâ id feci. Eſto itaque cum jam Humanitas Veſtra hoc bihorium caſui meo, certè rudi Minervâ ſoluto, nec ad mentem plurium guſtúmve elaborato, tribuerit; ſiſtam me ut medicum generoſum, & arte Hippocratiâ dignum, qui non per experimenta vagatur, ut illi, qui nil niſi veram medendi methodum vociferantur, empiricam tamen ſuam in curandis ægrotis ſubtexunt. Quare alienus ab his, juxta principia illa veræ rationis, Hippocraticamque veritatem aggredior pro præſenti res naturales, non naturales & præter naturam conſiderando; quæ ratio tum in deliberando, tum cum ægrotis verſando, Hippocrati æquè ac Galeno in uſu

fuit,

fuit, ipſæque decantatisſimæ ſcholæ medicæ per univerſam Italiam hodiénum retinent. Rerum non naturalium ordinem primò obſervantes, dum tria prima quæſita medica ab ægroto attendimus, offert ſe divinus ſenex Aphoriſticô ſuô dicteriô *22. ſect. 3. autumnô æſtivi etiam morbi multi fiunt, & febres quartanæ & erraticæ, lienes, aquæ inter cutem, tabes, urinæ ſtillicidia, lienteriæ*, &c. nec injuſtè, quia hujus morbi initium conjecit ipſa ægrota in præcedentis anni menſem Septembrem, ubi dolore obſtructionéve lienis intenſiſſimè laboraverat: Ob corporis tamen vires adhuc pluſculum conſtantes, licet annoſa fuerat, morboſum hunc ſtatum eò usque perferre potuit: aliàs ſub dio & in aquis & circa aquas vitam quærens, unde corpus præhumidum ſatis obtinuit. Res naturales quod attinet ſanguineo-melancholicam dixi, immò ad poſterius temperamentum ſub ſenectâ potiùs vergens, à mutato habitu & temperie, ob adverſa maximè à familiaribus ſuis perpeſſa, quæ ſecum agitando reticuit: Ætas quin etiam erat LXVI. annorum, huic temperamento aliàs proclivis, magisve conveniens, cœli ſolisque injuriarum per ſe impatiens, quas tamen nocte dieque ad vitæ neceſſariam ſuſtentationem, victumve quærendum, ultra vires ferre haut grave tulit. Parum igitur abeſt, immò vel nihil, ſi ex erratis in rebus naturalibus, ſive ratione victus, morboſa facta fuerit, qui cardo eſt tertii, ſive rerum præter naturam; ex quo, ut conſtat, facta fuit Aſcitiă, quæ eſt ſpecies hydropis, & quidem hydropis κατ' ἐξοχὴν dicta, ipſô Hippocrate & Jacchino idem perhibentibus: famoſior ſiquidem hydropis ſpecies eſt, emenſurando ſcilicet tanti nominis pondus. Hæc ſanè evenire noſtræ ut potuit, ita debuit, rebus non-naturalibus, naturalibúsve in unum ſpirantibus, ſcilicet in hunc affectum præter naturam; qui ἀπὸ τοῦ ἀσκοῦ ab utre, ex Gal. Comm. in 4. Aph. 11. nomen ſortitus eſt; quod inſtar utris aquâ pleni tactu percipiatur, & reclinatione factâ in latera, veluti fluctus aquæ intra peritonæum & inteſtina fieri ſentiatur. Definitur fortè, quòd ſit tumor præter naturam à collectione aquoſi, ſeroſi & ſalſi humoris, cum vitio partium ſanguinem depurantium, eundemque perfectè elaborantium; puta cordis, hepatis, lienis, pancreatis, meſenterii, vel renum ſubinde exortus, atque in cavitatem abdominis tàm per venarum & arteriarum ductûs manifeſtos, ipſaque vaſa lymphatica, quàm vapores planè cœcos & inaſpectabiles, intra peritonæum, omentum, tunicas, inteſtina, cum ſcroti & crurum quandoque diſtenſione, effuſus.

De-

Deſcriptionem excipit loci affecti conſideratio; ſed cum de eo ipſo ſatis ambiguæ circumferantur Doctorum ſententiæ, pace Veſtrâ fuſiora paulò proponam quædam, quæ circa epar refrigeratum ex Galenicorum ſententiâ acriter defenduntur, quæ contrariam potiùs rationem ſvadent. Scio equidem ex gratioſo noſtro ordine plures fore, qui acriori judicio hepatis ſangvificationem illam plenariam improbantes, cordi cum doctiſſimis viris, Anatomicis ſolertiſſimis, divino illi promo ac condo eam tribuere ſatagunt. Nam ſi ex communi medicorum ſententiâ liceret de loco affecto hydropis fari, certè plauſores obtinerem plurimos, præcipuè verò eos, quibus ſecretior anatomes cultus, ipſiusque veritatis inveſtigatio abominabilis hactenus viſus, atque contemtui habitus: Verùm

ſtat contrà ratio & ſupremam gannit in aurem

è diverticulo in viam redeundum eſſe, iisq; adſtipulandum, quibus ſanctior ac reverentior cultus talis habetur, ipſiusque veritatis certiſſimus index αὐτοψία arridet, ſentientes, in omni hydrope læſam eſſe ſangvificationē, fractâ tamen hâc, non ſtatim lædi hepar, ratio ſvadet: hinc qui contrariantur nobis, nullatenus extricare ſe poſſunt, quando ſectis hydropicorum cadaveribus hepar ſæpè ſalvum deprehendunt, dein ceu θαύμα ταυμάτων obſervationibus ſuis addunt, Sybillinisque foliis dignum cenſent, quisquiliarum ſuarum veneratores; exceptis pauciſſimis, quos æqvus amavit Jupiter, quibúsve

de meliore luto finxit præcordia Titan:

qui oculatâ experientiâ firmatôque hinc probè judiciô edocti, hepati colatorium potiùs officium, quàm abſolutam αἱμάτωσιν adjudicant: cum ſæpè ſæpiùs hepate & liene ſalvô, vel unô horum tantùm affectô hydropis periculum timendum ſit. Cauſa hæc fuit, quòd, præter Avicennam & Galenum, Viri non-ſpernendi in aliam de loco affecto in hydrope abire ſententiam coacti fuerint, aut de eô ſaltem ceſpitandô ſentire; quod ſi ipſi etiam de ſangvificio hepatis negatô certi fuiſſent, ſanè accuratiori judiciô ſedem hydropis definiiſſent, & fortè tali modô in dubium vocâſſent: Si iſtud organum, cui vera & exquiſita vis ſangvificationis accenſetur, & ſeri hydropici originatio præternaturalis debetur, meritò pro ſede hydropis habendum, ſequitur, non hepati ſolùm, quod hactenùs, tanquam pro aris & focis militantes, nonnulli adſtruxêre, mordicus, ſed his, in quibus depuratio & ipſius ſangvinis vera abſolutaque elaboratio debetur: Sed verum prius; Ergò & poſterius

rius. Majoris ſive Antecedentis ratio eſt non tàm Galeni & Avicennæ, quàm vulgatiſſimæ ſcholæ medicæ omninò, immò & antiquiſſimæ: quæque nec hâc vice non niſi à contentioſo in litem vocari poſſunt, nec ſubmoveri. Conſequentis ſive Minoris probatio fortè talis erit: Cui deeſt cauſa efficiens proxima ac præcipua, deeſt quoque effectus iſtius cauſæ; Atqui hepati deeſt cauſa efficiens proxima ac præcipua perfectioris & abſolutiſſimæ elaborationis ſanguinis, [contra mentem & aſſertum priſcorum medicorum, qui ad propugnandum dogma ſuum etiam convitiis idem evincere non erubeſcunt,] Ergò deeſt etiam illi effectus iſtius cauſæ. Et cui deeſt effectus ſangvificationis, quomodo de eo poteſt negatio, ſive privatio & error hujus effectûs dici: Jam verò cauſa efficiens hydropem proxima & præcipua eſt ſangvificationis veræ & perfectæ negatio, ſive, ut rectiùs dicam, læſio. Verùm cum de hoc parenchymate, quod verè ac perfectè ſanguinem elaboret, nullatenus dicitur; ſiquidem nomine tantùm chylus per lacteas hepaticas in portam & cavam jecoris delatus, ab excremento bilioſo depuratus ibidem, in ſanguinem quidem tranſit; ineptus tamen adhuc eſt corpori noſtro alendo: ſiquidem tum demum per ſurculos quoſdam venæ cavæ in cavam abit, & una cum ſanguine profluente ad cordis dextrum ventriculum, ſive ad ἀρχὴν τοῦ θερμοῦ καὶ τῆς ζωῆς deducitur. Hinc denique in arteriam pulmonis, quæ cum venâ ejusdem per anaſtomoſes unita, in illum refrigeratum & contemperatum ſanguinem deponit. Tandem in ſiniſtrum cordis ventriculum mittitur, ibique ultimam perfectionem ſuam conſequitur laudabilem, dehinc in arteriam magnam imprimitur, in cujus orificio ad oſtium ventriculi, tres adſtantes valvulæ tricuſpides, omnem ſanguinem retrogradientem impediunt. Hinc, tanquam ex architriclinio, omnis alimenti diſpenſatio atque erogatio, ad univerſi corporis noſtri partes ſingulas meat; hinc per arterias nectar illud vitale totum hoc noſtrum vivificat. Ignoſcite, quæſo, VIRI nobili experientiâ excellentiſſimi, quòd anatomico diſcurſui ulterius vela dare animus ſit; ſiquidem res non carebit fructu. Chyli pars ſubtilior in inteſtinis à craſſiori & excrementitiâ ſeparata, ope lactearum à modò dictis inteſtinis ad pancreas tranſitum maturat, ubi, dum reſidet, deperditionis nullum eſt periculum, niſi excrementi, quod ibidem deponi debet, atque per ductum virſungianum in duodenum rejici: hinc longiùs à pancreate ad hepar inſumit translationis tempus, nec tantò vaſorum numerô eget, ac obtinuit tranſitus ille ab inteſtinis in pancreas

creas

creas modò dictum, in quo viſcoſum excrementum per modò laudatum ductum abit; aquoſum verò recipiunt glandulæ vicinæ, & ad renes immediatè mox ureteres ad veſicam urinariam emittendum deferunt. Humores autem excrementitii, quos pancreas à liene cum ſanguine revertentes recipit, per rami ſplenici ſurculos, pancreati oblatos hîc deponi, pariquе facilitate arterioſi ſanguinis excrementa, priusquam ramus ſplenicus ad lienem progrediatur, per ſurculos arteriæ cœliacæ excerni poſſunt. Immò per hunc totam penè melancholiæ ſentinam [præterquam quòd ab emulgentibus arteriis intercipiatur,] accumulatam evacuari poſſe, *Highmorus* credidit. Affectus enim utrisque ſunt communes, ſcirrhi & obſtructiones hunc & illud affligunt. Immò liene affecto, vix aut nunquam immune evaſit pancreas. Si itaque aliquô modô contingat, ut ductus hic obſtruatur, ut humores in pancreate affatim accumulentur, abſceſſus, ſcirrhi vel hydropes inde oriri poſſunt, reliquis viſceribus omnibus ſalvis & integris. Vides jam, quis etiámnum in noſtrâ locus affectus ſtatuendus? Sed pergendum. Arteriæ ſplenicæ, quæ multæ ſunt, nec ſolùm ad ſanguinem ducendum ad ejus nutritionem, ſed & ad excrementi evacuationem inſerviunt, à cœliaca ortæ, ſangvinis partem melancholicam, poſtquam ultimam in corde concoctionem ſuſtinuit, ad lienem deferunt, ac inde in ſubſtantiam ejus infundunt, ſicut emulgentes ſeroſam in renes ducunt, quam lien fermentat ac ſeparat, ſanguinem verò ſeparatum quantum ad ſui nutritionem inſervit, apponit, & quod relinquitur ſangvinis purioris, & ab excremento melancholico defœcati, per ſubſtantiam ejus percolatur, & cum ramo ſplenico communicatur, à quo in portam & jecur, atque inde per venarum anaſtomoſes in cavam, inde ad cor iterum deducitur, ut calorem & ſpiritus de novo acquirat, atque purus ab omni excremento, inde in aortam pro partium nutritione omnimodâ propellatur. Tenuior pars ſanguinis ſerum dicitur, cujus exceſſum præter naturam hîc accuſamus; idem naturaliter ſe habens, ut ad renes binos, [quorum actio eſt ſeri attractio, ejusdemque debita ſeparatio atque excretio] perveniat, cum ſanguine per cordis ſinum dextrum & ſiniſtrum in aorta duci neceſſe eſt, inde per emulgentes arterias à renibus virtute ſpecificâ attrahitur, ad quos, ubi per arterias illorum minutiſſimas pervenit, in ſingulas ſubſtantiæ partes diffunditur, cum aliquâ ſanguinis parte, & per illorum parenchyma, [ubi odorem urinæ fermentalem concepit,] ſervatô ſanguine pro ipſorum nutritione in cavi-

tatem quandam, [quam pelvim Anatomici peritiores vocant] cui inſeritur ureter, qui illud ſtatim ad veſicam defert, emandatur. Sangvis verò, qui extra venas effluxerit cum ſero, ſi bene ſe habeant renes, retinetur; ſin minus, ſi parenchyma illorum ſit laxum, & debilis eorum facultas, cum ſero ejicitur, & urinæ fiunt cruentæ. Sangvis verò, qui cum ſero per arterias in renes introducitur, cum in illorum nutritione totus abſumi nequeat, venis, quibus per anaſtomoſes junguntur arteriæ, emandatur atque hinc in venas emulgentes, & exinde in cavam. Excrementum autem, quod à digeſtione hâc per circulationem debitam, frequentem cohobationem, accuratam rectificationem ac abſolutam ſubtiliſationem ſeparatur, eſt materia alba, vel rubra, flava vel nigra, vel cujuscunque coloris in urinis contenta, à Practicis experientiſſimis hypoſtaſeos & enæorematis nomine ornatum: quod *Helmontius Tract. de Lithiaſi c. 4. §. 21. f. m. 37. col. 1. edit. Amſtelodamenſis anni* cIↃ IↃc XLVIII. ſtercoris liquidi particula cenſetur. Veniam date, quæſo, qui longior in hoc de loco affectô & ſero plurimùm de favore Veſtro mihi ſumſi: Dixi in præcedentibus renum eſſe ſerum attrahere, meque ductuum hepaticorum, ſive aquoſorum oblitum eſſe, quorum originem hepati accenſent Viri in anatomiâ noſtrô ſæculo verſatiſſimi, Bartholinus, Bilſius, Rudbequius, Schenkius, Rolfincius, Riolanus, Gliſſonius, aliique, quibus novi hujus oceani undam limpidisſimam favor numinis rimari atque penitiùs introſpicere concesſit; quorum ortus ab hepate vel veſica fellea veriſimilis eſt, ceu cujus porum ſequi in propatulo eſt, ſanguinis transfiltrandi gratiâ in hepate facti, ut ſcilicet in eo, ceu venoſisſimô noſtri corporis parenchymate adveniens ſangvis ab oneroſiore ſuo dilutulô quodammodò levetur. Hujus itaque lymphæ exceſſum præter naturam hydropis eſſentiam conſtituere quis negabit? Patet hinc, niſi fex, ſive amurca illa ſanguinis à balſamo illo divino, & nectare vitali legitimè ſeparatur, partes abinde ſuum recipientes nutrimentum facilè unà cum propriis actionibus lædi, atque dyſcraſiam nonnunquam ſatis deplorandam iis introduci, teſtatur experientia. Talis eſt cachexia totius corporis, partiumque ſpermaticarum omnium indiſpoſitio, cùm ipſis, tùm ſangvificationi, tùm ſeparationi, ſive percolationi definitis viſceribus, ubi ne ventriculus quidem ab omni culpâ abſolvi poteſt; cum ipſe ſæpiuſculè externum errorem exhibitorum ægerrimè ferat. Sæpiſſimè enim accidit, ut partes quasdam cibus in ſe contineat, particulis corporis non

ſolùm

ſolùm non cognatas; ſed & inimicas, adeò ut à naturâ nullô modô domari ac concoqui poſſint, ſed quocunque vagantur, & plurimas licet concoctiones ſubeant, nequaquam tamen mutantur, ſed naturam ſuam perpetuò integram conſervant. Quibus ſubſtratis obvium jam erit, laudatos veteres haut minùs appoſitè læſam ſangvificationem incuſâſſe; licet τὸ ὅλι ob temporis infelicitatem ipſos latuerit, attamen τὸ διότι benè perſpectum quod habuerint, copioſisſima illorum comprobant volumina. Omnem itaque aſciten ab impuro ſanguine, excrementis ſeroſioribus refertô, vel à qualitate quâdam peregrinâ corpori noſtro inimicâ, aut partium viventium ſolutione continuâ profluxiſſe animadvertimus. Non enim nos movet, quod in ejusdem argumenti exemplo *Nic. Fontan. lib. 1. Reſponſ. & Curat. Medicinal. f. m. 94.* dicit: Dari hydropem jecore ſalvô, nunquam vidi; ſi forſan alii, rarum id dico: niſi locuti fuerint de hydrope particulari; ſoli hepati locum affectùm tribuendo, ſiquidem experientiâ edocti ſcimus, *Tulpium* obſervâſſe eundem à ſolâ meſenterii exulceratione, alium ab ejusdem hydatibus innumeris; *Benivenium* à ſolo renum vitio; *Platerum* à renum exulceratione; *Benivenium* iterùm à veſica percuſsâ recitatum, reliquis viſceribus omnibus ſanis & ſalvis advertiſſe. Sic lienem vitioſum in hydrope vidit *Veſalius*, hepate planè ſalvô. Hinc *Dodonæus* ſe nullius corpus aſcitici apertum vidiſſe affirmat, cujus lien non fuerit tumidus & magnus; hâc de cauſâ putat ſolum tumorem lienis ad aſcitis generationem quandoque ſufficere. Idem ferè *Carolus Piſo* atteſtatur: Quisquis, *inquit*, attenderit feriò hydropicorum diſſectioni, fatebitur unà mecum ultrò, tumorem aliquem viſceris alterutrius fere unicam eſſe frequentiſſimam aſcitis parentem. Quibus dæmonium illud Hippocraticum *Duretus* aſſentitur; hydropem nullum ſine conſenſu & conſpiratione lienis accidere, fuit enim illud Præceptoris, *omnem aſciten naſci præcedente*, ut ita dicam, *liene.*

Ipſe ego anno 1651. & 1652. in Antenoreo Lyceô antiquiſſimô cum agerem, hyemali tempore ſectionibus anatomicis totum me mancipando, tria hydropicorum aſciticorum cadavera ſecui ac inſpexi, lienemque prætumidum hujus mali cauſam deprehendi, quorum unus 15. libras civiles æquaverat. Aſcitem interdum cauſam agnoſcere obſtructionem levium arteriarum *P. Salius diverſus* dudum author fuit. Proinde videmus quôcunque tandem modô ab aliis etiam partibus proveniat hydrops, ſemper tamen læſam ſangvificationis actionem, vel quâ incepit, vel quâ perfectionem ſuam in corde, vel depuratio-

nem in colatoriis viſceribus, vel diſtributionem in arteriis fuerit aſſecutus, poſſe referri. Enimverò tota corporis humani œconomia, junctâ ratione atque ipsâ experientiâ atteſtante, ſangvinis divinô pabulô indiget, nulla equidem abjectiſſima pars in toto microcoſmo aliô humore, niſi ſanguine, quatenus ultimam perfectionis manum adhibuerit natura, nutritur; quin immò nec ipſi cordi, ut ſuprà dictum, ſui alimentum aliunde mutuari integrum, niſi maſsâ ſanguineâ perfectè jam elaboratâ, & ſpiritibus vitalibus maritatâ, illud per coronariam pro ſui pabulo recipiat, & in omne ejus parenchyma diſtribuat.

Cauſas quod attinet, quamvis plures eſſe, ex *Gal. lib. 2. Nat. Fac. 8.* conſtet, in præſenti cauſam proximam eſſe duxi materiam quandam nutritioni ineptam, à debilitate viſcerum ſanguinem vel depurantium, vel perfectè elaborantium exortam, intra venas, arterias, vaſaque ipſa lymphatica fluctuantem, & agitatam, tandemque nimiâ ſui mole intra peritonæum & inteſtina omiſſam, & in abdominis cavitatibus collectam, quæ in ſe conſiderata, naturâ ſuâ frigidâ caloris innati robur frangit, tepidumque quaſi reddit primùm, tandem diutiùs commorandô refrigerat, eundemque ultimò planè extinguit. Cauſam procatarcticam fuiſſe deprehendi infarctûs hepatis & lienis, qui in iisdem colatorium ſanguinis munus longô temporis tractu oppreſſerunt. Cauſa interna eſt ipſorum vaſorum tùm lymphaticorum, tùm cæterorum apertio, [ſiquidem his loca ſua natalitia hydropem aſciten variis de cauſis debere, *ex lib. 2. Nat. Fac. Galeni* clarum eſt,] immò ruptura, quam maturavit nimia aquæ copia, eadem diſtendens, quæque ſalſedine ſuâ ſingulari dicta vaſa, ut teneriora exedere potuit: hinc aquarum cataractâ effractâ fit ipſius aquæ in vicinas partes impetuoſius effluvium. Nacta eſt autem hydropicorum aqua ſalſedinem ſuam partim à depuratoriâ facultate viſcerum elangvidâ, partim ab attractrice renum facultate enervatâ; unde ſal noſtri corporis, ipſiusque urinæ ritè ſeparari non potuit, multò minùs cum ſero educi; ſed ſanguini permiſtum, intra jam nota vaſa lymphatica, venas, arteriásve fluit, propriôque gravatum pondere ex illis excidit, atque in abdomine deliteſcens, calorem noſtrum irritat, quô mediante demum illud ὄχημα τῆς τροφῆς putredinis fermentum ſubit, atque ob infeſtam ſui qualitatem & quantitatem, pro ratione materiæ ſubſtratæ febrim lentam accendit; quam ceu comes individuus ſitis immodica à noſtra ſingulis ferè momentis conqueſta ſequitur, de qua in ſignis. Cauſæ evidentes, ſive externæ fuêre errores

rores in vita commiſſi varii, potus frigidus largior, cibi putredinem facilè ſubeuntes horarii, vita circa aquas, ſpernendô etiam in ipſo ſenio quasvis cœli injurias, tanquam altrices hujus morbi ſufficientes.

Miſſis nunc cauſis ad ſignorum devenire oportet enumerationem; ubi præprimis ſciendum eſt, tribus quidem hydropis ſpeciebus hoc commune eſſe, ut iisdem inſit quid aquoſi humoris, juxta *Celſum lib. 3. cap. 21.* Eſt quoque commune omnibus hydropis ſpeciebus, ac penè dixerim, fatale, ut ſanguinis officina vitietur, ejusque inſtrumentũ intercidat, *Galenô* teſte *l. 2. Prognoſt. c. 1. l. 5. Loc. Aff. 7.* Læditur autem ab intemperie frigidâ, ut plurimum ejus temperamentum, unde in laudabilem probumque ſanguinem alimentum convertere non valens, in illas tres hydropis ſpecies transmutat. Sunt & præter hæc alia ſigna δηλωτικὰ, ſive diagnoſtica communia: color ſcilicet totius corporis, maximè circa oculos lividus & plumbeus, à materia peccante frigidâ: inflatio oculorum, ut & pedum tantus tumor, ut vix movere eos, multò minùs è lecto efferre potuerit; dolor hypochondriorũ obſcurus & gravativus, à viſcerum nimirum infarctu: appetitus dejectus, ob defectum caloris naturalis, qui copiâ vitioſorum humorum obruitur, ut vires ſuas pro virili exerere nequeat; Dejectiones paucæ & aridæ, urina modica, nec non ſubrubens, ab oppreſſis vel renum tubulis, vel ipſis ureteribus, ipsâque veſicâ. Et quia ſenibus magis familiaris eſt aſcites, *Aretæo* teſte *2. Tard. Paſſ. c. 1.* Hinc & noſtræ accidere eundem facilè potuiſſe ratio inde evincit; ſpecialiora deſumta ejus ſigna, ſitis, verbi gratiâ intolerabilis & inexplebilis, unde aſcitici vel medio in undis conſtitutô Tantalo plus ſitiunt; quia corpus non humectatur alimentô idoneô, vel aliquid accedit bilis, putredinisve, à cujus fermento ſeroſitas illa acrimonium & ſalſedinem concipit. Unde hanc ſpeciem Clamoſum Hydropem vocare non erubuit *Aben Sene*, Arabum princeps Medicus, *Fen. 14. lib. 3. tr. 4. cap. 8.* ut cui, quò plus ſuccurrere ægri animum inducant, eò plùs ſitiant: quod ipſum etiam Faſtorum conditori, *Ovidio*, innotuit, qui *lib. 1.* inſit:

Sic quibus intumuit ſuffuſâ venter ab undâ,
Quò plùs ſunt potæ, plùs ſitiuntur aquæ.

Fovea quin etiam aſciten indicat ad tactum in membris, digitô preſſis, remanens: tumor partium inferiorum, vel plurium, vel ſanè omnium, ab irruentis aquæ impetu. Tuſſis ſicca, ab aquâ pulmonum bronchia impediente, unde & ſpirandi difficultas, quæ ab eâdem usq;

&

& usque incrementum ſumſerat, ſuffocationisque ſuſpicionem præſagiebat. Febris aderat languida; fieri enim nequibat juxta *Hippocratem, lib. de morbis*, ut febre magnâ & diuturnâ divexari potuiſſet in aquâ, quæ febri contraria. Pulſus ſentiebatur parvus, & ex *Galeni* effato *lib. 2. de cauſ. pulſ. c. 24.* ſubdurus & tenſivus quodammodo. Venter tandem, cum recidivam paſſa eſſet noſtra, percuſſus, utris inſtar aquâ pleni ſonabat.

Et quanquam hydrops, ut ad prognoſin tranſeam, nullô accidente morbô non ita lethalis, ac illa, quæ acuti ac longi cujusdam morbi progenies, juxta illud *Hippocratis Coac. Prænot. c. 29. §. 1.* οἱ ὕδρωπες οἱ ἐκ τῶν ὀξέων νοσημάτων πάντες κακοὶ, qui nec morbum tollunt, nec dolorem.

Sic ille, qui viſcerum obſtructiones ſcirrhóſve inſequitur, licet longiorem vitæ terminum promittat, ut noſtræ quoque contigit; ex *Gal. lib. 2. de Arte Curativâ ad Glauc. c. 5.* Inveterata verò obſtructio in hâc ægrotâ per annuas vices incrementum ſumſit: hinc recrudeſcentis mali palindrome metuenda fuit: adeoque confirmatô jam undique morbô viſcera renovare, cum, *Aretæô* ſuffragante, ſolius ſit divini Plaſtis opus mirandum, nec humani Medici arte reſtitui poſſunt: *Perſii* monitum appoſitè ſatis dictum, *Satyr. 3. v. 63. 64.*

Elleborum fruſtrà, cum jam cutis ægra tumebit,
Poſcentes videas; venienti occurrite morbo;

ſi ſuum feciſſet noſtra, fortè cautiùs mercari, ſanitatique in tempore conſulere didiciſſet.

Urina verò ruffa quandoque, aquoſa quoque nonnunquam, quia apparuit, mali augurii ſignum eſſe ratus ſum, ab apertione fortè vaſorum: ſuppreſſa ſæpè ſæpiùs eadem fuit, partim ob arenularum è renibus per ureteres prodeuntium deſcenſum, partim læſi alterutrius ureterum argumentum nobis ſuppeditavit. Tuſſis ſicca, quam pluribus annis ſibi gravem ſenſit; pro lethali ſigno habita fuit, ab aquâ ad pulmones penetrante, quod inſtantis ſuffocationis ſuſpicionem augere ſolet, ad mentem *divi ſenis noſtri. 6. Aph. 35.* Τοῖσιν ὑδρωπικοῖς βὴξ ἐπιγενομένη, κακὸν: *Hydropicis, ſi tuſſis ſupervenerit, malum.* A multis verò annis quod gravem ſibi eandem ſenſerit, non ſoli hydropi aſciti tribuendum, ſed deſtillationibus à capite ad pulmonem, pectusve manantibus.

Indicationes curativas ut abſolvamus, maturabat quidem ipſa natura ſui conſervationem, effluvium parandô cauſæ morbificæ, rupturâ factâ

factâ circa umbilicum, cui poſt tertiam manum, diureticis, exiccantibus, evacuantibúsve præſtò aderam, attendendo ſemper, ut obſtructionem viſcerum vel omninò eluerem, vel per vices minuerem, parenchymataque debilitata nimis roborarem, pro faciliori ſanguinis tranſitu per vaſa eorundem, tutioremque depurationem. Hæc tribus ſequentibus in methodo medendi uſitatisſimis inſtrumentis perficienda cenſui: Diætâ nimirum, chirurgiâ, pharmaciâ. Primis quidem, ut ſolent nonnulli ægroti, diebus ad nutum & voluntatem meam quidem reſpondit, obſervandô nimirum diætam exquiſitè ſatis, quam modicè calefacientem, ſiccantem, extenuantem quodammodò, imperabam; unde apertô adhuc abdominis cavô, per ſesquimenſem & ultrà parcè admodùm bibebat, vinôque oligophorô diuretico Herbipolenſi utebatur, quin immò à potulentis adeò abſtinuerat per aliquot dies, ut inde incredibilem utilitatem dehiſcentis ſeroſæ humiditatis perciperem; nec ſpes reſtitutionis feliciſſimæ, citrà prognoſin deterioris fefelliſſet, ſi incepto voto noſtro diutiùs inhæſiſſet, eidemque ſatis feciſſet, cum ex *Nicolai Florentini Serm. 5. c. 25.* ſententiâ, multi exquiſitâ diætâ curati fuerint: verùm nauticum panem renuit, licet is ſeminum diureticorum condimentô efſictus eſſet, immò ipſum etiam in vino malvatico ſumere negavit, quô tamen aliquos liberatos recitat *Albertus Bononienſis*. Primâ itaque vice cum aqua quaſi omnis exhauſta videretur, vinum ordinavi, in quo ligni ſancti & ſaſſafras raſpati aut Chinæ partes infuſæ erant, pro excitando calore nativo, corporeque exiccando. Ad motum, quia adhuc apertô cavô abdominis, cui turunda ſatis magna impoſita hærebat, impotens erat; juſſi ut ad virium tolerantiam obambulandô corpus paulatim commoveret; quod quidem eò usque obſervavit, donec recidivam pateretur. Et hæc ex fonte diæteticô.

Chirurgiâ, ceu alterô ſcopô curationem noſtræ abſolvente, quia ipſum abdomen ſeſe exonerabat, primò opus non erat, ſiquidem neq; V. S. omnibus ſanioribus Medicis in hoc caſu formidabilem ſtudiò propoſui, nec veſicatoriis opus erat ab initiô. Et quamvis eadem, ut & ſcarificationes ſurarum, recurrente illuvie ſuaderem, maluit tamen potiùs, ita rebatur, integrô, licet ubiq; fluctuante corpore perire, quàm diſſectâ ac pertuſâ cute, vel parte, quâpiam ſuperſtes vivere. Hinc neq; exitioſô illô multisque funeſtô remediô, ultimô tamen hydropicorum aſciticorum levamine, in hoc caſu erat opus, vel idem tantis concelebrare encomiis, naturâ ſibi ipſi ad latus umbilici viam parante; non,

inquam, indigebat ad evacuandam aquæ copiam maximô illô ac generoſiore præſidiô, *Hippocrati* etiam notô, lib. περὶ τῶν παθῶν, & lib. περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν, *paracenteſi* puta, circa cujus operationem, quâ in chirurgiâ vix dabitur laudabilior. Scio viros non-ſpernendos graviter impingere, ſvadendô ductu naturæ ſequacem artificis manum ducendam eſſe; ſiquidem natura tot ac tot ſibi parare poteſt vias etiam per externarum corporis humani partium extremitates, [ut in hoc morbo, fluxu menſtruorum, aliisve hiſtoriæ teſtatum facient quàm plurimæ] quas, ſi imitandô volueris pari modô inquirere ſemper, iisdemque pertinax inſiſtere, vituperio te dabis, ægrosque tuos in præſentaneam mortem præcipitabis. Non latebit Vos, quod in primo caſu hydropico VIRI Nobiliſſimi pariter ac Excellentiſſimi Dn. D. GREGORII HILLINGII, incluti noſtri Collegii DECANI, ut ſpectabilis, ita meritisſimi Fautoris ac Patroni mei inter pauciſſimos certiſſimi, ætatèm colendi, diſcurſûs locô hanc de paracenteſi adminiſtrandâ operationem Veſtro accuratiſſimo ſpicilegio ſubjicere voluerim; ſed neſcio quâ nauſeâ deſiderium meum antevertere quispiam allaboraverit: hinc prurienti quaſi mihi ignoſcite, ſi omiſſa iſta nunc tanquam temporum occaſionumque captator audacior ad Veſtra profundere conabor genua. Liceat itaque de hâc, pro Humanitate Veſtrâ in me, hoc tantillô temporis ſequentia proferre!

Habent, VIRI χαριέστατοι, ſcholæ medicæ, in hydrope aſcite commune aſylum, cum morbi vehementia nullis præſidiis retundi, nullisq; aliis machinis coërceri poteſt, paracenteſin ſuam decantatam, quâ microcoſmicam hanc inundationem, ejusque repentinum incrementum præpedire, aut tollere ſatagunt. Ad hanc peritiores & oculatiores intrepidè accedunt, præmuniuntque ſemet ipſos prognoſticorum certitudine, tanquam cautelâ quâdam firmiſſimâ, adverſus malè-feriatorum infamiam, advertendo quatuor hæc ſinguluria, ſummoperè neceſſaria: *Primum* eorum reſpectu ipſius ægri, ætatem partim concernit juvenilem, quæ adhuc injurias perferre valet, præ conſummatâ; partim vires explorat, num adeò conſtent: ſiquidem dejectis iisdem, temeritatis potiùs argumentum eſſet, magnum hoc aggredi remedium. Viribus itaque valentibus tentabimus, ut naturam ipſam coadjutricem nobis ſentiamus; unde & viſcerum vigor requiritur, cum ex *Hippocratis* noſtri effato, hydropem non niſi εὐσπλαγχνοι evadunt: Niſi enim viſcera interna ſana & illæſa fuerint, parùm aut nihil ut plurimùm inciſio-

nem

nem hanc ægrotis profuiſſe uſus & experientia edocuit; verba ſunt acutiſſimi inter modernos chirurgi *Wilh. Fabr. Hildani cent. 1. obſerv. 47.* Quare morbi principium ſeligendum, nec expectanda cachexia, aut tabes, in quas ſi jam inciderit æger, ſi vires ſint languidiores, ſi adſit febris, & humor jam putrefactus ipſa viſcera corruperit, adde & illud, ſi hydrops alium morbum exceperit, nil temerè tentandum, ſuffragante nobis *Fonſecâ conſult. volum. 1. p. m. 199.*

Secundum neceſſariò obſervandum membrum biceps, locum & modum legitimum proponit: Locus, è quo nautea illa exhauriri debet, variè à variis authoribus controvertitur; approbamus muſculos obliquè deſcendentes perforandos, cavendo ab omni læſione lineam albam, & aponeuroſes muſculorum rectorum. Non enim nos movet, quòd de extractione umbilici, ab uſu cucurbitularum *Platerus*, & modò laudatus *Hildanus* aſſerunt, eâ ratione aperiendum eſſe umbilicum, ut fiat aquæ illius exoneratio, quæ tamen, niſi ipſe umbilicus omninò in ligamentum abierit, & naturalem venæ & arteriæ conformationem retinuerit, ſolum hepar reſpiciet, quod verò pro omnis hydropis locô affectô in ſuperius allatis habendum ratione & experientiâ negavimus. Adhæc ſola hæc aquæ depletio hepar ſolum reſpiciet, non verò cætera parenchymata, aut aquam inter cutem ſub umbilico detentam. Nec obſtat vena umbilicalis aperta puellæ in patriâ hâc noſtrâ à *Volchero Coitero* obſervata: nec Tridentina illa fœmina, menſtruum fluxum per umbilicum exonerans, tempore Concilii ibidem habiti. *Donat. l. 4. c. 26. hiſt. med. mirab.* Multò minùs illa triginta annorum, quæ per eandem viam menſes depoſuit, obſervatore *Fernelio l. 6. de morbb. & ſympt. partium c. 13.* Nam ſi hoc, dantur etiam exempla menſtruorum per alias longè diſſitas vias rejectorum; ſic & aquæ hydropicorum depletionem variam, etiam in remotiſſimis partium extremitatibus edocent volumina medica. Faciunt autem nobiſcum, noſtræque ſententiæ favent, *Ronſæus in epiſt. 2. ad Petrum Tyara. appendice fol. 8. Reiner. Solenand. ſect. 5. conſ. 15. Ambroſius Paræus l. 7. c. 12. f. 241. 242.* qui in parte minùs carneâ infra umbilicum tentandam judicat: *Holler. comm. ad lib. 6. aph. 27. Arnaldus Practicus Breviarii lib. 2. c. 30. Capivacc. l 3. Prax. 19. f. 638. col. 2. B. C. l. 3. Prax. c. 18 f. 631. col. 2. B. Franciſcus Bartoletus in Theſibus Anatomicis, contra Laurentium l. 6 9. 10.* Moti his authoritatibus, ut & *Pauli* tres quatuórve digitos infra umbilicum tentandam eſſe alii ſtatuunt, alii, qui cum *Celſo lib. 7. c. 15.* jecur ſemper affectum in omni hydropis

ſpecie accuſârunt, in oppoſito, alii in affecto latere, alii in eo, quô æger non cubare ſoleat, ne nimium effluat: alii promiſcuè eam tractando, qui parum intereſſe cenſent, quonam in loco molienda, muſculos tamen obliquè adſcendentes omni ſtudiô obſervant. Videtur tamen ex latere oppoſito tutiùs, quem locum *Hippocrates* περὶ τῶν παθῶν, eligit dicendo, eam παρὰ τὸν ὀμφαλὸν, ἢ ὄπισθεν, ἢ παρὰ τὴν λαγόνα commodiſſimum locum eſſe.

II. Alium locum disſvadet decubitus, qui aliâs ſupinè fieret, anheloſis jam anteà hydropicis minimè tolerandus, ceu quibus decubitus ad latera magis ferendus, commodiórve, quia moles abdominis & conſequenter ichoroſa illa illuvies iſtorſum ſe volvit, quorſum æger decubitum mutando inclinat.

III. Decliviori huic perforationi & ductûs naturæ favet, & authoritas tàm aliorum virorum doctisſimorum ſuprà citatorum, quàm noſtrorum ſapientisſimorum Dnn. Præceptorum, præprimis verò pientisſimi noſtri defuncti *Næsleri Diſputat. de Hydrope Aſcite, habitâ anno 1624.* in Altorfino, Incluti Senatûs noſtri, *A*thenæo. *th. 58.* ad hanc quia moles vergit, juxta *D. Senis* noſtri effatum, *1. Aph. 21.* id eò ducere oportet: [quô aphoriſmô malè adverſarii utuntur,] ſiquidem umbilicô non protuberante, prohibent rationes læſionem iſtius. Dubius adhuc *Dornavius* mentem ſuam ſic explicat *Heptad. Miſcellanearum 6. theſi 7.* ubi in fine dicit: Uter tamen ſectionis locus alteri præferendus, medicum chirurgum ipſius naturæ motus & aliæ circumſtantiæ non obſcurè edocebunt.

IV. Umbilici perforationem ulterius disſuadet doloroſior membranarum perforatio, quæ periculoſior multò, ac partium carnoſarum, ob communem quam cum nervis habent naturam, immò, quia frigidiores ſunt membranæ; ideoque quæ eſt

V. Ratio, non ita citò coalibiles; non enim adeò velociter coëunt ac vulnera carnea, in quibus calor fortior, magisque actualis: hâc de cauſâ & muſculorum rectorum interſtitia & ἀπονευρώσεις incidenda damnamus. Inſtas: Muſculorum rectorum inciſionem aut perforationem periculoſam eſſe ob vaſa adſcendentia, venam nimirum & arteriam epigaſtricam, aut etiam ἀναστόμωσιν harum cum venâ & arteriâ mammariâ deſcendente internâ: officit quidem, ſi inſtrumento apud nos uſitatiſſimo utrinque ſecante, lancetta dicto, iſta perforatio fiat; non officit ſi chirurgorum modernorum hamulô inſtituatur recurvo, quod

minus

minus periculi affert, ac acutiſſimum illud, maximeque in hoc caſu periculoſum inſtrumentum, quo etiam epiſcopus ille Neapolitanus in hydrope ſcroti punctus, ex læſo teſticulo ſiniſtro, ſuperveniente gangrænâ, quintâ ab operatione luce, diem obiit: facta eſt operatio pridie D. Franciſci A. R. S. 1649. chirurgiam exercente Marco Aurelio Severino, Viro in omni Medicinæ parte emerito, præſente Prorege Neapolitano Celſiſſimo, Dn. Dn. Caſparo de Bracamonte & Guſman, comite de Pegnoranda, &c. Eminentiſſimo Domino Cardinali Philamarino, magnâque tàm Clericorum quàm Profanorum ordinũ illuſtrium catervâ, (ubi primam hanc operationem chirurgicam cùm Celſisſſimi Proregis clementia ſingularis, tùm favor Magni Severini mei, Neapoli viſendam mihi benignè conceſſit) unde dicti inſtrumenti uſum meritò damnamus, econtrà recurvum illud antè laudatum eligimus, cujus beficio vaſa, ut rotunda, & ad tactum lubrica aliquo modo deviant & cedunt, absque tamen inſigni læſione, immò absque nullâ.

Unde VI. perforatio illa facienda eſt eò usque, quò ad cavitatem abdominis penetret, quæ, ſi in umbilico inſtituatur, non ſolùm ipſe perforabitur, ſed & ἀπονεύρωσις muſculorum lineam albam conſtituentium, & ibidem concurrentium, quorum tamen vulnus periti chirurgi non ſine gravi ſuſpicione, ut formidabile meritò abominantur.

VII. Quod dicunt tàm facili negotio hanc ſectionem coire, quàm facilè vena aut arteria ſecta coëant, falſiſſimum eſt; ſiquidem plurium hic partium concurſus, vulnusque majus, quàm à ſecta venâ: adhæc tum aliorum tum noſtræ ægrotæ exemplum luculento ſatis teſtimonio contrarium evincunt.

VIII. *Laurentii* fide qui hæc nituntur impugnare, iis reſpondeo, ipſum Laurentium falſum ubique laborare fide anatomicâ, neque pro digno ab ullo unquam cordato anatomico haberi: adeò laborat Laurentii ſectionum, obſervationumque anatomicarum fides, ut niſi ſcripta extarent, Laurentium Anatomicum fuiſſe vix credamus. Unde nil nobis obeſt.

Umbilicum IX. non eſſe ſecandum, cutis tenerrimi ſenſus in eo ſubtilitasque disſvadet, quod in infantulis etiam videre licet; experientia quin etiam in contrariam nos abire ſententiam jubet, quod vitâ ii ocyùs pereant, quibus vaſa umbilicalia cum cute abſcinduntur; cujus cauſam ſe expiſcari poſſe ingenuè negat *Laurembergius in Proæſtr. Anatom.* [*vide caſum appoſitè huc quadrantem apud Hildanum cent. 1. obſerv. 53. f. 65.*]

non animadvertendo, quod naturæ ductui inſiſtendum, ſiquidem ea tantùm locum obtinent in ἐξωμφάλοις & protuberante umbilicô, aut cucurbitulâ magnâ, cum multâ flamma eodem extracto. Hinc prudenti ſanè conſilio *Fontanus lib. 3. med. pract. c. 21. f. m. 176. col. 2.* circumſpectè ſatis in hoc argumento tale ſuadet: Verùm, inquit, licet integrum ſit medico utroque modo progredi; tamen paracenteſis eſt præferenda, umbilici ſectioni, eò quòd totiùs commodiùsve evacuatur aqua, locus namque eſt inferior multò umbilicô; ita ut parum aquæ remaneat in abdomine. Ex his perſpectum eſt, diverſam eſſe ſectionem perforationemque umbilici ipſius à paracenteſi in ſcholis medicis receptam, neque temerè earundem operationes eſſe confundendas, ut illi faciunt, qui pertinaciter nobis adverſantur: & licet nobis contrarii videantur *Am. Luſitanus Cur. 537. Valleriola lib. 4. obſ. 3. Schenkius ipſe: Joach. Camerarius, Marcellus Donatus l. 4. hiſt. medicâ mirabili c. 21. l. c. Claudinus conſ. 124. f. 294. Laz. Riverius*, aliique, ſi limitetur eorundem hypotheſis; nimirum, quando natura protuberantiam umbilici molita eſt, virium adeſt robur, æger juvenis, & morbus ipſe per ſe, nec ex alio originem contraxit, facili negotiô umbilici ſectionem iisdem ambabus largiemur manibus.

Sufficiant hæc de altero bimembri παρακεντέσεως requiſito, locum modumve operationis exquiſitum monſtrante. Quibus III. accedat neceſſe eſt, ut aqua non confertim & ἀθρόως unóve impetu emittatur, ne unà cum morbo ægrum tollere videamur, ſiquidem ſubitanearum mutationum impetûs perferendi natura eſt impatiens. *2. Aph. 51. 6. Aph. 27. lib. de intern. affectionibus*, cùm pari modô ac inſigni hæmorrhagiâ diſſipentur ſpiritus. IV. & ultimum hujus ἐργασίας requiſitum eſt obſervatio ſeri; ſiquidem limpidum ſi fuerit, labe carebit, nec ruptæ venæ arteriæve argumentum præbet; ſi verò fœtidum ſubcruentúmve, vaſorum læſionem indicabit: ſi carnium loturam æmulabitur, omnem αἱματοποιητικὴν δύναμιν deſtructam eſſe certò hariolari licebit. Et tantum de paracenteſi.

Pro conſolidandâ rupturâ ad umbilicum uſi ſumus methodô, quam Patavini Lycéi venerandus antiſtes *H. F. ab Aquapendente ſervavit lib. 2. de vaſorum vulneribus cap. 10. fol. m. 90. 91.* ad quem vos remitto. Atque hæc ex altero fonte dicta ſunto.

Pharmaciam tandem quod attinet, animus erat nobis, quamvis aqua adhuc ex plaga abdominis flueret, præparare humores aquoſos corruptósve

ruptósve in venis latentes, ut ii unà cum aquâ abdominis corruptâ faciliori educerentur viâ: in quem finem ſequens ordinavi:

℞. *ſir. de polypod c. ſcolopendr.* ā ℥vj. *de cichor. c. rhab.* ℥ß. *aq. abſinth. agrimon. chærefol.* ā. ℥j. M. quod primâ ſtatim acceſſione horâ octavâ matutinâ exhauſit. Dehinc alterô die deveni ad *pulverem comit. à Warvvick ad* ℈ij. cum *tartari vitriolati* ℈ß. in roob ebulino ſumendum; quod feliciter ſucceſſit. Tertiâ die denuô horâ matutinâ ſexta præparans ante præſcriptum repetii; quartâ confectionem in rotulis talem exhibui:

℞. *ſpec. diatrion. ſantal.* ℈ij. *dialacc. diamargar. cal.* ā. ℥ß. *ſpodii ppti* ℈iiß. *ſacchari in aq. chærefol. ſol.* ℥iiiß. *conf. alcherm. c.* ʒiß. M. F. Rotul. S. Stärckſcheuffelein. Quibus alternis diebus utebatur feliciſſimè. Diebus verò intercalaribus ſequenti vinô utebatur:

℞. *rad. apii aſparag. cappar. Bruſc.* ā. ℥ß. *raphan. petroſel.* ā. ʒiij. *irid. noſtr.* ℥j. *elleb. pp.* ℈iiß. *mechoac. gialapp.* ā. ʒiß. *fol. ſenæ elect.* ʒij. *gratiol.* ʒiß. *fol. ſambuc. geniſt. cent. min.* ā. pij. *ſem. chæref. petroſel.* ā. ℈iv. *dauci* ʒi. *ſalb.* ℈ij. *macis.* ʒß. *galang.* ℈ij. *cinamom. inter.* ʒß. Inciſis incidendis, & contuſis contundendis affunde vini albi ℔iv. de hoc infuſo bibebat per novem dies continuos. [Zingib.

Hujus uſu ſeroſitas plurima ad mentem evacuata fuit; ut verò & vires conſtarent, ſequenti prophylacticô eandem munivi:

℞. *C. C. ſ.* △ ℈ij. *ſpodii ex ebor.* ʒß. *ſmaragd. pp.* ℈j. *corall. r. pp.* ʒß. *margar. or. pp.* ℈ß. M. F. pulvis S. Pülverlein je 2. oder 3. Meſſerſpitzen voll über die dritte Nacht zu nehmen.

℞. *vini granat. d.* ʒx. *jul. violar.* ℥j. *aq. geniſt. fœnic. ſcabioſ. balicacab.* ā ʒvj. *ſpir.* ⊖*lis* ℈ß. M. D. ad vitrum S. Waſſer zum Pulver: quâ ſitim nonnihil ſublevatam, additô quandoque *eſſentiæ chærefolii* minutulo.

Inter diuretica varia exhibendam ſvaſi urinam pueri ſani ab ℥ij. ad ℥iij. cum melle conditam ac ſale ononidis, raphani, geniſtæ, urticæq; miſtam; ſenſit dehinc ægrota poſt unum ulterúmve uſum nauſeam; mutatô verò conſiliô ſal urinæ microcoſmi aut oleum ſuccini cum vino diuretico bibendum exhibui, unde lotii reddendi felicitatem nacta eſt. Et niſi hæc profuiſſent, ad remedium illud extremum acceleraſſem, quod *D. Seni noſtro* quoque in uſu fuit, *4. de ratione victûs, & lib. de intern. affect.* ad pulverem ſcilicet cantharidum ablatis alis & pedibus

bus minutâ doſi caute exhibendum. Hypochondria pedesque elatos ſequenti fotu & embrocatione exſiccari juſſi:

℞. *ciner. fol. querc. ſarmentor. vitis* a. ℥ij. *ſummitat. abſinth. fraxin. menth. rut. origan.* a. mj. *flor. ſambuc. geniſt. melilot. chamomill.* a. mß. *ſem. carvi. raphani. baccar. lauri* a. ℥ß.

Fotum excipiebat emplaſtrum ex ſequentibus pulveribus confectum, ſtercoris nimirum vaccini, caprilli, radicum iridis ſylveſtris; florentinæ, ſulphuris, aluminis rocchæ, ſalis, baccarum lauri, miſta hæc pulverum congeries cum aceto vini & fotus antecedentis brodio conficiebatur emplaſtrum, extenſumque ſuper tenuem alutam & locis ſqualido ichore tumentibus imponebatur. Niſi hoc profeciſſet, invertiſſem aliô modô: ℞. *ſtercor. vaccini, caprilli, ovini, columbini, limacum cum teſtis combuſti*, quæ ad æqualem ponderis trutinam in urina pueri maceràſſem ac ad tolerantiam partium calidè abdomini, cæterisque inferioribus applicaviſſem, ſiquidem præter emplaſtrum ad hydropem hoc in aliis aſcite laborantibus plurimis non ſine fructu adhibitum multoties deprehendi. Verùm ab uſu prioris detumuére pedes & hypochondria ſenſim & ſenſim. Pro exhauriendis verò ſeroſitatibus diaphoreticorum uſum ſvaſi; in hunc cenſum vocavi *antimonium diaphoreticum, C.C. ſine △. factum, decoctum ligni ſancti & ſaſſafras, ſpiritum theriacalem, de tribus, ſal ſacerdotale, cardui bened. fumariæ, vincetoxici, geniſtæ, urticæ, raphani, ſambuci, ebuli*, alia non tàm ſudorem quàm urinam moventia: horum verò uſum repetitum per vices tandem renuit, & hepatis ac reliquorum viſcerum robori proſpicientes rotulas ſuperiùs deſcriptas ſibi elegit, ſeſe in pedes conjecit, urbem frequentavit, & me dimiſit. Indulſit autem genio plus æquô, largiorique potui, me omninò disſuadente; quin & fræna laxabat animi affectibus, ſpirituum animalium caloriſque noſtri deſtructoribus, non elota prorſus aut everſa inveterata obſtructione, multò minùs emendatâ omni viſcerum ἀτονίᾳ, recidivam dehinc poſt aliquot ſeptimanas paſſa fuit, ex quâ convalituram minimè, millies prædixi: maritus tamen inſtandô iterùm opem meam efflagitavit, & quid valeant vires, quid ferant humeri, tentare juſſit; hinc tale vinum medicatum præſcripſi:

℞. *radic. quinq. aperient.* ā ℥j. *iridis vulgaris ſ. ſylveſtr.* ℥ij. *ebuli cortic. inter. rad. ſambuci* ā. ʒvj. *ſolani glycypicri* ʒiij. *elleb. pp.* ʒj. *radic. tamariſci.* ℥ß. *comar. abſinthii pontic. cardui bened.* ā piij. *centaur. minor.* p. ij, *limaturæ* ♂. *pp.* ℥ß.

amariſc.

Inciſis

Inciſis, & contuſis omnibus groſsô modô vini albi optimi quantitatem ſufficientem affundere juſſi, & poſt ſumptum juſculum carminativum, cyathum unum exhauriendum propinavi. Pro corroboratione viſcerum naturalium, cum rotularum uſum jam renueret, tragæam ſequentem tali præſcripſi formulâ:

℞. *ſpec. dialaccæ* ʒj. *diacurcum. troch. cappar.* ā ʒß. *de rhabarbaro.* ℈j. *conf. alchermes in forma ſiccâ.* ʒiij. *ſacch. roſar. tabul.* ℥iß. *manus Chriſti perlat.* ℥ij. *elæoſacch. cinamon.* ʒij. Miſce.

Inſpergebat hanc tragæam biſcocto pani, & affudit vinum diureticum; quô remedio cum bis in die uteretur, uſus vini medicati modò deſcripti effecit, ut denuò magnam aquæ colluviem egereret, nec tamen ſubſidere voluit pedum tumor ichoroſus; *Galeni* hinc mandato parui, mutando remediorum formulas in affectibus chronicis, unde ternis aut quaternis diebus ſumendum ordinavi, primò: *pulv. ſoldanell. marin. comp.* ℈ij. *ſyrii.* gr. iiij. vel cum jure pulli, in quo diuretica incocta fuerint, vel cum roob ſambucino aut ebulino. Alterum erat ſequens:

℞. *ſirup emetic. Hartmanni* ʒvj. *extract. diacartham.* ʒß. *aq. raphani.* ℥j. Miſce F. Hauſtus. His per aliquot vices adhibitis, quamvis meliùs habere cœperat, ſpes tamen apud me nulla ſupererat, ad preces tamen ſuorum ad fotum & emplaſtra ſuperiùs præſcripta redii, & ſequens umbilico admovendum tradidi:

℞. *ungvent. de cyclamin.* ℥ß. *pulpæ colocynthid.* ʒj. *ol. carminat. Mynſicht.* q. ſ. Miſce S. Sålblein warm in und umb den Nabel zugebrauchen.

His cum denuò ſublevatam ſe quadantenus perſentiret, me ſecundâ vice dimiſit. Sed ex ultimis hujus casûs verbis percepiſtis, quem exitum nactus fuerit chronicus hic morbus, qui talis: Vix octodecim à ſecunda dimiſſione abiére dies, ubi & tertiò à marito vocatus, ſub initium decimi quinti menſis, à quo facta fuit ὑδρόμφαλος, comparui, decumbentem noſtram delaſſatam, omni virium robore exutam & inermem deprehendi, facie Hippocraticâ, oculis torvis, truculentis, ore diſtortô, pulſu nutante, mox planè dehiſcente. Inquiſivi in cauſas tàm præcipitis dejectionis virium omnigenæ, deque decubitûs hujus lethalis ratione, reſponſum accepi, id omne ex ira graviſſimâ denuò concepiſſe: fati proximam marito adſtantibúsve cum innuerem, ægrota ad ſermones mecum mutandos impos, manu renuit auxilia ad unum omnia, atque per quatriduum agonizans, tandem ſeptima à præconceptâ irâ, die vitam cum morte commutavit.

Hiſtoria alia Hydropis Aſcitis cum Hydromphlao in fœminâ citra omnem medicamentorum uſum reſtitutâ.

UXor viri Reverendi pariter atque doctiſſimi Dn. Johannis Majeri, Paſtoris pagi Norici Offenhuſani, aſcite tentabatur anno ſupra milleſimum ſexcenteſimô, quadrageſimô quintô, anno ætatis circiter quadrageſimô octavô, cui ob aquæ copiam, tumentibus inferioribus omnibus, umbilicus ita protuberavit, ut cum per aliquot tempus ob molem pedem è lecto efferre minimè poſſet, hydromphalos illa ſuâ ſponte diſſilierit, unde aqueâ illâ illuvie exoneratâ ruptura ſponte ſuâ coaluit, priſtinamque ſanitatem citra omnem machaoniam manum aut medicamentum recuperavit.

Hiſtoria ſectæ Hydropicæ.

A R. S. cIↃ. IↃc. LX. obiit Margaretha Johannis Andreæ Sauerzapffen / civis Noribergenſis uxor, annos nata 44. quæ ad nonum usque annum abdomine ultra modum & metam elatô, cœteris membris tabe quaſi conſumptis ægerrimè vixit, illô ipsô novenariô annorum decurſu trium liberorum puerpera facta, cum decenti ſemper evacuatione, abdomen nullo modô detumuit, ipſo paraſceves feſto ad ſectionem vocatus peripheriam partium inferiorum deprehendi pedum geometricorum quinarium numerum ſuperantem, faſtigium umbilici, ad coxæ vertebras menſurantes, ad vigeſimum digitum (Geometra dicit 20. Zoll) elevatum vidi: viſcera, hepar nempe ac lien integrè & naturaliter ſe habebant, ventriculus inanis nîl quicquam rubiginis ſeu corruptionis ſenſit: extra peritonæum verò ichoroſæ humiditatis menſuræ LIV. ſubſidebant, cauſam hujus mali in efferatum maritum mecum Georgius Reboldus, chirurgus civicus, transtulit.

Alia.


FEriâ quartâ Paſchatos ejusdem anni ad hydropicæ ſectionem vocatus, Michaëlis ſc. Kummeri, civis & pectenarii Noribergenſis uxorem, deprehendi hujus abdomen ad XIII. pedum peripheriam extenſum, longitudo decem pedes æquabat, profunditatem numerantes ſenos cum dimidiô animadvertimus pedes, hepate flaccido, quinque librarum menſuram ſuperante, liene parvo & optimè ſe habente, corde verò & pulmonibus omninò flaccidis; aderant alii, qui mali hujus ſcaturiginem in inſontem obſtetricem detorquere nitebantur, ſed utero,

cum

cum vaſis & ligamentis ſuis, naturaliter ſe habente, tantam ſuſpicionem ab optimâ fœminâ declinavi, quantum potui.

Alia.

ANnam Barbaram Hornwaſcherin hydrope aſcite laborantem anno ætatis ſeptuageſimo ſecundo denatam, anno præcedente cIↄ Iↄc LXXIII. ſecui, quantitas ichoroſæ & purulentæ humiditatis triginta quinque menſuras attingebat, ventriculus, inteſtina omnia, hepar, lien, renes, uterus, veſica, uredine & ſitu corrupta, quin & cor & pulmones flaccidi deprehendebantur, aqueæ illuviei innatabat utriculus parvus, nigricans, liber ab omni vaſe, liber ab omni ligamento, figura ejus talis erat:



Terni iſti appendices B.C.D. nullo exitu patebant, neque ſubniger utriculus iſte meatum pervium exhibuit.

Hydrops Aſcites cum trichiaſi admiranda.

PRimis praxeos annis aſcite per plures annos laborantis fœminæ cadaver offerebatur ſcrutinio anatomico examinandum, diſplicuit malevolis plurimis honor iſte, præprimis poſtquam trichiaſeos hujus typum publicum viderent, & torvo oculo inſpicerent, & dum anatomica, quin & alia plura de pilorum hiſtoria interſererem utilia, laxa volubilis linguæ ſuæ repagula omninò quaſi fregerunt: viderunt impietatem hanc ſaniores, rectiùs judicarunt prudentiores, & quod magis eſt, ad pulpita Machaonia in Academicis Palæſtris ſedentes, ſcriptis idipſum laudarunt ſuis; necdefuit è Magnifico & Prudentiſſimo JureConſultorum ordine Nobiliſſimus, Præſtrenuus, Ampliſſimus & Conſultiſſimus *Dn. Chriſtophorus Ludovicus Dietherus*, Patritii Ordinis exemplar rarum, Juris Utri-

uſque Doctor & Patriæ Reipublicæ Advocatus, qui crinium malevolorum plicis implicato mihi ſolatii loco epiſtolam ex omni ſcibili in hac materia evolutam transmiſit, mixto idiomate ſcriptam, quam cum reſponſoria meâ his ſubnectendam addidi.

EPISTOLA
Philologico-Hiſtorico-Juridica,
de
CAPILLIS ET BARBA,
Ex
Rarioribus, ſelectiſſimis, in omni ſcibili verſatiſſimis Autoribus & Manuſcriptis congeſta & perſcripta
à
CHRISTOPHORO LUDOVICO DIETHERO,
U. J. D. & Advoc.
ad
JOHANNEM SCULTETUM,
Phil. & Med. D.

NObilis, Clariſſime & Experientiſſime Dn. D. Scultete, Amice Honorande! Daß derſelbe von mir begehrt / ich ſolte etwas von dieſer materi der Haar-Kranckheit / per modum epiſtolæ annectiren / dieſes wird weder Jhme noch mir einig verſtändiger Mann übel deuten; hat doch Paulus Zachias quæſtiones medico-legales herausgegeben; und ſolches umb ſo viel deſto weniger / alldieweiln ein und das andere in unſer jus rectà einlaufft / bin ich zwar erbietig / demſelben zu willfahren / und mit gar wenigem zu erweiſen / wie weitläufftig ſolche Handelung könte ausgeführet werden / wenn es die Zeit und Gelegenheit lidte: Es ſoll aber mit Haaren nichtes herbey gezogen werden. Nicht wil ich ſchreiben wie es zugehe / daß / wenn einem ein Härlein in Magen kommt / nichts beſſers darwider zu brauchen ſey / als Schlehen / wie der unlängſten im HErrn entſchlaffene Zeillerus bemerckt hat. Sonſten heiſt das bekandte Sprichwort: Schlehen-Stein macht den Magen rein.

Hiervon

Hiervon mögen der Medicorum filii diſputiren / ſo lang ſie immer wollen. Ich wil auch nichts auß der Theologia anführen/als von den ſchönen Haarlocken deß Abſolons/womit er an der Eichen hangen blieben. Von dem Haar jener Sünderin/welche mit ihren Trähnen Chriſti Füſſe gewaſchen/und zum Abtrucknen auß tieffſter Demuth das Haar hergegeben. Gregorius M. ſoll der erſte geweſt ſeyn/ welcher der Edlen Tugend-Cron Mariæ Magdalenæ nachgeſchrieben/ſie ſey die groſſe Sünderin / und verruchte Unzüchtige / der Lucæ VII. gedacht wird; Inmaſſen ex D. Chemnitio harm. c. 51. p. 997. Herr D. Dannhauer im Evangeliſchen Memorial in f. Blat der dedication deutlich erinnert. Woher die Maria Magdalena ihren Namen habe/ iſt in Herrn Füreri Reiſe-Buch pag. 98. zufinden: Daſelbſten auch erzehlet wird/was Magdala vor ein annehmlicher Ort ſey. Cur ſectione capillorum in mulieres impudicas & adulteras animadvertatur, iſt gar ſchön bey dem Cypræo de Sponſalibus pag. 143. Raſio pœnæ genus adulterorum, Saubert. de Sacrific. pag. 232. Nur dieſes einige wil ich berühren/ wie gar mit leichter Mühe ein Candidatus Juris, der gern ein rare materie tractiren wolte/die vielleicht noch nirgend ventilirt worden ſeyn mag / von den Haaren plenâ manu zu handeln allenthalben Anlaß hätte / wenn er nur eine diſpoſition hierzu auffſetzte. Von der bey den Juriſten üblichen Art zu reden/ zu Haut und Haar/handelt ausführlich Wehner in ſeinen Obſervationibus lit H. & Z. p. m. 208. & 550. Rudinger cent. 5. obſ. 93. Hiervon hab ich in meinen Additionibus ad Beſoldum part. 1. pag. 617. auß dem Berlich. und Carpzov. zur gnüge bericht gethan. Zudeme / was der Herr oben pag. 98. & 99. von Zauberey verdächtigen Perſonen vorbringt / daß man denſelben in peinlichen Fragen die Haar abnehme/ eben das jenige führet Berlich. 4. Concl. 4. n. 167. und die daſelbſt allegirte mit mehrern auß. Sæpiſſimè uſu experimur, quod magi vel venefici ſortem ſilentii vel in crinibus, vel in cute abſconditam habeant, cujus ea vis eſt, ut veneficæ omnis doloris expertes eſſe credantur, impaſſibiles fiant, nihilque fateri poſſint, immò ſæpè in tormentis duriſſimis dormire deprehendantur. Prout etiam nonnulli hos verſus:

Imparibus meritis tria pendent corpora ramis;
Diſmas & Geſtas in medio eſt divina poteſtas,
Diſmas damnatur, Geſtas ad aſtra levatur;

antequam ad torturam veniunt, pronunciare ſolent, quorum ea efficacia perhibetur, ut rei nullos omninò dolores ſentire poſſint. Und n. 174. ſchreibt Berlich. Rectiùs faciunt alii, ſi veneficas ſortem taciturnitatis

 nitatis

nitatis in veſtibus, vel crinibus, vel in cute habere ſuſpicantur, ut veſtes eis exuant, & pilos omnes ab imis plantis pedum ad verticem capitis usque deradi curent. Wolffgang Ambroſius Fabricius de ſignaturis plantarum, in Schemate priori, gedenckt eines ſtirpis, welcher die capillos gar ſchön und deutlich repræſentiret. Ein über alle maſſen groſſes Wunder iſt es/was unſer hochberühmter Dillherr in ſeinem Zeit und Weltlauff pag. 250. §. 3. ſeqq. von einem See-oder Meer-Mann bemercket. dieſer gieng tieff im Waſſer/auff der Gaſſen/wie in einer Stadt/und trug unter iedem Arm ein Bund Stroh. Seine Geſtalt war gleich als eines andern Menſchens/mit einem langen Haar biß auff die Achſeln/desgleichen an dem gantzen Leib überzogen mit Haar/ wie die Haut von Meer-Hunden iſt. Alle Wort von dieſer historia, ſo wolgedachter Auctor mit mehrern anführet/ ſeynd werth/daß ſie mit Fleiß erwogen werden. Das künſtlich und Sinnreich außgebildete Kupffer iſt an 252. Blat bemeldts Orts mit höchſter Verwunderung anzuſchauen. Von den Baden zu Alexandia ſchreibt Herr Fürer in Itinerario Regionum Orientalium p. 13. quòd ibi lavantes unguento utantur peculiari, ex auripigmento, calce vivâ & aquâ mixto ad abſumendos corporis pilos. Die Türcken leiden kein Haar an heimlichen Orten/ſondern etzen die Haar allenthalben am Leib glatt hinweg mit einer ſchwartzen Erden mit Kalch vermiſcht/und mit Waſſer zu einem Brey gemacht/doch wächſt das Haar bald wieder/ inmaſſen umbſtändig Salomon Schwelgger in ſeiner Reiß-Beſchreibung nach Conſtantinopel fol. 115. berichtet. Sie laſſen ihr Haupt glatt abſcheeren/ biß an ein klein Schöpfflein mitten auff dem Haupt/eines Fingers dick/mit dem vorgeben/ wenn ſie dem Feinde zu theil werden/und umb das Haupt kommen/ daß alsdann der Feind den Kopff bey dieſem Schöpfflein könne erwiſchen/damit er ihnen nicht in Brodt-Korb müſſe greiffen. Idem fol. 116. Vor andern iſt merckwürdig/ was unſer werther/ hochberühmter Dillherr in ſeinem Zeit- und Weltlauff p. 566. §. 20. auffgezeichnet/wie daß das Wetter einsmals lange Haar verbrennet an unbeſchädigten Köpffen. Es erzehlet Michael Hemmerſaim in ſeiner Reiß-Beſchreibung von Caſtell de Joriis de Nina, von Würmen/ ſo daſelbſt auß den Menſchen kommen. So bald einer nun vorbey ſeegelt/ wird ihn die Haut anfangen zu jucken/theils an Arm oder Füſſen/theils wo das Fleiſch dick iſt. Alsdann ſpeyet er ein Bläßlein auß/mancher bey einer/ der ander bey dreyer Erbes groß. An etlichen/da ſich der Wurm nicht ſelbſt durchbeiſt/muß es auffgeſchnitten werden. Alsdann erzeigen ſich zwey Härlein/welche weiß und an Kopff angewachſen/ſo des Wurmes Bart genennet

wird,

wird. Die außgeſpeyte Blaſen iſt voll Waſſers ; hernacher wird morgens und Abends bey ſolchen der Bart heraußgezogen ſo es an einem fleiſchichten Ort iſt/und nur eines Glieds lang herauß/begibt ſichs offt/ daß man ihn alsdann auff einmal gar herauß zeucht. Sie ſind Elln/ auch offt andert halb Elln lang und Schneeweiß / auch gantz kalt/ wie wol er auß dem warmen Fleiſch herauß kommet. Etliche ſind ſo dünn/als ein Faden/etliche aber/wie ein ſtarcker Bindfaden/die dickſten ſind die gifftigſten / wie mit mehrern an bemeldten Ort zu leſen iſt. Der unvergleichliche Conradus Rittershuſius ſetzt in ſeinen Novellis p.674. n. 3. quòd blasphemiæ ſpecies ſit, jurare per capillum & caput DEI. Nov. 77. & can. 10. ſi quis per capillum. cauſa 22. q. 1. Die Spanier ſchweren noch heutiges Tages bey ihrem Bart. Von Gratiano erzehlet laudatus Rittershuſius, quod multa ſoleat ex jure civili mutuari & compilare, in Nov.p.524.n. 55. Capillorum & barbæ raſio cur Judæis interdicta, hat unſer werther Dillherr in ſeinem I.Tom. Diſput. Academ. am 134. und folgenden Blat ſtattlich außgeführet und vieler Auctorum loca zuſammen getragen. De raſura barbæ, hat HerrD.Dorſch in vindiciis interventionis contrà Cornæum p. 227. & ſeqq. viel geſchrieben/ſo wol zu leſen iſt. Wer die Bärtlingi geweſen / hat Herr Profeſſor Saubert. de ſacrific. p.167. tractiret. De barbis prolixioribus hat er eben in dieſem Tr. pag. 166. geſchrieben. Herrn Hanß Stainingers des Raths- und Kirchenpflegers in Augſpurg/Vater auch Hans genannt/von Pranau bürtig/hat ein Bart vierdte halb Elln lang gehabt/welcher ihme nach ſeinem Tode/als etwas ſingulars abgeſchnitten/und als ein beſonders Clinodium auffgehoben worden/wie ihme dann Anno 1567. zu Pranau ein Epitaphium von Stain/ſambt ſeiner gantzen ſtatur mit dem langen Bart zu ehren auffgericht worden. Hätte alſo dieſer Stainingerus Barbatus, oder Longobardus mögen genennet werden/wie ſonſten Fridericus I.Barbaroſſa von ſeinem rothen Haar und Bart/de quo Octavius de Strada de vitis Imperatorum, pag. 424. Ludwig/Hertzog in Bayern der Bartet ; Eberhardus I. Hertzog in Würtenberg/Eberhardus Barbatus, wie auch Heinricus, Hertzog zu Breßla / Heinricus Barbatus genennet worden. Käyſers Albrecht des III. Zopff ſoll noch zu Laxenb. verhanden ſeyn. Anno 1657. hat ſich allhier zu Nürnberg Johann Ottele von Hohe auffgehalten / welcher ſeinem vorgeben nach 115. Jahr alt geweſen / bey deſſen Kupffer folgende Verß zu leſen ſeynd :

In dieſem ietzt lauffenden Jahr
Zu Nürnberg geſehen war

Ein

Ein alter Mann aus dem Brabandt/
Wolberedt/ mancher Sprach zu hand/
Seines Alters 115. Jahr/
Verſtändig anzuſehen war/
Zwo Elln/ anderthalb Vierthel ward
Sein Läng; fünff Vierthel lang ſein Bart.

Vide Ephemerides Nat. Cur. anni 3. obſ. 163. ſub titulo longævitatis exempla. Obſervatore Experientisſimo Dn. D. Georgio Segero. Barbam promisſiorem gerunt Equites Ordinis Teutonici: vide Dn. D. Limnæum, amicum honorandum in J. P. lib. 6. c. 2. n. 58. De barbæ quinque partibus laudatus Saubert. de Sacrific. c. 10. De expilatione barbæ pag. 235. herumb ſcheeren/verſchoren außſehen pag. 235. de fortuna barbata pag. 166. Weiber/ſo Bärt gehabt; Zeillerus cent. 4. quæſt. 634. p. 171. Quænam ſit barbæ in viris utilitas, fusè Felix Platerus in qu. med. quæſt. 6. Es berichtet Michael Hemmerſaim in ſeiner West-Jndianiſchen Reiſe von Amſterdam nach St. Jorius de Mina, ſo ein Caſtell in Africa iſt/ daß die Moren wenig Barts bekommen/werden auch wol 30. Jahr alt/ ehe er ſich erzeigt. Jhre Haar ſchneiden ſie einander offt ab/aber nicht mit Scheer-Meſſern/davon ſie nichts wiſſen/ſondern mit andern ſcharffen Meſſern/ ſo ſie ſelbſt zuzurichten wiſſen/ weil ſie keine Barbierer haben. Sie ſind alle hart und ſchwartz/wie Borſten. Philippus Bonus, Hertzog in Burgund hat mit ſeinem Exempel die groſſen Bärt abgebracht/da man ſonſten zu derſelben Zeit lange Haar und lange Bärte getragen. Kayſer Ælius Aurelius Commodus comam & barbam aduſſit non fidens tonſori. Flava & criſpa ipſi erat cæſaries, quæ, quando in ſole ambulabat, velut in igne quodam rutilabat. Octavius de Strada p. 75. Käyſer Hadrianus flexo ad pectinem erat capillô, promiſſâ barbâ, ut vulnera, quæ in facie erant, tegeret. Primus enim Cæſarum Hadrianus, Dione teſte, barbam nutrivit. Octavius de Strada de vitis Imperatorum p. 61. Rarâ barbâ callidus, densâ barbâ ſtultus: Saubert. d. Tr. p. 167. Wiewol Käyſer Hadrianus, dieweil bey den Jungen kein Autorität iſt/keinen Tribunum, niſi plenâ barbâ, werden laſſen/wie auß dem Spartiano Draco de Patric. pag. 107. n. 13. in fin. vermeldet. Deme doch hätte können geſagt werden: Non eſſe ex barba virum, nec ex piloſo mento mentem hominis judicandam, fore alioquin, ut, cum barbatiores hirci ſint, prudentiores etiam hominibus cenſerentur, unde vulgata parœmia:

Si

Si prolixa facit ſapientem barba, quid obſtat,
Barbatus poſſit, quin caper eſſe Plato?
Caneſcant alii mentô, nos mente, capillo,
Nos animô, facie, nos pectore; tempora quippe
Virtutem non prima negant, non ultima donant.

Wie der berühmte Conr. Rittersh. in Not. ad Günther. lib. 1. verſ. 286. bemercket. Von Haarrupffen vide me ad Beſoldum part. 1. pag. 729. Zu Inſpruck iſt ein gewachſener Trauben mit einem langen Bart 3½. Schu lang. Dn. Zeillerus in Itinerario Germaniæ p. 356. Zwickau hat von Käyſer Henrico III. diß privilegium bekommen / daß die Raths-Herrn und ehrliche Bürger daſelbſt möchten Knebel-Bärt und Kolben / oder capillos raſos tragen. Zeiller d. Itinerar. p. 664. Die Portugaleſiſchen von Adel haben ihren ſonderlichen / mit ihren Bärten und Haaren / Gebrauch / die Sie den Tag über wol 10. mahl kämmen / drehen / ziehen / ſalben und ſchmücken / laſſen Ihnen / wo Sie gehen / Kehrbeſen / oder Bürſten / Kamm und Schwamm / Salben und Schmincke / nachtragen. Sethus Calviſius meldet / daß die Pohlen dem Pabſt verſprochen / daß Sie das Haar nicht weiter / als biß zu den Ohren wolten wachſen laſſen / und Jährlich von jedem Haupt ein Pfennig nach Rom ſchicken. Die Burgundier brauchten zu ihren Haaren Butter und Eſſig / ja Sie ſalbeten auch die Cörper ſelbſten mit Butter. Es kommen theils Menſchen in Haaren auff dieſe Welt / wann der Mutter Leib ſehr erhitzt / auch bey den Kindern ſelbſt ein große Wärm iſt. Die Blutreich ſeyn / haben falbe / die Melancholiſche ſchwartze / die Rotzige Mausfalbe / Weißlechte. Die Jäch Zornige oder Choleriſche gemeiniglich röthlichte Haar. Neben der Stadt Calabria citeriori rinnen 2. Flüß / deren einer gelbes / der ander ſchwartzes Haar macht. Imperator Nigerius fuit capillô ad gratiam in verticem reflexo. Heliogabalus mentum raſit, & pſilothrum adhibuit, ne pili & barba ei naſceretur. Horatius ſagt an einem Ort: Sapientem paſcere barbam. Und Martialis: Propendet mentô nec tibi barba minor. Zielen auff die / welche den Socratem oder Demoſthenem nachaffen wollen / von welchen das Sprüch-Wort bey dem Eraſmo in Adag. Chil. 1. Cent. 2. adag. 95. heiſt: Barbatenus ſapientes. Condalus Mauſoli præfectus à capillis, quibus Lycios delectari ſciebat, pecuniam exigebat. De hoc tributo capillorum videndus Klockius de Ærario lib. 2. c. 145. n. 19. Von Haar abſchneiden / Haar fligen laſſen / langen Haaren / Bart und Barbierern / handelt gar ſchön / außführlich / und herrlich Herr Speidelius in ſeinem Speculo Notabilium pag. 111. 112. 553. biß auff

pag. 558. In Ungarn gibts auch Oerther / ſo von Bart den Namen haben; als / Bart-Feld / Bartſan / Bartpha. Longobardi pugnaturi cum Italis, cæſariem mulieribus ſuis circa mentum ligarunt, ut viri crederentur: Et quoniam in illo congreſſu longis barbis uſi ſunt, Longobardi, quaſi Longobarbi, die Lange Bårter / hodiè die Lombarder fuere appellati: Germani enim erant, quibus & vocabulum GOtt / quô DEUM vocamus, acceptum ferimus. Mercurium quippe colebant, quem Gotham dixere, Draco de Patric. pag. 147. circa finem, von den kurtzweiligen Meerkatzen / ſo man Bart-Månner heiſſet / erzehlet viel ſeltzames mehr angezogener Author der Reiſe-Beſchreibung deß Caſtells de Mina. Aber was überſchreit ich mit ſolcher Weitlåufftigkeit den modum Epiſtolæ? Dieß hab ich deßwegen gethan / daß ich erweiſe / reſtare adhuc, in quibus perficiundis ingenium quisque ſuum exercere & τεμμάχον aliquod ad μεγάλα δεῖπνα ſtudii hujus tàm neceſſarii adjicere poſſit. Es mõchte mancher ſagen / es were in Jure nichts von Haaren zufinden. Deme kõnnte zugeſprochen werden / wie einsmahls Baldus, als Er von Hertzog zu Mayland gefragt wurde / an ſciret Legem loquentem de veſpis, quæ ſunt in ſegete? Geantwortet; qui ſtudet, benè reperit; qui verò non ſtudet, non reperiet. Und hindert nichts / ob einer ſchon viel auß andern entlehnet und anziehet / quia, etſi quis in ſuo libro omnia aliena dicta poſuerit, de ſuo autem nihil adjecerit, tamen ſuus liber reputatur, per l. neceſſariam 2. in pr. ibi, non quia Papyrius ibi quicquam de ſuo adjecerit. ff. de O. I. Unſer ſinnreiche Betulius hat auch ſchõne Gedancken von Haaren / wann er geſchrieben:

Mein Leib iſt wie ein Haar / das leichtlich fållt und bricht
Leicht reiſt am Rocken ab mein dünner Lebens Faden /
Wie Haare Jahre ſind. HERR laß die Zeit der Gnaden
Mich treffen in der Zeit / daß ich verderbe nicht.

Der GOTT / ohne deſſen Willen uns unſere Feinde nicht ein Hårlein krümmen kõnnen / gebe und verleihe / daß wir alle unſer / unſers Standes und Beruffs / unſers Nechſten und der unſrigen / wie ſonſt in andern alſo auch in tuendâ & conſervanda valetudine, wol warnehmen / damit wir hier die Ehr der grauen Håupter / und dort bey unſerm Eißgrauen GOTT / deſſen Haupt und Haar / wie weiſſe Wolle / (Apoc. 1, 14.) als der Schnee / die Cron der Ehren erlangen mõgen. Ita precor ità voveo, ità fiat!

Geben zu Hauß den 28. Januarii Anno 1662.

Deß Herren Williger
Chriſtoph Ludwig Diether.
U. I. D. & Advoc.

Salu-

Salutem.

Titulus. Hochgeehrter Herr Doctor, neben ſeinen bedeuteten quæſtionibus Legalibus Pauli Zachiæ haben wir bey noch unterſchiedlichen auch das Tribunal Medicum, ſo erſt vorm Jahr publiciret worden. Die variè deglutita, worunter auch die Haare zu zehlen / habe ich billiger Maſſen unberůhrt ůbergehen wollen; indeme Momus vorhin ſeine můſſige Augen mehr auff meine actiones, als ſeine unzeitige judicia gerichtet. Deme ich es gerne zu Gut hette halten wollen/ wann er ſich nicht rǔcklings eines ſolchen conaminis gebraucht hette / davon Jhme mehr Spott durch ſothanes traduciren / als Ehre bereit entwachſen were. Die Buß-Haare der numehr bekehrten und gerechtfertigten Mariæ Magdalenæ; weiln dero Sůnden auff Zåhren trieffende Reu mit dem unermeßlichen weiten und breiten Deck-Mantel der Barmhertzigkeit GOTTes zugedecket / als zehlen wir ſelbiger Haare Gedåchtniß zu allgemeiner Abhandlung derſelben/und gehen ſolche mehr die Herren Theologos als ICtos und Medicos an: Noch viel weniger ihre Geburts und Ankunffts-Stadt Magdala, welche im Stam̃ Iſaſchar gelegen: Wovon neben vor angezogenen Hoch-Edlen Herren Fürern, Henricus Büntingus und andere mehr zu ſehen. Es iſt zwar die Handlung von denen Haaren bey denen Medicis zimlich weitleuftig außgefůhret worden. Weme aber ein noch mehrers hievon ex profeſſô beliebet / wird noch wol in ſelbiger Materi etwas antreffen, nec nodum in ſcripo quæret. Unſere conſideration gehet mehr ad præternaturalia à phyſica conſideratione jam aliena.

Wolf. Ambr. Fabricii de ſignaturis Plantarum ad corpus humanum collatarum, indeme Er gedencket / daß ſelbiger auch die Haare erwehne / wie nemlich der Baum-Moß ſelbige repræſentire und deutlich vorbilde / iſt zwar ſehr wol gethan. Dann auch ſolcher labor poſthumus von ſeinem Herrn Vater / dem Edlen / Ehrenveſten und Hocherfahrnen Herren Johann Georgio Fabricio, Phil. & Med. Doctore, Facultatis ſuæ allhier Seniore digniſſimo, S. R. I. Comite Palatino eminentiſſimo, hujus inclutæ Reipublicæ, ut & diverſorum Imperii Principum Archiatro emeritô, Patrono ac Collegâ meo honoratiſſimo, auff das fleißigſte expolirt / und druckfertig gemacht worden; Allein es důncket mich / der Herr wolle mich mit allem Fleis aufffriſchen / etwas de ſignaturis Plantarum auff die Bahn zu bringen / oder da ich ſelbiges nicht thåte / dem gemeinen Wort nach weiſen / daß es mir Bőhmiſche Dőrffer wåren/ wie er dergleichen noch wol einen und andern antreffen ſolte. Wahr iſt es / daß ſelbiges Kupffer-

Blat dem Kunſt-ſtecher überauß wol gerathen / Urſach weilen Er einen vortrefflichen Manuductorem gehabt / erſt-angezogenen Herren Fabricium Seniorem; halte auch wol dafür / es werde ſich Fabricius Junior dermahl bedient gemacht haben deß ſehr ſchönen Tractats Oſvvaldi Crollii, de verâ & vivâ Anatomiâ majoris & minoris mundi, maſſen tabula 2. theſ. 28. pag. 8. gegen erſtangezogenen Crollii Arbeit gehalten / mit deſſen 20ten Blat nett überein ſtimmet; Were auch ſelbe Materi beſſers Außführens wol werth. Dann daß die wollige Subſtantz an den Quitten ins gemein die Haare vorbilde / kan jeder verſtändiger leicht ermeſſen; Dann ſo wol der Apfel Butzen an der noch friſchen Blüthe und Bletterwollig bekleidet zu ſehen: Daher beſagte Wolle zum Veneriſchen Haar außfallen gebilliget wird. Die Uſneam Arabum & officinarum, oder Baum-Mooß belangend / ſo am meiſten grün / je danckler Farb / je gelb / je rothfärbig zufinden / iſt eben der Baum-Moos / ſo in deß Herren gedachten Schemate vorgebildet worden / und ſich mit denen Haaren vergleichet / oder der Signatur abbildet; Deren einer dünner oder dicker / länger oder kürtzer zu finden; den nennen etliche σπλάγχνον muſcum arboreum, ſive quernum, da er doch nicht auff Eich-Bäumen allein / ſondern auch auff vielen andern Bäumen anzutreffen; als / Alber-Bäumen / Ulmen / Bircken / Aepfel / Birn / Fichten / Föhren / Dannen / Cedern / Lerchen / und andern mehr / ja auch an denen Felſen wächſet / maſſen Thalius deſſen gedencket in Sylvâ Herciniâ Saxo-Thuringicâ pag. 77. 78. Der meldet dabey eines abſonderlichen ſchönen Baum-Mooſes / der meiſten theils auff den Buchen zu ſuchen; Nur allein umb Stolberg und Jlfeld / wachſe er faſt wie die Corallina, jedoch ſchön kräußlich / daher ſelbiger mit ſeiner Signatur die krauße Haar vorbildet. Den allerlängſten Baum-Moß / ſo aſchenfarbig iſt / meldet Car. Cluſius, daß er auff einer Stein-Eichen im Wald unfern vom Cloſter Gramont wachſe / ſo mit denen falſchen Haaren der heutigen Frantzöſiſchen Deutſchen übereinkommt / und deſſen Signatur trägt: Oder aber denen langen Frauen Haaren. Deme kan nun billich zugeſellet werden jener von ſehr hohen Bäumen biß auff die Erden herab hangende blau-grünliche Baum-Moß in Indien / mit welchem ſich die Königinne der Inſul Florida bedecket / ſo anderſt nicht anzuſehen / als ob er ein dergleichen durchſichtig Geweb were. Dahin iſt auch dieſer Indianiſche Baum-Moß zu zehlen / mit welchem gedachter Inſul Floridæ Inwohner an Statt eines Tapets über ihres Königes Thron gebrauchen: Beſiehe hievon den andern Theil Americæ, oder von der neuen Welt / und deſſen 39te Figur. Wie ſich Muſcus ramoſus floridus Tabernæmontani

næmontani und Gerhardi, oder Muſcus fœniculaceus Lugdunenſium, (hette ſchier auch das Fœniculum ſelbſt daher gezogen) mit der Haare Signatur begehe oder vereinigen laſſe / beſiehe erſt-gedachte Authores. Wo iſt nun / frage ich / die edle Uſnea microcoſmi hinzu deuten? Einem in plantarum cognitione vel leviter verſato dürfte es alſobald eingehen / daß Er ſolchen Muſcum bey erſtem Erblicken/auch ohne mein Erinnern / unter dieſe rechnete. Herbam paluſtrem Crollii & Fabricii laſſe ich an ſeinen Orth geſtellet; Mir bleibt es Fœniculum aquaticum. Adiantum zehlen ſie gleicher Geſtalt unter der Haare Signatur, ſo ſie auch capillum Veneris verum heiſſen/weiln von deſſen Gebrauch die Haare feſt und ſchön werden; Etliche nennen ſelbiges Adiantum foliis Coriandri, Terræ capillum, Coriandrum putei, Cincinnalem, Callitrichon; Zu teutſch Abthon / Mangling-Kraut / Stein-Rauten. Hieher gehören auch Adiantum foliis longioribus pulverulentis, pediculô nigrô, ſive Onopteris major Tabernæmontani, & Adiantum pulcherrimum Lugdunenſi ſimile Thalii: Item Adiantum ἄφυλλον majus, medium, minus, oder dreyerley Jungfrau Haar oder gulden Widerthon / ſive Polytrichon Apuleji; Item Adiantum foliis minutim in oblongum ſciſſis, pediculô viridi C. Bauh. Item Adiantum fruticoſum Braſilianum ejusdem, Et Adiantum mas Tabernæm. ſive Onopteris fœmina Gerhardi. Wann nun dieſe Wiederthon alle der Haare Signatur tragen / wann ſelbige / ſo zu reden / in ihrem Wolſtand und ohne Mangel; Warumb ſolte nicht Adiantum ἀκρόσχιστον, bifurcatum aut trifurcatum Beati Jungermanni, & Joh. Thalii die Signatur und Kenn-Zeichen der erkranckten Haare vorbilden/wann ſelbige von denen ſo genannten Haar Milben geplagt werden / oder ſich ſpalten. Trichomanes, ſive Polytrichum Officinarum, ſive nigrum & mas Tab. & Saxifragia rubra Thalii.

Trichomanes mas majus Tabernæmontani: Trichomanes candidum Thal. ſive minus & tenerius, plantula Trichomani nigro ſimilis quidem, ſed brevior candidiorve.

Trichomanes ramoſum majus, ſive fœmina Tabernæm. Et Trichomanes ramoſum minus, ſive minor fœmina Tabernæm. Haben gleiche Signatur mit denen Haaren / maſſen auch der Name dieſen Kräutern gegeben / von denen Haaren entlehnet iſt.

Polytrichon, album Apuleji, ſive rorella foliis oblongis, oder Sonnen-Tau mit länglichten Blettern / und rorella foliô rotundô, ſive Ros ſolis major, & Rorida Lobelii, aut Sponſa Solis und ~~Salis~~ Soli- rora Thalii,

 groſſer

groſſer Sonnen-Tau/ dürften Namens-halber / ſo ihnen Tragus und Lonicer geben / Wie auch der Zaaſerichten Wurtzel und gefaſten Blätter halben auch unter der Signatur der Haare ſtatt finden.

Iſt noch übrig Thapſia, von welcher der unter denen Arabern gelehrte Avicenna ſagt / daß ſonſt nicht wol ein Kraut zufinden / welches die kahle Häupter mit Haaren eher bedecken mache / als eben dieſes; Deſſen erſtes Geſchlecht mit groſſen weiten und breiten Blättern Car. Cluſius in ſeiner Reiſe nach Hiſpanien umb Vallodolid angetroffen / iſt ihm an der Zahl das dritte / lib. 6. Hiſtor. cap. 5. fol. CXCII. Die andere Thapſia hat breite haarichte Blätter / wird von Lobelio, Dodonæo und Tabernæmontano für ein Seſeli Peloponneſiacum gehalten / daher zu beſſerer Erkänntnis es Seſeli Peloponneſiacum mit Wüttſchierlings Blättern von dem rechten Seſeli Peloponneſiaco unterſchieden wird. Blühet gemeiniglich im Auguſt-Monat / wächſt auff felſichten Orthen oder auff Stein-Klippen/ in Hiſpanien und Portugall gar gemein.

Die dritte Thapſia mit Roßmarin Blättern iſt auſſen ſchwärtzlich/innen aber voll Milch weiſſen Saftes / ſonſten Teuro genannt / reucht am allerübelſten / und iſt Cluſio die vierdte in der Ordnung. Thapſia Dioſcoridis, wächſt mit Blättern faſt wie der Fenchel / mit einer langen ſchwammichten Wurtzel / ſo auſſen ſchwartz / inwendig weiß / iſt Cluſii andere, Gerhardi und Tabernæmontani aber ſchmahlblätterichte Thapſia.

Der Fünfften Thapſiæ carotæ folio gedencken etliche Authores; Wird von Andr. Cæſalpino vor Meſuei weiſſes Turbith gehalten; Deme der gelehrte Geſner beyfällt/der es von einem Berg in Apuliâ, Gargano genannt/ Turbith montis Gargani und Thapſiam veram tituliret: Dieſe brauchen etliche pro coſto nicht ohne hochſchädlichem Betrug; Dann Thapſiæ radix ſeiner Natur und Eigenſchafft nach weder mit dem Coſto, noch auch mit dem Turbith zuvertauſchen: Man findet aber ſolche Thapſia Wurtz gemeiniglich über die Quer geſchnitten / und Hand-Völlig; iſt auſſen bräunlich/ inwendig weiß / mit einer dicken Rinden umgeben / an ſeiner Subſtantz luck / ſehr ſcharffen Geſchmackes / und verurſachet / da ſie genoſſen wird / viel unannehmliches Speicheln / und wann ſolche zerrieben wird / gewinnet es faſt ſo übelen Geruch / wie altes ſtinckendes Schmeer: Kommt alſo mit dem Coſto officinarum gar nicht über ein. Beſiehe hievon B. Caſp. Hofmanni lib. 2. Officinal. Medicam. cap. 224. §. 5. & fol. 572. Unter die Signatur der Haare zehlet man auch die ſchmalblätterichte Stab-Wurtz/ wor unter auch der Garthagen: Wovon neben noch andern zu leſen Joh. Bapt. Porta lib. 3.

Phytogno-

Phytognomon. cap, 35. f. 129. So vergleichet ſich auch Muſcus marinus primus Dodonæi guten Theil mit dem Haar-Gewächs.

Die Mauer-Rauten hat auch die Signatur der Haare / ſo von Leonh. Fuchſio Empetron, von andern Paronychia, von etlichen Salvia vitæ genennet wird. Wie auch Schlehen-Moß / Flachs-Seiden / Baumwinde / Schläf Apfel / Hirſch-Wurtz / Eber-Wurtz / Brombeer-Stauden / Beer-Wurtz / Haar-Strang / Manns-Treu / und noch viel andre mehr. Von der Türckiſchen Arth die Haare / ſo auff dem Haupt / ſo am Leib abzunehmen / hab ich bereit bey der Amazonum, und Canibalum Meldung etwas weniges andeuten wollen / iſt mir auch Illuſtris Fureri gleich ſo wohl als Schvveiggeri reverenda Authoritas gnugſam bekannt: Es iſt aber auch dem Herren jenes diſtichon in friſchem Andencken / das alſo lautet:

Turpe pecus mutilum, turpis ſine gramine campus,
Et ſine fronde frutex, & ſine crine caput.

Als laſſen wir ſothanen Barbariſchen Völckern ihre Barbariſche Weiſe. Und damit ich ja noch eines hinzu ſetze / ſo iſt zu wiſſen / daß die Phyſiognomia von kurtzen und langen / dicken und dünnen / kraußen und glatten Haaren ein Urtheil fälle von deß Menſchen Temperament, Natur und Sitten / wovon zu beſehen Moldenar. Exercitat, Phyſiognom. p. 47. Wilh. Gratarolum c. 5. & 5. Joh. ab Indagine, Introductione Phyſiognom. cap. 8. fol. 70. Joh. Bapt. Portam, und andere mehr. Die Gold-Schmiede hat die Erfahrenheit auch eine Kunſt gelehret / dem Golde mit denen Haaren ſeine verlohrne Farb wieder zugeben. So erwecken auch die Haare die in der Schlaff-Sucht / Aberwitz / und Mutter-Schwachheiten erkranckte Perſonen. Was von Michael Hemmerſam und deſſen Reiß-Beſchreibung belanget / hat eben an denen Orthen auch / ſo an ſich ſelbſt / ſo an andern ſeinen damahligen Reiſe-Geferten erfahren Leonhard Crantz / mein nun ſeel. Avunculus, welcher ſothane Reiſe in neunzehn Jahren zum zweyten mahl glücklich verrichtet. Es iſt aber ſolch Wurm-Gewächs nicht nur allein dieſem / ſondern auch dem Namen nach Galeno bekant geweſt / lib. 6. Loc. Aff. cap. 3. Wie nicht weniger Aëtio, Æginetæ, Abucaſi, Agatarchidi, Alſaharavio, Amato Luſitano, Avenzoar, Avicennæ, Rob. Conſtantino, Leonhardo Fuchſio, Gorræo, Hay Abbati, Langio, Leonidæ, Manardo, Mercuriali, Plutarcho, Jul. Polluci, Rhaſi, Laur. Scholzio, Dan. Sennerto, M. A. Severino, Sorano, Spigelio, Th. à Veigâ, Wiero, und noch viel andern / ſo Weitläufftigkeit zu verkürtzen ich billich ungemeldet übergehe: GOTT gebe / daß nechſt freundlichem Gruſſe ſein ge-

thaner

thaner Wunſch an uns allerſeits erfüllet werde! Vale!

(*Ad Collectores Ephemerid. menſe April. Anno 1674. Vratislaviam.*)

OBSERVATIO CXLIX.


DN. JACOBI BREYNII

DE

SELAGINE TERTIA THALII.

HOc nomine quidem à *Thalio in ſilva Herciniâ pag. 116.* à *Johanne Bauhino in Hiſtoria univerſali plantarum Tom. III. Lib. XXXVII. pag. 759.* nomine Muſci *terreſtris recti* (*ubi malè cum Sabina ſilveſtri Tragi, ſeu Selagine prima Thalii, errore typographico, confunditur. Nam lineæ poſteriores tredecim, quæ hujus Muſci terreſtris recti deſcriptionem ſequuntur, poſt Muſci terreſtris ramoſi pulcherrimi: & lineolæ ſex ſequentes, poſt hujus deſcriptionem ponendæ:*) deſcripta, & à *Caſp. Bauhino in Pinace pag. 360.* Muſcus erectus ramoſus ſaturatè viridis nuncupata. De figurâ autem & viribus apud nullum hactenus Botanicorum quicquam reperi. Itaque eandem cum breviſſimâ deſcriptione offerendam ſtatui. Amat montoſas Caſſubiæ ſilvas, ubi Lycopodium æmulatur: nec tamen humi ſerpit; ſed rectâ altitudine dodrantali ſurgit. Ramos habet craſſiores, qui in diviſione bifurcatum ordinem plerumque obſervant, & velut erecti apparent digiti, longioribus Lycopodii ac latioribus, ſurſum tendentibus, viridibus foliolis denſè ſtipatos. Quorum inter ſupremorum penè foliorum alas granula lutea, quædam exigua menſe Majo protruduntur, quæ flores ac fructus, clavicularum locô, quibus caret. Vis ei ad fœtus depellendos efficaciſſima, meretricibus, infanticidium ſæpiùs eâdem committentibus, plus ſatis nota, ineſt. Hinc in Officinis noſtris, quæ Maſchläber ei nomen tribuunt, ut alia noxia non promiſcuè omnibus venditur. Rhizotomæ mulierculæ febri & corrupto ſtomacho eandem opponunt, decoctamque cum cereviſiâ ac hauſtam multis fuiſſe ſalutiferam perhibent, & purgantem volunt. Vomitum ciet vehementiſſimum, corpus humoribus variis peccantibus exonerantem; ſed maximè etiam alterantem. Tutius robuſtioribus, quàm teneriori texturæ hominibus præbetur. Vilioris conditionis homines in aqua coquunt, quâ ad abigendos pediculos caput lavant; quod tamen turbare maximè dicitur.

OBSER-



Selago tertia, Thalij.

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY.

OBSERVATIO CL.

Dn. JACOBI BREYNII

DE

FUNGO CORIACEO QUERCINO HÆMATODE.

RAriſſimum hoc, præſtantiſſimum & digniſſimum admiratione Corium vegetabile Anno M. DC. LVIII. zur Büſche zum Hogenſteg duo milliaria Argentorato diſtantis, in medio quercus, medullæ velut ſubuculâ circumvolutum, à lignatoribus inventum eſt, & ab incautis in fruſta diſſectum, interque eosdem ob vim medicinalem diviſum.

Tenerum erat, molle, flexile, planum, nonnihil rugoſum; eâ longitudine & latitudine, ut colobium (ein Kolder oder Colet) ex eodem commodè conficere licuiſſet: colore pallido ad flavum nonnihil tendente, itemque ſubſtantiâ, tractatione ac figura alutæ ex pelle caprinâ confectæ ſimilius, quàm ovum ovo; niſi quod craſſius, materiâ minùs compactâ, intùs præterea paſſim duriuſculâ & rotunda tubercula, in manus magis, quàm oculos incurrentia, occultante. Initio guſtatûs vis ſtatim quædam attractiva apparebat.

Nobiliſſimum præſtantiſſimumque remedium hæmorrhagiæ narium inhibendæ, ſi cordi particula ejusdem imponatur, dicitur, quod cuidam cognatorum meorum ab iisdem lignatoribus (*qui tunc temporis, quô inveniebatur, præſentem non exiguô fruſtô donârunt, quod dimidiatum, ut hic depictum cernitur, non ſine ingenti gaudio meo mihi obtulit*) non modò conſtantiſſimè aſſertum, ſed ab ipſo etiam & aliis manifeſtò compertum eſt. Et quî aliter fieri poſſet, quàm ut hic embryo in utero arboris intimo generatus, cujus partes plurimas atque excrementa, ſanguinis ſtitiſſe fluxum, jam olim celebratum, majorem adhuc virtutem à genetrice imbiberet.

Hinc perſvaſiſſimum mihi eſt, non ſine inſigni fructu, nimio menſium profluviô, in aliisque fluxibus ſanguinis adhiberi.

Apud *Aldrovandum Dendrologiæ lib. 2. pag. 404.* affine huic corio, quod ex caudice pyri auctori memorato obtigit, nomine *pyri cortex interior membranaceus*, tanquam admirabiliſſimum expreſſum deſcriptumque eſt. Quô in loco nihil quidem de virtutibus; ſed philoſophi-

cè de origine ejusdem, quomodo in arbore pyri, lætamine caprinarum pellium impinguatâ, oriri potuerit, agitur. De quo Lector Curioſus plura percepturus citatum locum conſulat.

Illud certô certius, noſtrum nihil aliud, quàm fungoſam materiam ex arborum morbis, ut alii fungi, inter alburnum (Spondt) & medullam, aut etiam inter corticem interiorem & alburnum prognatum, quam neceſſariò, premente perpetim ligno, planam & latam, cumque toto illo geniture tempore ab aëre ita muniretur, teneram & mollem creſcere oportuit.

Idem etiam corium in fagi ſtipitibus reperitur, ut in quodam ligni vulgaris, ex Norvegiâ allati, fruſto obſervavi, inter cujus corticem interiorem & alburnum firmiter hærebat, fortaſſe nondum ſatis maturum, cùm arbor cæderetur.

OBSERVATIO CLI.

DN. JACOBI BREYNII

DE

FUNGO BARBATO QUERCINO TETERRIMI ODORIS FOETIDO.

SIcut naturæ mirè ludentis voluptas fuit orchidum flores variis exprimere animantium figuris: ita non minùs fungos etiam textre formis aſpectu mirabiliſſimis placuit, ut inter alia ex fungo coralloide cancellato Cluſii: fungo digitato & fungo maximo Ungarico Caſp. Bauhini, Phallo Hadriani Junii, Aldrovandi fungo cochlearis facie, anguino, gallipede, arboreo tricorni etc: D. Bernhardi fungo monſtroſo in alveari invento, *in Ephemeridibus Curioſorum Germ. Anno II.* inprimis autem in fungo anthropomorpho D. Segeri, qui in iisdem Ephemeridibus deprehenditur, atque ex noſtro fungo memorato coriaceo, nec non ex duobus ſequentibus conjicere licet.

Primum eorum Anno M.DC.LXIII. menſe Auguſto, in ſilvâ non procul ab acidulis Schvvalbacenſibus, in quercu quâdam obſervavimus. Ex cujus caudice magnitudine pugni minoris, niveus, carnoſus, ovali penè figurâ, ſuperiùs latior, inferiùs magis acuminatus, & undique radiis craſſis unciali longitudine deorſum vergentibus, velut pilis, in modum

barbæ


Fungus Coriaceus Quercinus Hæmatodes

AD OBS. CL




gus Sinensis Antidotalis ac Tigridis Dictus.

Fungus Barbatus Quercinus Teterrime Foetidus



AD OBS. CLIII.



AD OBS. CLI

NATURAL HISTORY

barbæ inferioris cuſpidatæ, excreverat. Odorem, dum avellere eum ab arbore annitebar baculo, adeò gravem, fœtidum ac viroſum exhalabat, ut eundem miſſum facere cogerer.

OBSERVATIO CLII.

D. JACOBI BREYNII

DE

FUNGO CORNU DORCADIS FACIE.

ALter ille, qui Anno M. DC. LXI. Amſtelodami ex arboris pyri aut pruni trunco originem habuit, duobus conſtabat ramis, formâ, magnitudine, craſſitie, ramulisque adhærentibus, cum cornibus capreæ mediocris penitus comparandus. Subſtantia erat lignea, levis ac fungoſa, color candens.

OBSERVATIO CLIII.

D. JACOBI BREYNII

DE

FUNGO SINENSI ANTIDOTALI, LAC TIGRIDIS DICTO.

SIna illum in locis arenoſis, inprimis in littore maris, gignit, ubi, Sinenſium relatione, ex tigridum lacte elapſo oritur. Tenuem, ex tubere rotundo candidoque, protrudit pediculum, in quo orbiculatus, infrà plicatus, albusque pileolus eminet.

Antidotum tuber illud præſentiſſimum, plurimis reſiſtens venenis, perhibetur, in morbis malignis maximè expetitum.

(Quinq; iſtas Obſervationes Nobiliſſ. Dn. Breynius, Excell. Dn. D. Joh. Schmidio dicavit, à quo menſe Majo Anno 1674. Vratislaviam ſunt transmiſſæ.)

OBSERVATIO CLIV.

D. JOHANNIS SHCMIDII

DE

OBLIVIONE LECTIONIS EX APOPLEXIA, SALVA SCRIPTIONE.

PRimarius apud nos civis, ſenex, 65. ætatis agens annum, Nicolaus Cambier, apoplexiâ corripitur vehementiſſimâ, cujus funeſtum exitum adſtantes metuebant omnes, revulſoriis tamen ex arte adhibitis remediis generoſioribus, venæ ſectione nimirum, enematibus acrioribus ſopitam facultatem ſtimulantibus, ventoſis cum inciſione profunda ſcapulis & nuchæ appoſitis, non neglectis inunctionibus nuchæ, bregmatis & narium, propinatis ſubinde eſſentiis & ſpiritibus cephalicis, quantum per corporis indiſpoſitionem licebat, eò res deducebatur, ut ſenſim ad ſeſe redire conſpiceretur, factâ metaſtaſi ad latus dextrum, quod in hemiplexiam deſinebat, lingua difficulter facere officium incipiebat, loquebatur muſſitando plurima, animi tamen ſenſa exponere aptus non erat patiens; ſubſtituebat enim vocabulum unum pro altero, ut hariolando tantum voluntatem ejus cognoſcere adſtantes opus haberent; mutabatur affectus hicce ſubinde in epilepſiam, cum convulſionibus vehementioribus, hæc in illam deſinebat iterum, ità miserè miſer torquebatur. Superatis tandem DEI beneficio hoſtibus hiſce atrociſſimis, non ſemel inſtantem mortem qui minati erant, ultimum debellandum linquebatur malum, quod characteres legere, multò minus combinare nullatenùs poſſet, neque enim literam ullam cognoſcebat, neque unam ab alterâ diſtinguebat, ſed, quod mirum eſt, ſi nomen ipſi aliquod vel dictio ſcribenda traderetur, promtè illum & orthographicè in quocunque ipſi anteà notô idiomate ſcribere ſciebat, ſcriptum autem propriâ licet manu legere, vel characteres diſtinguere & dignoſcere non poterat; Si enim, quæ hæc vel illa eſſet litera, vel quâ ratione literæ combinatæ fuerint, ex eo quæreretur, caſu tantùm vel ſcribendi conſuetudine, ſine omni judicio ſcriptionem peractam fuiſſe apparebat, neque informatio ulla locum habebat: nullis enim præceptis, nullâ manuductione literarum cognitio inculcari iterum poterat, ſecùs quàm in lapicida quôdam noſtrate, Wilhlemo Richter / videre mihi contigit, qui poſt curatam apoplexiam legere quidem penitùs non poterat, neque literas cognoſcere, informationem autem ex literarum elementis Alphabeticis admittebat, cujus ope brevi temporis ſpatio literas iterùm cognovit, combinavit, ſicque ad perfectam lectionem pervenit.

SCHOLION.

MEmoriæ vitia varia ex variis orta, cauſis externis internisque ab authoribus deſcripta habemus, nota ſunt, quæ de memoria læſa notavit

tavit Th. Jordanus de peſt. phænom. p. 275. Salmuth Cent. 2. Obſ. 41. Tulpius l. 4. Obſ. c. 14. Zvving. Th. Vit. Hum. fol. 36. Foreſtus lib. 10. Obſ. 32. Capivaccius Conſ. 7. p. 948. Schenckius Obſ. lib. 1. f. 77. 78. Jul. Cæſ. Bened. Conſ. 30. p. 130. Eraſt. Annat. in Comm. Mont. p. 194. 195. In noſtro caſu hoc memorabile occurrit, quî factum fuerit, quod ſcribere potuerit, ſcriptum autem legere, vel literas propriâ etiam manu exaratas ne cognoſcere quidem valuerit, an cauſa in eo ſita fuit, quòd uſu longiore literarum combinationem ſciverit, ut in iis evenit, qui clauſis licet oculis ſcribere nôrunt; Operatur ſcilicet in ſcriptionis actu phantaſia, licet in diſtinctione vel ſimplici etiam literarum cognitione vacillet memoria.

OBSERVATIO CLV.

D. JOHANNIS SCHMIDII

DE

DYSURIA CUM PENIS RETRACTIONE.

CIvis apud nos inter primarios M. Z. moleſtiſſima & diutiſſima corripitur δυσουρίᾳ, quæ ad eum devenerat vehementiæ gradum, ut intolerabiles in urinando dolores, & inceſſabilem mejendi conatum tàm de die quàm nocte pateretur, cauſa nec in ſabulo, nec calculo, nec veſicæ inflammatione, nec mentulæ excoriatione, ſed ſeri ſcorbutici acrimoniâ inveniebatur, quæ à ſalis acidi reſoluti copiâ ortum trahebat, in tranſitu per veſicæ corpus & urethram cruciatus iſtos cauſabatur; tingebatur enim urina ſæpiùs intenſè, quæ lixivioſa apparebat, & cruorem etiam nonnunquam admiſtum habebat. Filamenta quoque & furfuracea, quæ à veſicæ corpore avulſa judicabam, ſæpiùs ſeſe monſtrabant, quæ tantô cum dolore, tantô cum excernendi ſtimulo egrediebantur, ut volſella ſibi partes peritonæi & mentulæ incidi conquereretur, & clamoris vehementia comprobaret. Ego tragicum exitum, vocatus, ſtatim prædixi, cum in provectioribus ætate malum hocce curationem non admittere & practicorum ſit conſenſus & ipſus non ſemel expertus fuerim, quod partim integris viribus ad partes haſce remotas per tot anfractus, per tot concoctiones pervenire medicamenta non

poſſint; partim quòd ætas gravior caloris pauperiem junctam habeat, unde debiles partes nervoſæ faciliùs ab humorum acrimoniâ, vellicantur; quam cum naturæ debilitas ferre non poſſet, exhauriebantur enim continuâ hâc vellicatione & continuis doloribus ſpiritus, ſuccumbere tandem ipſam oportebat. Strenuè quidem contra hoſtem remediis convenientibus actum eſt; contemperavi nimirum humorum acrimoniam, renes & veſicam roboravi, exhauſtos ſpiritus εὐπέπτοις reſarcire allaboravi, diuretica blanda cautè propinata ſunt, fomenta, balnea, linimenta, injectiones per ſyringam ex lacte, ex mucilaginibus adhibitæ ſunt, ſed irritô omnia effectu, ita enim augebantur dolores, ut circa omnem penè noctem anodynis variis dolorum impatientiam mitigare ad minimum opus habuerim, unde quidem illi remittebant, ſed per brevia intervalla recurrebant. Duranti ſic pertinaciter ultra anni ſpatium affectui tandem novum & inſolitum accedebat ſymptoma, mentula quippe tota derepentè ad interiora, ſine tamen dolore, retrahebatur, cujus intra corpus convulſio certè mirabilis fuit, nimirum nec quicquam de pene apparebat, ne veſtigium quidem, ſecus quàm in *Obſervatione 50. Anno 2. Miſcell. Curioſ.* notatam hiſtoriam vidi, ubi præputii aliqua adhuc particula extra abdomen pendula relicta fuit; in hoc autem caſu, non niſi fovea, in loco conſueto monſtrabatur; turgeſcebat ſcrotum, urina autem, quæ per penem, ut anteà factum erat, excerni non poterat, ex foveâ continuò ſtillabat, unde ſcrotum miſerè erodebatur, & tandem inflammabatur, ſicque novi conciliabantur dolores, quorum vehementiam natura cum ferre amplius non poſſet, exhauſtis tandem ſpiritibus æger animam efflavit.

OBSERVATIO CLVI.

D. JOHANNIS SCHMIDII

DE

VERMIBUS CUM URINA EXCRETIS.

VAria per urinam inverſô naturæ ordine excerni à Practicis paſſim traditur. Cruenta, & purulenta urina nemini non ~~tanto~~ nota eſt; rarior pilorũ eſt mictio, tamen exemplũ in ruſtico Inſulano vidi; ſunt & ſimilia notata ab Authoribus. Confer *Tulpium l. 2. c. 52. Joubertum de urinis c. 20. Hildan. Cent. 5. Obſ. 50. Wierum l. 3. de Præſtigiis Dæmon.*

Dæmon. c. 15. Horſt. Epiſt. Sectione 5. totâ, & alios. Vermes autem vivos excerni adhuc rarius eſt, nec tamen & hîc deſunt Obſervationes. Vermis cruenti *Tulpius l. 2. c. 49.* meminit, *& 20.* vermium excretionem *c. 50. l. 4.* tradit; lumbrici mictionem *Rhodius Cent. 3. Obſ. 36. tradit. Hollerius de Morb. Int. l. 1. c. 54. p. 56. Salmuth. Cent. 1. Obſ. 49. Pareus* millepedem vermem per urinam excretum vidit *l. 19. c. 3. Rhodius Cent. 3. Obſ. 35.* vermiculi excreti hiſtoriam habet; notum inſuper *Bartholini Cent. 1. Hiſt. Annot. 89.* de verminoſa urina exemplum. Similem & mihi non ita pridem videre caſum contigit: Nimirum Per-Illuſtris & Reverendiſſimus quidam Canonicus Varmienſis binos ſine dolore per urinam excrevit vermes vivos, qui per microſcopium obſervati, hirſuti erant & octo pedibus præditi, vitamque ultra diem, ut ex motu & greſſu cognoſcebatur, protrahebant.

OBSERVATIO CLVII.

D. JOHANNIS SCHMIDII DE *ALVI EXCREMENTIS PER GENITALIA EJECTIS.*

MArtini Jenneri, mercatoris apud nos, filia ſexennis manibus pudenda continuò fricabat, quæ ob rei turpitudinem à parentibus ſæpius corripiebatur, tandem ex fructuum horæorum intempeſtivo uſu in malignam incidit dyſenteriam, quâ de cauſa vocor in conſilium, propino contra malignitatem & humorum acrimoniã pugnantia remedia, non neglectis ſubinde cordialibus & roborantibus, enema etiam ex abſtergentibus & conſolidantibus injici curo, quod dum applicatur, liquor enematis per pudenda rurſus effluere conſpicitur, territus ad inſolitæ rei hujus viſum parens, me advocat, & ut inquirerem & edicerem cauſam obnixè rogat; Accedens puellam tabulæ imponi jubeo, pudenda inſpicio, & velamento aliquo carnoſo illa ſubducta, ſicque clauſa eſſe animadverto, ità tamen ut ſupernè & infernè ſtilus exilis intromitti poſſit, ubi exilia foramina, per quæ urina impetuoſe extrudebatur, conſpiciebatur; cum autem liberum effluxum urina non haberet, moram circa velamentum trahere opus habebat; acrimonia autem ſeri retenta loca obſcœna rodebat, & vellicabat, quæ cauſa erat frictionis pudendorum, eroſum tandem per moram longam ſine dubio ex illa acrimoniâ inteſtinum

teſtinum rectum eſt, unde per alvum excernenda, per genitalia communi facto meatu exire conſpiciebantur. Licet autem natura viam apertionis & ſectionis monſtraret, nolui tamen propter inſtantia fata, ne acceleraſſe me eadem jure culpari poſſem; nam ſumma virium debilitas, & extremorum refrigeratio, quam ſudor colliquativus excipiebat, poſterê die in felicem *ἀνάλυσιν* terminabantur.

OBSERVATIO CLVIII.

D. JOHANNIS SCHMIDII

DE

MANIBUS SULPHUR OLENTIBUS.

ODorem ſuavem totum ſpiraſſe corpus, ſeu mirificam exſpiraſſe fragrantiam, *Plutarchus* de Iſide meminit; ſimiliter de Alexandro Magno refert, quòd ex cute exhalaverit odor gratiſſimus, quodque os ac totum corpus reddiderit fragrantiam. *l. 1. Conv. Quæſt. 6. & in Alex.* De fœtore Judæorum *Fr. Philelphus in Epiſt.* ſcribit, ſimulque graveolentiæ hujus cauſam invenire tentat. Noſtrorum certè Hebræorum ſanguinem à porri eſu nimiô, odorem hunc contrahere veriſimile eſt. *Galenus l. 6. Epid. Com. 4. Aphor. 9.* refert, medicum quendam Aſianum hircum ſub alis tàm putidum aluiſſe, ut vir nullus elegantior acceſſum ejus ferre poſſet, niſi odoratis quibusdam inſperſionibus virorem hunc priùs mitigaſſet. Lemnias mulieres tantum fœtorem contraxiſſe refert *Antigonus de Nat. Mir.* ut viri earum abſtinerent congreſſu. Quæ de gravi odore *Martialis* habet, ex Epigrammatibus ejus nota ſunt. Poteſt non immeritò prioribus exemplis, Obſervatio ſequens annumerari. Juvenis quidam, habitu aliàs ſatis vivido, annos natus circiter 23. apud lorarium noſtratem vivens, ante annum & quod excurrit, ex utraque manu ad brachium usque ſtatis temporibus ſulphureum exſpirabat odorem, tàm manifeſtum, ut hypocauſtum totum odore inficeret, immò lectus non niſi ſulphuris accenſi ſpiraret odorem, moleſtiam hanc fœtoris inſoliti herus cum ferre non poſſet, meam implorat opem, meumque judicium, an nimirum odoris hujus gravitate, ſanis etiam cum eo ſimul viventibus commilitonibus, cum ſulphureum continuò attrahant aërem, noxam aliquam imprimere valeat patiens

hic,

hic, perquirit. Cardanus quidem in propria vita meminit, ex propriis brachiis ſulphureum ſe obſervâſſe odorem, quod in *Scholio ad Obſ. 191. Anni ſecundi Miſcell. Curioſ.* notavit acutiſſimus, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις, *Sachſius*, ubi ex *Alex. Taſſano & Rhodio* duo adhuc ſimilia adducit exempla: Ex autoribus tamen iſtis colligere non eſt, odorem illum, ſeu potius fœtorem, in eâ fuiſſe vehementiâ, ut in noſtro ſubjecto, in quo adſtantium infectionis metus fuit. Mirum tamen videri poſſet, quî factum, quòd non totum corpus, ſed certæ tantùm partes, & in adductis prioribus exemplis, & in noſtro quoque ſubjecto fœtorem huncce reddiderit? An cauſa non tàm in ſaguinis maſſâ quâm parte, quæ odorem hunc ſpiravit, quærenda venit? In ſanguinis enim maſſa ſi reſideret, cur totum corpus, cui per circulationẽ ſanguis communicatur, odorẽ hunc non præberet, cauſam non video. Obſtructis itaque fortè à cauſis externis, partis laborantis poris, halitus per evaporationem exire conſueti, retinentur; mora autem longiore magis aduſti fœtorem hunc, præprimis, ſi calidus ſit naturâ ſanguis & ſiccus, ſulphureum contrahunt. Ἰδιοσυγκρασία partis, vel ſanguinis, commune illud, ſupinum tamen ignorantiæ aſylum, ſi accuſari deberet, in ulteriorem perquirere rationem opus non eſſet.

OBSERVATIO CLIX.

D. JOHANNIS SCHMIDII

DE

ISCHURIA EX DISTENSIONE EMULGENTIUM.

SPectabilis apud nos civis, Michaël Podevvels, vir 67. annorum, vegeto tamen adhuc corpore, ἰσχουρία corripitur graviſſimâ, ità ut nec guttulam excernere poſſet, neque tamen ad excretionem doloribus ullis ſolicitaretur, perterritus ea propter meum petit conſilium. Invenio retentionem illam, examinatis circumſtantiis omnibus, omnimodam, non à calculo, non tartareâ materiâ, nec grumo ſanguinis, ſed læſâ renum facultate vel ſecundum *Galenum lib. 3. de Sympt. Caus c. 3.* perditâ renum actione, vel ſecundum *River. l. 1. Obſ. 1.* ab obſtructione venarum emulgentium, quam humorum multitudo parit ex *Galeno l. 10. Meth. c. 2.* cum nimirum vaſa repleta nimis & diſtenta non ſeſe poſſunt ad expulſionem contrahere, prout in Veſica ab urinâ repletâ, haud raò evenire videmus, ortum trahere; Quare emollientibus

enematibus, balneis, internis ſpecificis & ſalinis curam aggreſſus ſum, à fortioribus tamen diureticis abſtinebam, ne, vel renes inflammarentur, vel ad partem affectam nimius ſeri impetus propulſus majores in emulgentibus conciliaret obſtructiones. Protrahebatur malum, ſine ullis tamen ſymptomatibus, neque enim in pectine gravitatem, neque à reſtagnante ſeri copiâ ortam diſtenſionem animadvertebam. Temperabat ſibi æger, ſuaſu quidem meô, præter tamen exſpectationem à potu penè omni; metuebam enim ſemper, ne urinoſo odore inquinatus ſanguis ad cor delatus ſpiritus inficiat, & funeſtum conciliet exitum. Prognoſticô me ſalvabam, ſtantem enim ſacrum inter ſaxumque videbam patientem, unde gravi non vacare periculô affectum hunc primis indigitavi diebus. Continuo interim, externa & interna, quæ ex arte partim, partim ex ſecretis mihi cognita erant, remedia, ſed nec guttulam prolicere licebat. Æger me puſillanimem videns bonâ convaleſcentiæ ſpe, Medicum inverſô planè ordine erigit: Noli, inquit, timere, ſubſequetur propediem auxiliante DEO optatus finis. Oxygalam avidiſſimè expetit, concedo; bibit duodecimo morbi die iteratis vicibus hauſtum bonum; decimo tertio circa noctem ſalis urinæ fixati ʒj. propino, quod ſemel atq; iterum anteà etiam propinaveram remedium. Decimô quartô impetuoſè copioſiſſima ad libras aliquot redditur urina, limpida crudaque, quæ iteratis vicibus per totum diem matulâ excipiebatur, ſimilis priori aquam nimirum referens, ſequentibus autem diebus ad naturalem & quantitatem & qualitatem accedebat, roborantibus tandem, & ἐυπέπτοις DEI benedicti ope ad priſtinam rediit ſanitatem.

SCHOLION.

VArias ἰσχουρίας Obſervationes, raras etiam ſatis apud Practicos notatas habemus. *Diom. Cornarus Obſ. 21. fol. 36.* ad decimum quartum diē urinam ceſſaſſe obſervavit; Undecimo die ſanatæ ἰσχουρίας exemplum *Tulpius* tradit *lib. 4. Obſ. c. 26.* Iſchuriæ 8. & 16. dierum *Schenckius meminit. f. 533 Confer Piſon. Obſ. 127.* exemplum memorabile 10. dierum tradentem. *Foreſtus l. 25. Obſ. 18. p. 527.* in ruſtico retentæ urinæ hiſtoriam exponit. Ubi hoc notandum animadverto, quod propriè ſic Medicis dicta ἰσχουρία, veſicæ vitio ex calculo etc. facta, etiamſi ad octo & plures extendatur dies, non adeò lethalis ſit, modò ætas & vires ferendo morbo pares ſint, quod in praxi obſervare ſæpiùs mihi contigit, cum ſublatâ cauſâ effectus quoque tollatur. Impropriè autem dicta, nullis nimirum

mirum doloribus exiſtentibus,& vacuâ utplurimùm veſicâ, ἰσχουρία, ubi vitio renum vel emulgentium urinæ defectus contingit, plus periculi inferre conſuevit, ut rariſſimè ad 8. vel 9. dies malum hocce protrahi poſſit; Et licet urina poſt multarum dierum decurſum tandem ſubſequatur, non tamen evadunt ægri, quâ in ſententiâ, præter alia exempla, non ità pridem me confirmavit Mennoniſtæ alicujus vidua, quæ vitiô, ut ex ſignis colligere licebat, emulgentium, omnimodam urinæ patiebatur ſuppreſſionem, poſt variorum autem remediorum uſum octavô morbi die copioſam reddebat urinam, turbidam, jumentorum ſimilem, & fœtidam valdè, fractis tamen viribus, & infectâ ſine dubio tota ſanguinis maſſâ, decima quarta die animã efflabat. Aliàs mortis hoc certiſſimæ prognoſticum vix unquam me fefellit. Cujus periculi cauſam ingenioſam ſatis *Antonius Santorellus de ſanit. naturâ l. 23. c. 15.* tradere nititur: Graviſſima, *inquit*, eſt ſuppreſſio absque dolore; nam veluti parturientem parituram eſſe aliquando ſperamus; non ſperamus autem, ſi nullos patiatur dolores: Sic urinæ ſuppreſſio facta in renibus, ſi comitem habeat dolorem, ſpem concipimus, ablato impedimentô viarum micturum eſſe ægrotantem, quod ſperare non ità facilè poſſumus, cum ſopita facultas & ferè emortua, non eſt modo aliquô de corporis ſalute ſolicita; Minùs gravis ſuppreſſio eſt, quæ fit plenâ veſicâ; non enim detinetur urina in viis, quare neque minatur ſanguinis corruptelam & febrem exitioſam. Hæc ille.

OBSERVATIO CLX.

D. JOHANNIS SCHMIDII

DE

PURGATIONE EX IMAGINATIONE.

De viribus imaginationis in hypochondriacis præſertim obvia ſunt apud Autores plurima; nec ignota ſunt, quæ de prægnantium impreſſione inter plures alios *Th. Fienus* eruditiſſimo in Tractatu ſuo conſignavit. Nauſeam medicamentorum impreſſionem facere poſſe ſatis gravem ſæpiuſculè expertus ſum, inter alia exemplum ſequens exponere non abs re fore judicavi.

Uxor famoſi apud nos mercatoris. J. D. P. quartanâ laborabat moleſtiſſi-

mâ, corpus totum atrociſſimè affligente: ſentiebat dolorem oſteocopon, lumborum & dorſi gravitatem, rigorem, inappetentiam, & alia quartanariis familiaria ſymptomata. Advocor, ut de remediis proſpicerem; ea reſpuebat omnia, ita ut nec ad ſalia, nec eſſentias, nec tincturas, nec ſpiritus per guttas ſumendos, vel dolo etiam, quod ſæpiùs fieri oportere praxis docet, perſuaderi poſſet. Tandem antiquartanarium meum exhibere dolo tento, ipſa cauta nimìs & attenta eluſit conſilium meum: quæro an conſervam roſarum aſſumere poſſit, habere me nimirum & ſaporis grati & morbo, quocum confligabatur, accommodatiſſimam, ex cujus uſu febris ſine dubio ceſſatura ſit? annuit tandem perſuaſionibus, & an vomitus, an dejectiones illa ſit motura, & an certo certiùs febris etiam peritura ſit, perquirit. Ceſſabit, inquam ego, DEI ope, infallibiliter (ità enim erigenda erat; nam aliàs remedium non admiſiſſet) febris; operationem autem medicamenti talem experieris, quod ſi ventriculus pravis abundaverit humoribus, fortè vomitum, dejectiones autem modicas quidem, ſed certas conciliabit. Mitto circa veſperam febrifugi doſin cum roſarum conſerva permixtam, ſimulq; ut manè vice unâ, nam boli habebat, formam, deglutiret, ſignificari curo; Ægra impreſſionem vomitûs dejectionumque habens, maximam autem in medicamentum & ejus operationem ponens ſpem, ſollicita tamen numne poſterô die ſapor ingratus ſit futurus, circa noctis horam fabæ majoris quantitatem deguſtat tantùm; inde nauſeabunda ſtatim quater vel quinquies cum maximâ violentiâ vomit, ſimulque ſexies vel ſepties alvum exonerat. Accedo manè & de operatione remedii quæro; malè, *inquit*, mecum actum fuiſſet, ſi ex conſilio tuo conſervam deglutiviſſem, guſtabam enim heſternâ veſperâ medicamentum & vix me vivam ampliùs reperiſſes: verebar, ut noſti, vomitus, verebar dejectiones, periculum tamen facere volui, an, te ſic volente, ſaporem remedii ingratum ſuperare poſſim, & quod timui, experta ſum; vomitus enormes, dejectiones copioſas: ſi totum aſſumſiſſem remedium, qualiter cum vita mea actum fuiſſet, ipſus judica. Dignam, reſpondeo, temeritatis luiſti pœnam, ex imaginatione enim & nauſea ſolâ operationem talem ſubſecutam eſſe, certa ſis, ut effectus etiam, febris nimirum ſublatio, jam ſubſequatur, animitùs voveo. De eâ, inquit, nullus dubito. Habebat tempore eodem ancillam quartana etiam laborantem. Ut videas, dico, non adeò periculoſum me tibi exhibuiſſe remedium, & ex imaginatione ſolâ factam fuiſſe operationem, ancillæ, quæso, meô periculô, quod reli-

reliquum eſt totum devorandum exhibe; paret ac præbet ancillæ remedium, quæ ſine nauſea, ſine vomitu quinquies blandè dejicit. In hera imaginatio & impreſſio, quam de medicamento habuit; in ancilla medicamentum ipſum feliciſſimum ſortiebatur exitum: utraque enim à moleſtiſſimâ aliàs liberabatur febre, ſicq; doſi unâ binæ curabantur febres.

OBSERVATIO CLXI.

D. JOHANNIS SCHMIDII DE *CANCRI CURA PALLIATIVA.*

Cancrum mammillarum palliative ab exulceratione præſervari poſſe ad plures annos, viginti etiam, non ſemel ipſus expertus ſum, modò non in manus imperitarum mulierocularum, agyrtarum, circumforaneorum, & id hominum impoſtorum genus aliud incidant, ubi ſpem amplam facientes, vel cataplaſmatibus emollientibus putredinem conciliant, vel calidis & gummatoſis emplaſtris inflammationem cauſantur, quæ in exulcerationem terminatur, unde cruciatus & dolores intolerabiles, non niſi morte delebiles oriuntur. Sectionem, cum in principio fieri debeat, conſtantibus adhuc viribus, & ubi altè nondum radices egit, delicatulæ utplurimùm admittere renuunt. Laminam plumbeam vel emplaſtrum diapompholygos cum fructu adhiberi poſſe, non ſemel expertus ſum.

Vidua quædam primaria A. P. triginta octo circiter annorum, tumorem in mammillâ dextra per annum & ultra ſentiens, mobilem tamen & dolorificum, cancrum minantem, meam implorat ſollicita opem; præparo corpus internis evacuantibus, revellentibus, acrimoniam ſeri contemperantibus, topicorum uſum circumſpectum ſuadeo, ne, quam metuit, ſubſequatur exulceratio. Laminam plumbeam ut affectæ parti imponat, & mammillæ, ne decidat empl. diapompholygos affigat ſuadeo: Fit hoc, duæ parantur laminæ, ut demptâ unâ altera imponi poſſet, utraq; duorum menſium ſpatio eroditur & in medio in albicantem redigitur pulverem, prout calcinatio plumbi fieri conſuevit. Apparet hinc, quanta ſeri atrabilarii ſit acrimonia, ut in corroſivorum etiam degenerare naturam apta ſit, quæ ſalia corroſiva plumbum calcinare poſſe nemini non notum eſt; hæc cauſa videtur eſſe, quod in exulcerato can-

cro adeo exquiſiti ſolent eſſe dolores, qui opiatis utplurimùm demulcendi ſunt, quæ in doloribus ejusmodi ad ſcrupuli medii uſum nihil profeciſſe haud ſemel expertus ſum, partim quod ſalis acrimonia ſuperet opiatorum vires, partim quod natura opiatis tandem aſſueta, eorum operationem eludat, ſicq; tandem non tàm medicamenti, quàm alimenti induant naturam, quod de napello & venenis etiam aliis plurimæ Auctorum docent hiſtoriæ.

OBSERVATIO CLXII.

D. JOHANNIS SCHMIDII

DE

DEGLUTITIONE DIVERSIMODE LÆSA.

SEnator quidam Mariæ-Inſulanus levem patiebatur apoplexiam, à quâ remediis appropriatis Altiſſimi beneficio curabatur, hoc tamen relictô ſymptomate, quod anxiè miſerum torquebat, ſolida omnia, panem, carnes, piſces, maſticabat, & linguâ in ore circumvolutabat, deglutire autem, immò nec potu multô diluta detrudere poterat, potulenta omnia liberrimè deſcendebant. Ex paralyſi muſculorum, pharyngis contractioni inſervientium, malum hocce oriri judicabam, quare univerſalibus præmiſſis, evacuantibus, revellentibus, reſolventibus, ad topica deveni externa, ex quibus levamen ſentire aliquale incipiebat, ſed cum propter domeſtica, diutius apud nos commorari non poſſet, medicamentis convenientibus ipſi proſpexi, ſicque cum ſpe integræ ſanitatis eum dimiſi. Similem caſum hiſce diebus in virgine aliquâ noſtrate obſervavi, cachexiâ ſcorbuticâ, cephalalgiâ, & παρακυσία, per longum tempus moleſtiſſimè laborante, quæ ſolidos cibos non niſi cum potu ſummè dilutos per vim quaſi in ventriculum detrudebat; hæc etiam ſenſim à tædioſo hoc affectu per DEI gratiam liberata eſt. Notum eſt in hydrophobia potulenta deglutiri non poſſe; ſolida econtrà faciliori cum moleſtiâ deſcendere, ubi in cauſa reddenda Practici ſeſe macerant, exiſtimantes, potulenta arctiùs à pharynge comprehendi debere, liquiditatem autem motum contractionis quaſi effugere, ſicq; ad ſuperiora regurgitare: ſolida èc0ntra arctè comprehendi & ſic ſenſim in ventriculum muſculorum ope detrudi poſſe. In noſtris caſib. ratio eſt diverſa, ubi potulenta ponderoſâ liquiditate ſine muſculorum ope in ventriculũ quaſi defluunt, ſolida autem propter muſculorũ actio-



BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY

AD OBS. CLXI



actione
poſſunt
autem a
eſt ex A
mis cart
transver
compel
vandur
rum ac
quamv
ſe occa

IN præ
ſalis
nerat
drage
maſculu
tionem
ſeparata
habebat
que ſine
pareba
tis, & p
ni præbi
ſcuram
man dies
conſtitut
Chirurgo
ſumptâ c
terius per
appareret
& cerebru
Organa ſe
rum iis in

actionem læſam per œſophagi compreſſionem ad ventriculũ deduci non poſſunt, cum ob ſiccitatem lateribus adhæreant ſolida, per muſculorum autem actionem, quippe quæ læſa eſt, deprimi non poſſint. Notũ quippe eſt ex Anatomicis œſophagæum ſeu gulæ ſphincterem, ab utroq; ſcutiformis cartilaginis latere qui ortum trahit, & per gulæ partem poſteriorem transverſim expanditur, aſtrictô œſophagô cibum inhærentem deorſum compellere: habet muſculus hicce tria muſculorum paria alia, ad elevandum & dilatandum œſophagum comparata, ſibi miniſtrantia, quorum actione læſâ, in ſubjectis noſtris, deglutitio obiri non potuit, quamvis ſolius ſphincteris læſionem ſymptomati huic ſufficientem dediſſe occaſionem, exiſtimem.

OBSERVATIO CLXIII.

D. JOHANNIS SCHMIDII

DE

MONSTRO VITULINO.

IN prædio Magnifici & Nobiliſſimi Domini Johannis Kratzeri, Conſulis, Scholarchæ & Camerarii meritiſſimi, Patroni mei ſummè venerandi, aliquot à civitate noſtra diſtante miliaribus, præteritô quadrageſimali tempore vacca quædam, juvencula, vitulum peperit maſculum monſtroſum, bicipitem ſeu potius bifrontem, cujus delineationem transmitto. Apparebant nimirum capita ſibi juncta, non ſeparata, tamen bina, cervici uni adnexa, quælibet capitis pars binos habebat oculos, quos movebat, proprium os, linguam, dentes utrinque ſingulos, tota capitis compages linea quaſi quâdam diſtincta apparebat, circa frontem, in utraque extremitate una tantùm aderat auris, & penes illam nota, ex quâ cornu erumpere debuiſſet, lac quod uni præbebatur ori, bibebat, motâ ſimul alterius oris linguâ; Potuiſſet, ſi curam adhibere animus fuiſſet, ſuſtentari aliquantiſper; ſupervixit tamen dies duos, & totidem noctes. Ego de interna, capitis præprimis, conſtitutione ſollicitus, ejus, miniſtrante operâ Chriſtiano Rabandel, Chirurgo noſtrate in Anatomicis non imperitô, inſtitui anatomen; demptâ cute cranium apertum eſt, ut, num interſtitiô aliquô, quod exterius per lineam quaſi quandam monſtrabatur, capita diſtincta ſint, appareret; ſed unam tantùm inveni cavitatem, juſtô tamen ampliorem, & cerebrum unum, molle quidem, ſuis tamen meningibus involutum. Organa ſenſuũ autẽ exteriorũ cum duplicia fuerint, duplicia etiã nervorum iis inſervientiũ, conſpiciebantur paria, duplex proceſſus mammillaris amplus ſatis ſupra os ethmoides cum duplici nervi bivaricatione ap-

parebat

parebat, duplex itidem nervorum opticorum in medio itinere ſibi junctorum & ab invicem iterum ſeparatorum, à ſpinalis medullæ initio, non longè unum ab altero diſtans apparebat par. Reliqua nervorum paria non duplicia quidem erant, ſed ſurculos tantum nervus uterque projiciebat ad organa, ità ut in dextro latere exiſtentes nervi, bifurcati quaſi in organa dextri lateris deſinerent, ſiniſtri autem lateris nervi in ſiniſtrum latus utrinque ſurculum ſpargerēt. Falciformis proceſſus ad radicem naris dextræ bifurcabatur, exili tamen & obtuſô ductu. Palatum erat unum, unde factum exiſtimo, quod ori uni exhibitum lac, ſenſum cibi præbuerit linguæ oris alterius: Lingua utraque ſuos habebat muſculos proprios, proprium etiam os hyoides, quæ tamen duo oſſa in radice arctè ſibi juncta apparebant; cibus, per conjunctionem palati, in unum deponebatur œſophagum. Una etiam tantùm conſpiciebatur larinx; In pectore præternaturale inveniebatur nihil. In abdomine ventriculus, inteſtina, hepar, renes; verbô, reliqua omnia naturali ſeſe habebant modô, niſi quod lien vix imperialis magnitudinem æquaret & rotunda quaſi conſpiceretur figura. Habet *Ulyſſes Aldrovandus l. de Monſtr. hiſtoriâ* varias vitulorum bicipitium figuras & deſcriptiones, quarum una, quam *pag. 421.* delineari curavit, cum noſtro monſtro accuratam habet ſimilitudinem. Video etiam *in Anno II. Miſcell. Curioſ. Obſ. 94.* ab Excellent. Dn. Segero, Collegâ nunc meô, & Amico colendiſſimo à D. Erndlio delineatum, vituli bicipitis monſtrum communicatum eſſe; ubi plura etiam exempla alia in annotationibus ad Obſervationem hanc ex collectaneis ingenioſiſſimi, dum viveret, *Sachſii*, adducta legere eſt. Præterea verò *Caſp. Schützius* in Chronicis Pruſſiacis *l. 12. p. m. 519.* bicipitis vituli deſcriptionem tradit, quam cum nondum notatam viderim, hic quoque allegare volui.

(*In litteris menſe Majo Anni 1674. ad Coll. Ephem. Uratislaviam Gedano miſſis: quibus ſequentes duas Obſervationes ſibi à Nobiliſſ. Dn. D. Timotheo Clarke, Medico Londinenſi & Regiæ itidem Societatis clariſſimo & acutiſſimo, dum viveret, Socio, ante aliquot annos communicatas, prælaudatus Dn. D. Schmidius addidit.*)

OBSERVATIO CLXIV.
D. TIMOTHEI CLARKII
DE
LIENIS RESECTIONE IN CANE VIVO.

Anno *1663.* menſe Martii aſſiſtente Magiſtro Pearſe, Ducis Eboracenſis Chirurgo ordinario, è cane gregario, quoad corporis molem

medicoris

mediocri, non pingui, lienem exſecui, transverſim factô vulnere circa lienis regionem; ex quo iratum animalculum, partem omenti, inteſtinorum & ipſum lienem extruſit, quem nulla facta ligatura, partim ſecando, partim digitis ſeparando penitùs avellimus, deinde partibus cæteris extruſis repoſitis, vulnus ſtatim conſuebamus, & hirriens animal ſervi curæ commiſimus, qui brevi pòſt ſuturâ priori ab irato animali rupta, vulnus iterum conſuere coactus erat. Ab illo tempore tamen canis perfectè ſanus evaſit, magis quàm anteà manſuetus, & ad actûs venereos poſteà valdè proclivis.

Hoc modô vitam ſanam & multò jucundiorem degit, & pingvior etiam evaſit. Menſe Aprili anni ſequentis, canis, quô caſu neſcimus, præ foribus mortuus & rigidus, capite contusô inventus eſt.

Apertô cadavere partes carnoſas rubicundiores, quàm in aliis animalibus obſervavimus, uti & pinguedo, ubicunque erat, albiſſima apparebat. Meſenterium in vaſorum interſtitiis, diaphaneitatem, illius inſtar, quæ in ſepto lucido reperitur, exhibebat; vaſorum tamen ramificationes, ubique pinguedine illa albiſſima coopertæ. Partes cæteræ omnes, pro naturæ modô apparebant; partes tamen omnes rubicundæ floridiores erant, quàm in aliis apparere ſolent animalibus, & partes albæ multò albidiores, quod quidem non injucundum præbebat ſpectaculum; ſed ubi lien exſectus erat, pars omenti, & vaſa ſplenica, cicatrici interiori vulneris firmiter annecti videbantur.

OBSERVATIO CLXV.

D. TIMOTHEI CLARKII

DE

LIENIS RESECTIONE IN HOMINE VIVO.

LAnius quidam ruſticus in parte hujus Inſulæ Occidentali, in Comitatu Sommerſetenſi, in villa prope Crookhorne, Wayford dicta, Guilielmus Panier, nomine, ære alieno oppreſſus, ne in jus caperetur, ſemet utplurimùm abſcondere coactus erat, tandem dum privatim laniavit, lictores illum jam capturi erant, quos ut evitaret, vir deſperabundus, cultrum laniarium in ſiniſtram abdominis partem adegit, unde magnô factô vulnere, pars omenti, inteſtinorum, & lien etiam ſtatim erupére. Hinc lictores perterriti, virum, ut putabant, moribundum, ſtatim dereliquêre; Per trium dierum ſpatium, vulnus ſine

ſuturâ manebat; tandem verò accerſitus chirurgus, retruſis inteſtinis, partem omenti, cum liene, cultrô abſcindebat,& conſutô vulnere brevi convaluit lanius,& per totum annum ſequentem ſanus& hilaris vitam degebat & deinde in novam Angliam profectus eſt, ubi non ità dudum ſanus adhuc vivebat. Vir fide dignus & teſtis oculatus Dovbeny Turbevile M. D. & inter noſtrates oculorum medelâ celeberrimus hanc obſervationem mecum communicavit.

OBSERVATIO CLXVI.

D. HIARNE

De

ANATOME VIRI PRO HYDROPICO HABITI.

CUm anno ſuperiore ſexcenteſimo ſexageſimo nono Rigæ Livonorum,ubi inter præſidiarios milites Medici ac Chirurgiæ inſpectoris munere fungor, Chirurgorum aliquis me acceſſiſſet, atque ægroti cujuſdam hydrope laborantis expoſuiſſet hiſtoriam, non dubitavi,priuſquam ipſum ægrum adirem,accuratè etiam curæ modum, quo tractaſſet hactenus afflictum, inquirere. Deſideranti rem omnem aperuit mihi Chirurgus,ſe laboranti jam ſæpiùs cathartica ex *gummi gotta* Drach. ſ. ad Scrup. ij. ſine ſucceſſu propinaſſe, ſe applicuiſſe etiam cruribus jam tumefactis fonticulos. Extemplo ægrum adeo,qui ſtaturâ brevis erat, & annos circiter quadraginta agebat. Ibi emaciatum quoad cætera miſerè ac carnem vix oſſibus hærentem, abdominis autem pondere immenſo oneratum, ac tibiis pallidis impreſſi digiti veſtigia ſervantibus (qualis ferè in omnibus cachexiâ laborantibus) tumentem obſtupui. Querebatur de ſpirandi difficultate, & cum aliquali cordis inquietudine virium jacturâ, cæterum appetitu ſe ſtimulari continuo, ferè canino; immò aſſumptorum copiam vix ſufficere deſiderio eſurientis. Exortum ſibi eſſe id malum ipſe ægrotus ante biennium affirmabat, cum moles truſatiles ſeu manuarias fere ſine intermiſſione verſare cogeretur. Cogitanti mihi hac de re nihil certius ancipiti conſilio obvenit, neque enim hydropem credere poteram, quod & fame magis quàm ſiti urgeretur æger, & tumor in ventre non mollis ſed quaſi carnoſus, & minimè, ut in aſcitide accidit, cum murmure fluctuans

eſſet,

eſſet, quodque præterea potus aſſumpti paucitas non reſponderet augmento quotidiano tumoris. Nihilominus tamen pedum ac ventris tumor cum ſpirandi difficultate è contrario hydropis ſuſpicionem faciebat. Maximè autem me torquebat, quod ex tot aſſumptis nec excrementa multa, nutrimentum autem corporis & virium robur ſatis exiguum deprehenderet, omnibus, quæ ſpem meliorem facere ſolent, de die in diem in deterius ruentibus.

Tandem cum ad cognitionem hujus affectus accuratam penetrare non poſſem, in dubia re aliquid experiri decrevi, quàm certæ morti hominem ſine ſolatio committere. Diureticis itaque ac ſubinde catharticis tentavi curam, ſed naturam penitùs inexorabilem nec allicere benignis, nec cogere fortioribus potui. Demum poſt aliquot ſeptimanas in altiori loco occupatus æger, fortè decidit, ac infelici mortis genere vitæque ac morbo colophonem impoſuit. Cadaver ſtatim ſequenti die in multorum præſentiâ aperiri curavi. Aderant ibi Nobiliſſimus & Præclariſſimus Dominus *D. Nicolaus Witte von Lillienavv* Sereniſſimæ Regiæ Majeſtatis Sueciæ Medicus ordinarius & urbis inclytæ Rigenſis Phyſicus Primarius, vir in omni ſolidarum ſcientiarum genere nulli inferior, praxeos felicitate nemini ſecundus, Præceptor meus ac Fautor ætatem honorandus, ut & Generoſi plures officiarii milites atque Chirurgi quatuor rei gerendæ arbitri, ad unum omnes expectatione ſuſpenſi. Hos autem teſtes citare ideo volui, ne inania quis crepare me ſuſpicetur. Poſtquam igitur aquam, ne cultro arctius inquirenti impedimento eſſet, depleri juſſiſſem, vix unam aut alteram libram deprehendêre. Miratus in tanta cavitate non plus aquæ contineri, ulterius abdomen aperui, ubi ſtatim detracto peritonæo & omento quod tenue erat inſtar telæ aranei, ingentis corporis moles in ſuperficie pinguedinem referens ſe exhibuit conſpiciendam. Totum ferè meſenterii ſpatium occupaverat monſtroſa hæc excreſcentia, adeoque arctè inteſtinis à duodeno uſque ad medietatem ilei annectebatur, ut quaſi partes hæ coiviſſent duæ in unum citra ruptionem alterum altero avelli non potuit. Tres autem lobi ſeu tumores figurâ ſubrotunda & nonnihil depreſſa mole diverſi ſe ſpectantibus exhibebant, qualis icone oppoſita à me ad vivum exſculpta apparet, qui ad ſtateram examinati pondus quinquaginta quinq; librarum Suecicarum æquabant, imò etiam excedebant. Horum loborum majores duo diſſecti, præter

ſubſtantiam peculiarem (illi quæ circa ſternum boum pinguium eâ parte eſt, qua inter crura incurvatur à palearibus ad pectus ſimilem) amplam cavitatem prodidêre. Earum ferè quævis ſex librarum fuit capax. Liquor ſeu potius materia, quam continebat, fluida ingrati erat coloris ex obſcuro viridi flaveſcentis, ſtercoris vaccini inſtar multa aqua diluti, ſed fœtoris notabilis penè expers. Tertii illius ſeu minoris lobi (qui caput infantis annui magnitudine æquabat) cavitas parva ſaburra fuſci coloris erat impleta. Venæ plures cum arteriis latiores in ſuperficie, ſed valde pallidæ ac ferè inanes explicabantur, nonnullis lacteis etiam veſtigia ſua ſervantibus. Reliqua viſcera incorrupta erant, præter pulmonis ſiniſtrum lobum quodammodo lividum, ac pericardium omni deſtitutum lymphâ cordique pertinaciſſimè adhærens, nihil notabile exhibebant. Rariſſimi hujus affectus cauſam occaſionalem non ineptè ægrum dum ſpiraret adhuc, divinaſſe ſtatim comprobabo: cum enim glandulas meſenterii hic obſtructas atque corruptas fuiſſe poſt ſectionem factam oculorum teſtimonium declararit, non adeo difficulter reliquam morbi rationem ex ipſius ſententiâ deduci poſſe vero videtur ſimillimum. Atque ſic molendinarum verſandarum moleſtiſſimum negotium omnem dediſſe anſam apparet. Calefacto enim corpore motu continuo & violento, non potuit fieri, quin totius corporis pori, atque inter eos illi, qui ex lacteis ad inteſtina tendunt, aperirentur. Jam verò ejuſmodi hominum ad laborem & negotia natorum victus non modò ex vili pane & aqua, quibuſdam leguminibus, piſis, fabis, aut braſſicâ, ſine apparatu coctis, conſtare, verùm etiam pro lucrando tempore, ut plurimùm medios inter labores & aſſumi & vix digeri, regionis illius incolis notiſſimum eſt: ut labore & appetitu famelico, indeque fermento fortiori exiſtente, & concoctio citius abſolvitur, & avidæ hiantes lacteæ ante factam ſecretionem boni malique chyli, quam motus nimius illam in tenui inteſtino efferveſcentiam impedit, promptiùs imprægnantur, frigidaque hauſta loco ſolatii miſeris funeſtum malum in lacteis vaſis vel etiam glandulis ipſis coagulationem producente, vel etiam chylo ipſo cum fecibus adhuc miſtis ad ſtagnationem in vaſis anguſtis admodum apta exiſtẽte, collecta illi chyli copia, partim qualitate ſua, ut dixi, partim etiam quantitate cavitatem viarum, pororumq; ſc. in glandulis obſtruxit, ruptiſque jam vaſis cavitates illas ſibi formavit. Quibus repletis dictam in molem eas extendere apta fuit, imperfecto interim ſucco imper-

perfectum glandulis nutrimentum ac incrementum monſtroſum largiente. Quod illis non videtur abſurdum, qui ex Hipp. *l. de gland.* norunt glandulas in inteſtinis paſci humiditate, quàm ex inteſtinis hauriunt; quique porro vulnerum excreſcentias ſcirrhum atque puris aliquando in tale aliquid abeuntis naturam per experientiam & ſtudium exploravere. Neque hic objici poſſe videtur datam morbi cauſam ſeu glandularum obſtructionem per biennium, ut hic acciderat ſuperſtite ægroto, durare potuiſſe, cum glandulas non ad unum omnes ac eodem tempore, ſed ſucceſſivè fuiſſe obſtructas credendum ſit. Cujus rei argumentum etiam ipſa molis concretæ figura exhibet. Tres enim lobi tres glandulas atque hic unam poſt alteram fuiſſe adfectam, tam ex quantitate quàm ex liquore contento differente, concludendum eſt. Quod autem liquor ille ſubflavus ac non adeo fœtens fuerit, id factum eſſe videtur ex bile, quam ſimul multa copiâ tranſiiſſe atque tum colorem addidiſſe, tum præſervaſſe quodammodo à putredine, à veritate non eſt alienum. Interea lacteorum paucitas, quæ ad partem ilei inferioris & reliqua inteſtina vergebant aliquid chyli quantum fuerit, abſorpſiſſe, atque in vitæ miſerum ſubſidium ad cor derivaſſe probabile eſt. Pharmaca autem quod nihil evacuare poterant, viis intercluſis conjicere in promptu erit. Auctum verò illum appetitum quod ſpectat, tum ex pancreatis ductibus procul dubio obſtructis, tum etiam humorem illum in cavitatibus glandularum retento atque aceſcente & acidiores vapores transmittente ad ventriculum, non improbabiliter deduci poſſe mihi videtur. Similem omnino voracitatem & inſatiabilem aviditatem in ſuo etiam ægro, (cujus ſupra mentio facta) laudatus D. D. Clark notavit. Cæterùm languor ille aliqualis virium atque inquietudo neceſſarii fuêre hujus obſtructionis comites, cum nec haberet depauperatus ſanguis, unde ſibi ipſi ad continuandum ignem vitalem, multo minus partium reliquarum nutrimento proſpiceret. Ultimo tumorem pedum atque emiſſam è cadavere ſectionis principio aquam ex lymphaticis tum caſu illo ex alto in ventre ruptis, tum ob molem excreſcentiæ reditum lymphæ ab inferioribus partibus prohibente, indeque ruptionem ibidem producente traxiſſe originem perſuaſus ſum. Atque hæc pro Æthiologia expoſiti affectus ſufficiant, qui quanquam jam inveteratus abſolutè fuerit incurabilis, non parum tamen ſpero Medico prudenti allaturum lucis, cujus beneficio poſſit & affectum hunc jam recens natum deprehendere, & quoad fieri poterit, in tempore ipſi mederi.

In multis, licet non in omnibus, ſimilem caſum nuper Argentorati obſervavit Cl. D. *Ludovicus Saltzman*, portentoſæ ſc. magnitudinis tumorem in abdomine puellæ ſex annorum, unde falſa hydropis ſpecies fuit oblata, cujus exactam delineationem mihi etiam communicavit. Sed cum ipſe Eruditiſſimus obſervator propediem in hanc rem doctum eſt editurus ſpecimen, illud ego anticipare nolo, placuit tamen in gratiam curioſorum iconem hîc apponere.

FIGURARUM EXPLICATIO.

b. I. non caret, ipſa Ideò, quia reritur in Anatomicis Libris.

TAb. I. Meſenterium cum ſuis vaſis exhibet. *A. vena meſaraica & eas comitantes rami arteriæ cœliacæ. B. Vena lactea. C. Meſenterij portionem, una etiam nervorum meſaraicorum per eam diſtributionem exhibet. D. Ventriculi fundus. E. Pylorus. F. Inteſtinum duodenum. G. Iejunum. H. Ileum. K. Omenti pars. L. Glandulæ Meſenterij pars cum venis lacteis inter ſe implexis, & vaſis lymphaticis.*

Tab. II. Tumorem & lobos ſupra dictos in proprio ſuo ſitu oſtendit. *A. Ventriculi fundus. B. Hepar. C. Colon. D. Tumoris præternaturalis lobus primus. E. Lobus ſecundus F. Inteſtina tumori adhærentia. G. Inteſtina reliqua ad latus dextrum retruſa.*

Tab. III. Lobos ſeparatim demonſtrat.

Fig. I. Lobi tres explicati. a. *Lobus primus.* b. *Secundus.* c. *Tertius caput pueri annui æquans.* d. *Vaſa pallida omnino & inania.* e. *Venarum lactearum veſtigia.* f. *inteſtini adhærentis diſrupti portio.*

Fig. 2. Lobus major apertus, a. *Subſtantia exterior albicans.* b. *Interior ſubfuſca.* c. *Cavitas humore ſubviridi plenus.*

Fig. 3. Lobus minor diſſectus fuſcus & humore obſcuro refertus.


Tab. IV. Obſervationem D. Saltzmanni repræſentat. *A. Tumor carneus major, inferior abdomen attollens & extra pubis oſſa propellens.* B. *Tumores duo paulo minores ex priori orti. C. Appendix. D. Inteſtini pars. E. Veſica ad latus compreſſa.*

(Obſervationem hanc Nobiliſſ. atque Experientiſſimus Dn. D. Hiarne Diſputationi ſuæ Inaugurali de obſtructione Lactearum, Andegavi habitæ, inſeruit; ipſa vero commendatione Præcell. Dn. D. Joëlis Langelotti in Ephemerides haſce meritò transſcripta eſt.)

OBSERVATIO CLXVII.
D. LUCÆ SCHROECKII, F.
DE
HIPPOLITHORUM HISTORIA.


Non

AD OBS. CLXVI. TAB. II.



BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY

AD OBS. CLXVI. TAB. III.





BRITISH
NATURAL HISTORY

NOn usque adeò infrequentem eſſe Hippolithorum generationem, quilibet mecum fatebitur, ſi tot in Medicorum ſcriptis adnotatas de illis obſervationes ſaltem conſideret.

Celebris inprimis eſt Vratislavienſis ille, ſive Hottomannianus, ex inteſtino recto equi exciſus, poſtquam, dum vitâ adhuc fruebatur, plurimi alii, minores quamvis, excreti ab eodem fuerant; quos deſcribunt *Thom. Jordanus Tract. de peſt. phœnom.* ex recenſione Medici Celeberrimi Joh. Cratonis, & *Caſp. Schvvenckfeldius in theriotroph. Siles. tit. Equus:* nec non ex hiſce Clar. *Caſp. Bauhinus lib. de lap. Bez. cap. 14.* uberioremque relationem, additâ ſimul ejusdem, minorisque unius delineatione, unà cum alterius equi, Generoſi Dn. Wolfgang. Frider. L. B. de Hofman in Moraviâ, plusculis diebus ſat magnos lapides excernentis, mentione, Curioſiſſimus D. D. *Philipp. Jacob. Sachſius lib. 1. Gammarolog. cap. 14. §. 11.* ſuppeditat. In ventriculo equi Neopolitani alium, dupondii pondere, repertum, præfatus Jordanus memorat, quem Rudolphus Hungariæ Rex, inter ſua rariora repoſuerit. *Felici Platero* calculus fuit, qui ex equi prodiit alvo, uti ipſe *Prax. tom. 3. cap. 15. teſtatur.* Magnæ molis calculum, in equo molitoris repertum, ex relatione Balthaſ. Conradini, Medici Suatienſis in Valle Oeni, deſcribit *Torneſius in Joh. Georg. Schenkii lithogeneſiâ,* quem etiam ex Jacobo Moockio prælaudatus Sachſius in medium adducit. Non minùs inſignes ſunt illi duo Bambergenſes, in ciſta Medicâ Joh. *Hornungi, Epiſt. 64. & seqq.* prolixè deſcripti. Calceolariano in Muſæo repoſitum extollit *Andreas Chioccus in ejusdem Muſæi deſcriptione, ſect. 3. p. 404.* Alterius ex equo, non procul Francofurto, exemti meminit *Joh. Schröderus pharmacop. Med. Chim. lib. 5. cl. 1. c. 21.* De Veronenſi equâ citô alvi turbine calculorum quartarium reddente, agit Clar. *Joh. Rhodius centur. 2. obſ. med. 74.* Quin & Excell. D. D. *Georg. Wolfgang. Wedelius* elegantis Hippolithi, in Gazophylacio Sereniſſimi Saxo-Gothani Principis repoſiti, hiſtoriam, unà cum icone ejus, *Anno Tertio Ephemeridum medico phyſic. German. Obſ. 246.* inſertam communicavit. Quos equus ille, quô de J. C. *Scaliger exercit. de ſubtilit. 125.* agit, tophos duriſſimos, leviſſimos, ſtercoris facie, rotundos egeſſit, huc nonnulli referunt. Quamvis *Olaus Wormius Muſæi lib. 1 Sect. 2. cap. 8.* cum iſtis piloſis, in ventriculo boum ſæpiùs reperiundis, pilis convenire eos, arbitretur. Sed omnibus hiſce palmam præripit Pariſienſis ille, in *Tomo quarto Ephemerid. Erudit. Gall.* propoſitus.

Credi-

Credibile ſanè eſt, multos ab equis conſimiles lapideos emitti fœtus, qui tamen, tum abſque difficultate in corpore quod prius delituerint, pa riterque ſine incommodo evacuentur, tum minores exiſtant, aliamve ob cauſam haud obſervantur, ſicque dein pereunt ac diſperduntur; aut ſi fortè inveniantur, pro alio aliquo obvio ſilice aut lapide, præcipuè ubi rotunditate, elegantique nitore carent, habentur. Numerus porrò eorum augetur, ſi recenſitis hiſce addantur, qui variis in locis Curioſorum ſcrinia exornant, publicam fugientes notitiam, quales plurimos dari, nullum eſt dubium. Confirmat id vel Auguſta noſtra, aliquot ditata Hippolithis. Non repetam prolixiùs illos, de quibus, ob præclara in Rempubl. Patriam, immò Literariam merita laudatiſſimus noſter D. *Raymundus Mindererus, Tract. de peſtilent. cap. 15. pag. 225.* tractat, nec quos Avunculus meus honorandus, Dn. *Georg. Hieron. Velſchius, diſſert. 2. de ægagropil. pag. 12.* recenſet. Sed aliquot ſaltem nondum deſcriptorum exempla conſignabo.

Primum ſibi locum vindicat, quem nuper apud celebrem hujus loci Mercatorem & Materialiſtam videre contigit, cui ſtupenda obtigit moles, quam vel ex eo divinare licet, dum integras quatuor libras medicas, dimidiamque inſuper unciam pondere adæquat. Immò multò ponderoſiorem fuiſſe eundem, neceſſe eſt, cum non exigua ejus pars, laminæ inprimis exterioris ſatis craſſæ, ablata conſpiciatur. Figurâ cæterùm ad rotunditatem, coloreque ad cinereum accedit, laminatim cohæret, compactus inſuper, glaber & lævis exiſtit. Plura de eô reſcire non potui. Quare ad alios progredior, quorum nonnullos diverſæ magnitudinis, equus ruffi coloris, qui pro Xenodochii noſtri publici uſu alebatur, Anno 1662. per alvum egeſſit, abſque ullo prægreſſo vel concomitante, (quantum quidem obſervare licuit) equi incommodo, diu poſtmodùm eodem incolumi ſupervivente.

Horum calculorum unus, Dilectiſſimi Parentis mei dono, mihi obtigit, non quidem magnitudine conſpicuus, ſtructurâ tamen commendabilis, quâ videlicet cum illo, ab amiciſſimo mihi *D. D. Wedelio* delineato, exactè ſatis convenire videtur. Lævigatiſſima enim ejus eſt glabrities, ac ſi ab arte inducta eſſet, inſtar ceparum inſuper tuniculatus, ſive lamellis ſibi ſuperimpoſitis præditus, coloris ex pallore candicantis, eleganter compactus, non ſabuloſus, non tartareus, friabiliſve, ſed durus, raſilis tamen & pulveriſabilis, figurâ nonnihil oblongus, ſex tamen angulis, unô ſuperiore, inferiore, anteriore & poſteriore, duobusque lateralibus ſibi oppoſitis inſtructus, pondere ſaltem drachmas tres,

& Gra-

& grana viginti quinque continet. Diffractus à me, exiguum in centro ſilicem, cum laminarum pulchra ſtructurâ, coloremque paululùm obſcuriorem illo, qui in ſuperficie conſpicitur, non minùs tamen ſplendidum oculis exhibuit. Reliquos variè diſtractos & diſperditos cum jam deſcripto conveniſſe, magnitudine tamen, & figurâ diverſos extitiſſe, refertur.

Præter hunc, ex amici dono, alii ſex, parvuli tamen, in viciniâ noſtrâ, è demortuo equo exempti, mihi ſunt Hippolithi, quorum major drachmam dimidiam cum tribus granis, ſecundus grana octodecim, tertius & quartus grana quinque, quintus tria, & ſextus duo ponderant, qui omnes ſuperficie pariter lævigatiſſimâ, internâ autem ſtructurâ itidem tuniculatâ ſplendente, colore ſubfuſcô, ſubſtantiâ compactâ, durâ, raſili, & facilè pulveriſabili, ſe commendant.

Aliud exemplum annis abhinc undecim generoſus ſpadiceô colore præditus cujusdam è primariis apud nos Mercatoris equus exhibuit, cùm, absque ullius prægreſſæ vel ſubſecutæ infirmitatis ſignis, tres calculos per guttur inferius depoſuiſſet. Subrotundi illi ſunt, cinerei coloris, nitidi, politique candidâ lineolâ, inſtar venæ, quam in Hottomanniano innuit *Sachſius*, ſinuoſo ductu, ſuperficiem eorum lambente, ſuisque prædita ramulis; ponderoſi præterea & compacti, non minùs tamen raſiles; quorum major unciam unam, drachmas tres, ac viginti quinque grana, medius unciam unam cum undecim granulis, minor ſex drachmas & grana ſeptendecim ponderant.

Tandem civis cujusdam noſtratis equus ſpadicei coloris, ante ſex annos, inſignes aliquot Hippolithos diverſis vicibus per alvum, non ſine dolore, quem ſcilicet fortis calcitratio, quæ excluſionem hanc comitabatur, indicabat, emiſit, quorum tres figurâ rotundi æmulâ conſpicuos, colore ferè cinereos, Pharmacopœus hujus urbis perinduſtrius atque peritus, curioſitatis gratiâ, adſervat, quos ſæpiùs mihi perluſtrandos, quin & particulam, pro ſumendo inde de viribus experimento, conceſſit. Horum unus octo uncias, drachmam unam, ſcrupulos duos & grana quatuor, alter uncias itidem octo, ſcrupulosque duos cum dimidio, tertius novem uncias, atque ſex drachmas ponderant. Ultimus hic ſtudiò à poſſeſſore diffractus, parvulum intùs ſilicem exhibuit, fundamentum præbentem ſubcreſcentibus ſibi lamellis, quæ eleganti ordine, in medio cumprimis calculi, diſpoſitæ conſpiciuntur. Colorem intus oſtendit nonnihil obſcuriorem, ac in exteriore parte apparet; ſub-

ſtantiæ eſt homogeneæ, nullis viſui ſe offerentibus ſcybalis, aut heterogeneâ re aliâ; ſplendore inſuper radians, odorem, dum particulæ ab eo decutiuntur, urinoſum exhalans, ſtercoracei tamen quid admixtum habentem, eôque ipſo de ſuo natali loco teſtantem. Urinoſum etiam ſpirabat, cùm in pulverem tritus vivo carboni inſpergeretur.

Præfatus autem equus, poſtquam novem menſium decurſu lapideos iſtos fœtus diverſis vicibus edidiſſet, concidit tandem, exenteratusque poſt mortem, ingentis molis lapidem, unà cum minore alio, in inteſtinorum aliquo, eâ parte, cui lapis inhærebat, nigreſcente, mortis autorem exhibuit. Qui ſtaterâ examinatus libram unam ponderis civilis, drachmas tres, ſcrupulum unum pendere obſervatus fuit; figurâ Gothano reſpondet, atque colore ad fuſcum inclinat; colorem ità paulatim immutans, cùm primò ad cinereum inclinâſſe dicatur. Minor ejusdem coloris, unciam ſaltem dimidiam, duosque ſcrupulos ponderat, aliquâ ex parte fractus, eâque laminatim ſe concreviſſe, oſtendit. Horum poſſeſſori alii inſuper duo ſunt Hippolithi, ex equo mortuo deſumti, gryſei coloris, non nitidi ſplendentésque, immò impuriores, pabuli adſumti veſtigia nonnullibi oſtendunt, laminis tamen pariter conſtant; quorum major drachmas ſeptem & duos ſcrupulos, minor drachmas tres pondere adæquat.

Hiſce conſideratis, non poſſum non *Plinio lib. 8. hiſtor. natur. cap. 42.* equo ferè, qui homini, morbos eſſe, tradenti, quodammodò ſubſcribere. Calculos namque in hominum ventriculo atque inteſtinis generari, nullum amplius eſt dubium, quos partim excretione, partim ventris poſt mortem inciſione, fuiſſe manifeſtatos, plurimæ Obſervationes fidem faciunt. Idem quoque contingere in equis, ex jam dictis eluceſcit. Neque enim ullum fore autumo, qui Hippolithos ſecundum naturam, prout quidem de lapide bezoardico adfirmare id nonnulli ſuſtinent, produci adſtruat; cùm potiùs reverâ præter naturæ conſuetum ordinem oriantur; unde etiam non in omnibus equis reperiuntur; & non tantùm incommoda varia, verùm ipſa inſuper mors, equos talibus oneratos quandoque inſequuntur. Nuper colloquebar (*ſic Andr. Libavius apud Hornungum, Epiſt. 78. ſcribit:*) cum nobili R. qui diu in Italiâ, atque etiam Neapoli fuit, eſtque Eques admodùm peritus. Is aliquot exempla magnis lapidibus occiſorum equorum recitabat. Equus Tyrolenſis ſuperiùs memoratus, nec non Neapolitanus à *Jordano* adductus Hippolithos prægrandes ſibi fatales experti fuerunt.

runt. Hottomannianus, diſruptô inteſtinô rectô, cùm tranſire non poſſet, mortem equo attulit. Sic rerum vertitur ordo, &, ſi ob quandam nominum ſimilitudinem jocari liceat, dignas Hippolithis nunc equi dant pœnas, qui priùs, ſpretô habenæ regimine, miſerum Hippolithum, curru excuſſum, loris implicatum, multasque in partes diſcerptum, exhalare coëgerunt animam. Sed cur non omnes equos, Hippolithis prægnantes eadem ſors manet? Idem ſanè, quod in homine, accidere videtur. Mortem imprimis, gravioraque incommoda effugiunt, lapilli ſi minores ſint, nec aſperi, & partes, quas tranſire debent, ſi laxiores ac patentiores exiſtant.

Generantur autem partim in equorum ventriculo, partim in inteſtinis. Iſtorum exemplum ſuggerunt illi à *Torneſio*, & *Jordano* propoſiti: hos negare pariter vix licet. *Libavius* in colo equorum gigni, non dubitat, ceu in *Epiſt. Ciſtæ Hornungianæ 65.* videre eſt. *Clar. Velſchius* illos, quos memorat, in ventriculari inteſtino latuiſſe, narrat, quod colo ex una parte, ut cœcum ex altera, adnexum eſt. Etenim in equo inteſtinorum ordo, ut verbis utar *M. A. Severini part. 4. Zootom. Democr.* ſi infernè aggrediaris, hic eſt: primum inteſtinorum rectum, ſecundum cœcum, tertium colon, & poſt colon aliud ventriculi formam habens. Quale duplex inteſtinum cœcum in lupo etiam, aquilâ, cygno, grue, columbâ, inventum, Anatomicorum obſervationes adfirmant. Videturque omnium convenientiſſimè inteſtinorum cœcorum cavitas pro Hippolithi productione commoda; quamvis facilè credam, in ventriculo, aut aliis tenuioribus inteſtinis prima quandoque rudimenta eum ſuſcipere, ac progreſſum dein, protruſum, aut prolapſum ad craſſiora, novum ibi incrementum capere; cum in inſtanti eum minimè concreſcere, vel laminarum miranda ſtructura evincat. Immò non has tantùm partes, ſed alias quoque calculorum in equis generationi inſervire, *Joh. Langii* obſervatio comprobat, dum *lib. 2. Epiſt. Med. 57.* lapidem nigrum, pondere unius libræ, ex veſica, equo mortuo, exemtum vidiſſe ſe, lapides etiam in maxillis equorum concreviſſe, ex abſyrtho non illaudato artis veterinariæ Medico, prodit. Pariſienſis Hippolithus in membranâ pinguedine repletâ, duobus in locis ſpinæ dorſi proximè renes affixâ, fuit inventus.

Ipſum verò generationis modum adſignare, perquàm arduum eſt, nî planè impoſſibile; cùm ad amuſſim ipſi quadret, quod de calculi in humano corpore ortu Medici, ſagaciores quamvis & ingenioſiſſimi,

fateri coacti fuerunt, videlicet rem eſſe obſcuram, intricatam, nobisque nondum ſatis hucusque cognitam. Ut de calore aut frigore nihil dicam, cùm nudas iſtas qualitates per ſe inſufficientes admodùm eſſe, plurimis jam demonſtratum ſit. Statuere autem ſuccum, humorem, auram, ſal, vel ſpiritum aliquem λιθοποιητικὸν, lapidificum, ſive gorgoneum, rem non exhaurit, dum, qualisnam ille ſit, an purè acidus, alcalicus, auſterus? & quomodo in animalis corpore ἐνέργειαν illam exſerat? ignotum nihilominus remanet. *Helmontius* quamvis hoc per diverſos illos ex urina ſeparatos ſpiritus clariùs videretur explicare; cum tamen, *uti cap.3. de lithiaſi §. 42.* videre eſt, coagulatorem illum ſpiritum, utut laboraverit, in urina equina reperire non potuerit, ut neque ſpiritum fermenti vel aquæ vitæ;hoc ipſo ſanè Hippolithi generationem ex eo arduum foret deducere. Non poſtremum tamen hic locum obtinere ſpiritum ſalinum urinoſum, ipſum Hippolithi examen comprobat, ditiſſimum illo hunc eſſe, evidenter demonſtrans. Unde à volatilis hujus alcali, acidique morboſi, arreptâ ſimul materiâ obviâ idoneâ, mucilagine &c. puta, concurſu, *Clar. Tackenius* calculi generationem deducit *cap. 14. Hippocr. Chim.* Qua ratione vinum quoque ſuum contribuere valet ſymbolum, cujus ſcilicet partem volatiliorem, ut de tartaro, quem in ſinu abscondit, nihil dicam, acidum occultum in ſe continentem, cum urinoſo coagulari, eſt notiſſimum. Unde *Schnitzerus Epiſt. 64.* apud Hornungum, non adeò præter rem, de vini ſitientiſſimo calculoſo equo agens, ſcripſiſſe mihi videtur: *forte quis hujus λιθογενεσίας* cauſam *οἰνοποσίαν* putet? Neque obſtat *Libavii* objectio, quòd & in bobus calculos obſervaverit, à quibus tamen vinum non fuerat deguſtatum. Vinum enim ſolum & per ſe in cauſa utique non eſt, nec ſemper ad calculi generationem neceſſarium, aliis tamen cum cauſis concurrere poteſt. Simili modô lutum quoque, vel terra nitroſa parietum, flagella fruticum, & aquæ turbidæ, quibus delectari nonnullos equos, atque materiam lapidum inde congeri poſſe, idem *Libavius* ſcribit, ſe habet. Verùm, ne juſtô prolixior ſim, hæc mitto, pauca ſaltem de virtute alexipharmacâ lapidis noſtri additurus, quam nonnullos ei adjudicare velle, video. Sic *Jordanus*, eum fortaſſe bezoar vicarium eſſe, ſcribit; *Crato* autem, nondum de viribus feciſſe ſe periculum, refert. *Mindererus* noſter, de equis Hippolithos in ſe continentibus agens, addit: qui poſt mortem diſſecti, tanti (prout videri potuiſſent) pretii lapides bezoar nobis reliquerunt. Uſum Hippolithi, ſcribit *Libavius*,

bavius, eſſe bezoardicum, ſunt qui ſtatuant. Itaque etiam longè præferunt globulis lapideis ex India occidentali, & his, qui ex orientalibus campis afferuntur; Et *Celeberr. Caſp. Hofmannus Epiſt. 203. Ciſt. Hornung.* Non valdè, *inquit*, abhorreo ab eorum ſententia, qui vires bezoardicas illis tribuunt. Unde etiam à *Schwenckfeldio* equinum Bezoar (Roß-Bezoar) vocari fortè promeruit. Huic ſententiæ favere videtur ſimilitudo, quæ caprarum bezoardicarum & inter equorum calculos occurrit, ſi color utriusque conferatur, qui variare quidem ſolet, ita tamen, ut cinerei etiam, aut ſubcinerei, quales ut plurimum ſunt occidentales, dentur. Hic ipſe color in Hippolithis quoque majori ex parte conſpiciendus eſt, modò dilutiore colore, obſcuriore modò in iis adparente. Quamvis color quandoque ad fuſcum tendens eos pariter exornet, qui in officinarum noſtrarum orientalibus bezoardicis lapidibus utplurimùm ſe ſiſtit. Elegantiſſima prætereà ſtructura nitidarum, ſibique ſuperimpoſitarum lamellarum, fundamenti loco corpus aliquod, ſupra quod ſcil. concreſcunt, habentium, eadem eſt. De bezoardico quippe lapide omnes id adfirmant, adeò ut tunicis iſtis ſi deſtituatur, pro adulterino eum reputent; has autem tunicas modò paleam, modò aliud corpus, quæ inter maximè notatu digna eſt ſagitta ferrea (quô de lapide *vid. Obſervatio 115. Anni I. Ephemerid. Curioſ. German.*) in centro oſtendere, plusquam notum eſt. De Hippolithis ſtatuere idem poſſumus; quod tùm ex Autorum ſuperiùs citatorum, uti *D. D. Wedelii, Velſchii, Schröderi, Jordani*, & *Tornesii* relatione eluceſcit, tùm autopſiâ mihi innotuit, dum omnes eos, quos frangere, aut aliquâ ex parte in ſuperficie fractos videre licuit, egregio cruſtarum ordine præditos eſſe, obſervavi. Quatuor autem eorum, qui nimirum per mediam ſuam ſubſtantiam diſrupti fuere, in centro ſilicem minuſculum, durum, ſubcreſcentibus laminis baſin præbentem, exhibuerunt. Hunc verò ſilicem non tàm in ipſo equo, uti reliqua ei adnata Hippolithi ſubſtantia, generari, quàm potiùs pabulo commixtum, vel aliâ occaſione ab eo deglutiri, veriſimile eſt: prout diverſa ſæpè corpora à jumentis hâc ratione in ventriculum mitti, conſtat.

Accedit inſuper odor Hippolithi urinoſus, quem, ubi teritur, aut aliô modô tractatur, emittit, nareſque eô eminenter ferit, ac ſi ſal aliquod volatile urinoſum, uti ammoniaci &c. objectum ipſi fuiſſet. In confeſſo autem eſt, urinoſa illa in malignitate debellandâ magnam obtinere efficaciam,

Libavius, ſtercoris equini ſuccum contra epilepſiam, peſtem, vermes &c. præberi, animadvertens, ad putrida venena Hippolithum quoque facere, probabiliter credit, ſudoresque potenter movere, & craſſos ſuccos incidere poſſe, arbitratur.

Ut ludus humanus à recentioribus nonnullis ipſi lapidi bezoardico præfertur, ob inſignes virtutes alexipharmacas, reſolventes, diureticas, præcipitantes &c. ità nullum dubium eſſe, ſtatuit *Exc. D. D. Wedelius*, ipſummet etiam Hippolithum viribus pollere iisdem; illudque è Magni *Thomæ Bartholini centur. 4. Epiſtol. Med. 92. pag. 522.* comprobat, ubi Celeb. Olaus Borrichius obſervationem illuſtris Boylæi communicat, quâ calculum humanum urinam & ſudores promtè exigere, quin & in peſte excellentioris eſſe uſûs, quàm decantatum illum bezoardicum lapidem diſcitur. Id quod pariter *Jacob. Bontius in lib. 1. de Medic. Indorum, ſive Notis in Garciæ ab Orta lib. 1. cap. 46.* propugnat, compertum ſe habere, ſcribens, lapidem in veſicâ hominis repertum urinam ac ſudores probè ciere, ſeque tempore peſtis, 1624. & 25. Hollandiam miſerandum in modum devaſtantis, ob lapidis bezoardici, penuriam, eum exhibuiſſe, atque meliùs ac excellentiùs ſudorificum inveniſſe, teſtatur. Quemadmodum etiam calculum humanum omnibus aliis lapidibus, tàm contra venena, quàm alios morbos præferendum eſſe, ex Hueblino *Caſp. Bauhinus cap. 22. de lap. bez.* recenſet.

Tandem conjecturis hiſce experimenta inſtituta pondus addunt, prout *B. Sachſius* de Hoffmanniano equino lapide refert, eum inſtar lapidis bezoar ſudorem moviſſe. Et *Schröderus* illius, quem deſcribit vires easdem cum bezoar occidentali experientiam docuiſſe innuit.

Quibus experimentis fidem ego minimè denegans, quid tamen obſervare mihi licuerit, quin addam, haud intermittere poſſum. Paucis enim abhinc ſeptimanis particulam Hippolithi illius, quem uncias novem, & ſex drachmas ponderaſſe, ſuprà retuli, à poſſeſſore nactus, quid valeret, experiri lubuit. Tribus itaque columbis junioribus pulveriſatæ nucis vomicæ, ſingulis ſcrupulum unum (cùm dimidium aliis nullum omninò ante aliquot annos intuliſſe damnum, ſcirem, dum unicornu cujusdam vires explorationi aliquorum noſtratium Medicorum ſubjiciebantur) exhibui, cum micâ panis, aquâ madefacti, in globulos redactum, & paulò poſt duabus illarum Hippolithum pulveriſatum, primæ quidem unicum ſcrupulum, alteri verò grana viginti quatuor, itidem cum pane in globularem formam efformata; tertiæ autem colum-

columbæ lapidis bezoardici occidentalis grana viginti quatuor eôdem modô; Hippolithi locô, deglutienda dedi, effectu dimidiâ vix elapſâ horâ ſe manifeſtante. Etenim duæ priores, quibus ſic dictus equinus bezoar ingeſtus fuit, convulſæ finierunt vitam, tertia autem, quæ lapidem bezoar occidentalem acceperat, nullum paſſa incommodum, ſalva evaſit. Quod equidem experimentum tanti non facio, ut illô ſolô fretus, alexipharmacam virtutem Hippolithis denegare præſumam; cum non ignorem, plura contra illud in medium proferri poſſe, uti, quod à ſimilibus experimentis in bruto aliquo inſtitutis, ad hominem non valeat argumentatio, facilè, nobis non animadvertentibus, accidere quid poſſit, ſperatum quod remoretur effectum; non omne alexipharmacum omni veneno contrarietur: intercedere queat inter equinos calculos, virium ratione, differentia; & quæ plura alia objici queunt; adducere tamen illud volui, quò dubio iſto ablato in rei veritatem, & ea, quæ de virtute iſta habentur, crebris experimentis tantò accuratiùs inquiratur. Mihi ſanè majorem ſollicitudinem incuſſit, ne ſimili minus adhuc expertô remediô prius utar, quàm majori evidentiâ effectus ejus ſalutaris comprobetur. De corio enim humano hic luditur. Tentare autem ea in corpore humano, quæ non ſunt experientiâ probata, periculo non vacat. Intereà Hippolithum non omni contra aliquos humanum genus infeſtantes morbos carere virtute, vix ullus negabit. Scilicet, ut cum *Helmontio è cap. 4. de lithiaſi §. 15.* loquar; *in belluis ſui obnaſcuntur calculi, at non in pœnam, nec in meritum dati, qui nobis in medicamina ſuccreſcunt.*

OBSERVATIO CLXVIII.

D. LUCÆ SCHROECKII,

DE

CALCULIS RENUM ET VESICÆ IN BOBUS.

E Quo ferè, qui homini, morbos eſſe, è Plinio in præcedentibus monui. Similia in *Ariſtotelis lib. 8. de Hiſtor. animal. cap. 24.* occurrunt; poſtquã enim variis de morbis equum infeſtantibus egit, ſubjicit: *Denique homines uſu periti, totidem ferè morbis equum infeſtari, quot hominem, referunt.* Hoc ad lithiaſin quoq; ſi extendere ſciviſſet, aliis errandi anſam præſcidiſſet. Namque, dum *Sect. 10. problematum, quæſt. 42.* cur nullum animal, niſi homo, calculoſum fieri poſſit? quæſtionem inſtituit, verbis ejus nimiùm adhærentes,

ſolum

ſolum hominem calculis obnoxium eſſe, adſtruere non fuerunt veriti. Quam tamen ſententiam falſam eſſe, prægreſſa Hippolithorum hiſtoria abundè evincit, confirmatque animalia plura alia, in quibus generari calculos, nullum ampliùs eſt dubium. Placet hâc vice, renum veſicæque progeniem calculoſam in bubulo genere obſervatam, eum in finem tangere, præſertim cùm ut plurimùm colore, ſplendoreq; eximio ſe commendent. Talis mihi eſt, in rene vaccæ inventus, triangularis, aliquot tamen eminentiis præditus, qui primô adſpectu metallicum quid, licet tale non ſit, refert, colorem ſplendidum & quaſi aureum oſtendens, inprimis ubi exteriorum lamellarum aliquot ablatæ fuerint; ex tenuiſſimis ſiquidem flaveſcentibus tunicis conſtat, quæ ſeparatæ planè diaphanæ adparent. Non minùs etiam Patavii in veſicâ bubulâ minutos rotundoſque calculos, quorum majores ſemen erucæ, minores minima nicotianæ ſemina magnitudine æquabant, inveni, qui ſimili fulvô ſplendenteque colore, ac pellucidis lamellis pollent. Quales in veſicis iſtis ab aliis quoque fuiſſe obſervatos, novi. Convenire hos exiſtimo cum illis, quorum Celeberr. Wedelius, Sachſius & Borellus mentionem faciunt. *Hic* ſiquidem *Centur. Obſerv. 5.* lapidem in meatu urinario bovis repertum deſcribit, qui durus & quaſi metallicus in tres veluti partes dividebatur, ac ſi globuli tres conjuncti profunde fuiſſent, talesque addit, ajunt ruſtici ejuſdemque figuræ in bobus repertos fuiſſe. *Sachſius* verò *lib. 1. Gammarolog. cap. 14. §. 8.* arenam quaſi metallicam & lapillos perfectè rotundos, globoſos, ſplendentes, & colore auri mineram æmulantes, ab Exc. D. D. Spilenbergero, Phyſico Leutſchovienſi in veſicâ bovis fuiſſe deprehenſos, refert, quorum originem aquæ metallicæ, ſpiritu lapidifico prægnanti, ebibitæ, vel herbis minerali ſeminio gravidis deberi, ſuſpicatur. Et D. D. Wedelius particulam calculi vaccini, inſtar auri foliorum fulgidi, poſſidet, uti *Anni III. Ephemer. curioſ. German. obſervatio 246.* teſtatur. Nec fortè multùm diverſi fuêre, quos *Libavius*, uti *Epiſt. 65. Ciſtæ Hornung.* docet, è boum renibus exemtos vidit, colore argenteo atque fuſco ſplendente; & quem ſatis magnum ac ſplendentem è rene vaccino Staffelſteini apud præfectum vidiſſe ſe *Epiſt. 78.* ſcribit. Aſt neque homines à ſimilibus immunes exiſtere, obiter noto; quos ſplendidam iſtam miſeriam infeſtare poſſe, ex *Gregorii Horſtii Epiſt. Med. lib. 2. Sect. 5. pag. 455.* diſcitur. Quamvis autem ut plurimùm ità fulgeant, alium tamen, ut eum ſolum producam, è rene bovis extractum habeo, qui aureo illô colore & fulgore non gaudet, figuram

guram tamen ſingularem præ ſe ferens, dum ocream, parte ſuperiore multum expanſam, ſatis exactè repræſentat; cæterùm cortice exteriore ruffeſcit, cui ſubſtantia ſubcinerei coloris ſubjacet; medullâ intus ad fuſcum accedente; quæ figura in memoriam revocat lapidem, quem *Ol. Wormius lib. 1. Sect. 2. cap. 13.* Muſæi ſui deſcribit, pedem ocreatum exactè referentem. Conſulatur etiam ejusdem præcedens caput undecimum, de lapillis è renibus bubulis exemtis, teſſerarum inſtar variè coagmentatis, albicantibus, gypſeis, & inæqualibus.

(In literis ad Collectores Ephemerid. menſ. Maji. anno. 1674.)

OBSERVATIO CLXIX.

D. HENRICI VOLLGNAD

DE

NEPHRITIDE LETALI.

ANni 1673. menſe Decembri ferè extremo, Vir quidam Reverendiſſimus nephriticis doloribus interemptus, anno ætatis quaſi quinquageſimo vitâ hîc, Vratislaviæ, defungebatur, quantumvis εὔσαρκος ac ſanæ aliàs conſtitutionis, quod inprimis in exenteratione, cui Nobiliſſ. atque Excell. Dn. D. Godofredus Leopoldus Neumannus de Neumansvvaldau, S. Cæſ. Maj. Conſiliarius, & Excell. Dn. D. Godofredus Tileſius, Phyſicus Primarius, cumque ipſis egomet intereramus, comparuit.

Nam abdomen primò pinguedine duos digitos transverſos, vel amplius, craſſâ obductum erat, & deinde viſcera naturalia omnia optimè conſtituta viſebantur, ſolos renes & veſiculam felleam, potius contentorum vitio quàm ſuo, morboſos dicere oportebat.

Veſicula enim fellea non ſolùm lentiſſimam bilem, quæque ſatis largo ſpatio ſe diſtendere patiebatur, nec multam, ſed & inſuper lapillos in adjecto ſchemate ſub l. A. & B. delineatos, puniceos, prominentiis quibusdam inæquales, rubrisque maculis, nec non luteis quibusdam parvis conſperſos, continebat. Dicti lapilli aliis parvis, minorum piſorum magnitudine, & plurimis arenulis ſtipati erant.


Ren dexter calculum l. C. delineatum, luteum fovebat, cujus cuſpis autem in Uretere ſe inſinuaverat, reliquæ duæ parenchymati ſic infixæ utrinque erant, ut tranſitum & excluſionem omninò prohiberent, calculus

D. in rene ſiniſtro latitabat, juxta cum plurimo ſabulo, cujus pars initium ureteris penè obſtruxerat.

Lapillus denique E. in veſicâ, jam deturbatus, inveniebatur.

Ureteres ampli admodum & ſolito carnoſiores erant.


In cauſam hujus in corpore tam benè conſtituto λιθογενεσίας inquirentibus, imprimis vinum nimis tartareum, quo Reverendiſſimus familiariter, quanquam non exceſſivè, utebatur, inculpandum eſſe probabile viſum eſt.



OBSERVATIO CLXX.
D. HENRICI VOLLGNAD
DE
DRACONIBUS CARPATHICIS ET TRANSSYLVANICIS.

DRacones, h. e. beſtias grandiores dari in montibus Carpathicis, Dn. D. Paterſonius Hayn, Medicus Excellentiſſimus & Phyſicus Eperienſis Celeberrimus, vir plurimæ ac curioſæ peritiæ, *Anno III. Ephemeridum noſtrarum Obs. 139. & 194.* edocuit, plura fortaſſe etiam de hiſce animalibus & aliis in Hungariâ, præprimis circa Carpathum notabilia prodidiſſet, niſi graviſſimus morbus ipſum ultra

CRANIUM DRACONIS CARPATHICI IN NATURALI SUA MAGNITUDINE DELINEATUM



P. Kilian ſ.

BRITISH M[illegible]
NATURAL HISTORY

ultra biennium dolentiſſimè vexans, corporis animique vires atque facultates depaſceret. In citatis Obſervationibus cum nonnulla oſſa Draconum, atque inter ea etiam cranium junioris animalis delineatum dederimus, B. Lectorem nec cranii, grandioris beſtiæ, picturâ, ceu perfectiore illâ, quamque juxta ipſum naturale exemplar factam, eidem laudatiſſimo Paterſonio acceptam ferimus, defraudandum cenſuimus: cumque ipſa tam evidens ſit, ut explicatione non indigeat, verbis abſtinemus.

De reliquis ſaltem figuris in eadem tabula exhibitis, paucis monuiſſe juvat, illam litera C. notatam, dentem caninum beſtiæ in naturali ſua magnitudine exprimere. Color, dentis ℥ijß pendentis, ex luteo rubeſcit, ſeu ſubcroceus eſt, admodum tamen pallet in mucrone, qui ſolidiſſimus eſt inſtar dentis aprugni, at reliquum corpus jam in laminas fiſſile, inſtar unicornu foſſilis. Scrobem ejus nonnulli in epilepſiâ magni faciunt, ægrisque exhibent.

Adjungere præterea placuit iconem unguium draconis, quorum *in Obſ. 139. Anni III. Ephem. Curioſ.* mentio facta eſt, quique in Ph. Jac. Sachſii à Levvenhaimb, b. m. Bibliothecâ (ab Excell. D. Paterſonio, uti conjicio, donati) aſſervantur; in eorum utriusque appoſitis ſchedulis, talis legitur inſcriptio: I. *Medulla Unguis Draconis majoris in montibus Carpathicis reperti; cujus vis aromatica ex odore cognoſcitur, eſtque ſudorifera ut unicornu, & linguæ adhæret:* Ea in hac Tabula ſignatur lit. A.

A. medullæ pars eſt magis oſſea & ſolidior, b. pars poroſior ac verè medullaris; c. corona ſeu baſis oſſea, præfracta, cui procul dubio unguis adhæſerat. *II. Unguis alius ibidem repertus junioris & minoris multò Draconis, qui non adeò potens, integer tamen in radice, totamq; figuram habet. Ille major confractior eſt, ſed rarior & majoris virtutis.* Signatur Tabula lit. B.

Aa. baſis ſolida & oſſea; bb. pars medullaris & poroſior; c. foramen cui vena nervusve inſertus fuerat.

Utriusque unguis color flavus eſt, qualis ſc. oſſium vetuſtiorum eſſe ſolet.

NB. Neuter tamen unguis nunc aliquam fragrantiam edit, nec linguæ amplius adhæreſcit.)

Cæterum Dracones volantes in Tranſſylvania reperiri, fidem fecit aliquoties Vir ſatis integer ac aliàs fide non indignus, amicus meus

 per-

perdilectus, Georgius Vette, Pharmacopœus Cibinienſis; Et quidem in litteris 16. Maji anni 1673. tali ſenſu ſcribit:

Nuper grandem Draconem alatum Vallacha quidam in arbore excavatâ prope montana, combuſſit. Ruſticus is dudum obſervaverat iſtius arboris cavitatem ab illo frequentari; & quanquam varias ipſi inſidias ſtrueret, eum tamen capere vel interimere, quoniam propriæ vitæ diſcrimen metuebat, non auſus eſt. Tandem tale ſtratagema excogitavit; nimirum arborem illam (abſente Dracone) plurimâ virgultorum aridorum ſtrue cinxit, eamque, cum Draco ad domum ſuam iterum advolaſſet, ſubitò accendit, ſicque arborem & Draconem combuſſit. Itidem paucos ante annos in tractu, uno milliari à Cibinio diſtante, Draco unà cum arbore excavatâ, quam inhabitare ſolebat, quamque fulgur accenderat, combuſtus eſt, cujus caput in ædibus Judicis Regii in hâc civitate aſſervatur, ibique videri poteſt.

Idem Dn. Vette, in litteris 5. Jul. Anni 1673. de alio Dracone hæc memorat: Ante ſex circiter ſeptimanas, duobus abhinc milliaribus, prope montana, arbor, in quâ Draco habitabat, fulmine tacta eſt, quod hoſpitium & hoſpitem ſimul incendit atque combuſſit. Draconis iſtius os quoddam vidi, quod extrinſecus vitro propemodum ſimile videbatur, interius verò ab aliis oſſibus non abludebat.

Præfatus Pharmacopœus, rurſum in litteris menſe Novembri, anno 1674. ſcriptis refert, ſibi eſſe dentem, pro Draconis venditum, qui ℔ 6. (libra verò ℥ iis medicis propemodũ viginti conſtat) pendeat, non eſſe eũ admodum longum, ſed palmo latiorem; videri ſimiliorem lapidi, quam oſſi: Se illum accepiſſe à Mezziſienſi ſeu Medvviſchienſi (quod oppidum quinque milliaribus Cibinio diſtat) viro, integritatem facie præ ſe ferente & aſſerente, dentem eum, juxta cum plurimis oſſibus aliis, Vallacham (qui Romuin i. e. Romanos ſe nominant) in abſtruſiſſimis montibus, non procul à Portâ ferreâ reperiſſe.

Ejusdem planè formæ & magnitudinis dentem portæ Templi Leſch-Kirchenſis, catenæ ferreæ alligatum, videri, qui ipſe quoque à quodam Vallacha in ſerrorum montibus (vulgo das Kertzergebürge vocant) anni s abhinc quatuor repertus ſit. *Hæc ille.*

Si; quæ aliàs de Draconibus alibi locorum vel viſis vel inventis ſcripta ſunt, quenquam ſcire juverit, conferre is poterit Dn. D. Joh. Dan. Majoris, Prof. Kilonienſis, Fautoris & Collegæ mihi honoranter amiciſſimeque colendi, Diſſertationis Tertiæ de Pinacothecis Rariorum Natu-

ralium,

ralium, ſeu Vorſtellung etlicher Kunſt-und Naturalien Kammern in Africâ und an Grängen Europæ, cap. inprimis IV. & V. ubi in proditas hactenus narrationes de iſtis Beſtiis haut ineruditâ cenſurâ animadvertit.)

OBSERVATIO CLXXI.
D. HENRICI VOLLGNAD
DE
AQUIS ARDENTIBUS.

IDem, quem in præcedenti Obſervatione nominavi, Amicus Cibiinienſis in litteris 2. Jul. anno 1673. ad me ſcriptis hæc refert:

Quatuor à Cibinio milliaribus, in pede montis viniferi, fons ſcaturit, cujus capacitas in diametro ultra unam, profunditasque unam cum dimidiâ vix excedit.

Aqua ſcaturiens nigricat & turbida eſt, ſpithamæ altitudine ultra ſuperficiem fontis exilit, tanquam in aheno ebulliret, frigidiſſima tamen ſemper exiſtit, & quod miratu maximè dignum, nunquam exundat, ſed ſemper intra ſuum continetur alveum.

Si ignem palmi intercapedine ſupra aquam admoveas, ipſa ſubito flammam concipit, & inſtar ſpiritus vini ardet, ignesq; trium pedum in altitudinem diſpergit, nec non ligna, aliaſque res inflammabiles incendit.

Fons hic ſemel accenſus, diutiſſimè ardet, nec extingui patitur flammas, niſi injectâ terrâ illæ ſuffocentur.

Licet verò aquæ hæ ardeant, ſemper tamen frigidæ ſunt, & ſulphureum quid acidularum inſtar, ſapiunt, flammæ verò odorem nullum de ſe ſpargunt.

Extra ſuum delatæ fontem, ignem nuſquam concipiunt, imò verò alios quosvis ignes promptè extinguunt.

Accolæ iſtius loci referunt, fontem hunc jam à viginti circiter annis ſcaturiiſſe, ſed demum anno ſuperiore 1672. ipſum exardeſcere, compertum exſtitiſſe. Cum enim tunc vicinas ruſtici arundines exurerent, ab earum flammis fons hic improvisò accenſus primùm eſt, pluresq; ſeptimanas diu noctuque cum multâ admiratione, tantum non mille hominum, qui ſpectatum hanc rem venerant, arſit.

Ex eo quoties quis veritatem rei experiri cupit, ignem admoveat, neceſſe eſt, quod & ego hiſce feci manibus, oculatuſque conſecuti effectus teſtis ſum,

Ii, ex quibus cauſam hujus rei percontari tentavi, non idem ferunt judicium; alii enim halitus ſubterraneus & ſulphureus, alii terræ pinguedinem vel Naphtham incuſant. *Hæc tum ille.*

Ego in reſponſoriis meis deinceps autor fui, ut idem Dn. Vette, porro inquireret in naturam iſtius fontis, utque id tanto facilius effectum daret, nonnullas ipſi ſuppeditavi quæſtiones, ad quas ipſe 12. Januarii Anno 1672. reſpondit, ſenſu qui ex ſequentibus patet.

Materia è fundo fontis extracta nullatenus inflammabilis eſt, nec terra circa fontem.

Intra fontem nec muſcum nec aliam plantam reperii, ſed in viciniâ ad ulnæ diſtantiam, arundines & gramina abundanter proveniunt.

Vinea ex ſabuloſâ terrâ congeſta eſt, vinum verò ibi creſcens, nec ſapore, nec virtute ab alio vino differt.

Aquam eam homo brutumve, quod ſcitur, nunquam bibit, quia ob continuam ebullitionem atro limo turbatur, ut ipſemet, illam deguſtaturus, nauſeam quandam perceperim.

Inſecta ibi certa familiariter verſari, non deprehendere potui; nec puto in his convalliis ulla degere, quoniam tota ſalſuginoſa ſunt, ita ut ſal ipſe effloreſcat, & terræ albedinem inducat perpetuam, niſi quando pluit. Siccatâ verò terrâ, ſal albus iterum apparet, & tàm æſtate, quàm hieme viſitur.

In ſalis fodinis ſimilem effectum (videl. ut illato in eas igne, vapores ibi exhalantes ignem concipiant) non obſervavi. Nam milliari ſaltem uno à Cibinio fodinæ (ſalis gemmæ) ſunt, cryptam prævaſtam & fornicatam ex mero ſale referentes, iiſdem pariter lacus adjacet ampliſſimus, aliquot orgyias profundus & ſalſiſſimus, ita ut neminem ſubmergi patiatur, licet ſanitatis cauſâ admodum ab accolis frequentetur; imò ſepoſita poſt balneum hoc induſia tantum ſalis imbibiſſe viſuntur, ut exſiccata, propriâ rigiditate erecta ſine alio adminiculo ſtare ſoleant. At nec hic lacus flammas concipit.

Vicinia fontis dumoſa ſatis, ibidemque ſylva uliginoſa, ex adverſo vineæ ſupra dictæ, ſita eſt.

Quam primùm licuerit mihi ad fontem hunc redire, non intermittam ſubminiſtrata experimenta tentare, ſucceſſumque deinceps perſcribere.

Denique non reticendum, quod æſtate præcedentis anni, à fonte ſupra dicto, paſſus aliquot, nova aquæ pariter inflammabilis ſcaturigo pro-

prorupit, quæ tamen in circumferentiâ anguſtior illi priori, vixque medium pedem profunda eſt.

SCHOLION.

HAlitus ſubterraneos in præcedentibus deſcripti incendii cauſas eſſe, haud obſcuris argumentis ex allatâ relatione conſtare poſſe exiſtimo, atque hinc etiam, quod aqua iſta, propriè loquendo nec ardeat, nec eidem fontis nomen attribui debeat.

Crediderim nimirùm equidem ex impetu halituum, ex illa terra prorumpentium, eam excavatam eſſe primò, moxque deinde eò ex vicinia uliginoſa aquam confluxiſſe, atque ſic potius in parvum lacum, quam fontem conceſſiſſe. Quod verò in aliquam altitudinem proſilit aqua, ſcaturiginem quidem mentitur, haut revera tamen eſt, quippe ab halitibus ſolum elevari efferrique eam, vero ſimilius eſt; aliàs vel in rivulum defluere, aut à proprio vortice, qualis verò hic nullus deprehenditur, abſorberi eam, neceſſum eſſe videtur.

Halitus iſti qualesnam ſint, definitu fortaſſe non adeò planum eſt. Salvo expertiorum judicio, eos ex ſulphuris minera (qualis iis tractibus, ubi ſalis proventus eſt, familiariter ſe inſinuat) provenire, facilè edixerim, cum ſapor ejus acidulus & odor ſulphureus (uti ex Relatione patet) id ferè ſuadeant.

Quod ſi naphthæ aut bituminis quid adeſſet, fortaſſe pinguedo nonnulla aquæ ſupernataret (quod in aliis fontibus obſervatum eſt, licet nondum, an iſti admotâ flammâ ignem concipiant? *vid. Varen. in Geograph. General. l. 1. c. 17. prop. 9.*) odoreque graviore, inprimis dum ardet, illa ſe proderent; aut etiam terra, tam è fundo fontis extracta, quàm propè fontem admotâ incenderetur flammâ, quod in fonte illo Lanceſtriæ *Nobiliſſimus Thomas Scherley, Eques*, ſe obſervaſſe & experimento, non ſine ingenio, facto demonſtraſſe, relatione ſua, *in Actis Philoſoph. Regiæ Societatis Anglicanæ n. 26.* confirmat.

Neque verò proinde negatur, terram propè fontem, de quo ſermo eſt, & ſalis quodam flore conſperſam, ejusmodi halitûs, non æquè atque fontem emittere; quod tamen ea non ardeat pariter atque aqua, probabilis cauſa eſt, quod è terra vapores illi magis diſperſi ac rari procedant, è fonte verò uniti magis & denſi; adeoque propterea flammæ capiendæ magis apti.

Hanc quoque cauſam eſſe, licet conjicere, cur fontes, unde ſal excoquitur, & fodinæ, unde eruitur, ignem non concipiunt, licet fœtorem ſul-

phureum

phureum ſatis fortiter ſpirent; ſic notum eſt, Hallæ Saxonum operarios, ut advenis profunditatem fontium monſtrent, in eos demittere faſciculos ardentes ſeu ſtramineas faces, ſine tamen ullo vaporum incendio.

Tale contra ea incendium circa ſalinas Cracovienſes obſervavit *Joh. Broſcius*, dubius tamen hærens, utrum ſulphuri, an verò Naphthæ cauſam adſcriberet. Verba ejus in *Præfatione ad Obſ. d. nominatis ſalinis à ſe conſcriptam*, libet adſcribere: *Illud*, inquit, *admiratione digniſſimum videtur, quod ad ſalis fodinas utplurimum ſulphurei fontes propè reperiantur, ut Bochnæ & Vieliciæ in Swoſzowicze: quantula enim hæc eſt diſtantia? ac inter ſalis cavernas ſæpè Naphtha ad ignem proſiliens, multos amburit: & ante aliquot annos æſtate ferventi memini terram inter Cracoviam & Vieliciam arſiſſe multis diebus.*

Hæc ideò huc adduxiſſe viſum eſt, non ut cuiquam quicquam perſuadere de fontis iſtius Tranſylvanici incendio contendam, ſed ut anſam præbeam, in aliis etiam experiundi aquis, an ſimile quid contingat, & cauſæ evidentiores ac veriores talismodi incendiorum, à Viris curioſis indagentur, ſicque certius innoteſcat, ubi Naphthæ aut bituminis, ubive ſulphuris quid ſubſit.

Cumque celebris ſit fons iſte, qui prope Culmam Boruſſiæ effervere dicitur, licet ſemper frigidus ſit, unde *inſanus* dictus eſt, operæ pretium foret, experiri, num admotâ flammâ halitus ibi prorumpentes, incendi ſe patiantur.

Contra experiundum, an fons ille prope Gratianopolim (*cujus Auguſtinus in de Civit. Dei meminit, & poſt eum Hieronymus Montuus & Petrus Areodus, citante Strobelbergero in Deſcript. Galliæ Politico-Medica ſect. 4. p.m. 166.*) injecta omnia conſumens, cujus flammam nubiloſo cœlo clarè, ſereno non niſi face adhibita videri ajunt, injectâ terrâ extingui ſuos ignes ſit paſſurus, quemadmodum id in illo Tranſylvanico contingit. De his fortaſſe, aliisque notabilibus circa eum fontem, conſulendus *Dionyſ. Salvagnius Böeſſius in deſcriptione ſeptem Miraculorum in Delphinatu*, ubi de eo pluribus egiſſe dubitare haut licet, etſi librum hunc evolvere hactenus nunquam conceſſum fuerit.

OBSERVATIO CLXXII.

D. HENRICI VOLLGNAD.


DE

FIGURIS IN GLACIE REPERTIS.

Varias

BRITISH MUSEUM
NATURAL H

Ad Obſerv. CLXXII.



VArias ſæpè figuras mirâ elegantiâ herbas aut eorum folia, frutices, arborumve ramos exprimentes, non ſolum in ſtagnantibus aquis, aut rivulorum fluminumque quandoque ripis, ſed & feneſtrarum vitris uvidis, à rigido hiemis frigore expreſſas reperiri, res quidem eſt, quam & pueri norunt, ſed tamen quam fortaſſis viri ſapientiores non immeritò ſpeculari queant; quandoquidem non nudo naturæ luſu id accidere, videri poteſt, immò verò ſerias ſubeſſe cauſas, quas natura polydædala, in minutiſſimis & viliſſimis admirari geſtiens, abſtruſiore in ſinu gerit, acutiore ingenio rimandas atque eruendas. Mihi quidem, in præſenti in hancce abyſſum me dimittendi, animus non eſt, ſaltim exemplum, uti opinor, haut inelegans, liquoris certi vegetabilis, qui frigore in glaciem coactus ſui figuram fruticis perquam belle repræſentavit, lubet proponere.

Accidit, ut anni 1673. initio menſis Januarij lagena vitrea, in quâ aquam vitis primo vere lacrumantis aſſervabam, in cubiculo repoſita, ab intenſo admodum tunc frigore congelaſceret, ſic ut ea omnis non tantùm in glaciem verſa eſſet, ſed & vaſculum diffregiſſet.

Ipſam contemplatus propius, adverto figuras pampinorum & uvarum præſentari tàm appoſitè, ut artificio potius, quàm ſpontaneâ liquoris congelaſcentiâ effictas eſſe dixeris ac aſſeveraveris.

Hocce Phœnomenon cum aptius pictura quàm verbis deſcribi poſſit, tabulæ æneæ ~~illud~~ inciſum proponere malui. Ne verò claros & amicos mihi viros, quibus hoc ſpectaculum eo tempore oblectamento fuit, nominetenus pro teſtibus allegem, Lectoris B. facit candor, cui confido, ut meæ tantum tribuat fidei, quo minus quicquam hic fictum ſuſpicetur.

Similes apparentias in aliis quoq; liquoribus vegetabilium ſucculentis, aut ſuccis eorum ipſis poſſe contingere, licet non ſemper ſimiliter contingant, probabile videtur id experimento, quod eadem aqua vitis me docuit, confirmanti.

Nam cum menſe Decembri anni 1672. eadem aqua in lagenulâ frigore concreviſſet, nulla tamen figura, nedum lineola, pampinum uvamvé exprimens comparuit; quemadmodum deinceps menſe Januario, poſtquam glacies iſta ab aëris tepore reſoluta fuiſſet, intenſumque rurſus frigus eam congelaſſet, factum vidi.

Pariter glacies iſta, quam pictam nominare liceat, poſtquam remittente frigore, rurſus reſoluta eſſet, tertiùm redeunti frigori ad

Gg con-

congelaſcendum expoſita eſt, ſed neque tunc figura aut effigies ulla comparuit.

Apparet hinc etiam, quanta aëris, ſecundum diverſos minutiſſimoſque gradus quà calorem frigusve intenſi aut remiſſi, vis & efficacia ſit pro diverſimodè efformandis particulis ſubjectorum tam diſſolubilium quàm coagulabilium; ut pariter manifeſtum exinde fiat, quàm varias corpus humanum quoque mutationes ex ſolâ atque unica caloris frigoriſque viciſſitudine experiri oporteat; ut proinde dictæ qualitates non citra meritum activæ audiant.

Denique idem hîc propoſitum exemplum, infidum experimentorum ſucceſſum comprobare poſſet, niſi illuſtris *Boylei* ingenioſiſſima induſtria illum pridem plurimis comprobatum iviſſet teſtimoniis.

OBSERVATIO CLXXIII.

D. FRIDERICI LACHMUND

DE

ULCERE INTESTINI RECTI BRASILIANIS FAMILIARI.

ANno 1624. cum ego (Jacobus Lachmund) qui totius claſſis Batavicæ chirurgus conſtitutus eram, cum illâ in regionem Americæ Meridionalis, Braſiliam, profectus eſſem, militibus noſtris in illâ regione ulcus naſcebatur in inteſtino recto, eo modo, quo in noſtris oris homines in digitis panaritio corripi ſolent, quod ipſis maximos dolores afferebat, ità ut ferè inſanirent propter urentem materiam, antequam matureſceret & aperiretur. Braſiliani hunc affectum, ſeu morbum, quo ſæpè infeſtantur, vocabant *Byetos.* Remedium autem hoc erat: ſumebant citrium pomum, quod in ſex vel octo partes longas diſſecabant, ex his particulam quandam, inſtar ſuppoſitorii in inteſtinum inſerebant, & hoc ſæpè iterabant recentibus pomis citriis; hoc modo ſtatim magni illi dolores ſedabantur. Ego, cum Braſilianos hanc medicinam facere viderem, pari modo medicas manûs adhibui & dolori & morbo noſtrorum militum, qui hoc pacto pariter convaluerunt.

[*Ex MSS. Parentis pie defuncti, Dn. Jacobi Lachmund, Chirurgi Hildesheimenſis celeberrimi, Dn. D. Fridericus Lachmund, filius, hanc Braſiliani morbi hiſtoriam, cum ſequentibus mox aliis quinque Obſervationibus, deprompſit, & additis ipſimet quibuſdam ſuis, curâ Dn. D. Joh. Dan. Majoris, Vratislaviam transferri voluit.*]

OB-

OBSERVATIO CLXXIV.

D. FRIDERICI LACHMUND

De

VERMIBUS ADMIRANDIS PEDUM, LUMBORUM AC SCROTI, IN AMERICA.

CUm poſteà venirem in *Guineam*, videbam, quod incolæ ligni particulæ quædam pedibus appenſæ, quibus aliquid involutum erat, geſtarent. Percontanti mihi, quid hoc ſibi vellet, interpres reſpondebat, vermes eſſe, qui ejus loci incolarum in pedibus, lumbis, immò & in ſcroto naſcerentur, hujuſmodi particulis ligni, ajebat, extrahendi ſunt hi vermes, qui ſæpè tres quatuor vel quinque ulnas longi ſunt. Cum veniſſem in *Caſtellum Mourre*, ubi noſtri milites in præſidiis erant collocati, ulteriùs perquirebam, quænam natura & conditio eſſet horum vermium, reſpondebant: Non parere magnos dolores, niſi cum jamjam perforare vellent cutem,tum enim frigus quoddam præcedere & rubeſcere partem infeſtatam, inſtar eryſipelatis, & tum eos prodire: anteà vero aliquantulum materiæ aquoſæ effluere: Facto hoc, duo quædam cornua imminere, pili inſtar, tenuia, parvi digiti latitudinem æquantia longitudine: deinde caput extare, quod aliquo modo compreſſum eſſet; hoc ſequi corpus, tàm rotundum, tam tenue, ac chorda quarta in pandurâ, quam vocant Diſcantus, tum pedetentim & particulatim ex corpore humano extrahi, & illo ligno circumvolvi, & quidem longitudine tantùm unius digiti, unâ vice, tunc enim ſubſiſtendum eſſe; & hoc quolibet die, ter tantùm debere fieri: inprimis autem hîc accuratâ opus eſſe cautione, ne in extrahendo nimiâ vehementiâ utaris, & vermem abrumpas; tunc enim acrem quandam aquam ſeu humorem effluere, quod in ulceribus exquiſitorum dolorum cauſa foret, & reliquias per ulcerationem expellendas eſſe, quod tantâ caloris vehementiâ fiat, ut opera danda eſſet opere maximo, quò pars à gangrænâ liberetur. Obſervavi deinceps, quod milites, qui in Batavorum ſervitiis, erant, cum biennium vel trienniu m ibi exegiſſent, ſimili modo ab ejuſmodi vermibus ſint infeſtati & flagellati.

[*Confirmant hæc, quæ in eruditiſſimo tractatu de vena medinenſi Præcell. Dn. D. Velſchius inprimis p. 314. 315. & ſeqq. annotavit.*]

OBSERVATIO CLXXV.

D. FRIDERICI LACHMUND

DE

OSSICULORUM FRAGMENTIS PER TUSSIM EXCRETIS.

ANno 1632. cum civitas noſtra Hildesheimenſis à Duce Militiæ Godofredo Henrico, Comite de Pappenheim, fortiſſimo, & magni nominis bellatore, occupata eſſet, & integrum biennium, & quod excurrit, obſideretur, miles quidam erat natione Scotus, cujus claviculæ dextri lateris, glande bombardæ diſruptæ, ego chirurgicas manus quando adhibebam, in curatione eâ nulla oſſicula emergebant, ſed vulnus rîtè ſanatum eſt, ita ut omnîmodè convaluiſſe ipſe videretur, & non minus atque alii excubias agere, cæteraque munia militaria promptè obire poſſet. Poſt ſemeſtre tamen ſpatium anhelâ & gravi tuſſi quatiebatur, & ſex oſſicula per tuſſim ejiciebat. Horum duo priora erant acutæ feſtucæ oſſium, quæ illi ne minimum quidem creaverant dolorem.

OBSERVATIO CLXXVI.

D. FRIDERICI LACHMUND

DE

PARTICULA CLAVI TRABALIS AB INFANTE XXIV. HEBDOMADUM DEGLUTITA, QUÆ IN FAUCIBUS IN TERTIUM USQUE DIEM REMANSIT.

ANno Salutis noſtræ 1644. accidit, ut înfans 24. hebdomadas natus, cum aliis puellis ludens, repentinos dolores ſentiret, non aliter, ac ſi ſuffocandus eſſet. Parentes quidem, quibus res anguſta domi erat, licet cauſam ignorarent, & tamen ſuſpicarentur, in collum ſive fauces aliquid, quod infantem angeret, deſcendiſſe, dorſum infantis percuſſerunt, potumque illi propinârunt, ſed nihil profecerunt. Sequenti die ad me infantem detulerunt, qui omnia remediis, quæ ex uſu eſſe putabam adhibendis, periculum feci, nihil tamen effeci, tandem fortius quoddam vomitorium adhibui, quod licet operaretur, tamen hæſit malum; Tertio demum die forcipem ſingularem curvum, non ſine periculo in fauces eò uſque immiſi, ut materiam iſtam

appre-

apprehendere poſſem. Quæ quidem etſi ægrè poterat ſuo loco moveri, paulatim tamen à me extracta eſt. Hæc materia erat quidam dimidio præfractus, isque vetus clavus trabalis, ejus magnitudinis, quam pictura exhibet. Infans verò dictus poſt illud tempus aliquot adhuc annos attigit.



OBSERVATIO CLXXVII.

D. FRIDERICI LACHMUND


DE

SPINA E MUSCULO DEXTRÆ MANUS

ET DE

PARTICULA STRAMINIS EX OCULI ANGULO EXTRACTIS.

ANno 1656. ipſis Calendis Junii, cum ruſticus quidam puer ad me duceretur, illi ſpinam ejus longitudinis, quam annexa figura monſtrat, è muſculo dextræ manus extraxi, quæ 12. integras hebdomadas abſque ulla inflammatione (quod equidem mirum eſt) in illo latuerat.



ANno 1667. d. 13. Novembris extrahebam puero quindecim annos nato ex oculo particulam ſtraminis hujus longitudinis, quam

d. 26. Auguſti ex improviſo ipſe intruſerat. Particula itaque hæc tres totos menſes (quod valdè admirandum) in oculo illo latuerat.

(Hactenus Dn. *Lachmund Pater.)*

OBSERVATIO CLXXVIII.

D. FRIDERICI LACHMUND

DE


MENSTRUALI PARTIUM IN PUELLA QUADAM EXTERNARUM, UTPOTE AURIUM, NARIUM, DIGITORUM ETC. MORTIFICATIONE.

CUm anno 1660. tertiâ vice Bataviam permigrarem, in civitate Delphenſi chirurgum in operationibus ſuis expertiſſimum & ſolertiſſimum, in tota Hollandiâ & Zelandia celeberrimum, & ante aliquot annos mihi familiariſſimum, inveni mortuum, quare à viduâ petii, ut MSS. relicta aliquantulum perluſtrandi mihi copiam faceret, quod quidem illa lubens conceſſit. Ille autem inter alia memoratu digna, obſervationem raram annotaverat ſequentibus verbis, quam ex Belgicâ Lingua, in gratiam benevoli Lectoris, transferendam putavi. Hæc autem ita ſe habet:


Anno M. DC. XXIX. d. 21. Martii ſt. n. Ego *Bernhardus Schrader*, unà cum fratre meo Johanne Schrader, & Alexandro Lax, chirurgiæ ſtudioſo, veni ad oſtium aquæ in pagum, cui nomen eſt Geeſt, & quidem in diverſorium, cujus hoſpiti nomen erat Joh. Brandes, hujus filia, quæ annum ætatis agebat 23. tali affectu miſerè affligebatur. Singulis menſibus patiebatur dolorem inſignem in digitis manuum & pedum, ut & extremitatibus aurium ac narium, cum tumore œdematoſo, in facie, pedibus ac manibus; quem ſequebatur paulò ante & poſt plenilunium partium iſtarum corruptio & mortificatio, ſicut earum extremitates albæ & ſiccæ factæ, absque ſenſu, dolore, humore & fœtore deciderent fruſtulatim, eo quod iſtarum partium ſupererat naturalem formam & figuram retinente. Ego autem, cum diligentiùs apud parentes de his accidentibus inquirerem, pater mihi monſtrabat ſcatulam,

in qua

AD OBSERV. CLXXIX.



AD OBSERV. CLXXX.



AD OBSERV. CLXXXI.



Ba
bis
to
rdia
addo.



CORI

Schrad
quàm r
ſe Augu
monſtrav
gura ex a
& plura ap
& ſequ.



Nec ani
ſtitutem

in qua centum & plura fruſtula demortuarum partium, quæ ſpatio trium annorum abſceſſerant, recondita erant.

OBSERVATIO CLXXIX.

D. FRIDERICI LACHMUND

DE

CYGNI LINGUA OSSEA.

ANno 1656. cum hiems eſſet rigida & dura, magna copia cygnorum ex ſeptentrione in his oris appulit, ex quibus multi tranſfoſſi ſunt. Ego curioſitate ductus duos emi, & cultello anatomico ſubjeci, & omnia juxta anatomen *Cl. V. Thomæ Bartholini hiſtor. anatom. 79. Cent. 2,* inveni, inſuper linguam oſſeam ibidem ex *Beslero* allegatam, quoniam autem Ephemerid. II. Anni ſceleton cygni inſertum, quod tamen etiam linguâ caret, ego, ne Ephemeridibus aliquid deſit, hîc cranii & linguæ oſſeæ figuram ex Muſæo meo addo.

OBSERVATIO CLXXX.

D. FRIDERICI LACHMUND

De

CORNU IN SUPERIORE PARTE PEDIS FOEMINÆ ENATO.

APud eum, quem ſuprà nominavi Chirurgum, vidi cornu, ſubſtantiâ & duritie caprino ſimile, cujus etiam fermè erat coloris, quod ante aliquot annos excreverat in ſuperiore parte pedis fœminæ, in civitate Delphenſi. Conſuluit Dn. Bernhardum Schraderum, cujus conſilium ſectio fuit, quæ etiam feliciter, quanquàm radices ferè ad perioſtium egerat, fuit abſoluta anno 1653. menſe Auguſto. Ego curioſitatis ergò fœminam adii; quæ callum ſectionis monſtravit; Cornu autem depingendum curavi, cujus magnitudo & figura ex appoſito ſchemate comparet. *Exempla hominum cornutorum vide ſis plura apud* Dn. *Thom. Bartholinum in d. unicornu Obſervationibus Cap. 1. & ſeqv. it. Hiſt. Anat. C. 1. Obſ. 78.*)

OBSERVATIO CLXXXI.

D. FRIDERICI LACHMUND

DE

CRANIO ANSERIS MONSTROSO.

INter anſeres frequentius generari monſtra, quàm inter alias aves, ob ſtoliditatem & nimium humorem, teſtatur *Caſpar. Schwenckfeld. in The-*

in Theriotroph. Sileſ. Confirmat hoc anſer, capite monſtroſo, quem ego anno 1664. alui, roſtrum ejus ſuperius à ſiniſtro latere, verſus dextrum erat recurvatum, ut non niſi magnâ difficultate alimentum ex terra aſſumere poſſet, adeoque poſt aliquot ſeptimanas mori avem oporteret. Cranium autem, tanquam rarum quid, inter cætera anatomica aſſervo. Cujus figura eſt, qualem addita pictura exprimit.

OBSERVATIO CLXXXII.

D. FRIDERICI LACHMUND

VESPERTILIONEM HABERE CAUDAM, SCELETON EJUS DEMONSTRAT.

CAudam habere veſpertilionem, alii negant, ut cum Schvvenckfeldio *Jonſtonius hiſtor. nat. avium* ex Ariſtotele; alii affirmant, quemadmodum *Aldrovandus*, mediis enim atque infimis alarum membranis ſub ventre involvitur, & ad extremam earundem exporrigitur apicem; accuratè autem in ſceleto videri poteſt, unde illud, quod ante quinquennium compoſui, hîc putavi eſſe apponendum.


OBSERVATIO CLXXXIII.

D. FRIDERICI LACHMUND

TESTUDO EX SUO SCUTO, UT VULGUS PUTAT, EXIRE NON POTEST.

VUlgus in eâ opinione eſt, teſtudines ex ſuo ſcuto poſſe exire, non aliter ac cochleæ ex domo ſua, præſertim ſi candens carbo illis imponatur; hoc autem falſiſſimum eſſe, & nullo modo fieri poſſe, admiranda hujus animalis fabrica, & inprimis ſceleton, eum in finem appoſitum, nobis ob oculos ponit; quod enim in cæteris animantibus coſtæ ſunt, hoc in teſtudinibus ſcutum ſuperius, cui etiam vertebræ ſpinales firmiter annexæ, & quod in illis ſternum, hoc in his ſcutum inferius, planè autem contrariô modo ſe habeat: in aliis enim animantibus coſtarum & ſterni compages, in corpore latitat, in teſtudinibus verò corpus ſcuto includitur.

Ad.OB.CLXXXII



in
an
er
m
ni
ju


p
q

e
a
v

BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY


ſcutum inferius, planè autem contrariô modo ſe habeat: in aliis enim animantibus coſtarum & ſterni compages, in corpore latitat, in teſtudinibus verò corpus ſcuto includitur.

. CLXXXIII



aliis en

in testu



OBSERVATIO CLXXXIV.

D. FRIDERICI LACHMUND

De

AVIBUS PRÆTER NATURAM CANDIDIS IN EPISCOPATU HILDESHEIMENSI ET VICINIA, QUALIS EST AUREOLA, LINARIA, PASSER, HIRUNDO, ALAUDA, CORVUS.

QUemadmodum notum eſt, in ſeptentrionalibus regionibus reperiri corvos, vulpes, lepores & alia animalia naturâ candida; ſic in Germaniâ aves præter ſolitum niveæ aliquando viſæ & captæ ſunt: uti hoc Schvvenckfeld. obſervavit. Et ſicut Epiſcopatus Hildesheimenſis cæteris regionibus palmam præripit in vario lapidum luſu, (uti hoc ex *Oryctographiâ meâ Hildesh.* ſatis conſtat, quorum lapidum etiam alii adhuc ſatis curioſi poſteà à me reperti, nec antehac ab alio autore delineati ſunt, unde figuras anno ſequenti Ephem. inſerendas tranſmittam) ita etiam animalia minùs vulgaria, præprîmis aves albæ in eo ſunt viſæ & obſervatæ. Anno enim 1667. *Aureola* tota candida propè pagum Binder, in quo ſedes eſt Nobilium de Stopler, eſt transfoſſa, quam ego adhuc inter rariora ſervo.

Anno eodem propè Brunſuigam *Linaria* canora, ex omnî parte alba, capta eſt, quam civis quidam Brunſuicenſis emit & caveâ incluſit, ubi more aliarum ſuaviter cecinit.

Anno 1668. menſe Septembr. prope pagum Netlingen, ubi ſplendida arx eſt Dominorum de Woberſnan, *paſſer* niveus, roſtro & pedibus rubris, transfoſſus eſt.

Anno 1671. in civitate noſtra Hildesh. ejuſmodi paſſeres aliquot viſi ſunt in horto Dn. Georgii Lomexer, ſcholæ Andreanæ Rectoris optimè meriti.

Eodem anno prope Limbeccam *Hirundo* nivea capta & ad me miſſa eſt, quam in hunc uſque diem exſiccatam habeo.

Annô etiam ſequenti in noſtro tractu, propè arcem Poppenburgum, Hirundines tales viſæ ſunt.

Anno 1669. *Alauda* candida non procul à civitate noſtra aliquoties viſa eſt.

Ante aliquot etiam annos *Corvus* totus albus propè Limbeccam transfoſſus & ad illius civitatis Patricium, cognomine Raben, eſt allatus. (*Vid. d. Corvis albis Ephem. harum Ann. III. Obſ. 57. p. 94.*)

OBSERVATIO CLXXXV.
D. FRIDERICI LACHMUND
De
MURE NIVEO.

ANte aliquot annos in oppido Sarpeda, quod uno milliari à civitate noſtra Hildesh. diſtat, mures aliquot nivei ſunt reperti, ex quibus unus captus, qui ſeptem vel octo annos caveâ incluſus, tandem à duobus vulgaribus muribus, qui vi ſe in caveam intruſerant, morſibus eſt interemptus. Notatu tamen dignum eſt, quod hoc animal, quod aliàs vitæ breviſſimæ eſt, per tot annos fuerit conſervatum. Murem illum exſiccatum apud me videre licet.

OBSERVATIO CLXXXVI.
D. FRIDERICI LACHMUND
De
CANTHARIDIBUS IN MAGNA COPIA PROPE HILDESHEMIUM CAPTIS.

CAntharidium abundantia rara quidem in Germaniâ, interdum tamen apparent, quod vulgus ſingulo ſeptennio fieri credit.

Anno 1667. menſe Junio tanta copia in noſtro tractu reperta fuit, ut ſalices totæ earum fuerint plenæ, quæ & facili negotio captæ & in civitatem allatæ, nec non in uſum cum felici ſucceſſu à Patre meo adhibitæ ſunt.

OBSERVATIO CLXXXVII.
D. FRIDERICI LACHMUND
De
OVO, AB ANSERE à FEBRUARIO USQUE IN MENSEM SEPTEMBREM RETENTO.

RUricolæ apud nos uno ore dicunt, quod ſi anſer juſto tempore ovum non poſſit edere, tunc aliter fieri non poſſe, quin ipſi moriendum ſit. Hoc autem non ſemper verum eſſe, anſer, qui anno 1669. mactatus menſ. Octobr. aliter probat; in illo enim cum exenteraretur, ovum, quod ante aliquot menſes debebat edi, adhuc fuit repertum, juſtâ quidem magnitudine, ſed totum ſcabrum & duplici membranâ præditum. Quemadmodum enim membrana intrinſecùs omnibus ovis communis cortici adhæret, ita etiam extrinſecùs ſimilem

mem-

membranam habebat, quare conjicio, niſi anſer ante tempus fuiſſet mactatus, hoc ovum duplici cortice tractu temporis circumdatum fuiſſe.

OBSERVATIO CLXXXVIII.

D. FRIDERICI LACHMUND

DE

MUSCARUM GRANDIUM, QUÆ PERLÆ NOMINANTUR, INSUETA COPIA.

Quando inſolita copia avium peregrinarum vel inſectorum viſitur & gregatim volitat, magna mala, aut morbos contagioſos, aut belli agmina ſubſecutura eſſe, noſtri Majores obſervarunt. Anno præterlapſo, nimirum 1673. d. 18. Maji ſt. Vet. qui erat dies feſtus Pentecoſtes, tanta copia Perlarum, quas apud nos Jungfern vocant, ſupra civitatem noſtram Hildesheimenſem viſa eſt, ut ea res prodigii inſtar eſſet. Nam äer ne momentum quidem his inſectis erat vacuus, ſed ſemper aliquot millia in eo conſpicari poteramus. Quædam volitabant in altum, quædam non procul à terrâ, ut pueri multas caperent. Omnes verò unâ eâdemque erant figurâ & colore, nempe ex nigro flavæ. In aliis etiam habebant maculas nigras, & volatum ex Meridie verſus ſeptentrionem rectà conſtituebant. Si quædam ex ipſis capiebantur, erant emaciatæ, ac ſi iter longum emenſæ fuiſſent. Harum conſuetudo aliàs eſt, prope aquam volitare, unde ſi quid mali præſagiant, DEUS Ter Opt. Max. hoc à nobis ut avertat, ab eo etiam atque etiam petimus.

OBSERVATIO CLXXXIX.

D. JOHANNIS JÆNISII

DE

CALCULIS CIRCITER BIS CENTUM EX APOSTEMATE EXCRETIS.

IN omnibus corporis humani partibus etiam principalioribus, ut corde & cerebro, plurimos varii generis inveniri lapides, pleni ſunt omnes Medicorum libri. Ita *Wolfgang. Hœferus* in *Hercule ſuo Medic. l. 2. c. 1. p. 28.* tres lapillos in ipſo corde glorioſiſſimi Cæſaris Maximiliani II. inventos teſtatur, clariſſimi *Schenckius* & *Bartholinus* in cerebro, alii in aliis partibus. Per abſceſſum autem abdominis tot excerni poſſe lapillos ſubjecto ſuperſtite & curato rarius quoque videtur ſequens exemplum: Mulier quædam plebeja hic Vratislaviæ in ſuburbio ante biennium de tumore admodum duro &

 pro-

profundo in dextro epigaſtrio conqueritur, poſcitque hujus ergò à me conſilium; ex loco affecto tumoriſque circumſtantiis, non in muſculoſâ abdominis carne, ſed ipſo epatis parenchymate malum hoc ſedem fixiſſe ſuam conjicio, præmiſſis igitur prius univerſalibus & ſpecificis internis, tandem quoque externe cataplaſmata emollientia & diſcutientia applicanda ſuadeo, quibus adhibitis aliquantiſper emolliri obſervo, hinc emplaſtro diachylon c. gummi impoſito, præterlapſis aliquot ſeptimanis abſceſſus hic rumpitur, materiaque viſcida & purulenta, aſt non copioſa, excernitur.

Patiens majorem pauperiem fugiens, chirurgique manum abhorrens, ipſa turundis injectis abſceſſum apertum ſervare proprioque marte curare præſumit, præterlapſis autem nonnullis diebus lapillos quoſdam minores inſtar lentium, piſorum, fabarumque excerni videt, dolorem poſt ſe relinquentes haud levem, plures ſubſecuturos indicantem. Hoc percipiens ipſe vulnus iterum inſpicio, ſtyloque percontando majores inibi latitare lapides obſervo, quibus anguſtia vulneris exitum denegabat, hinc forcipe arrepto vulnus pauliſper dilatare aggredior, & ſic tres iterum lapillos grandiores colore & formâ externâ ſilicibus planè conformes, ponderis tamen levitate diſcrepantes ſine fœtore extraxi, totamque epigaſtrii dextri regionem innumeris hujuſcemodi lapillis ſcatere conjeci, his perſpectis manum meam ad carpum potius quàm ulcus mittere malebam, ipſique injungo, ut chirurgi operam ſimul efflagitaret, huic conſilio morem gerens lithotomi hîc degentis curæ ſe ſubjicit, qui ſucceſſivè per hoc ferè biennium ducentos circiter extraxit lapillos ſupra præfatis majores, ad inſtar avellanæ majoris, nonnullos colore & internâ tunicarum texturâ ipſis lapidibus Bezoardicis haud abſimiles, tandemque ante bimeſtre ſpatium ultimum magnitudine nucis juglandis pondere ℥ij. cum aliis ſex vel ſeptem ſociis minoribus extraxit & ſic per DEI gratiam vulnus planè conſolidavit. Qualem ſpuria hæc progenies agnoverit matricem & ſeminium, latius inquiri poſſet. Victum hujus pauperculæ reputantes ſcimus illum ferè ſemper ex lacticiniis, caſeoſis, aliiſq; crudis viſcidiſq; conſtitiſſe alimentis, alvumq; prætereà ſemper fuiſſe pigerrimam ſæpeq; ſollicitandam recordamur, ut hinc non abs re argumentari liceat, ex vitio aſſumtorum bilem contraxiſſe lentorem, quò minus in inteſtina debitè profluere ſtimulumque alvinis fecibus ad excretionem unicè neceſſarium diſtribuere valuerit, ſed infimâ epatis parte moram trahendo in ſebaceam prius, dein planè lapidoſam


ſam verſa materiam, ductum biliarium obſtruendo has turbas naturæ dederit, à quibus ſe liberatura non per inteſtina (ut frequenti exemplo numeroſos hâc viâ excretos eſſe lapillos ſatis conſtat,) nec aliâ viâ commo-

...et & tentabunt iis, qui hactenus negare obduruerunt, ii in ita me-

NATURAL HISTORY

AD OBS. CXC.

Anno 1671 hat Herr Leonhart Hechtl Barbirer und Wündtarzt dieſer Würm von Margaretha Ammonin aus den Rechten bein unterhalb deß Knies genomen zu Culmbach den 23 Junj Ihrers Alters 18 Jahr.



ſam verſa materiam, ductum biliarium obſtruendo has turbas naturæ dederit, à quibus ſe liberatura non per inteſtina (ut frequenti exemplo numeroſos hâc viâ excretos eſſe lapillos ſatis conſtat,) nec aliâ viâ commodius quàm per apoſtema providâ ſuâ ſedulitate protrudere allaboravit, quod eruditis ulterius ventilandum relinquo.

OBSERVATIO CXC.

D. MATTHIÆ NESTERI

DE

VERME EX ABSCESSU.

SCripſit ante annum, & quod excurrit, ad me chirurgus noſtrâs Culmbacenſis Dn. Leonhardus Hechtel, quod ancilla quædam ruſtica, temperamenti calidi, faciei rubræ, ad iram prona, per ſeſquiannum in crure dextro infra genu tam atrocem & intolerabilem dolorem atque cruciatum, inſtar adactionis cultellorum, ſit perpeſſa, ut huic impares fore vires viderentur, hinc ſuffulcris incedere diu coacta & clauda, viribusq; ſenſim imminutis aucta fuit inflammatio, auctus quoque dolor cum tumore tantum non ferente, ita ut dies noctesque ejulare coacta eſſet. Abſceſſum illic latere prædictus chirurgus conjecit, nec malè. Poſtquam enim cauterium potentiale applicuit, éſcharamque aperuit, reperit in eo cum magnâ puris ſanguinolenti copiâ vermem vivum, oblongum, rubeum, qui dubio procul ex materiâ diutius ibi habitante & putredinem acquirente originem duxit. Momorderat per intervalla hic vermis, uti retulit ancilla, tam acriter quaſi ſanguinem ſitiens, ut tunc temporis à lacrymis ſibi temperare haud potuerit. Nunc verò ſublato omni dolore atque tumore poſt longum puris effluxum corroborata convaluit adhuc ſana & incolumis conſueta munia obiens.

(In literis ad L. Chriſtianum Fridericum Garmannum, Berutho, Chemnitium.)

OBSERVATIO CXCI.

D. SALOMONIS REISELII

De

STATUA HUMANA CIRCULATORIA.

SIne dubio tandem *Circulationis ſanguineæ* in homine veritatem evincet & teſtabitur iis, qui hactenùs negare obduruerunt, ſi in illa me-

chanicè ad humani corporis effigiem, ejuſque vaſorum atque viſcerum formam & ſtructuram & magnitudinem effiсta per cavitates & tubulos tanquam per œſophagum dilapſam aquam vel liquorem alium ex ſtomacho breviſſimè in cordis ventriculum dextrum, aut longiuſculè & artificioſiùs per inteſtina, pancreas, venam portæ, hepar & venam cavam in eandem cameram, hinc in ſiniſtrum per vaſa pulmonaria mitti, ex corde deinde ſimul in caput biviô ſaltu pulſante veluti plexibus duobus, juxta pendulam pinealem glandulam projici, ſimul per arteriam magnam tàm in artûs ſuperiores quam inferiores pelli videant, ut recurrat inde in cordis dextrum ſinum per venam cavam valvulâ ſuâ inſtructam, quales in aliis quoque vaſis inveniuntur; dum interim per emulgentes & renum colatoria in veſicam deſcendit, inibique eouſque cumulatur, donec veſica diſtenta ſponte ſeſe ab onere liberet, quam ſimul arbitrario quaſi motu vel provocare citiùs vel pro lubitu preſſione veſicæ aut aliô ſtimulô ſiſtere queant. Non neglectо etiam pulmonum uſu, quorum ope inſpiratio & expiratio animadverti, pulſus verò etiam tardari vel accelerari, augeri vel minui poſſet. Additis tandem vel hæmorrhoidibus, vel ano, per quem ſphinctere ſuo claudendum & aperiendum feces poſſint repurgari. In manibus & pedibus ſi è vena ſecta deſideres effluentem ſeu exilientem ſanguinem, facilè imitari licebit. Eâ tamen lege hæc fient, ut vel continuè vel per breviora vel longiora intervalla repleatur, quò plus vel minus deperditum eſt aquæ fortiùs vel debiliùs per veſicam, quemadmodum ſitis & fames quotidianô victu in prandio & cœna reſtinguenda eſt.

Mirabuntur fortè, nec facilè credent Machinam hanc medicam, ſeu Machaonium inventum, qui audient. Credent autem, quibus dulce fuerit FILIUM hunc medicum meum hoc anno 74. conceptum & natum in Muſeo meo ſpectare, veluti, quibus ante partum ejus, ~~quibus~~ quod promiſi, credere non potuerunt, donec oculis ipſis adſpicerent in eo ad *chyli, ſanguinis & ſeri* leges fluere *aquam*. Cujus ſtructuram ex Phyſicis & Hydroſtaticis fundamentis ad imitationem mirandi artificii microcoſmici factam curioſo orbi demonſtrabo & delineabo, quamprimùm mihi conſtiterit, ex primogeniti hujus rudiùs primò tantùm facti & brevi deproperati principiis veluti coſtis ſeu fratris ſeu patris FILIAM poſſe elegantiorem & artificioſiorem *oſſibus* ſeu ſceleto ſuo ſuffultam & *muſculis* exemtilibus, ſi non omnibus, ſaltem præcipuis tectam, fortè etiam *ſonoram* & *flexilem* conſtrui, modo DEUS O.M. Na-

tura

turæ parens vitam mihi & otium & vires conceſſerit, & ego artificis ſequaces manûs nactus fuerim.

(In literis ad Collectores, Hanov. menſe Mart. 1674. perſcriptis.)

OBSERVATIO CXCII.

D. MATTHIÆ PAISENII

In

SECTIONE CADAVERIS PUERPERÆ

à Cl. SYLVIO IN NOSOCOMIO Leidenſi Ann. 1664. Cal. Jun. adminiſtratâ,

ANNOTATA.

FOemina erat 15. ante obitum dies fœtum enixa, cujus vir ante 6. ferè hebdomadas, morbo decumbens, inque Noſocomium delatus, ibidem mortuus. Objectum fortè fuit fœminæ à vicinis, quod malè viri ſui curam habuerit, eamque calumniam tàm ægrè tulit, ut totam ſeſe mœrori dederit. Enixa deinde, nec ſedato illo animi affectu, cum nullam corporis rationem haberet, nec cibos, aut medicamenta caperet, tandem mente deſtituta, intraque decimum quintum diem mortua eſt.

In ipſius diſſecto cadavere hæc inprimis inveniebantur præ cæteris rara, & notatu digna:

Omentum non omnia inteſtina, quæ nonnihil loco mota erant, tegebat, unde Cl. Sylvius colligebat, fœminam, dum in vivis fuit, ſæpiſſimè torminibus ventris, coliciſque doloribus laborâſſe.

Inteſtinum craſſum non circumdabat totum abdomen cinguli inſtar, ſed à ventriculi fundo infra umbilicum intorquebatur, indeque ad ventriculum redibat, factâ fere ſemilunâ.

Cl. Sylvius addebat, ſe in variis variè hanc inflexionem & gyrationem obſervâſſe.

Idem inteſtinum, ut & tenue inæqualiter flatibus turgebat, ita ut inter partes valdè inflatas medium ſpatium intereſſet omnino vacuum, & contractum vix ad pollicis craſſitiem.

Cl. Sylvius affirmabat, ſe in vivis animalium ſectionibus, inprimis cuniculorum idem obſervaſſe, & ita quidem, ut pars, quæ jam inflata erat, mox detumuerit, dum ſecaret, & contra. In hoc cadaverequoq; dum in-

inteſtina movebantur, æqualiter omnia diſtendebantur. Cl. Sylvius putabat, ob ſenſum doloris partes inteſtini conſtringi. Ejusdem inteſtini craſſi flexus ſigmoides, qui aliàs infra rectum eſt inteſtinum, & interiora reſpicit, contrario modo ſe habebat. Obſervabile etiam erat, quod de tenui inteſtino, ileo dicto, commonſtrabat D. Sylvius, nempe, oriri illud in dextro latere ad ileum os, & poſt aliquot flexuras retrò & deorſum tendere, aſcendere deinde rurſus ſub umbilico per ipſum meſenterium, ſiniſtrumque latus occupare, ſeque ad hypochondrium ſiniſtrum, os ileon, & vicina reliqua loca extendere. Unde patet, docente eodem Sylvio, tormina, quæ hypochondriacis in hypochondriis accidunt, non alibi, quàm in hoc inteſtino latere, inprimis cum hoc antrorſum, ubi dolores maximè percipiuntur, vergat. Lien verò interiora magis petat, & vix etiam in cadaverum ſectionibus, tales obſtructiones in vaſis illis inveniantur, quæ tantos dolores producere poſſint.

Viſa quoque fuit utriusque ductus, tàm bilarii, quàm pancreatici in inteſtinum illud inſertio, quorum pori in cadavere hoc juncti erant.

Hinc remotis pulmonibus & ventriculo, apparuit ductus thoracicus, ſive chyliferus inter venam Azygon, quæ ad dextram erat, & magnam, quæ ad ſiniſtram, ſitus, unà cum capacitate illa inferius ſita, & nonnullis capſula dicta, quod chylum excipiat, aliàs nimis ductum illum obruturum.

Flexuræ ventriculi in parte dextrâ ſubjacebat pancreas.

Dexter pulmo omnino naturalis erat conſtitutionis; ſiniſter coſtis adhærebat.

Sub utrâque mamma, quia lactis non habita fuerat ratio, apoſtema erat repletum pure, quod tamen in dextro latere copioſius profluebat.

Uterus quia omninò erat ſingularis, & nunquam ita à Cl. Sylvio obſervatus, ultimo loco accuratius ſecabatur, in eo hæc inprimis notata: magnitudo ejus omninò erat inſolita, ſuperabatque fundi latitudo vel octo digitos transverſos. Craſſities erat ad minimum 4. digitorum, cum tamen mulier jam ante 15. dies peperiſſet.

Craſſities ipſius ſubſtantiæ uteri erat ferè pollicis.

Cauſa hujus magnitudinis, ut poſt ſectionem patebat, erant relicta in utero placentæ fruſtula, uteri parietibus firmiter adhærentia, quæ putredo & inflammatio conſecuta fuerat.

Cl.

Cl. Sylvius conjectabatur, mœrorem inter alia hujus retentionis & cohærentiæ cauſam fuiſſe, utpote, qui omnia in corpore duriora & magis fixa reddat, cum contra lætitia eadem magis ſolvat.

In vaſis, ut ex cavernis, ſive tubulis uteri ſubſtantia viſcida, & pituitoſa hærebat ejusmodi, qualis, ſi in corde, & alibi hæreat, Polypus dici ſolet.

Apparebat inſuper, in utero eſſe communicationem vaſorum omnium in utroque latere.

Inflatâ enim uteri venâ, omnia vaſa, ut & lateralia, & utrumque uteri ligamentum inflabantur. Vaſa etiam minima turgebant.

Inflatâ etiam arteriâ, quæ ex iliaca oriebatur, ingreſſus inflati aëris obſervabatur ad totam ſubſtantiam uteri, & ſinus anfractuoſos, ſed ſenſim, quod in vena citius apparebat.

Uteri ſubſtantia tota cavernoſa eſt, experimento per tubulum ſumto.

OBSERVATIO CXCIII.

D. MATTHIÆ PAISENII

IN

SECTIONE CADAVERIS HÆMOPTOICI

à Cl. Sylvio in Noſocomio Leidenſi Ann. 1664. 2. Decembr. adminiſtratâ

ANNOTATA.

QUo morbo obierit, & de quibus conqueſtus Jacobus de Valâ (Wael) fuerit, ex Obſervat. Practicis meis Lugd. in Noſocomio notatis, præmittere viſum eſt.

Nov. 11. d. ♂. ante ſex circiter hebdomadas cœpit malè habere. Tuſſi correptus eſt, & ſanguinem ſpuit, maximè lecto decumbens. Conqueritur de difficili reſpiratione.

Quando plus potat, magis etiam ſanguinem ſpuit.

Urina cruda. Sedimentum pituitoſum, incoctum. Heri ſenſit dolorem circa lumbos, qui adhuc adeò continuat, ut erigere corpus non poſſit. Cumprimum inciperet malè habere, per totum diem à laboribus incaluerat, noctu verò domum rediens à frigore læſus fuerat, unde

primùm tuſſis, quam poſt duas hebdomadas ſanguinis ſputum conſequutum eſt.

Jam tabeſcit & debilis fit.

Pro conſolidatione vulneris, quæ promovenda citò, ne in ulcus evadat, utetur ſequenti medicamento:

℞ *aq. plantag.* ℥ij. *fœnic.* ℥j. 🜍 ʒij.
ſanguinis dracon. ℈j. *laud. opiat.* gr. ij. *ſir. myrt.* ʒj.

Aſſumet ſubinde cochlear.

Nov. 12. d. ☿.

Melius in omnibus habet. Dolores enim lumbares non ſentit, & paucum quoque ſanguinis dejecit.

Perget ulterius eo uti.

Nov. 13. d. ♃ Heri veſperi edit lac dulce, unde noctu ſummis anxietatibus preſſus fuit: ſecundâ nocturnâ ſenſit frigus, forſan paroxyſmum febrilem habuit.

Tum vehementiſſimè (durante frigore) ſitivit, cereviſiamque frigidam bibit, quam tamen præ nimiâ linguæ & faucium ſiccitate non guſtare, neque ſitim illâ extinguere potuit. A frigido ſumpto adhuc magis anxius factus, vehementemque palpitationem cordis paſſus eſt. Malum hoc unaque frigus ferè per 5. horas duravit.

NB. Durante frigore paroxyſmi febrilis, potus frigidus longiorem morbum, & graviorem paroxyſmum facit. Præſtat ergò, ſi tum ſumma ſitis urgeat, ſitim fallere, & ſubinde cochlear liquoris alicujus, in quo parvâ quantitate lapis prunellæ ſolutus ſit, capere, ſed parce.

Si ægro tales iterum anxietates obveniant, utetur ſubinde ſequenti medicamento:

℞: *aq. petroſel.* ℥j. *fœnic.* ãã
theriacal. ſimpl. ʒß.
lapid. prunell. ℈j. *ſirup. fœnic.* ℥j.

Capiet ſubinde cochlear d. 14. ♀ ſitis non tanta fuit, ob uſum poſterioris miſturæ.

Pauciorem ſanguinem exſpuit.

d. 17. ☾ melius habet.

Iteretur Miſtur. 13. Nov. præſcripta.

d. 18. ♂ non adfuimus in Noſocomio.

Nov. 19. ☿. Hodiè horâ tertia pomeridiana aſſidens foco luculento, habuit paroxyſmum febrilem.

Somnolentus tum fuit, ſenſitque gravitatem per univerſum corpus,

frig

frigus, ſimulque tremorem, nec frigus, nec dolorem ſpeciatim ſentit in lumbis, ſed tantùm in ventre circa umbilicum, partibusque extremis inferioribus.

Duravit circiter per horam, nullusque calor ſubſequutus.

Multum jam ſitit.

Sumſit miſturæ aliquid.

Non quieſcit, ſemel dejecit.

d. 20. ♃. iterum habuit paroxyſmum poſt prandium.

Frigus iterum in abdomine & artubus, ſed & in regione lumbari. Vehementius quoque fuit heſterno, perque duas horas duravit.

Inſecutus calor per horam permanens.

Valdè ſitivit, utque ſitim levaret, comedit integrum malum citrium.

Nondum alvus hodiè ſuo munere defuncta.

℞. *Maſſ. pilul. Cochiar.* ℈ß. *trochiſc. Alhand.* gr. V.
reſin. jalapp. gr. IV. *ol. caryoph.* gr. ij.

M. F. Pill. N. X. Aſſumet cras ſummo mane, iteretur ſimul miſtur. 13. Nov. præſcr. add.

laud. op. gr. j.

d. 21. ♀ peſſimè habet, doloresque habet in hypochondrio ſiniſtro.

Non poteſt reſpirare, graviterque anhelat.

Nullum frigus ſentit.

A pilulis, hodiè mane aſſumptis, à meridie tandem ſemel, ſed parùm dejecit.

℞. *aq. hyſſop. petroſel. fœnic.* ãã ℥j. *Tinctur. cinam.* ℥ß.
~ ☽ gt. VIII. *ſir. fœnic.* ℥j. M.

Aſſumet ſubinde cochlear.

d. 24. Nov. ☾. valdè ſtatim ab uſu miſturæ ab anguſtiis & anhelationibus, à quibus videbatur ſuffocari, levatus eſt.

Continuabit uſum ejusdem miſturæ.

d. 25. ♂. conqueritur de tuſſi ſiccâ, quæ per biduum jam illum afflixit, unde non quieſcit.

It. crura tument, & quaſi diſtenduntur. Non dejicit.

Habet adhuc miſtur.

Pro tuſſi ℞. *maſſ. pil. de cynogloſſ.* ℈j. F. Pill. N. VIII.

Sumet æger ſubinde unam.

D. 26 ☿. Ante octo annos eryſipelate laboravit in utrâque tibia, à quâ quidem nullam huc uſq; amplius moleſtiam ſenſit, rubor tamen permanſit. Occupaverat rubor ille pedem quoque, ſed ille colorem & cutim mutavit.

Nunc iterum pes dolet, ſupraque & infrà ruborem illum pedes valdè tument, & ſplendidi ſunt.

Non dolores tantos in pectore expertus eſt minusque tuſſivit, commodius quoque quievit.

Continuabit in uſu miſtur. & pilularum de cynogloſſ.

Pro eryſipelate ℞: *aq. plantag.* *fumar.* ãã ℥iv.
acet. ſambuc. *ſpir. vin. vulg.* ãã ʒij. M.

Lintea liquore illo tepido madefacta circumponet pedibus & loco affecto.

d. 27. ♃. heri veſperi lac dulce comedit, & hodiè mane à quo & noctu, & hodie peſſimè habuit.

Non dejecit, unde abdomen valdè tenditur.

Rubor ille pedum ſenſim minuitur, & in livorem abît.

Perget uti medicamentis præſcriptis.

d. 28. Novemb. ♀ iterum peſſimè habet, difficulter reſpirat, & graviter anhelat, inprimis, ſi incurvet corpus, tum videntur ipſi partes interiores quaſi frangi.

Ter dejecit craſſa excrementa cum torminibus in parte ſuperiore abdominis.

Sanguinem rurſus excrevit, hodiè octies, ſed parum ſingulis vicibus.

Abdomen jam non diſtenſum neque flatus emiſit.

Conqueritur, ſe nihil jam commodi à miſtura ſentire.

Iteretur Miſtur. 21. d. præſcr. add. ſangv. —
— Drac. ℈ß. Obiit.

In CADAVERE ejus diſſecto 2. d. Dec. ♂. liquor tenuis, & ſeroſus repebat in corporis habitu, ſub cute inter muſculos & pinguedinem, unde ipſa pinguedo mollior & laxior erat.

Omentum non tegebat inteſtina, ſed ad latera deflectebat.

Inteſtinum craſſum inflexum infra umbilicum erat.

Color inteſtinorum carneus, & ſolito rubicundior.

Inteſtina craſſa flatibus turgebant, tenuia non idem: Tenuium tamen vaſcula turgebant, quod fieri ſolet à doloribus.

Aqua in abdominis cavitate continebatur ſubflava & ſubſalſa, initium nempe hydropis, cui aliqua purulenta materia juncta erat.

Jecinoris color ſubpallidus, qui color ferè ab aquis præſentibus provenit.

Folliculus fellis externè inſtar membranæ albicabat, nihilque omnino fellis continere ob tenuitatem videbatur.

Lien

Lien ſatis grandis, & parti poſticæ & vicinis annexus.
Color ejus pallidior juſto, ſubſtantia firmior erat.
Pancreatis ſubſtantia ſatis elegans.

Ductus illius magnus. Immiſſus in ductum, liquor variis in locis pancreas non tingebat.

Ex thoracis cavitate aqua copioſa valdè effluebat, clara, limpida, nec tam ſalſa, quàm quæ in abdomine erat.

Pulmones coſtis annexi, imprimis ſiniſter.

Aqua illa ex dextro pectore promanabat: In ſiniſtro pectore aliqua quidem aqua, ſed pauca conſpicienda erat.

Color pulmonum ſolito erat obſcurior, lividior, ſubſtantia firmior, & à flatibus diſtenta. Multum ſanguinis in ipſa pulmonum ſubſtantia hærebat interiore, qui nigricans & coagulatus illam diſtendebat, occurrentibus paſſim particulis durioribus, quæ ſenſim in apoſtema abire ſolent.

d. 3. Dec. ☿ aperto capite, cerebrum vidimus copioſum ac firmum, quod Cl. Sylvius poſt meridiem accuratiſſimè demonſtravit.

d. 4. Dec. ♃. cum abſente Cl. Sylvio, ipſius permiſſu ulterius ſcrutaremur cadaver, deprehendimus in utroque cordis ventriculo materiam craſſam, fibroſam quaſi carneam, (Polypum vulgò dicunt) quæ in omnia vaſa extendebatur in cor exeuntia. Præcipuè verò ex jugulari ſiniſtra eduximus tres ſpithamas longitudine ſuperantem.

Erat autem illa materia in ipſis cordis ventriculis craſſitie inſigni, cui multum grumoſi ſanguinis adhærebat, annexa cordis carneis fibris, easque ſuis fibrillis amplectens. In medio continebat ſanguinem grumoſum, videbaturque minuſcula vaſcula habere.

In aſpera arteria aperta materiam ſpumoſam, pituitoſam, copioſam, cumque pauco ſanguine mixtam, qualem vivens ſæpè excrevit.

Humorem in pericardio copioſum; ſimilem illi, qui in abdomine repertus fuerat.

In folliculo fellis bilem, & ſubſtantia & colore vere vitellinam, pauciſſimam, eandemque aperto per inciſionem variam ipſo hepati parenchymate, in plurimis ductus hepatici ramis hærentem vidimus.

Renis ſiniſtri pelvis erat magna, extra ipſum renem propendens; ureter naturali longè amplior. Facta inciſione in tibia eryſipelate affecta vidimus ſubſtratam carnem integram, cute tantùm læſa, à quâ cuticula facillimè ſeparabatur.

OBSERVATIO CXCIV.

D. MATTHIÆ PAISENII

In

SECTIONE ICTERICI

à Cl. Sylvio menſ. Decembr. An. 1664. adminiſtratâ

ANNOTATA.

DE querelis Martini Hanskenii ex obſervationibus meis Practicis in Noſocomio notatis, hæc præmittere duxi.

8. Maij d. 24. conqueritur de doloribus utriuſque hypochondrii, qui à motu ita augentur, ut ferè intolerabiles fiant, quos etiam tranſverſim in ventre, cinguli inſtar ſentit. Decumbens paulò melius habet. Per duos jam annos laboravit hoc affectu, ſed initio adhuc ambulare potuit. Jam verò per 7. hebdomadas in Noſocomio, & per 8. hebdomadas domi ſemper ferè decubuit. Conflictatus jam per annos 4. vel 5. cum variis morbis tandem fit ictericus.

Præſcripta illi ſunt à Medico ordinario varia, à quibus nullum levamen ſenſit. Inter cætera & ol. juniperin. & philonium, à quibus pejus habuit. Ab aſſumpto alimento moleſtias majores ſentit, 5. horis circiter poſt alimenta aſſumta. Hora 6. veſpertina cœnat, & deinde per mediam ferè noctem ſe hinc inde jactat, nec dormire poteſt, deinde obdormiſcit, ſed vix per ſemihoram continuam.

Non aſſumit niſi juſcula.

Totus ferè oſſeus,

Alvus morigera eſt. Quotidiè dejicit, excrementa albicant.

Vires animales quod ad motum, ſunt valdè debiles.

Appetitus integer, etiam ſapor; digeſtio malè habet.

Reſpiratio quandoque difficilior, inprimis à ſumto cibo.

Conqueritur de frigore, præcipuè in pedibus.

N. 1. Ictero, raro febris conjuncta eſt.

2. Non tantùm ſuperficies cutis, ſed etiam ipſa caro ictericorum flavet, quod ex cadaveribus diſſectis patet.

D. Sylvius judicat, acidum in eo nimis acre, propter dolores graves, appetitum integrum.

Pituitam viſcidam item abundare propter diuturnitatem morbi, & ſenſum doloris gravativi, quare ſequentia præſcripta:

℞. ac

℞. *aq. cohlear. menthæ ãã ℥j.*
theriacal ſimpl.℥ß. laudan.opiat.gr. ij,
ſirup. cohlear. ℥j.M.

9. Maji, d. ☿. non eſt ſine animi mœrore æger propter uxorem & liberos.

Heri non aſſumpſit, ſed hodiè aliquot cochlearia miſturæ, unde id commodi habet, quod dolor in hypochondriis non eſt tantus.

Iteretur itaque miſtura.

10. Maji die ♄. præcedente nocte melius ſolito dormivit, & ille dolor, qui inſtar cinguli abdomen afficiebat, magis ad interiora tendere videtur, dejicit commodè.

Feces paulò magis tinctæ ac antea fuerant.

12. Maji. d. ☿. in pejus ruit ob defectum medicamentorum.

Iteretur miſtura d. 8. præſcripta.

15. Maji d. ♃. conqueritur de doloribus magis interiùs, quàm exteriùs angentibus.

Senſit humorem in ſiniſtro crure à genu ad pedem uſque. Forſan in hydropem incidet, quod facilè fieri poteſt, & ſæpè fit.

Senſit frigus & humorem per totum corpus diſtribui ab aſſumto potu, quia potus cum parte pituitæ ſolutæ per venas lacteas in corpus diſtribuitur.

Iteretur miſtura d. 8. præſcripta.

N. Qui in hydropem incidentes multùm bibunt, in iis plerumque hydrops ſe primum in abdomine manifeſtat, qui verò ſobrii ſunt in potu, in iis plerumq; in pedibus ſe primùm manifeſtat.

16. Maij d. ♀. non ad fuimus noſocomio.

17. d. ♄. levamen ſentit.

Perget uti præſcripto.

19. Maij ☾. proficit in melius.

20. d. ♂. habuit paroxyſmum febrilem, & quidem frigus circa 10. matutinam initium fecit. Conqueritur de debilitate genuum.

Obſervat in ipſa febre quoſdam dolores, præcipuè circa articulos, qui, ſimul ac in ſomnum incidit, caput petunt, & tunc quaſi delirium ſentit.

21. d. ☿. per totum corpus dolorem moleſtum ſentit, & debilis eſt. Habet quod ſumat.

22. d. ♃. Dolor per totum corpus auctus. Surrexerat circa meridiem

diem, & frigus tunc ſenſit, nunc aliquem calorem habet, pulſus eſt frequentior. Appetitus proſtratus. Fauces ſiccæ.

℞. *rad. petroſ. fœnic. apii ãã ℥j.*
coq. ex aq. pur. in col. ℥xxv. *diſſolve.*
5. *ſirup. de* ℥. *rad.* ℥ij. *lap. prun.* ʒj. *M.*

22. d. ♀. pulſus paulò meliùs habet. Febricula levior.
Perget uti præſcripto.

28. d. ☿ conqueritur de ſapore ſalſo, quem in decocto deprehendit.

Lingua flava eſt, & quaſi fiſſa.

Æſtus. Deglutitio & reſpiratio difficilis. Emaciatio.

℞. *aq petros. fœnic. a* ℥j. *ſir. de* 5. *rad* ʒvj.
ocul ♋. ʒß. *acet. ſtillat.* ℥ß. *M.*

29. d. ♃ paulò melius habet. Utetur præſcriptâ heri miſturâ.

30. d. ♀ iteretur miſtura 28. Maji præſcripta.

2. Junii d. ☾. iteretur miſtura 28. Maji præſcripta.
℞. *ſacch. althææ* ℥ij.

6. d. ♀. paulò melius habet. Pulſus robuſtior. Dejicit ſponte, appetit varia, ſed ſimul ac quædam ex iſtis, quæ tantoperè expetiverat, comedit, nauſeat eadem.

De deglutitionis difficultate conqueritur.

Videntur prope uvulam quædam pullulæ albicantes inſtar aphtharum.

℞. ▽. pluvial. q. ſ. add. paul. ✠, & ſacchari. Utetur tepidè pro gargariſmo.

Iteretur miſtura 28. Maji præſcripta.

9. d. ☾. deglutitio adhuc difficilis. Pulſus paulò robuſtior. Habet quod ſumat.

10. d. ♂. pejus habet ac heri. Pulſus paulò frequentior. In robore ac magnitudine vix defeciſſe judicatur.

Reſpiratio difficilior. Sitis urget.

Per 8. jam dies amarum in ore ſenſit saporem, inprimis verò hodie.

℞. *aq. cichor. fœnic. a* ℥j.
70 *dulc.* ℈i. *ſir. de* 5. *rad.* ℥j. *M.*

N. Sir. 5. rad. vim habet incidendi, ſolvendi pituitam viſcidam, dulc. ad appetitum.

11. d. ☿. de vigiliis conqueritur.

A

Alimenta commodius appetit & conſumit. Aliàs in eodem ſtatu. Habet medicamenta.

12. d. ♃. iteretur miſtura 10. Junii præſc. add. laudan. opiat. gr. ij. propter vigil. Aſſumat veſperi dormiturus.

13. d. ♀. commodius jam ſomnum capit. Habet medicamenta.

15. Jun. d. ☾. appetitus reſtituitur.

Somnus mediocris.

Vires dejiciuntur.

17. ♂. eodem modo ſe habet.

℞. Sapon. Venet. nuc. moſch. magnitudine, diſſolv. in lact. dulci, capiet quandoq; cochleare.

19. d. ♃. iteretur miſtura 10. Jun. præſcripta.

20. d. ♀. appetitus indies reſtituitur magis magiſque. Aſſumta alimenta minus ſolito gravant.

Viſus ante biennium obſcurari cœpit, & nunc indies magis obſcuratur.

d. 23. Jun. ☾. conqueritur adhuc de ſumma crurum debilitate.

Appetitus permanet integer, poſtquam ∼ ⊖lis dulci uſus eſt.

Somnus impeditus, & vigiliæ ferè continuæ. De viſu obſcurato valdè conqueritur. Videt tamen ſingula debito colore.

℞. *aq. euphraſ.* ℥iß. *fœnic.* ℥j. *ſir. cocbl. fœnic. āā* ℥ß. ∼ ⊖*lis dulc.* ℈j. *laud. op. gr. ij. M.*

Cochleatim ſumat.

25. d. ☿. iteretur miſtura 23. Jun. præſcripta.

26. d. ♃. color ſemper moleſtus.

Videtur aliquantò clariùs videre adſtantes. Putat feliciùs ſeſe habiturum ab aſſumta minori miſturæ quantitate, cum à majori quantitate aſſumta, alvus ſemper adſtrictior ſit. Appetitus omninò reſtitutus, alimenta etiam rectè ſapiunt. Carnes tamen non generantur.

℞. Sem. cannab. Decoqv. in lacte dulci,

Capiet unâ vice ejus decocti ℥ij.

27. d. ♀. melius ſe habet.

Heri malè habuit à decocto cannab. ſem. ob nimiam ejus aſſumtam copiam, cum loco ℥ij dimidiam Pintam hauſerit.

Habet adhuc quod ſumat.

30. d. ☾. ſtatus mediocris. Non in pejus ruit, neç multum etiam proficit.

Sedens vel decumbens ægrè ſurgit. Ha-

Habuit aliquot abhinc annis dolores in ſiniſtra ſcapula & toto illo latere, ad inferiora uſque, qui nunc ceſſant.

Iteretur miſtura 23. Jun. præſcripta.

d. 1. Julii ♂. indies magis magiſq; proficit.

Color faciei non amplius tàm flavus.

Clariùs etiam quàm prius videre poteſt.

Habet medicamenta.

d. 2. Jul. ☿. indies melius habet ab aſſumto decocto cum ſemine cannabis.

3. Jul. d. ♃. in eodem eſt ſtatu.

d. 4. ♀. proficit. Iteretur miſt. 23. Jun. præſcr.

d. 7. ☾. proficit in omnibus excepto motu corporis, iteretur miſt.

d. 8. ♂. in eodem ſtatu. Add. miſt. 23. Jun. præſcriptæ.

Ol. Macis ſtillatit. gutt. iij.

d. 9. ☿. Jul. iteretur miſt. 23. Jun. præſcr. add. Ol. Mac. ſtillat. gutt. iij.

d. 14. ☾. iteretur miſt. 23. Jun. præſcr. add. ℴ℘ Mac. ſtillat. gutt. iij. ad diſcutiendos flatus.

d. 15. ♂. in eodem ſtatu.

d. 16. ☿. in eodem ſtatu.

d. 17. ♃. urina valdè tincta. Aliàs in eodem ſtatu.

d. 18. ♀. excrementa albicantia ſunt, minuſque mollia.

Iteretur miſtura 23. Jun. præſcr. add. ol. mac. ſtillat. gutt. iij.

d. 20. ☾. in eodem ſtatu. Habet medicamenta.

d. 22. ♂. iteretur miſt. 23. præſcr. add. ol. mac. ſtillat. gutt. iij.

d. 23. ☿. in eodem ſtatu.

Ad tumorem pedum utetur decocto furfurum cum ⊖le pro lavacro pedum.

d. 28. ☾. in pleriſque levamen ſentit.

Solæ vires debiles.

Excrementa alvi adhuc albicant.

Pergit uti decocto cannabis cum lacte.

Iteretur miſtura 23. Jun. præſcr. add. ol. mac. ſtillat. gutt. iij.

d. 29. ♂. habet medicamenta.

d. 1. Auguſti ♀. iteretur miſt. 23. Jun. præſcr. add. ol. mac. ſtillat. gutt. iij.

d. 4. ☾. iteretur in duplo miſt. 33. Jun. præſcr. add. ℴ℘ mac. ſtillat. gutt. vi.

Ute-

Utetur porrò decocto ſemin. cannab. cum lacte.

Anno 1664. d. 10 Nov. ☾. frequentante iterum Cl. Sylvio Noſocomium, invenimus eundem quod ad omnia ſymptomata iterum in ſtatu pejore.

Omiſit uſum decocti ſeminis cannabis.

Præterito menſe cum exiret aliquando in publicum, capitis dolorem, vertiginemque expertus eſt, & deinde etiam capillorum defluxum.

Sanguis etiam præterito menſis tempore copioſus è naribus effluxit, ſputumque ſanguinolentum dejecit, quod ſine dubio fluentis ſanguinis parte in fauces decidente ita tinctum eſt.

Somnus paucus, interruptus alvi dejectio multa. Excrementa albicantia.

Per tres dies levem habuit alvi fluxum cum torminibus.

Parùm ſitit, ciborum appetitus integer, bene aſſumit, ſed gravatur ab aſſumtis, neq; nutritur, ſed ſenſim fit macilentior.

Tumor levis in pedibus, hydropis initia. Ventris tamen tumor adhuc nullus eſt.

Lancinationes in articulis inferioribus, ut in flexurâ genuum, &c.

Sitis nulla.

℞. *rad. galang.* *enul. camp.* āā ℥ß. *ſem. aniſ.*
fœnic āā ℥j. *ſummit. abſinth.* *abrotan.* āā *Mß.*

Conciſa & craſsè contuſa indantur ſacculo, ſuſpendanturq; in pinta vini. De liquore bibet mane.

Inſerviet medicamentum, ut ejus ope defectus bilis ad inteſtina non defluentis reſtituatur, ſitque loco bilis ibidem.

d. 11. ♂. non vidimus

d. 12. ☿. Nov. queritur de ſummo dolore lancinante in dextro hypochondrio, inprimis, quoties corpus dextrorſum intorquet.

Plus dejecit, quàm ante; parum quidem ſingulis vicibus, ~~de~~ ſed ſæpius.

Affundetur iterū ſpeciebus præſc. vinum, continuabitq; in ejus uſu.

d. 13. ♃. excrementa adhuc ſubalbida.

Hodiè mane alacrior fuit, quam nunc eſt.

Hypochondrii dextri dolores adhuc ſentit.

Subinde quoq; aquas circa ventriculum quaſi fluitantes, unde metus eſt lipothymiæ.

Hodiè non tàm frequenter dejecit.

d. 14. ♀. habet medicamenta.

d. 17. ☾. Nov.capitis doloribus continuò infeſtatur, lancinatiobuſque in dextro hypochondrio, unde reſpiratio quoq; impeditur. Parum quieſcit.

Quotieſcunque aſſumit vinum præſcriptum, levi vertigine corripitur.

Videtur, medicamentum illud bilem nimis acrem reddere.

Abſtinebit proinde per diem ab uſu illius.

d. 18. ♂. non adfuimus in Noſocomio.

d. 19. ☿. ante tres dies incidit in gravedinem, & tuſſim.

Excrementa nondum tincta.

Subinde cardialgiam patitur.

Capitis dolor ante gravior, quàm nunc.

Quater dejecit.

In hypochondriis adhuc malum perdurat.

Superiori anno ſimilem gravedinem paſſus eſt.

℞. *aq. beton· petroſcl. fœnic. ãã ℥j.*
theriac. ſimpl. ʒvj. *laud. opiat. gr. iij. ſir. de 5. radic. ℥j. m.*

d. 20. ♃. hodiè aſſidens foco, paroxyſmum febrilem ſenſit.

A miſtura præſcripta meliùs paulò habet.

d. 21. ♀. melius habet. Perget uti medicamento, quod iteretur.

d. 24. ☾. ſenſim magis debilitatur.

Non poteſt jam tam diu extra lectum ſe ſuſtentare.

Heri veſperi iterum febrilem paroxyſmum paſſus eſt cum levi frigore per univerſum corpus, unde ſomnus magis interruptus fuit.

Videtur quartana, cum d. ♃ etiam ſenſerit paroxyſmum.

Copioſè hodie dejecit, retulitque excrementa jam magis tincta fuiſſe.

Servabit cras illa.

d. 25. Novem. ♂.

Senſim magis labefactatur.

Gravedine & tuſſi moleſtâ jam ab 8. diebus laborat, quæ augetur ab humoribus à capite in pectus deſcendentibus.

Dolores in hypochondriis jam remiſſiores.

Non habet medicamenta. Iteretur miſt. 19. præſc.

Excrementa ſimilia heſternis, & adhuc albicantia.

d. 26.

d. 26. ☿. hâc nocte quater liquida dejecit, nullo Purgante ſumto.
Color excrementorum manet cœruleus.
Gravedo & tuſſis perſtant.
Habet medicamenta.
d. 27. ♃ ipſe debilis eſt, & pulſus ſimul.
Hac nocte & interdiu quinquies dejecit & liquida.
Habet medicamenta.
d. 28. ♀. habet aliquantulum melius. Bis tantùm dejecit.
Iteretur miſtur. 19. præſcripta.
Obiit. 1. Decembr.

IN SECTIONE HÆC OCCURREBANT:

Cutis univerſa flavens.

Aperto abdomine membranæ & pinguedines inprimis flavo colore infectæ, carnes non item, quæ ſolito magis tantùm pallebant, & flaccidæ erant.

Penis glans tamen flaveſcebat.

In illo (abdomine) continebatur inſignis quantitas aquoſi humoris; quæ in magnâ quantitate ſpectata rubra, in parvâ verò flava videbatur, eodem planè modo, ac ſi croco tincta fuiſſet. Quæ in fundo erat aqua, rubicundior erat, & ad ſanguinis colorem magis accedebat.

Intra tunicas omenti cruoris aliquantulum inveniebatur, qui copioſior in abdominis fundo occurrebat firmiter, & in longum inſtar polypi concretus, & cum liene cohærens.

Omentum variis quaſi glandulis interſperſum, quas pinguedinem corruptam Cl. Sylvius judicabat.

Lienis membrana tenerrima erat, ut & tota ejus ſubſtantia, quæ planè ſanguinis concreti conſiſtentiam habebat. Fibræ tamen ſatis firmæ.

In una ejus parte membrana ad notabilem latitudinem rupta erat, ita, ut vaſa ejus apparerent. Ex illâ ſine dubio ſanguis profluxerat, qui aquam illam, in abdomine contentam, adeò tinxit, quem, mirum eſt, non magis concretum & coagulatum fuiſſe.

Ventriculus cum inteſtinis flavens tumensque.

Color hepatis ex flâvo obſcurè vireſcebat.

Pulmones lividi & cæteris inteſtinis flaviores.

Coſtæ valdè teneræ, & nullo labore frangibiles & ſciſſiles.

Cl. Sylvius easdem aliquando ejusdem duritiei in aliquo, qui aneuriſmate obierat, deprehendit.

Folliculus fellis ſolito major, ac bile turgens, colorisque albi, cum plerumque ſubviridis videatur. Dexter ren valdè exilis.

Separatis ductibus bilariis, hepatico nempe, cyſtico & inteſtinali, factoque proximè ſub ligaturâ, in ſuperiore hepatici parte inſtituta, foramine, immiſſus ope tubuli leniter flatus ad inteſtina ſine impedimento penetravit, uti & immiſſus humor cœruleus.

Immiſſus deinde ab inteſtino verſus hepar flatus etiam facilè in folliculum fellis penetravit: nullo tamen modo potuit inde iterum exprimi, quod Cl. Sylvius jam ante obſervaverat.

Diſſecto per longitudinem inteſtinali ductu, apparuit in illo materia viſcida.

Ductus cyſticus magis hians, ſive inflexus verſus hepaticum, quam verſus inteſtinalem.

Bilis in folliculo contenta juſtò viſcidior, colorisque diluti, ita, ut immiſſum linteum non magis tingat, quàm urina ictericorum.

Immiſſus in ductum hepaticum flatus obſervatus penetrare in ipſum etiam folliculum, ubi is hepati annexus.

Inteſtinum tenue non ita interius obductum pituita viſcida erat, uti ſolet aliàs.

Pericardium cum ſuâ pinguedine flavebat impenſe. Liquor contentus paucus flavus, ſubſalſus & parumper amaricans.

Cranii exterior ſuperficies flavens.

Oſſis frontis interior ſuperficies colore flavo infecta, ceterorum non item.

Dura meninx flaveſcens, ut & liquor ſub eâ conſpicuus, cujus ſapor non erat notabilis.

Tenuis meninx minus flava.

Cerebri ſubſtantia ſatis alba.

In ventriculis liquor ſatis copioſus, limpidus, ſubſalſus.

Plexus choroides valdè glanduloſus.

Subſtantia infundibuli extrema, in quam definit, ſubrubra, quodammodo carni ſimile, quod ſæpius obſervatur.

OB-

OBSERVATIO CXCV.

D. MATTHIÆ PAISENII

IN

GRAVIDÆ HYPOCHONDRIACÆ HÆMOPTOICÆ Sectione Ann. 1665. d. 8. Febr. adminiſtratâ

ANNOTATA.

JAn. 26. ☾ Catharina Caſpareidis (Tríntie Caſpars) mater octo liberorum, ter abortivit. Per totum tempus conjugii valetudinaria fuit.

Per tres menſes ſanguis menſtruus non eſt purgatus.

A 7. hebdomadibus in parte ſiniſtrâ pectoris & hypochondrii dolores ſentit, & in hypochondriis quoque tenſionem.

Terrore à ſpectro incuſſo, perterrita incidit in hoc malum.

Frigus moleſtum, non calor.

Alvus reſpondet.

Patitur ſubinde aliquid ſuffocationibus uterinis ſimile. Tum flatus erumpunt, unde levatur.

℞. *aq. puleg.* ℥ij. *theriac. ſimpl.* ℥ß. *tincturæ caſtor.* ʒij.
Ol. ſucc. gt. IV. *laud. opiat.* gr. ij. *ſyr. fœnic.* ʒvj. M.

d. 24. ♂. in variis levamen ſentit.

Dolores omnes minuuntur.

Iter. miſt. 26. præſcr.

d. 28. ☿. dolores leviores ſunt.

Quando reſpirat, ſibilus auditur in pectore.

Iter. miſt. 26. præſcr.

d. 29. ♃. ſuffocatio adhuc ſubinde urget.

Nec heri nec hodiè dejecit. Sed propter ſuffocationes non conſultum purgare.

Iter. miſt. 26. Jan. præſcr.

d. 30. ♀. iter. miſt.

Pro tuſſi ℞. *maſſ. pil. de cynogl* ℈i.
F. P. num. VIII.

d. 3 Febr. ♂. præterito die ſabbathi paroxyſmum febrilem paſſa, cujus rigore durante incepit dolor rodens & moleſtus femoris, & tibiæ, qui adhuc durat.

℞. *ungu. martiat.* *ol. nardin.* āā ʒiij. *ol. Philoſoph.* ʒi. M.

d. 4. ☿.

d. 4. ☿. hodiè manè circa 5. ex vehementi tuſſi in ſanguinis vomitum incidit, ac ſubitò exſtincta eſt.

Secuit Cl. Sylvius cadaver d. 6. ♀ Febr.

Rugæ ſe offerebant in infima ventris ſuperficie, externa ſigna partuum antegreſſorum.

In abdomine ſecto copioſa & laudabilis pinguedo.

Colon ſub umbilico ſitum.

Inteſtina pleraque flatibus diſtenta.

Illorum ſubſtantia tenuis & elegans, inprimis quo in loco diſtendebantur.

Præ aliis tamen omnibus in immenſum diſtendebatur inteſtinum tenue ante ſui inflexionem ſiniſtrorſum verſus.

Inteſtina hinc inde colore fellis infecta.

Folliculus fellis prægrandis erat & pallens.

Lien quoque ſolito multùm pallidior.

Plures in inteſtinis erant lumbrici.

In ventriculi aperti parte inferiore nihil cruenti, ſed materia viſcidiſſima ſpadicei coloris ferè.

Totus ventriculus valdè rugoſus & denſus.

Ex parte ſuperiore extracta inſignis copia concreti ſanguinis, cum fluidiore ſimul ſaporis auſteri.

Orificium inferius, ſive pylorus valdè conſtrictus.

Rugæ ventriculi tortuoſæ, & prope pylorum ferè circulares.

Inteſtini verò rectæ ſecundum fiſtulæ inteſtinalis ductum.

In inteſtinis nihil rubicundi aut obſcuri.

Hepar variis in locis per fibrillas diaphragmati annexum.

Pulmo dexter pleuræ firmiter connexus, mollis, boni coloris, ſed flatu diſtentus, thoracem totum opplens, ſiccus apertusque liquorem limpidum, ſalſum ſubacidumque fundens.

Siniſter lividiorum diſtentus, paſſim connexus pleuræ gelatinoſo & viſcido humore obductus, firmus, nigricansque, interius etiam, ſanguinis inſtar coagulati.

Pancreatis ſubſtantia elegans, à liquore per ſyringam immiſſo parum tingebatur.

In latere complures glandulæ planè non tinctæ. Ductus pancreaticus inſignis.

Lien pallidior multò, in quo initia apoſtematis.

Hepar

Hepar benè habebat.

Bilis copioſa, pallida & tenuis.

Humor in pericardio ſubſalſus & ſubacidus.

Cor benè conſtitutum. In diſſecti ventriculo dextro parum ſanguinis, in ſiniſtro ne gutta quidem.

Prope radicem meſenterii connectuntur renes vertebris, ligamentis firmis. Hic ſuſpicatur Cl. Sylvius, quærendas vias à ventriculo ad renes, per quas potus ſæpè tàm citò tranſeat.

Papillares in renibus carunculæ foraminulis perviæ, per quas urina colatur.

Extrema in parte tubarū variæ veſiculæ aquâ repletæ, hydatides dictæ.

Ligamenta rotunda uteri, extra abdominis muſculos elapſa, parvum quaſi muſculum adjunctum habentia, in varia tenuiſſima filamenta diſperguntur, quæ partim ad os pubis, partim in pinguedinem & fortâſſe cutem, partes externas muliebres, inſeruntur.

Arteria ſpermatica utraque ex trunco oriebatur, ut & vena ſpermatica dextra, ſed ſiniſtra ex emulgente, uti in viris.

Rami illi, qui ex iliacis ad uterum tendunt, hic ferè æquales illis, qui ad crura.

Quarto menſe gravida judicata.

Tota ſubſtantia uteri ſpongioſa & cavernoſa multis magnis foraminibus, ſive potiùs canalibus pervia, in quibusdam locis, ſtylum craſſum admittentia. In horum unum immiſſus ſiniſtram verſus tubuli ope flatus per uteri ſubſtantiam & venam ſpermaticam in venam renalem, & cavam tranſiit, magisque tumens univerſus obſervatus uterus, quaſi etiam in ipſius cavitatem flatus penetrâſſet.

Inflata arteria ſpermatica ad ipſos uſque teſtes mota & tumefacta.

Placenta uteri cum ſecundina ſive membrana chorio, mirabili texturâ è tenuiſſimis fibrillis conjuncta.

Funiculus umbilicalis in latere ſiniſtro placentæ inſertus.

Fœtus caput in fundo uteri.

Fœtus maſculus lateri ſiniſtro incumbens.

Extremitates manuum, pedumque ut & narium albicantes.

Umbilicus parte ventris magis inferiore, quam in adultis.

In totius corpuſculi ſuperficie venarum ramificationes elegantiſſimæ conſpicuæ.

Facies ruditer efformata.

In arteria aſpera ſanguis coagulatus: in œſophago non

OBSERVATIO CXCVI.

D. MATTHIÆ PAISENII

IN HYDROCEPHALI

INFANTIS OCTIMESTRIS SECTIONE à Cl. J. HORNIO publicæ adminiſtratâ

ANNOTATA.

CApitis perimeter erat $1\frac{1}{8}$ ulnæ.

Tumor digito prementi cedebat, non remanente veſtigio.

Cranii oſſa, quamvis hiabant ab invicem, eo quo pueris ſolent loco, ſolito tamen ampliora erant, magis tenuia, ita ut cultro commodè ſecari poſſent. Non multum abſimilia cornubus, ex quibus lucernæ fiunt,

Dura meninx cranio arctiſſimè annexa.

Aqua nec inter cutem & pericranium, nec inter pericranium & cranium, nec inter hoc & duram meningem, nec quantum obſervari poterat, inter meninges, ſed intra ventriculos cerebri laterales continebatur.

Ejus quantitas octo pintas Leidenſes, ſive 160. uncias medicinales, h. e. 13. libras excedebat.

Aqua erat limpidiſſima, nullo notabili ſapore prædita, niſi quod aliquantum ore detenta, ſalſugine quadam linguam feriret.

Cerebrum amplum, & pueri cerebro denſius, duriusque.

Ejus anfractus penè omnes obliterati.

Contra cerebelli laminæ egregiè diſtinguebantur. Cerebellum totum cerebro minus affectum.

Vaſa quædam per ſuperficiem cerebri ſerpentia ſanguine turgida.

Sinus faſcis ſuperior planè ſanguine vacuus. Cerebri ſinûs laterales, quibus aqua continebatur pro quantitate, æque diſtenti adeò, ut totum cerebrum non niſi ſaccus videretur. Glandula pituitaria flaccida, & ſatis magna glandula pinealis nulla inventa. (neſcio an errore diſſecta ablatave.)

In

In plexu choroide glandulæ nullæ obſervatæ.

Radix ſpinalis medullæ quaſi in filamenta fiſſa, quod memini in cerebris ovium aliquando obſervaſſe.

Omnes ferè corporis glandulæ ſolito majores.

Meſenterium totum plurimis glandulis rubentibus, lentesque parvos æquantibus conſitum.

OBSERVATIO CXCVII.

D. MATTHIÆ PAISENII

IN

CAPITIS HUMANI SECTIONE

à Cl. J. HORNIO in theatro Anatomico publicè mens. Aug. Ann. 1664. Lugd. Batav. adminiſtratâ.

ANNOTATA.

REſciſſa cute cum cuticula in conſpectum veniebat *Membrana*, Cl. Riolano *adipocarnoſa* dicta, cum fibris carneis in fronte, pone auriculas, & in occipite muſculos æmulantibus.

N. Occipitales illæ aliquando deſunt.

Hinc *pericranium* videre erat unà cum ſeparato *perioſtio.* Quod tamen à pericranio diſtinguere Cl. Hornio nimis ſubtile videtur, tum, quia diſtinctio illa in re medicâ nullius eſt uſus: tum, quia hâc ratione, præſertim acutiori ſcalpello, pericranium in plures membranulas dividi poſſit.

Poſtea *Cranium* obſervabile erat, duabus quaſi *laminis* durioribus conſtans, (quarum exterior duriſſima & craſſior, interior mollior & tenuior eſt) quibus meditullium ſpongioſum (diploë vocatur) interjectum eſt. Poſſis vaſi fictili utrinque vitreato comparare.

Ab hâc externarum tabularum inæquali duritie & craſſitie accidit interdum in forti contuſione, aut ictu capitis, ut exterior illæſa maneat, læſa interiore tabula unà cum ſubſtantia illa ſpongiformi, cujus particulæ caruncul is ſimiles, expreſſo, & putreſcente ſanguine corrumpuntur. Malum Hipp. ζωυφορὴ dicitur, *vid. Nicol. de Nicolis in chirurg.*

Hinc ſequebatur *dura meninx*, cujus nulla Cl. Hornio videtur eſſe à cranio diſtantia, contra quam putat Cl. Villis in anat. cerebri.

Hæc beneficio *falcis* non tantùm diſtinguit cerebrum dextrum à ſiniſtro, ſed & anterius à cerebello.

In hac obſervandi ſinus, quorum unus *longitudinalis*, qui in poſtica parte capitis deſinente incipit.

Lateralis dexter & *ſiniſter* in venas jugulares deſinentes.

IVtus inter cerebrum & cerebellum infra falcem.

Locus, ubi omnes concurrunt, *torcular* dictus.

In hos arteriæ infundunt ſanguinem, & rurſus ex his venæ recipiunt.

Nam inflata per ſiphonem carotide arteriâ tumeſcunt venæ in ſubſtantiâ cerebri & contra: inflatis venis inflantur ſimul carotides arteriæ ſupra ligaturam.

Tenuis meninx proxime cerebrum tangens non tantum cerebrum ambit, ſed & anfractus ejus ſimul involvit, ut arteriolas, quas plurimas continet, ſimul ad totam cerebri ſubſtantiam deducat.

In ſubſtantia cerebri notandi *anfractus* varii & profundi, præcipuè cavitates illæ, quæ *ventriculi* dicuntur, qui quadruplices ſunt. Simul quoque inſignis ille anfractus, ſive *fiſſura ad radices oculorum*, non ſemper tamen conſpicua, quam Cl. Sylvius primus invenit.

Hinc *plexus choroides*, qui glanduloſus & arteriis conſtat. Glandulæ illæ interdum ab humoribus p. n. valdè augentur, cum naturaliter tantum ſint inſtar granorum milii.

Pedes hippocampi ab Arantio ſic dicti.

Limbus radicem ſpinalis medullæ ambiens.

Cavitas digitalis à poſteriore parte ventriculi anterioris excurrens.

OBSERVATIO CXCVIII.

D. FRIDERICI ORTLOBII

DE

PERPETUA INFANTIA.

IN Ducatus Vratiſlavienſis pago, Heintzendorff dicto, die quarto Februarii A. 1669. ruſtici filiola, Eva nomine, cum ſeſquiannum nondum exceſſiſſet, de menſa cecidit, caputque ita terræ alliſit, ut inde paroxyſmos aliquot epilepticos pateretur, qui tam miſerè ipſã affixerunt, ut caput in

magni

magnitudinem capitis adulti hominis, intumuerit, eamque formam integro deinceps vitæ tempore retinuerit. Reliquum contra corpus ab eo tempore nullatenus auctum eſt, ſed eam conformationem & dimenſionem ad dies vitæ ſervavit, quâ infantes octodecim præter propter menſium eſſe ſolent. Hinc porro factum, quod puellula hæc pedibus vel ſtare vel incedere nunquam didicerit, ſed diu noctuque aut portari aut in ſedecula ſedere aut in cunis jacere neceſſe habuerit. Eadem quoque nunquam propriis manibus cibum ingerere potumve ori admovere potuit. Mira hæc videri poſſunt, at majorem ſine dubio admirationem meretur, quod licet corporis ſtatura aucta non fuerit, mentis tamen dotes nonnulla ſui incrementa oſtenderint, quando nimirum puellula perfectè loqui ac plures precationum formulas piaſque cantilenas didicit; ut ut judicium non ultra infantilem firmitudinem profecerit, nam ſermoni, precibus cantibuſque non raros intermiſcuit riſus. Tali vitæ conditione uſa puellula, trigeſimum ſeptimum annum ætate complevit, & hebdomadas viginti novem ſupervixit. Hæc vero omnia veriſſimè ſic contigiſſe teſtis αὐτόπτης eſt Clariſ. Dominus Melchior Teiſnerus, Paſtor in Cunradsvvaldavv Ducatûs Olsnenſis, qui ipſe pagus ſupra dicto Heintzendorff confinis eſt.

OBSERVATIO CXCIX.

D. DANIELIS LUDOVICI,

DUDAIM GENES. XXX. ET CANT. VII. ESSE TUBERA.

SChediaſma hoc, quod è Viri cujuſdam perquam curioſi collectaneis, juvenis tùm deſcripſeram, cum nuper aliud agenti occurreret, perperam perire credidi, uni tantùm amicorum aliquando communicatum, ſiquidem perſuaſorii, aut ſaltem ſingularius quidpiam præ vulgatioribus hactenus conjecturis, etiam eruditiori cuidam è Judaiſmo haud ita pridem converſo continere videbatur. Authorem neſcimus: Gallum tamen fuiſſe contextus infra de Truffis oſtendit. Orientalia diſſertationi inſerta ad præcavendos facilè hîc lapſus, Latinis litteris, amici iſtarum ſcientiſſimi ductu expreſſimus; ſatis ſic eſſe factum putantes tàm iis, quibus talia minus trita ſunt; quàm iſtis quoque, qui linguas pariter, & ſurrogationem nativarum literarum punctationumque callent. Reliqua, uti concepta fuêre, referuntur. Inſunt equidem ulterioris diſquiſitionis aliqua, v.g. de *magudari*, *laſerpitio*, *cyclamine*, *arvenſi tubere*, *Pſeudapios* dicto, flore perquam odoro, *Jaſmino* (illo per fictionem juris benè olenti) præcipuè verò ipsâ *Man-*

dragorâ. Sic Arabicum *Gjadira* in Londinenſi non, procul dubio tamen in reliquarum verſionum aliquâ occurrit: & derivatio *Dudaim* ab amore deſcribentium culpa, ſi quidem ſecundùm proverbium (Græca erant, legi non poterant) omiſſa eſt; & haud pauca inſuper adhuc obſcurius (uti in conjecturali hoc ſcribendi genere) ſunt adſerta. Excolenda vel corrigenda horum magè gnaris proponitur diſſertatio, quæ ita habet.

Quid rei ſit *Dudaim Geneſ. 30. & Cant. 7.* nec alibi occurrens, multi è veteribus, recentioribusq; quæſiverunt. Græci Latinique paſſim *Mandragoram* verterunt, ſoporiferam illam plantam, quibus aſſenſum præbere nequeo. Ex utroque loco claret, eſſe aliquid, quod in agro legatur, quodque in pretio, odorum, rarum, & forſan inter edulia ſciti ſaporis ſit. His ita poſitis, videamus, quid de eo veriſimiliter ſtatui poſſit. *Dudaim* Hebræi interpretantur *Sabhſuchim*, *Jabhruchim*, *Sigle*, R. Jarchi etiam Arabicè eſſe dicit *Jaſmin* (à *Jaſin* & inde *Jaſimin*, *Jaſamin* &c.) Hebraicæ vocis eſt origo à nomine *Dadim*, uberibus, mammis, vel etiam ab (α) amore: quod Dudaim uberum formam referant, vel ad venerem conducant. Videntur Chaldaicæ quoque voces. *Sigle*, (β) *Sibhſuchim*, *Jabhruchim*, à volubilitate vel rotunditate dictæ. Quæ omnia mandragoræ parùm quadrant. Habet enim folia lactucæ, flores ſine gratia, radicem bifidam oblongam, & grana potiùs, quàm propriè dicta mala; ſingulaq; hæc graveolentia. Nullus plantæ uſus, niſi ad ſtuporem. Nec Plinio credendum referenti, quibusdam in locis mala ejus mandi: quod ab alio accepit vocis ſimilitudine decepto, & Magudarim eſſe mandragoram putante. Neq; dubito ſimiliter Græcos Bibliorum intepretes magudarim idem quod mandragoram exiſtimâſſe; cum ſcirent ibi Dudaim eſſe magudaras. Conjicio autem hoc nomen eſſe Arabicum vel Syriacum, calvariam ſignificans vel terriculamentum in ſatis ad fugandas aves defixum: (quod etiam vox Jabhruchim in radice Chaldaicâ ſignificare videtur:) vel à rotunditate: (nam Arabicè *Gjadira* eſt ἀνακεφαλαιοῦσθαι, Epheſ. 1. & *Gjadaraton* gutturis, aliusve præternaturalis ab ortu tumor; & *Gjadaryion* variolæ:) tuber verò Cyrenaicè ſic appellari, propter cranii formam atque ex iſtâ appellatione toti Africæ & Ægypto familiari, (quod Cyrenaica tubera eſſent commendatiſſima) Alexandrinos interpretes cum mandragorâ magudarim confudiſſe. Sed *ſylphii* quoque ac *laſerpitii* tuberoſam radicem in Cyrenaicâ provincia magudarim dici, teſtis eſt Plinius ac Dioſcorides.

Tu-

Tubera verò in Thraciâ vocata fuiſſe *κεράνια* vel *κεράνια*, ex iiſdem & Athenæo conſtat: quique Geranium legunt hic, Germanam vocem corrumpunt. Dicuntur etiam Græcis communiter *ὕδνα*, quod maximè appetantur à ſuibus. Unde ſecundum tuberum genus vulgò panis porcinus vocatur. Leo Albertus Deſc. Afric. tubera ait Arabicè vocari habbares. (*Gjábir* Arabicè panis eſt; & Æthiops interpres Geneſ. 30. habet pro mandragora *Kóla bakl*, id eſt, malum terræ vel campi. Apud Athenæum tuber Cyrenaicum dicitur *Myſi* vel *Myſum*. Leo autem, loco citato ait, *Miſum* Numidas appellare *Terfes* & *Tirfas* Arabum, Mauris tubera terræ ſignificant. Maſſilienſibus vulgò tubera ſunt *Tuferes* noſtris *Tuffres*. Hebræi *Siglim* dicunt eſſe herbam, cujus flos viola, folium verò trifoliatum ſit: quod cyclamine (pariter à rotunditate dicto) ex parte convenit. Nam duo vulgò ponuntur tuberum genera; primum ſine radice, ſine caule, niſi ipſum tuber radix eſt: alterum, quod caulem, folia atque fibras habet: idque ſimiliter varium; quo cyclamen quoque pertinet, cujus radicem prægnantibus noxiam ſcribit Plinius; ſerendamque in omnibus domibus, quia mala medicamenta impediat: ideoque etiam amuletum vocatur. Ex hâc tuberum diverſitate nata eſt interpretum variatio, dum alii amuletum, alii edulium venereum, alii violam & herbæ genus, alii radicem humanum corpus aut caput referentem, alii aliud volunt.

Sed Dudaim ſignificant primum tuberis genus, à quo alterum, ſeu porcinus panis, cum conſimilibus, nomen mutuatur. Eſt autem dictum quaſi terræ uber, non modò ob figuram rotundam, excreſcentiasq; quaſi papillares, ſed etiam propter ſpongioſam internam, quaſi mammillarem ſubſtantiam: præbet porrò ſpeciem capitis aut cranii humani; grati eſt ſaporis, ſingularis (addimus & laſcivientis) odoris, & ferculum venereum, creſcit vere, &c. Summa: omnia quæ de Dudaim è duobus ſacræ Scripturæ locis & variis commentariis afferuntur, perquam ipſi quadrant. Indeque Cant. 7. ſub eclogâ quaſi paſtorali, alluſione è re ruſtica petita, Sponſa, (ſalvo ſenſu myſtico) verecundè amorem ſuum, & nubiles nunc florenteſque annos commendat inductione Dudaim, primo vere, ſororiantium ſub pubertate, mammillarum inſtar prorumpentium, & odorem ſuum fundentium: (tibi dabo ubera mea ibi. Dudaim dederunt odorem.) & ejuſmodi blanditias tandem concludit: (Et in oſtiis noſtris omnia mala Punica nova & vetera, dilecte mi, abſcondi tibi.) Innuens, intemeratam ſe ſponſo ſervâſſe

vir-

virginitatem; quo quaſi aperta vernantis horti janua, delicias ſibi conditas & illibate ſervatas decerpere properat. Atque hæc de Dudaim: unde quivis, quantum placuerit, colligat.

[(α) à Dodim, amore. (β) potius legendum Siglin, ſibhſuchin, Jabhruchin.]

(De Dudaim conferri etiam poteſt diſputatio à Reverendo & Clariſſ. Dn. M. Michaele Libentantz, p. t. Diaconi ad D. Eliſabethæ, quæ Vratislaviæ eſt, meritiſſimi, olim Wittebergæ Anno 1660. habita.)

OBSERVATIO CC.

D. DANIELIS LUDOVICI

DE

SPIRITUS, SEU OLEICONORUM ABIETIS,

ET DE

PINGUEDINUM IN AQUAM REDUCTIONE.

Cum abietis & affinium reſinoſitas adeò polychreſta ſit, inque conis iſtarum reſinoſiſſimis ingens quotannis quantitas perire videatur, experiri placuit, num operæ pretia etiã mereri poſſet indigentiorum quiſpiã ex indigenis, circa hæc occupatus. Proin non areſcentes jam aut exuccos, ſed virides adhuc, atque vegetos, circa Septembris initium, nucleis ſuis (debiliores faginorum more inebriantibus) adhuc prægnantes numero centum deſtillationi per veſicam ſubjecimus. Provenerunt olei clari, à vulgaris terebinthinæ ſpiritu nil differentis, è ſelectioribus unciæ duæ, è mediocribus quatuordecim drachmæ præter propter; ſed exiguo ſic inſumendi laboris redhoſtimento. Num paulò provectiores daturi fuerint pluſculum, experimento haut facto, dicere nequimus. Eorum verò centum, alia intentione, molâ, ceu lini ſemen ſolet, expreſſi, ſudarunt non olei, ſed magmatis tantùm oleoſi, viſcidi, aquoſo ſucco inſperſi, ultra libram unam ſemis. Et cum evidentiori uſui aptari tunc non poſſet, per veſicam ſimiliter tentatum, dedit olei clari, ſed flaveſcentis drachmas ſeptem; liquamine in veſicâ ſupernatante inſtar liquidæ vernicis, deperdita verò ſic (præter id, quod in rejectamento remanere potuit) ſubtiliori (inter molendini tractationes) parte. Uti ſanè ejus generis olea vix aliud eſſe videntur, quàm ſubtilior ſeu attenuatior reſinarum ſubſtantia, (ſpiritus autem fermentatitii ardentes ſubtiliſſimæ, per ſalinarum particularum

acce-

acceſſum, quaſi ſaponariæ, miſcellæ dilutum:) eoque tractu temporis in Terebinthinam quandam olea iſta redeunt: modo parili de reliquorum quoque vegetabilium, (etiam per retortam) deſtillatorum ortu, aut compluribus tandem ſuperveniente incraſſatione, forſan haut difficulter concipiendo. Unde jam olim in iſtius impedimentum ſuperinfuderunt aquæ quidpiam ſimplicis, aut pro gravioribus oleis (quo ſupernatent) probè ſalitæ.

Haud adeò verò diſſimilem reſolutionem ſeu ſublimationem in ipſa corpulentia ſua (mercurialiter quaſi) pati videtur camphora etiam vitro variè occluſo: nam licet ita tantoperè non tranſpiret, erupturit tamen, & in aſcenſum vaſis, per annos aliquot in frigidiori conclavi ſervati lateribus, undiquaque hinc quaſi glaciatis (wie gefrohren Glaß) copiosè adhæret. De cætero hæc ipſa arborum reſiniferarum in vicinia conſideratio ſæpius nos in peritiorum Helmontianæ iſtius (poſt Thaletem olim) rerum ex aqueo elemento primordialis productionis perveſtigationem traxit; cum tantis earum tractibus, immenſæque inibi reſinoſitati ſufficiens ſubſtantia propinquior, aut bituminoſitas (vel potentia tantum proximiore talis) ſubter profectò non queat concipi: brevique poſt reſectis abietibus, renatas (pro more) betulas, eodem loco, alium longè ſuccum plorantes deprehendamus; ceu alios ramos hauſtâ ſolâ (ad libras quoque) aquâ explicatiſſimè frondentes, mediave brumâ hinc planè florentes. Sive jam credatur attrahi, ſive preſſione quadam aliterve per competentes poros, quaſi per emporeticam perpendiculariter immiſſam, ſurſum repat. Copioſius è maturiori ligno oleum, vitem ſubſequo cum Tartaro, plantarum ejuſdem areolæ diverſiſſimos in colore, ſapore, odoreque ſuccos, aliaque vulgatiora nunc exempla adducere ſupervacaneum fuerit. Diſtant equidem inter ſe valdoperè hæc duo: oleoſitas & aquoſitas: faciliusque comprehendimus (à foſſilibus uſque ad vegetabilia,) hujus in ſalinam naturam tranſitum. Non tamen proin protinus (præſertim ſi paratius ~~ſeu~~ intermedium, uti in mixturis ſaponariis invenerit) ſemet penitus averſantur: vel reſolutionis aquarum teſtimonio. Et reverà ſic tranſire non ſolùm in exoticâ Indiæ nuce (aquam potui aptam nec paucam primitus, hinc oleoſiſſimum nucleum exhibente) verum etiam in ipſis avellanis juglandibusque noſtris, à manifeſta primum aquoſitate, per mucilaginoſum & inde lacteſcentem liquorem, ad oleoſitatem tandem (dimidio ſæpè ad nucleos pondere) abeuntibus cernitur. | ſimplex

Nec parum huc vel per indirectum conferre poſſet recentiorum illa pinguedinum in aquam reditio; ſiquidem, ut ajunt, facilius eſt aurum facere, quam deſtruere: Dummodo in tædioſiſſimorum laborum reſiduo non foret, in quo qualitercunque ſaltem hæſitare poſſet quiſpiam. Non eodem ſanè modo ac ſuperficialius, occulitur tantum pinguedo, in ſaponariis maſſis, poſt ſufficientem in aqua ſimplici diſſolutionem, lentâ evaporatione iterum in mucilaginem inſpiſſatis; uti forſan olea deſtillata in tartariſato vini ſpiritu, aliaq; in liquoribus alcalinis, ipſové albumine, amygdalinum in emulſionibus, pinguior alimenti pars in chylo, lacte, colliſis, ſevum in ſapone, &c. facilè per enchiriſes quasdam poſtmodum, aut levis ignis interventu, ſeparanda. Occultatur intereà tamen nihilominus & latet, vel quoad potiſſimam partem, ſi quid abreptum fuerit. Atque eâ de cauſa ſevum, tanquam corpulentius diſſipatuque difficilius, ejuſcemodi experimento præ deſtillatis oleis (tartari nigro æque parum, ſimili methodo, cum ſalis vol. particula præbente) ſeorſim deſtinavimus.

Dedit autem ſaponis noſtri libra una, prædicto modo tenuiſſimæque loturæ inſtar ſoluta & in patentiori balneo roris ſpiſſam in mucilaginem, (talis enim prodit) evaporata, cum ſ.q. cinerum vel arenæ vix drachmam unam ſemis aut duas ad ſummum olei: dum libra una ſaponis communis nil paſſi, cum ſ. q. cinerum, libram ſemis & ampliùs (præter ſalis volatilis in roſtro aliquantillum) eodem igne arenæ præbet. Putavimus, quod etiam ex parte res erat, nimiorum additamentorum ſuppreſſione id contingere, adeoque nova ſaponis libra, notatâ jam ratione ſollicitè tractatâ & inſpiſſatâ, per ſe in retorta capaciori deſtillata eſt. Prodiere olei drachmæ quatuordecim præter propter; relictâ maſſâ, ſaponi nigro ferè ſimili; ſanè iterum in prædictum loturæ conformem, ſed obſcuri coloris liquorem reſolubili, & poſt evaporationem denuò drachmas ferè quinque: dediſſetque extra controverſiam amplius, ſi caput mortuum iterum ſaponiforme (ſed priori mollius, inq; loturam nigricantem reſolubile) reiterato tentare per alia impedimenta potuiſſemus. An nunc in quavis deſtillatione, oleoſæ particulæ aliæ quidam tantummodò ſub firmiori alcalium (aquoſis ferè ſpoliatarum) complexu retineantur, aliæ verò in ſcorias, pinguedinum more ſimul comburantur; an inſuper aliquanta earum pars in aquam, ſed immediatè (uti una exit, inter evaporationem tamen ſaltem retineri potuit) ſatiſcendo quaſi redierit, ſeu ſalis volatilis urinoſi, per abſorbentia

cor-

corpora (ceu in acidis quoque ſpiritibus alicubi tentatum eſt) iterum, ſucceſſivè forſan enervandi, interventu, curioſiores judicent, vel ulterius perſequantur: præcipuè, num acido ſpiritu vel ſubſtantiâ adjectâ oleoſitatis iſta reſiſtentia ſolvi queat. De cætero, aqua illa, quæ ante oleum, & cum eo deſtillat, utique ſal volatile ſatis evidenter ſapit, at ſimul horribiliter, inſtar putidiſſimæ pinguedinis. Ex adverſo tamen etiam eadem ſalſedo in ſimplici ſaponis deſtillatione percipitur; ut denuò anceps videatur pro olei inverſione deciſio.

OBSERVATIO CCI.

D. DANIELIS LUDOVICI

De

CEREVISIÆ VINIQUE CONCENTRATIONE, MELIORATIONE, ZYTHO BETULINO SPIRITUUMQUE E FRUMENTACEIS PROPORTIONE.

CUm ſuperioribus luſtris multa de potulentorum compendioſiori per concentrationem aſſervatione ac tranſportatione proponerentur, facta hic quoque ſunt diverſa circa Zythum experimenta; etiam paucis abhinc annis repetito; cum aliqua externis tum de cauſis expectationi minus reſpondiſſe viderentur. Quid obſervaverim ſub talium (ſi omnimodè procederent, uſui haud exiguo futurorum) experimentationibus, breviter referam. Liquorem proin è polenta ſeu malto, conſueta hic ingredientium quantitate proportioneque à Zythepſa confectum, probè ſaturatum, aliquando etiam pro majori conſervatione lupulo conditum (citra anticipantem aliquam fermentationem vel aduſtionem) exhalavimus ad octavæ, aliquando ad ſextæ partis remanentiam. Liquamen in cellâ cum curâ per ſemeſtre & amplius aſſervatum (bibentibus pro talium more tormina & inflationes ciens) antequam acorem quendam (ceu alia portio elapſis adhuc paucis menſibus) minitari inciperet, diluimus cum aquæ ſaltem quadruplo; & peractâ fermentatione cereviſia exiit quidem, ſed ſecundariâ haud adeò ſuperior, minùs certè grata, (ceu pariter & ſimul perquam flatulenta erat, alio fine ad dimidium alio tempore incocta, vulgari tamen Zytho quantillo validior. Unde reſiduum nondum ita dilutum, alii cereviſiæ cocturæ mixtum eſt, licet tantoperè non perceptibili ejus

hinc fortificatione. Idem verò mihi jam antea contigerat in muſti, ſelectioris quoque concentratione, ſimiliter (citra ullam præviæ fermentationis vel aduſtionis notam,) ad octavæ partis remanentiam inſtituta. Sapam hanc ſive ſirupum poſt aliquot menſium aſſervationem, diluebam partim quadruplo, partim quintuplo aquæ ſimplicis. Sed poſt fermentationem & fecum ſubſidentiam, non tàm vinum quàm ſorbet ſive ſcherbet aliquod devians aut pomaceum levius bibere videbar. Unde quemadmodum fixioribus quibuſdam vegetabilibus, inter ſucci vel infuſi exhalationem decedere quidpiam (plus minus) vel aquæ ſaltem ſapore qualicunque, ſedimentoque ſuo teſtantur (licet extractorum per vaporoſum balneum ritè inſpiſſatorum inde notabilis non percipiatur deterioratio, vel roſarum, croci, &c. exemplo) ita nonnulla inſuper, ſeorſim verò farinacea, vinoſa, acidula quædam &c. inter concentrationes ſuas, ſub continua ignis actione pati aliquid, aut in quopiam ſatis alterari, alibi ferè inverti, vel inde manifeſtum eſt. In citri ſucco id notarunt alii, nec in cydoniorum, berberum &c. (per vaporoſum quoque balneum) inſpiſſato, poſt dilutionem priſtinam ſucci invenimus gratiam. Et extractorum Rhabarbari, ſenæ, &c. debilitas forſitan huc ex parte referri poſſet. Revocant verò nobis hæc in memoriam, famoſiorem hactenus è betularum ſucco cereviſiam, quam Sereniſſimus beatiſſ. mem. Princeps cum Moguntiæ apud Reverendiſſimum Electorem primitus vidiſſet, 1668. parari ſimiliter in experimentum juſſit. Elegans erat & ſapida; utpote ad normam proportionemque validioris noſtræ, quam duplicatam vocant, confecta. Peculiarem autem vim diureticam aut antinephriticam inibi deprehendere non potui.

Laudabant quidem horum aliqui, ſed quia gratis bibebant, ſapore aliàs laudabilem. Et ſanè quædam inter hanc, & betulinis gemmis medicatam facilè concipi poteſt differentia: cum ſuccus indifferenter, (majorique ex parte crudior è caudice) colligatur, forſan etiam per collectores dilatetur; ſæpè ſecundam quoque fermentationem (inter inevitabiles moras & expoſitiones) ſubeat, inque gemmis poſtmodum jam longè ſit excoctior ſive characteriſatus. Addamus his inſuper, quæ in muſti debilioris melioratione aliquando obſervaverimus, œnopolis alicubi forſan notiora. Cum vini ſive fecum vini frumentaceoque (ſed ab ingratiori odore prius rectificato) fermen-

ta-

tationis tempore proportionalitèr addito ſpiritu, proceſſit quidem quadantenus negotium, & vigor hinc aliquousque intendi videbatur, non verò illa ſaporis in generoſioribus quaſi corpulentioribus vinis gratia. Nec eam aſſociatum (Glaubero hic, & inter cordialia adeò commendatum, à rectificati ſpiritus reſiduo liquamine deſuper collectum, vini in Franconiâ Rhenique tractibus vocatum) oleum præſtitit: utut odore ejus (qui crapulam quaſi ſpirat) tam per ſalis ſpiritum, quàm per veſicam (commodiùs) abſtrahendo, aliquousque infracto. Qui in vinorum explorationibus exactiores, debilioriſve ſunt cerebri, & hinc (quamvis generoſiſſima ſæpè vina nativa) ſpiritum tamen, etiam modicum, ferre nequeunt, ejuſcemodi miſcellas æquè facilè, ac maledictam illam ipſius, (turbidioris inde) vini cum vini ſpiritu miſcellam guſtu, ac brevi ſubſequa cephalalgia diſcernunt. Proin in amiciori, fermentationi aliàs ſubjecto, & corpus quaſi hic dante ſubjecto ſucceſſum experiri placuit: addidimusque muſti, ſed profectò leviſſimi dolio 160. vel 170. librarum civ. capaci ſacchari non refinati libras quinque. Validior inde ſtatim & protractiſſima fermentatio, & poſtmodum vinum altero tanto forſan (in ea reliqua acetoſitate) melius: ſed experimento locis, ubi ſacchari parabilioris pondus augeri poſſet convenientiori, nec fatiſcentibus vinis adeò abſono. Eodem vero tempore quiſpiam ſingularem ea fortificandi promittebat modum, pacto poſtulato certo in ſingulas amphoras pretio. Finitâ fermentatione, validiſſima ſimiliter & æquè durante, ſaccharato illo non quidem erat validius, at guſtanti novellorum generoſiorum vinorum inſtar, aliquanto corpulentius quaſi, procul dubio per additamenta, quamvis ſecreto habita: nam in rejectis fecibus aliis longè craſſioribus, ſtatim deprehendebatur copioſa malti ſive polentæ grana, cum aniſi, etiam forſan liquiritiæ tantillo: nullo quidem horum in ſapore vini veſtigio; ſed indubiè propter præciſam inter ſe proportionem, quâ ſervatâ guſtum æquè afficientia gratiam compoſito conciliant, variatâ perdunt: ceu in vinis ac cereviſiis medicatis, aquis deſtill. &c. paſſim cernimus. Sed potulenta hæc ardente quodam ſpiritu tandem condiamus. *Cardanus* quidem *l. 8. de ſubtil.* ait: aquâ ex avena deſtillatâ, moſchos uti, quod vino careant, nec minus excalefaciat & inebriet, quàm vinum. Additam tantæ incaleſcentiæ rationem alius Scaliger excutiat. Moſchis verò gratiores quoque hunc in finem potus ſuppetere ſcimus. Anſa tamen hinc dabatur in qualitatem, ac quantitatem ejuſcemodi frumentaceorum ulteriùs inquirendi, præſer-

tim dum eodem tempore (ceu nunc) conquererentur miſeri, iſtâ annonæ caritate minimum ſibi præ aliis omnibus furfuraceis quoque accedere roboris à panis avenacei eſu: ac quæſtio inſimul incideret, num hordeum ob vetuſtatem ſationi maltique confectioni ineptius, commodè ardentis ſpiritus forma conſumi poſſet? ut proin facto experimento modius, qui ſecalis 256. hordei 220. avenæ verò 148. libras tantùm capiebat (ſubtractâ decimâ ſextâ molitoris parte, furfuribusq; ſatis exſuccis) dedit farinæ ſecalinæ quidem libras ferè 200. hordeaceæ 157. avenaceæ ſaltem 59 Ita idem avenæ modius, pro ſpiritus ardentis deſtillatione ritè præparatus, poſt vulgarem illam rectificationem exhibuit libras ſolùm 18. ſapore tamen minus grato, cum à ſecalis (ſed ſelectioris, nec recentis nimis, nec vetuſtate vermibusque nimium corrupti) eâdem menſurâ proveniant facilè 86. vel 90. pluresve hordeacei (præ ſecalino pariter minus accepti) 65. libræ aut paulò amplius. Conſideratione verò hic non indignum eſt, quod, dum idem farinaceæ (ex hordeo & avenâ) ſubſtantiæ pondus ſupponimus, producendi inde ſpiritus eandem ferè quantitatem poſtmodum ponderamus, adeoque avena ad inducendam ſpiritualitatem, re ipſa hordeo eſt inferior, par pene hinc reperitur (indeque evidens illud jumentorum robur eſt;) humano tamen corpori tam parum tribuat. Suum equidem cuique eſt alimentum accommodatius, etiam per aſſuetudinem: & per annorum decurſus maturatiorem, acceptum fieri Septentrionalioribus panem, Excellentiſſ. Vir *D. D. Bartholinus* retulit.

7non

OBSERVATIO CCII.

D. DANIELIS LUDOVICI

DE

PERIODICA NONNUNQUAM VIGORIS IN CINNAMOMO VARIATIONE.

QUi ſenium non ſentire cinnamomum putabant, pridē à Galeno notati ſunt, productis ex ordine Imperatorum thecis. Et is quidem decidentiæ trigeſimum aſſignavit annum. Verùm in magnatum myrothecis minus quoque aromatica, etiam poſt quinquageſimum, adhuc ſatis vivida invenimus. Quod autem in uxoris Stiliconis, Imperatoriæ ſororis, tumbâ A. Lacunæ repertum dicitur,

vigorem

vigorem forſitan poſt 1400. annos ſuperſtitem, aliorum fragrantium conſortio, penitiúsve interceptæ aëris deprædationi debere potuit. Sed præter ordinariam hanc plures adhuc cauſæ ſunt variantis hodieque, ut olim, bonitatis, v. g. Regionum ipſarum diverſitas: quodque in Java, Malabar, Chinaque debilius, ſeu de Meto ſylveſtriusve creſcat, aliunde notum eſt: fortaſſe tale etiam in Peruanâ regione, ni, pro gentis vel nautarum conſuetudine, paulo aromaticotera (ipſum ſanè ſaſſafras in recentiori Antillarum deſcriptione) inter cinnamomi, ceu urentiora quædam inter piperis genera relata fuerint. Sic porrò ipſis in ordine corticibus ſua non diverſitas: eaque adhuc major, ob varios tractationis modos. Si ſcilicet ſecundum Garciam, incompetenti tempore deliberentur, vel inter exiccandum, aut ſub Luſitanorum reditu, (referente Anonymo Carmelitâ) caraceis ſive onerariis aliquandiu extus appenſi, ſolaribus radiis exhauriantur; marinâ aliterve corrumpantur, &c. quibus aliam adhuc, hactenus forſan minus annotatam variationis, ſelectiſſimi quoque cinnamomi adjiciamus ſpeciem. Nam ſæpius olim apud parentem obſervavi, optimæ notæ allatas Cannas, pipereque pro aromatoriorum more ſepultas, ſaporem nativum aliquando exuiſſe ferè penitus; librum æquè ac craſſiorem corticem (hunc tamen frequentius;) poſt aliquot verò temporis (incertum tamen) ſpatium recuperaſſe id denuò ſatis vegetum: vix ob Lunæ (tantum aliàs in lignis valentis,) apud nos phaſes alterationesve aëris. An certæ ſpeciei ſit, majus adhuc dubium, vel an ob inconventioris temporis reſectionem (uti ea quidem in aſſeribus trabibusque noſtris multùm poteſt,) aut immaturitatem quandam? Sed non una vice data opera è certo ſic languente cinnamomo deſtillavimus aquam nihilo deteriorem: ut peculiarem occultationem vel deliquium particularum aliàs ſat ſenſibilum, (donec planior inveniatur ratio) tantiſper miremur. Qui verò ſpeciale quidpiam reproductioni corticum ſubeſſe putant, in vulgari quoque Periclymeno (ſimili fibrarum ſecundum longitudinem ductu) analogum habent.

OBSERVATIO CCIII.

D. DANIELIS LUDOVICI

DE

NITRO MURARIO.

ITa fortè ſignificantiùs hodiè dicitur. Siquidem ſalis petræ vox penè nunc indifferens, Aphronitrũ verò multæ adhuc recenſioni complica-

tum

tum eſt. Non autem illas vulgi ſtirias hic intelligimus, quæ è cellarum ſub dio, vel perpluentibus fornicibus interdum dependent; gypſeæ quaſi, & elota lamellatimque compactâ calce conſtantes: nec porrò vitriolicas, aluminoſas, ſalinasve nonnullibi efflorescentias aut coagula, præcipuè in metalliferis vel intùs flagrantib. locis; pura vel frequētius varia inter ſe, aut cum ipſo nitro mixta, eove tandem ex parte tendentia; atque vel inde nitriformiter quadantenus vel communis ſaltem, (quod in ſe continent) ſulphuris inſtar ardentia. Sed concrementum vere & evidenter, ſeu (demus difficilioribus) præcellentes ſaltem nitreum; atq; hinc, ſi opus, refinatione debitâ in nitrum, noſtro par reductile; muris ſimilibusque ſaxorum (calcarii utriusque arenarii,) ac lateritiis ſtruibus hic locorum (uti alibi forſan cryptis, rupibus, deſertorumve planitiei) adhærens: modò lanuginis inſtar, leve, album, tenue; in ſuperficie iſtorum (integrâ vel tempeſtatibus, recentiorumve vermiculis exeſa) quaſi efflorescēs: modò verò craſſi9, & cruſtis calcivariè permixtis, minusque albentibus coagmentatum. Utrumque quale ac quantum præter propter foret, experiri quandoque placuit: præſertim ob propinquius hic aëris commercium, Corpulentius proin illud non certæ cœli plagæ obſes eſt, ſed indifferenter ad ortum æquè ac ſeptentrionem &c. Sub dio æquè ac occluſioribus tectisve locis naſcitur: frequentiùs equidem (ceu notum eſt) ubi ſtabulorum vel olim quædam fuit communicatio: ſed neque hoc perpetuo aut convertibiliter: & inſuper ebulliit, ubi nullum cum ejusmodi urinis unquam eſſe potuit commercium. Calcis autem vel analogi evidentiora plerumque adfuére indicia. Quod porrò per aliquot luſtra hæſerat, aut duodecenne tantùm, trimo (præter propter in nitroſitate ſua, haud adeò deprehendebatur præſentiùs, quamvis in pondere, (ob exſurgentis ſimùl calcis aliorumque confuſionem,) foret oppidò, etiam in eorundem annorum maſſâ quædam diverſitas: corraſæque libra una, modo 4. ſolùm, modo 6. 8. 9. daret uncias nitroſi hujus ſalis: quod porrò, ſelectius quoque, aut per lixivium ſaponarium refinatum, præter expectationem vulgari nitro profecto lentiùs deflagrabat. Pyrius inde pulvis, ſecundùm debitam proportionem ſatis diligenter confectus, ſimiliter ſaltem inſtar communis ejusdemque compoſitionis pulveris pyrii, ſed aliquantum madefacti, (& in candelam exiguam compacti,) vel copioſioribus carbonibus, aliisve additamentis

in py-

in pyrobolis dilatatioris conſumebatur; reliquis paulò copioſioribus. Libra verò una hujus nitri, cum capitis mortui aluminis duplo, citra aquæ in receptaculum acceſſum, deſtillationi ſubjecta, dedit præter propter uncias 17. conveniente ſic quidem ſpiritus è nitro communi, eadem ratione deſtillati pondere, non autem vigore; utpote qui erat remiſſior, & aquæ forti debiliori vel à croco metallorum abſtracto compar. Prior ſanè rubedo haud adeò apparuit, ut recipiens viſum eſt tantummodò, ac ſi ex obſcuriori maſſâ fuiſſet conflatum. Poſterior verò erat, admodum & ut in vulgari deſtillatione ſolet, intenſa. Cum argillâ idem labor inſtitutus præbuit (ceu commune quoque præter propter ſolet) uncias quatuordecim & drachmas ferè quinque, at pariter deficiente proportionaliter requiſito robore; primoque rubore remiſſiſſimo: Capite mortuo de cætero utrobique à vulgari earundem deſtillationum, haud adeò guſtantibus ſolventibusque diſtante. Lanuginoſum autem uti pariter indifferenter, ad lateritia arenoſaque effloreſcit; ita calcis quoque vel æquivalentis cujusdam frequentiora quàm urinæ exhibet indicia; guſtu magis infrigidans quàm urinoſius illud cruſtuoſum, ſali prunellæ moderatiori quaſi æmulum. Nec per acceſſionem particularum ſemet quaſi protendendo, admodum hic locorum augeri viſum eſt; poſtliminiò forſan humidiore aëre aliterve conſumptum. Unde cum ſufficiens deſtillationi quantitas difficiliùs conquiri poſſet, in pyrium pulverem, quod ſuppeditabat, redactum eſt, lentiori quidem pariter at lucidiori flammâ, parcioribusque recrementis conflagrantem. Atque hæc per vices in iſto ſalis petræ genere obſervavimus; ſi fortè obſcuriſſimæ nitroſitati, quid & unde ſit, declarandæ conferre poſſent quidpiam: præſertim ſi reliqua ex affinibus aliisque ſpeciebus petita Phœnomena adjungantur. Materiale ſane ſeu corpus iſtius ſeorſim & quaſi in abſtracto, minori forſan difficultate concipimus; dum v. g. deſtillati vel cum carbonibus, tartaro, antimonio, jove &c. detonati nitri reſiduum, ceu mortificatum (niſi quod quædam inibi diſperſæ, denuò tamen per additamenta ſeparabiles, fortaſſis etiam ſui ſic multiplicativæ particulæ remaneant,) intuemur: aut artificio hinc reproducti modum, pridem quidem per præcipitationes & alcalium nitratorum confectiones notum, intereà nihilominus à nitro uſuali tam ponderis ſaporisque ſupereminentis, quã pronitatis in deliquium, facultatis expreſſe & in parva doſi ſudoriferæ, denigrationis vaſorum metallicorum, &c, reſpectu adhuc aliquousque (ob inæqualẽ ſubactionẽ;

aut actuantis principii majus acumen) differentem perpendimus; aut quomodo ſpiritibus nitroſis figulino vaſi infuſis, vel ab ipſo communi ſale abſtractis pariter nitrum quoddam prodeat: & inde ſimile quidpiam ſali terræ calci communi ac ſubterraneæ, parietinis, lateritiisque ſtruibus, immò aliorum quoque ſaxorum ſuperficiebus, per diverſam extraneorum activitatem accommodatis; ipſisque vegetabilibus, præcipuè amaricantibus, ac animalium quibusdam partibus & excrementis (circa ſalino-ſulphureas eorum particulas) contingere colligimus. At verò quomodo hæc vel à quo hæc omnia, etiam ad ſenſum ſæpè minus diſpoſita animentur, ſeu nitrificentur, id profectò adhuc dum comprehenſu videtur difficillimum. Eleganter quidem, & aliorum ſalinorum exemplo hoc quicquid eſt, in certa particularum nitri modificatione vel configuratione quaſi mathematicâ conſiſtere ponitur: viderique forſan per certas deductiones queat, talismodi conformationi vel ſolam ætheris inapplicabiles particulas actionem ſufficere, citra ſalinæ hinc ſubſtantiæ cujusdam acceſſum: ceu domi quoque in chimicis ac naturalibus digeſtionibus, aqueam oleoſitatem, & hanc naturam ſalinam induere cernimus. Sed enim an ſpecialiſſimum hoc ſuppoſitum etiam conſiſtere queat cum ſingulariori illâ nitroſitatis ſeparabilitate, dubitare forſitan nonnihil poſſent, qui per vulgatiores quoque obſervationes eam, tanquam rem quaſi penitus extraneam, à nitro ipſo (etiam refinatiſſimo, nativo æquè ac artificialiori,) relicto ſuo, quod induerat ſubquadruplâ, ſubtriplâ, vel etiam dimidii proportione (pro puritatis laborumve ratione,) corpore, (pro nunc quaſi enecto) ita ſeparari poſſe putabunt, ut in liquidâ quoque conſiſtentia, manifeſtaque aciditate, evidenter nec tantùm concentrationis ſpiritus vitrioli ſalisve vel reguli antim. aut amalgamatis Jovialis cum ſublimato mixti, ſimiliumve more ſimpliciter excandeſcat; ſed ipſius nitri inſtar, ſeu planè nitriformiter deflagret: modò ſibi externum & competens, quantumcunque tandem ſuſcitabulum ſulphureum ſimplex aut ſalinis quibusdam particulis ſociatum invenerint: ceu miſſis bezoarticis mineralibus, aliisque martis & antimonii ſolutionibus, ſaltem vulgaris illa rectificati ſpiritus vini, item ſubtiliores reſiniferorum quorundam olei cum nitri ſpiritu mixtura, ac Magiſterii C. C. & conſimilium confectio (ſi modus in abſtractione ſpiritus nitri paulùm excedatur) teſtari queunt. Nec enim ſalinæ

ſolitariæ

ſolitariæ (utut oleoſis complicatæ vel cognatæ) forſitan iis ſufficerent, qui florum ammoniac. verè urinoſorum & ſpiritu nitri ſaturatorum coagulum, prunis quoque injectum, planè non accendi eosdem porrò flores liquato nitro ſucceſſivè injectos, ebullire quidem, ac cum denſo aq. reg. vapore ſtridere, non tamen niſi pruna ſuperadditâ totum hinc nitriformiter deflagrare vident: Dum interea Excellentiſſ. D. D. *Wedelii* experimento, ingeſto ammoniaco ipſo (ni ad configurationis diverſitatem abſtruſioremve cauſam redeamus,) forſan propter latitantis hic ſulphureitatis vegetabilis & animalis particulam, nitrum fluens quaſi ſulphuris grumo promptè accendatur, & ſucceſſiva repetitione tandem, præcipuè prunâ in fine jucundo ſpectaculo adjectâ, in alcali (priori tamen viridanti mitiùs,) tranſeat. His proin in medio relictis, (ex alio nunc ſuppoſito) paulò quidem explicatior fieri videtur illa nitri formalitas, per vegetabilis acetoſitatis (utpote jam inter ortum ſuum, ac per deſtillationem poſtmodum, ſulphureitati cuidam complicatæ, de cætero nil minus quàm vitriolicæ) naturam & applicationem: dum non ſolùm aceti (affiniumque ei) acidorum è lignis, præſertim durioribus, &c. vegetabilibus, per retortam deſtillatorum ſpirituum (in modo ſolutionis aliiſque effectibus,) magna eſt cum nitri ſpiritu conformitas; verùm etiam alcalia iſtis ſaturata, poſt ſpontaneum deliquium paulò diutiùs maturata, nitriformiter quadantenus (æquè ac amaricantium vegetabilium eſſentialia ſalia ſpiculi formia, integraque iſtiusmodi extracta) cremari cernuntur: ſiquidem nitroſum poſt ſulphuris aurati, præcipitationem & liquoris exhalationem, proveniens coagulum, ob reſtantis integri adhuc nitri particulas ſuſpectum adhuc, nec immeritò fuerit. Eo ipſo tamen relinquitur permagna nihilominus inter ea differentia, ut licet nitri quoddam rudimentum, aut alteram fortè partem formalitatis ejus inde conceperit quiſpiam, abſolutè tamen vel liberiùs nec dum queat de iis dicere: magis & minus non variare ſpeciem: quin potiùs nitroſitatem ipſam non in, ſed tantùm cum hujusmodi analogica acetoſitate conſiſtere: præſertim cum ſingulariorem ſaporis, odoris, eminentisque activitatis conditionem intuetur, quæ procul dubio tertio adhuc cuidam, ſeu ſublimiori illi rubori ſalino ſulphureo, tanquam totius coaguli animæ debentur. Separabilis autem ſuo modo is quidem eſt ſimiliter & oleoſa competentia haut ægrè amplectitur, peculiariter tingit, vul-

gatioribus etiam experimentis; & poſterior quoque (ceu in deſtillatione duplex prodit,) quamvis priori, (ſubtiliori an immaturiori?) ſeparato, cum conveniente ſubjecto nihilominus deflagrat: uti murarium hoc nitrum & magiſterium C. C, poſt iſtius abſtractionem oppidò adhuc cremabile, immò bacillus ſaltem fervente hoc liquamine accenſus oſtendit, & quæ inſuper ſunt alia circa prædictam ſulphureitatem phœnomena. Qualis autem intereà in ſeipſa & unde ſit, obſcuritati præcedentibus æquè non minori adhuc dum complicatum remanet. Nam qui totam hodiè nitroſitatem ſeorſim ex aëreo ſale deducunt, & in ſententiæ demonſtrationẽ oppidò habent non ſolùm murarium noſtrum nitrum, (qualicunque ejus defectu facilè per imperfectiorem ſubactionem, tempeſtatum conſumptionem, acceſſoriorumve impedimentum excuſabili,) ſed etiam in aliis ſalinis ex aëre concrementis partem aliquam ſulphuream interdum ſatis tingentem: nitriformem talium inter ſuas ſublimationes aliasve tractationes concretionem haut infrequentem &c. Fortaſſe tamen nihilominus ſic nitri tantùm ſpeciem quandam proponunt potiùs, aut nitroſitatem jam conſtitutam, quàm conſtituendam, ſeu duobus requiſitis ſuis complendam: ni per ſingulariorem atmoſphæræ radiorumque communicationem ſive concurſum; indeque graviora ingravidaque ſpecialiter Alcalia, forſan etiam per meteororum igneorum producta &c. aliqualis his, præcipuè verò uſitatæ aſſertioni, (nitrum eſſe aërem coagulatum) accedat dilucidatio, non tamen à parili propterea inter ſe complicatione ac nitreſcentiâ (dum aliàs inferius ſicut ſuperius, & nitro omnia plena eſſe dicuntur) excluſis ſubterraneis ejus generis particulis. Etenim qui ſpecialiorem ſalis aërei cum profundiſſimis terræ ſtratis concurſum, (in eâ centralis ſalis præſentiâ & proclivitate) cum ſublimiori penitùs hoc in negotio magnetiſmo necdum adeò comprehendunt; Concrementa illa, etiam rorida & pluvialia, ſimpliciora nilque paſſa, frequentiùs ferè à cubica quàm ſtiriarum hexagonaque forma concreſcere; & cum ſulphure ſuo, [æquè ac ſalina inter Veneris Martiſque mineras nonnullibi coagula, & per horum ſpiritus parata è mineris vitriola] ardere quidem, non verò nitri more ſemper deflagrare vident; In ſalis tartari [dum nitri Fixi alia eſt ratio] ſpontaneis deliquiis aquam quidem copioſam, at nitri concrementi quid haud adeò promptè, ex adverſo autem eadem Alcalia per domeſticum quoque ignem (ſi aliqua

ſic

ſic ponitur diſparitas,) pariter graviora, interdum inuper (ſuſcitatis, ſaturatis vel inverſis aliis ſulphureis quoque particulis) ingravidata, quaſi deprehendunt; matriculam (citra cujus acceſſum aliæ calcis, ſalis & urinæ miſcellæ plerumque infidæ vel parciores ſunt,)in profundis etiam poſtliminiò ſaturari nôrunt, &c. Aëreis contentis totum nitri conceptum ſeorſim vix deferent; primævæ creationis deſtinatione ſeminalive (hinc, alitervè) principio, vel alia aquei elementi (variè per ætheris etiam, ſeu primi elementi longè ſimpliciorem communicationem ſubacti, expanſi, concentrati, maturative,) modificatione (ceu peculiaris quoque ſubjecti nitri murarii diſpoſitio, pro indifferentis aliàs aëris concurſu debet concipi,) tantiſper, etiam circa ſolitaria ſubterranea contenti, donec penitùs illa acetoſi ſulphureique complicatio per ulteriora experimenta explanetur. Eleuſis enim hic quoque ſervat, ſervabitque forſan, quod oſtendat reviſentibus: utut analyſis & imitatio chymica plurimum undiquaque detexerint. D. Rauvvolfius, Med. Auguſt. ſuperiori ſeculo jam retulit in Itinerar. Mahumedanos, ſibi peculiare, ſed debilius parare nitrum, è ſucco ſalicis (Arabicè Garb dictæ) foliis inciſis (unde fortè Plinius è quercu uſtâ nitrum factum dixerit) & extremitatibus ramorum foliiſque combuſtis & elixiviatis, in ſal coagulando. An iſtud fortè refinationis gratiâ pro more inſtitutum eſt, an modò à Glaubero ſuperioribus luſtris promiſſo? peregrinantium curioſiores hæc definiverint: quemadmodum etiam nitrum verè Niliacum: ſiquidem rem (etiam circa rorem decidentem) aliter, ac ſuperioribus annis quidam voluerunt, ſe habere in recentiſſima regni magni Mogolis deſcriptione curioſiſſimus D.F. Bernier retulit.]

OBSERVATIO CCIV.

D. DANIELIS LUDOVICI

SPECULUM EX ORICHALCO SINGULARE.

COmmunicabatur ab extero, faciliores ſpecula metallica conficiendi modos aliquando pertentantibus ſequens proceſſus, an inter curioſiora catoptrica alicubi deſcriptus, equidem neſcimus: ſi non, perire noluimus. Eſt autem talis. Laminæ ex aurichalco puriſſimæ, omninò lituris deſtitutæ, ſuper prunas parum calefactæ quidpiam de infra notato liquore(technico aliàs vocabulo Quickwaſſer) illinatur; & hinc amalgama ex Mercurii vivi p.j. & ſtanni Angli-

ci (uti puriſſimum hic vocant) p. ij. paratum, probè per horam cum aluta æqualiter undequaque ac fortiter affricando, donec exactè candicet.

Hanc poſtmodùm æquabiliter expanſis prunis impone, tamdiu præter propter, donec alius in conclavi moderatè deambulans, 60. paſſus ſine interruptione confecerit ſeu numerarit; quo mercurius ſaltem avolet, lamina verò undique æqualiterque quodammodo quaſi rubeat. Refrigerata expoliatur ſubtiliſſimo alutæ inſperſo ſmiride; æqualiſſimas, ceu decet, lineas ducendo, non circumgyrando, nec tamen diutiùs, ne ſtanum ſuperficietenus quaſi abſorptum iterum extergeatur. Unde Tripolitanam terram mallem. Inſtitutum Sereniſſimi juſſu experimentum ſucceſſit in plana lamina; ſed candor erat ferè nimius, ut dum Antimonium huc forſan minus quadrat, pro repetitione plumbi particulam jovi adjecerimus. Diſtractæ poſtmodum ſunt laminæ, ut de duratione polituræ non habeam, quod referam. Aquæ verò hæc erat deſcriptio. ℞. aceti acerr. uncias duodecim, ſal. ammoniac. & (qui forſitan tamen abeſſe poſſet) Mercurii vivi ā ā unciam unam ſemis: coq. ad tertiæ partis conſumptionem.

OBSERVATIO CCV.

D. DANIELIS LUDOVICI

DE

MOSCHI FOLLICULIS.

CUm poſt religioſorum æquè ac aliarum profeſſionum recentiores etiam relationes, dubia quædam nihilominus ſuperſint, aut inde, ab iis præſertim, quibus inquirendi hîc non datur copia, moveri queant; relatu forſan his non ingratum fore duxi, quid circa iſtos ſuperiori anno, inter alias Legatis Magni Moſchoviæ Imperatoris Sereniſſimis hic oblata donaria, cum ſeparandi moſchi cauſa pleroſq; aperirem, obſervarim. Fruſta videbantur è piloſa capreoli pelle exciſa; rotunda, ſed inæqualiter; imperiali vel roſâ Anglicâ aliquanto quædam majora; quædam paria, raro minora. Extus ſub pilis elevata magis ſive convexiora; (licet ſine omni notabiliori, multo minus umbilicum, teſtes, glandulasve excretorias exprimente protuberantiâ,) in adversâ verò ſuperficie modò quadantenus introcedentia, modò ferè plana: de cætero inter ſe utplurimum admodum compreſſa, ut quidpiam

piam ſubtus contineri dubitarent quidam primitùs. Sub eâ tamen duplicaturâ, ſeu extima piloſâque cute (obſcurioris coloris) ſubtensâque ei ſeu adnatâ tenuiori pelliculâ, (albente, vix notabiliter livente) ceu in exiguâ oſtreâ vel conchula hærebat, inſtar ſiccioris & (ob aſſervationis rationem) ferè friabilis paſtæ Moſchorum, à drachmis duabus ſemis ad drachmas quatuor ſemis in ſingulis; ſi quem vidi fragrantiſſimus: ut largiſſima undiquaque additamenta in venalis optimo quoque facilè conceperimus. Offerebatur hic aliquando à vagabundo Myropolâ, ſpiritu ſalis ammoniaci deſuper conſperſus, ſicque nares ſatis nec ingrato odore feriens, donec dolus (à tralatitia ſeceſſuum fortificatione procul dubio profectus) ſentiretur. Quod autem ulterius folliculorum noſtrorum conformationem attinet, nil inibi deprehendere potuimus factitii, nullam ligaturæ (in eâ depreſſione aliàs vix concipiendæ) nullamque extrinſecus adactæ,(etiam genuinæ & vel è ſtillantis vomicæ affrictu corraſæ) materiæ notam.

Nec ullibi porrò nativi cujuſdam (communicantis aut excretorii) ductus, glanduloſæve (adhærentis vel implicitæ) carnoſitatis ,(teſticulorum vel peculiaris receptaculi indicinæ) veſtigium, ceu ſupra diximus; nullam demum cum umbilicali capreoli prominentia conformitatem. In pelle, quæ in Magnifici Cameræ Duc. Sax. Directoris D.D. Ludolfi Rarithecio adſervatur, hæc (uti in domeſticis quoque noſtris interdum videmus,) ſatis prominet, rotunda, ac nuciſtam majorem æquans vel ſuperans, cum manifeſtis coalituræ umbilicalis, ſed citra aperturã quandam notis; de cætero Excellentiſſ. D.D. Bartholini delineationi in actis Hafnienſibus apprimè reſpondens; intus autem adhuc manifeſtiùs, antiqui meatus coalitum inter corrugationes quasdam oſtendens, cum adhærente funiculi umbilicalis particulâ. Confricta Moſchum evidenter olet; & per compreſſionem collecta (ceu in nodulo quodam) ſubſtantia ſatis deprehenditur, supernâ (ſub pilis) parte durior & in fruſtula fortè diffracta, infernâ verò (verſus abdomen) adacto cultello & extractâ particulâ, mollior adhuc, & (poſt plurium annorum tamen aſſervationem,) inſtar ſpiſſi ceruminis, ſed in quo ſimplicem moſchi odorem non advertas; verum cum graveolentia quadam ad hircúm declinante, vel (ut aliter quoque exprimamus,) botryn, aut recentes cervorum in Canthis ſordes referente, adeoque in gratia medium. An ſemper ita ſe habeat, an verò immaturitas ſexusve (de quo non conſtat) vel aliud in cauſa ſit, ignoramus. Procul dubio autem dicta hæc, ut

& re-

& regionum inſuper diverſitas, ſpontaneaque depilatio, in pilorum quoque colore diverſitatem faciunt: hi enim quaſi lutræ ſunt, ſed triplo longiores. Interea nodus ille, quemadmodum & alii inſtar marſupioli conſtricti (ceu nauta nobis talem, moſcho non penitus rejiculo repletum aliquando venundedit) totâ facie à compreſſis noſtris folliculis differunt: & ut capreoli iſtius omnia ferè moſchum oleant, aut ſanguis tantum, ſerumve, ipſæque pelles (licet noſtræ hîc exemplo, magis forinſecum eſſe putârim:) ut porrò varii ſint colligendi modi; pro genuinâ tamen ſelectioris hujus (ſub folliculorum forma) coaguli explicatione, ſi quid determinandum foret, in eorum ſimiliter deſcenderem ſententiam, qui fuſtibus dedolari beſtiam ajunt, & collectum ſub cute cruorem, tandem ejuſmodi odorem induere; exſcindendum poſtmodo (forſan etiam ſine præviâ ligatura) cum indurato vel circumcirca ſeparato corio. Exemplum talium collectionum oves, vituli boveſque ſæpenumero poſt jugulationem detractâ cute, in ſuperficie exhibent, à lanionibus ante ſe agentibus ſeverius fuſtigati: induti verò vel explicati odoris, Zybethæ melioratio, ipſaque martis ita dicti excrementa: ut graveolentia, in carnibus quoque adverſiora ſæpè prætercam, causâ hujusmodi mutationum nondum ſatis planâ. vid. Addenda A° IX. & X. obs. 38. p. 107.

OBSERVATIO CCVI.

D. DANIELIS LUDOVICI

DE

TINCTURA BEZOARDICA PARABILIORE ET SUDORIFERO MAXIMO D. P. I. FABRI COMPENDIOSIORE.

Jutzung

Efficax equidem eſt remedium; & alterum præ Bezoartico Joviali, antihecticoPoterii dicto, ac ſimilibus in hoc genere ſimul magis ſuum ſeu joviale. Sed cùm Bezoartica tinctura hic locorum ita innotuerit, ut vulgus etiam indifferenter eam loquatur ac internoſcat; odor porrò genuini ſpiritus Tartari, etiam (cũ conſervatione tamen virium) rectificati paſſim ita vix queat ſupprimi, ne delicatioribus inibi negotium quandoque faceſſat; ut proin & hi acceptiorem, ego verò in quotidianâ Praxi peculiariorem, nec cujuſvis judicio patentem haberem formulam, hactenus per annos aliquot ſequenti in omnibus malignis præ-

præſtantiſſimâ, viribus cum tartariſatâ iiſdem, ſæpè vegetioribus, odore ob prævalentem theriacalem ſpiritum, longè minus gravi, parabiliori prætereà, ſi difficultatem veri ſpiritûs tartari cogitamus, uſus ſum; quam cum alicubi (licet nil novi ſecretique contineat) deſideraretur, publico conſimiles forſan in uſûs communicare volui. Recipit autem ſpir. theriacalis, per infuſionem tantùm, cum octuplo ſpir. V. rectificatioris, è theriacâ, (cum dicti ſpiritûs dimidio melliginem primò, hinc poſt decantationem reſiduum per alterum dimidium extrahendo,) vel etiam è ſpeciebus theriacalibus, (ab aliis hoc fine deſignatis (parati uncias decem: ſpiritus ſalis ammoniaci urinoſi, ſuper ſalis tartari, vel potius tartari ac nitri invicem detonatorum alcali dilutum deſtillati, (ut è librâ unâ ſalis ammoniaci, ſpiritus etiam libra una habeatur,) uncias octo vel novem; & ſpiritus vitrioli ſubtilioris ſive roridi uncias duas, vel pro præcedentis proportione, ſaltem una, ut mixturæ conjunctim ℥xx. exeant: eſſentia papav. erat facile tingendæ. Circa ſudoriferum verò maximum, cum ſub primum publicatorum famigeratiſſimi laborioſiſſimique iſtius Chimiatri operum tentamen obſervarim, omitti quædam circa apparatum nonnullibi, rectificationes repetitas, &c. poſſe, citra ullam remedii profectò elegantis deteriorationem: Laborum proin compendium iſtud, ſaltem incipientium causâ hic deſignare placuit, præſertim cum liber ipſe non in omnium ſit manibus: ab aliis autem aut commendetur tantùm, aut conciſiùs ſolummodò deſcribatur proceſſus. Recipit autem amalgamatis è Mercurii vivi (vel à ſimili labore reſidui, Joveque ex parte jam ſaturati) & ſtanni puriſſimi (quod Anglici nomine venit) ana confecti, v.g. libram unam: probè contrito exactè permiſceatur Mercurii ſublim. ſeorſim pulverati etiam libra una; indatur mixtura retortæ vitreæ mediocri, (cujus collum ſi cochleari uno alterove aquæ ſ. detergere tentes, incaleſcet maſſa, ac ſponte guttæ quædam prodibunt, brevi tamen poſt ceſſante fervore:) appoſito mediocri quovis vitro, libram ſemis aquæ ſ. continente, roſtroque veſica tantùm juncto, deſtillatur igne arenæ mediocri, horæ ſpatio, liquor acidiſſimus, ceſſando ſtatim, cum materia quædam alba butyroſa apparere inceperit. Aliàs enim cum eâ & ſubſequa gryſea materia, Mercurii vivi granula fruſtra adſcendunt, & quod in retortâ remanet, nimium fortè patitur, deſuper nigreſcens, dum aliàs albet. Affundatur is liquor (qui utplurimum ℥xß. ſin verò aqua recipienti non fuerit indita, tum ſaltem ℥ijß ponderat,) dicto in retorta reſiduo ſeu amalgamati ſplendidiſſimo;

Oo cale-

calefiant in balneo vel arena probe omnia, & poſt repetitas agitationes, jove ſic ſaturatus liquor calidè per madefactam prius emporeticam (ſed duplicem, aliàs rumpitur,) filtretur, ut vini inſtar clarus (remanente in retorta amalgamatis parte, in filtro verò cum materia, gryſea particulâ Mercurio vivo ſed jove imprægnato, ad unam alteramve unciam) tranſeat; quod charta abſorpſit, ſimiliter uncia una vel una ſemis aquæ ſ. eluendo.

Tranſcolatus ita citra aliam rectificationem novæ retortæ vitreæ, mediocri ſaltim indatur cum nitri purificati tribus unciis, & vitro quodam ampliori veſicis juncto deſtilletur 5. vel 6. horarum ſpatio; primo mediocri igne quaſi phlegma, hinc ſpiritus rubens; fortificato denuò albicans liquor, ac demum (ut in ejuſmodi nitratis fit) obſcurè rubens; continuando, donec planè nil exeat amplius: quo materia alba, tantùm terrea, non verò bullis ſalinis interſperſa aut fiſtuloſa (ſolubilis adhuc in aqua ſ. & per oleum Tartari quidem, ſed minuto candore, remiſſiorique fere diaphoriſi præcipitanda) remaneat. Edulcoretur pulvis, copioſiori aquâ unâ vice, quo totus ſubſideat, ſuperinfusâ eritq; præter propter ℥iij & ʒij vel iij ſpiritus, (ſalis compoſito congener) ℥xxv vel xxvi. Et ſi de nitro nimium poſt finitam deſtillationem reſtare, per particulæ probationem videbitur, diffracta retorta maſsâ prius crucibulo vel tegulæ communi imponi reſiduumq; ſubjecto validiori igne diſpelli poterit; quàm edulcetur.

OBSERVATIO CCVII.

D. DANIELIS LUDOVICI

DE

INNOXIA OPIATORUM CONTINUATIONE.

QUam timidi nonnunquam, ſpectatiores quoque Practici, ſuperioribus abhinc luſtris circa opiatorum exhibitionem fuerint, paulò provectiores probè adhuc dum nôrunt. Donec procul dubio antiquorum (utinam inter methodica quædam enchiridia, haud adeò nunc neglectorum,) attentiori lectione, exterorumque exemplis confirmatiores quidam amplius quidpiam nec infeliciter, ſed tamen incognitò quaſi, ſub aliarum inſcriptionum tincturis, pulviſculis &c. audere inciperent. Obſervavimus hinc facilè, etiam horum doſin, per aſſuetudinem, (ceu in tabaci fumigationibus, ſpiritûs vini abuſibus, &c, vulgatioribus quoque,) ſenſim aſcendendo noſtratibus

ſimi-

ſimiliter intendi poſſe admodum: ſartorique cuidam Italo quondam, totum tunc quadriennium inſomne noctes tantùm clauſis oculis tranſigenti poſt fruſtranea, etiam empirica omnia) ipſum laudanum hinc ſucceſſivè ad drachmam ſemis, largiuſque tandem (ſine noxa, ſed quoque ſine levamine) dediſſe meminimus; donec miſer, ſemel ſolùm poſt ſp. ſal. ammoniaci (melancholiæ turbulentiori aliàs hîc non incongrui) doſin aliquantum nec amplius conquiniſcere viſus, (puellæ veneficio totum adſcribens,) eodem ſtatu poſt biennium demum conſumptiſſimus obierit. Non potuere verò non paulò attentiores eadem procedendi methodo ſimiliter deprehendere, quod etiam opiata illa perdiu ſecuriſſiméque, præſertim ſub moderatiori doſi continuari queant; multò plurimorum deſperatorum, vitam hinc nihilominus per complures adhuc annos ſuſtentantium, aut lentè tandē ſemet recolligentium commodo. Nec enim de una ſaltem alterave ſeptimana loquimur, licet nihil iis ferè tum ſit præſentius in deſtillationibus, acrioribus præcipuè, tuſſi, raucedine, inquietudine hypochondriacorum, rupti apoſtematis, præſertim pectoris decurſu, fluoribus etiam malignis (ceu in dyſenteria nuper noſtra anodynum cum bezoarticis variè copulatum, primum, ſecundum ac tertium erat;) torminibus porrò inteſtinalibus & hyſtericis &c. duos per vices cives hic aliquando reſtituimus, diarrhœâ nocturnâ tantùm, modò cruenti, modò chyloſi quidpiam, (reſeratis tamen potius vaſorum orificiis, quàm ipſis inteſtinis exulceratis) ſecum vehente, perdiu enervatos, variiſque ſed incaſſum hinc inde tentatos; noctu ſolùm anodynum ſimplex vel convenientibus alteratum per trimeſtre ferè, intercalaribus haud adeò frequentibus continuando; manè verò alternatim præcipitantia (ſic dicta,) ſola, vel cum antimonio martiali (in diſſert. pharmaceut. deſcripto,) ſociata, aut arcanum vitrioli interponendo. Phthiſicos deſperatos iſta acciſorum opiatorum continuatione, ſub debitâ tamen diætâ, expectorantiumque vel attemperantium alternatione, per annum non unum, ſed complures ſatis hinc commodè ſervatos, allegare ſupervacaneum eſt. In aliis etiam complicatioribus quibuſdam aut conclamatis affectibus, ſi non integra reſtitutio, ſolamen tamen inde (cum nullum aliud ſupereſſet, perfrequenter extitit, ſæpè per 3. 4. 6. ve annos evidentiſſimum, ſecuriſſimum. Ceu nobiliſſima quædam Matrona, cui, ob neglectam exulcerationem inteſtinum rectum in uteri cervicem, & vice verſâ patebat, perdiu ſic ſuſtenta eſt: & olim alius, cui calculus ſuperveniente (inter continuum teneſmum) inflam-

matione, dictum inteſtinum ſimiliter perforarat. Inhibita ita per plures annos imminens tenerioribus hæmoptyſis; continuantia uterini cruoris ſtillicidia, (licet ſuâ de causâ, æquè ac hæmorrhoidum fluores, rarò ſolis opiatis cedant, dum tamen ſubitæ exceſſivæque poſt ſuppreſſiones, aut in puerperiis hæmorrhagiæ cedunt,) tandem fruſtraneis omnibus incurabilia habita, modificata ea ratione ſæpiùs, & veræ inteſtinorum exulcerationes, (quæ, quid dyſenteria proprie dicta in ſe ſit, & quod non cauſa ejus, ſed demum productum ſaltem, utplurimum immedicabile ſiat, oſtendunt:) inter traumaticorum acceſſum ſic tandem percuratæ ſunt &c. quæ non in abuſus, ſed incipientium timidiuſculorum causâ afferimus. In ipſa prophylaxi quid aliud egerunt ſuperiorum ſeculorum Imperatores, ſuo theriacæ continuato uſu, (dum v.g. opii granum in quatuor ejus ſcrupulis expendimus,) quam ſi hodie tincturæ anodynæ partem nec exiguam, cum Bezoartico quodam quaſi quotidiè ſumerent. Notoriam Indorum aſſuetudinem allegare nolumus. eâ ipsâ tamen conſtat, (quod alibi quoque monuimus) haud adeo ſemper opus eſſe ſingulariori opiatorum ſelectu, modò cum debitâ circumſpectione dentur. Nec tamen proin, vel ob Gregariorum tolerantiam, glandes eſſe velim repertis frugibus; obſervavique tenerioribus ferè fieri blandiora, ſi croco ſociata, vel mitioribus acidulata fuerint. Odoris gravitas iſtis tùm adverſior, ſive per abſtractionem, moderatam toſtionem aut fermentationem cedat ferè perinde eſſe crediderim: ſiquidem elegantiſſimi (quem Holſatiæ Decus, Excellentiſſ. D. D. Langelot, eruditis nunc communem eſſe voluit, modi benignitas conſiſtere videtur non ſolùm in iſtius, equidem ob fermentale Gas, (benigniorum quoque potulentorum fermentantium more,) caput penetrantius ferientis ſeparatione: ſed inſuper etiam, præter opii participationem planè parciorem, ſi ſimplicis extracti proventum & reliquias, cum hiſce, detracto quoque adhærente cydoniorum, aliorumve æquivalentium hic fermentantium ſuccorum parte conferas, facilè deprehendendam;) in peculiari quâdam ſolubiliorum particularum modificatione, vel qualicunque infractione, aut ſi quid ſignificantiùs fuerit, quo alterationem in remanentiis fermentatorum liquorum vegetabilium perceptibilem, & in theriacâ manifeſtam prius, poſt mediocrem verò, vel (etiam citra omnem expirationem tranſigendam) intumeſcentiam fermentalem, adeò ſopitam vim ſoporiferam exprimere poterimus. Pertinet autem ad ejus-

cemo-

cemodi liquores, etiam Zvvelferi (per præcipitationem cum ſale tartari) proceſſus; ſeparatâ ſic opii parte, (ni nimiis edulcorationibus iterum ſolvatur,) ſub proportionali doſi ſimiliter moderatior. Reliqui opiata in invertentes, cinnabarinos, aliosve ſpecificos pulveres dilatandi vel occultandi modi, (dum pilularis forma vulgò nimis penè nunc innotuit,) aliunde quidem conſtant, cuncta verò abſolutiſſimè perſecutus eſt in Opiologia ſua Excellentiſſ. D. *Wedelius*. De cæterò per ejuscemodi continuationes nemini unquam mentem turbari vidimus. Sereniſſimam perſonam novimus, quæ quoties mage arduum quoddam negotium (animo aliàs laborioſiſſimo) ſuperare vellet, opiatum noctu nec ſine effectu ſumebat. Nec demum alvus continuò vel indifferenter hinc excidit officio; rariſſimè donec adſueſcat, pilulis aloëticis eccoproticiſve ſollicitanda. Id conſideratione dignum eſt, quod tenerioribus quibusdam (ætate provectioribus atque cholericis;) poſt aliquot dierum uſum, feces reddiderit albentes, quales ictericis eſſe ſolent, aut ſenibus interdum poſt purgans ſumptum: brevi verò ceſſante alteratione, exhibita tantùm tinctura Martis aperitiva tartariſata, vel conſimili. Sed prolixiora hæc, ſi licet, jocoſa quaſi obſervatione finiamus.

OBSERVATIO CCVIII.

D. DANIELIS LUDOVICI

De

SINGULARI GRAVIDÆ IMAGINATIONE & ROSTRO LEPORINO SINGULARI.

HOneſta fœmina, ſub geſtationis ferè finem, negotii expediundi cauſa, ad vicinam oſtio minus obſerato inviſens, tandem illam per cameræ rimam meridiari cum amico videt, non ſine riſu & joculari apprehenſione. Poſt tres præter propter ſeptimanas enititur puellam, cum vigilarèt, variè ſemet (ſed modo quem apud Martialem facilius quis legerit, quàm ego deſcripſero) moventem; ut cum annicula jam in ſella ſederet, etiam facies inde cum rubore nonnunquam intumeſceret. Primo torminibus parentes adſcripſerant, ſed cum poſtmodum minus verecundum viderent, ad me detulere annum tunc cum dimidio natam, uxori rem aperuit mater, nec per

 extan-

extantiora adhuc exempla abſonum id ratus ſum; curam verò pro talium more, aut nullam aut perdifficilem futuram. Nihilominus experiundi gratiâ, per 14. dies veſperi quidem quotidiè granum unum cinnabaris nat. mane guttas tres vel quatuor ſpiritus cephalici Hart. dedi: ſicque incompta illa motitatio evanuit. Sexennem autem Quartillam hanc Petronianam dyſenteria ſuſtuliſſe dicitur. Incidit hic in memoriam ſingularis & (inter ſimiles conceptu difficilior) puellæ, etiam in geſtationis demum fine, deturpatio, ante biennium obſervata. Eſt in vicinia ruſticus, (per inflictam à patre gravidæ matri alapam) roſtro leporino admodùm præ aliis deformis; ſiquidem palati ſ. cœli extremitas aliqua, cum ipſius maxillæ parte (quaſi exciſa) verſus nares ſurſum flexa iisque adnata eſt, cum myſtace & dentibus aliquot. Hunc (injunctum tegmen negligentem,) intuita ex improviſo, & exhorreſcens gravida quædam, poſt tres ſeptimanas puellam peperit, cætera perfectam, niſi quod ſimile penitus oſtentaret roſtrum. Cum autem fruſtum ipſum, quaſi per columellam quandam extremitati narium annatum, ac poſt dies aliquot, duos inciſorios, molliculos adhuc dentes utrinque protrudens, lactis ſuctionem penitus ſuppreſſo ſpiritu impediret, cochleari vero infuſum vegetiori infanti non ſufficeret, parentes quidvis tentare prius voluerunt, quam puella denegato alimento tandem fatiſceret; aut deforme malum amplius increſceret. Moniti de difficultate, præſertim ob palati anticam illam excavationem; non tamen deſtitere. Præcidit proin chirurgus noſter aulicus illam excreſcentiam, & actuali cauterio (non tamen planè candenti) leviter admoto hæmorrhagiam ſtatim compeſcuit, infante ne minimum quidem vagitum edente, ſed quaſi bene ſecum actum foret, ſtrenuè poſtmodum ſugente, & lac applicantibus ſe invicem labiorum extremitatibus (quorum unitionem convenientiora tempori reſervabat,) deglutiente, carne quoque glanduloſâ in palato, ad hiatus occluſionem ſemet protendere incipiente. Verum poſt 14. diem, citra externam hinc cauſam, dum hactenus benè valuiſſet, noctu ſubitò, & epilepticè aliterve, ſpes noſtra hæc occidit. Addamus huic, ſed feliciori eventu, aliam ante annos aliquot binis in quavis maxilla inciſoriis, ab ortu armatam. His ſibi linguam totaliter transfixerat, ut modico ſaltem utrinque ad latera cohæreret. Parentes ad tonſorem detulere, quo (ob deficientem ſuctionem ac nutritionem) aut dentes evelleret, aut linguæ illud fruſtum auferret. Interveniens illos ſuo loco relinquerent ſuaſi; (ſiquidem evulſos lacteam quandam materiam, & hinc lethales

convul-

convulſiones inſequi notum eſt:) vulnus autem ſolis oculis cancri inſperſis, ac per vices extracto pyrolæ ſaccharato illito, intra paucos dies (ceu plurimis aliis, per caſum, aliterve ſic læſis) perſanavimus. Provectioribus ætate inſperſum vitriolum albificatum ſimiliter confert.

OBSERVATIO CCIX.

D. DANIELIS LUDOVICI

DE

APOSTEMATE LINGUÆ.

VEnit ad me ſuperioribus annis juvenis, poſt inebriationem de faucibus, hinc linguâ admodùm conqueſtus, per ſextiduum. Tumebat illa enormiter, ut amplius eam nec exerere, nec ferè intus movere poſſet, digito ſaltem inter inconditam vocem malum indicans. Eminentiam quandam erupturientis ſuppurationis conſpicere, vel per ipſam denegatam oris aperturam non poteram; nec intenſior apparebat rubedo, in linguæ qualitercunque apparentis ſubſtantiâ, ut de reſolutione cogitarem: commodeque incidebat Rulando adeò commendatus ſpiritus ligni Heraclini. Dedi de Guajacino, quem leniter illineret, & cum in tempore, ſive perfectâ ſuppuratione veniſſem, poſt aliquot horas ruptum eſt, apoſtema pure non pauco, ingenti cum fœtore prodeunte; Et brevi per eſſent. roſar. ſcabioſæ, ac ſaniculæ ſaccharatam, inſperſoſque ſimiliter oculis canc. perſanata ſunt omnia.

OBSERVATIO CCX.

D. DANIELIS LUDOVICI

DE

PALPEBRARUM PARALYSI.

QUantâ hæc difficultate curetur, conſilia ſaltem apud D. D. Timæum Medicum celebratiſſimum oſtendunt. Obſervationem noſtram in caſu rariori hic adjunximus, ſi fortè ſimili circumſtantiâ conferre poſſet quidpiam. Mater puellæ decennis

nis caput Achoribus cruſtulisque ſcatens, unguento, neſcio quo, deſiccarat. At ſequente nocte, ceu alibi diſpnoëa, epiphora, epilepſia, ita hic peculiare iſtud malum ſupervenit, ut Japonenſem, aut à mediâ tartariâ quendam in ſolio ſuo quaſi verecundantem videre crederem. Purgantia univerſalia & capitis particularia, interna reſolventia, veſicatoria retro aures, externi cum aquis ac oleis nervinis litus, &c. fruſtranea erant omnia. Tandem incidit vis olei Tart. nigri, ſæpius in reſolutionibus æquè ac contuſionibus nervoſarum partium comperto: & applicatum eſt palpebris inferioris frontis parti, ad emplaſtri quaſi formam cum ceræ particulâ redactum; brevi evaneſcente malo, ut obtutu defixa in uno ſatis oculatam ſe teſtaretur.

ANA-

ANALECTA
AD
EPHEMERIDUM MEDICO-PHYSICARUM ANNOS PRÆCEDENTES PERTINENTIA.

CUm nonnulla ſint, quæ in prioribus annis harum Ephemeridum, vel prætermiſſa ſint, vel interea illuſtrationis cauſa acceſſerint, vel denique Typographi incuria ita expreſſa, ut alicubi textui, quà ſenſuum obſcuritatem, aut mendoſam Orthographiam, præſertim in linguis exoticis, impingant, ea hic annecti oportuit in tuam B.L. nec non ipſorum Dominorum Communicatorum gratiam.


AD
ANNI I.

OBSERVATIONEM XVII. pag. 71. Plura ibi exempla auri chymicè confecti, Excell. Dn. D.Sachſius à Levvenh. p.m.Fautor & Collega noſter deſideratiſſimus, collegerat, inter alia tamen illud, quod p. 71. §.7. ex Dn.D. Monconys itinerario adductum, & Dni de Schœnleben relatione confirmatum erat, non ſatis firmam fidem apud omnes invenit.

Inprimis quibus tempus, quo ipſi illi nummi aurei, Guſtavi Adolphi, Regis Suecorum, effigiem & nomen præ ſe ferentes excuſi ſunt, quia cum Chronologia id concordare non poſſet, de veritate relationis dubitandi anſam ſubminiſtravit; quandoquidem regem illum glorioſæ memoriæ, anno 1632. menſe Novembri in prælio Lützenſi lethali globulo confoſſum ſuccubuiſſe nemo eſt, qui neſciat; nummi verò aurei non alii, quam qui demum anno 1634. excuſi ſunt, inveniantur. Adde quod in relatione à Pharmacopœo Dn. de Monconys facta, nullum temporis exprimatur momentum, quando Rex Sueciæ Lubecam tranſierit

rit

rit, aut quando juſſerit ducatos excudi, &c. Sed hæc fortaſſe mitiùs interpretari poſſent; niſi ab aliis præterea, & inprimis à Dn. D. Mœllenbroccio obſervatum eſſet, jam duodecim annis ante, quam nummi aurei excuſi ſunt, monetam argenteam à civitate Erfordienſi excuſam inveniri, ubi eadem ſigna ☿ii & 🜍ris expreſſa ſunt. Ejus rei fidem, idem Fautor & Collega noſter honoratiſſimus, quo magis indubitatam redderet, talismodi groſſum argenteum gratiſſimo tranſmiſit dono, cujus iconem in gratiam benevoli Lectoris æri inciſam hîc apponere, meritò viſum eſt.



Idem Dn. D. Mœllenbroccius allegat teſtimonium ipſius Monetarii, nomine Weismantel, qui in colloquio coràm de hâc re habito faſſus eſt, ſe ſignis hiſce ☿ & ſulphuris pro ſymbolico charactere uti ſolere.

Hæc amore veritatis adduci debuerunt, ne Lectori ficta pro veris obtruſa dicantur, immò verò candorem eidem noſtrum probemus, ut certus ſit, in aliis quoque parem ſinceritatem Collectores Ephemeridum ſectaturos, nec unquam diſſimulaturos, ſi alicubi ipſis infidæ relationes impoſuerint.

(Adeoque ſignum 🜍 & ☿ii inditum eſt groſſis, hinc & thaleris & alius generis quibusdã monetis Erfordienſibus ceu nota probitatis. Fuere enim duo monetarii circa annum 1622. Ziegler & Weiſmantel, unde & in Thuringia præſertim, duorum generum viſuntur groſſi Erfordienſes, citra 🜍 & ☿ characterem, ac cum eodem, quorum illi minoris ſunt bonitatis, hi verò nach den alten Schrot und Korn / unde & aliquoties iſti devalvati fuerunt. *G. W. Wedelius.*)

AD

AD ANNI III.

OBSERVATIONEM I. Iſta D. Simonis Schultzii Obſervatio, de calculo ſub linguâ feliciter exciſo, in mentem revocat ſimilem quandam in parentis p. m. hiſtoriis medicis notatam, quam Patavio tunc temporis communicavit Vir Experientiſſimus, D. D. Joannes Guilielmus Hochſtadt, pòſt Phyſicus hujus civitatis ordinarius, & tandem Senator hujus Reipubl. optumus. Anno 1640. 2. Septembr. ſt. nov. Vir Cl. & Excell. D. D. Joannes Georgius Wirſung, Monachio-Bavarus, Practicus Patavinus, hunc lapillum heic depictum (cujus baſin verſus interiora litera A. apicem exteriora verſus litera B. figurâ ut hîc oblongâ, ſubſtantiâ Tartareâ, ſub linguâ cujuſdam mulierculæ Patavinæ infixum in dextrâ fræni parte acerbiſſimos cruciatûs cauſantem extraxit, ſicque miſeram à doloris acerbitate reddidit immunem.



D. Sebaſtianus Schefferus in literis ad D. Salom. Reiſelium, Francofurti menſe Martio Anni 1674.

(Conferri poteſt D. Petri Eſtanoï Obſ. 5. apud Riverium pag. 348.)

OBSERV. XXII. pag. 39. Quæ *Hæmorrhoidibus* in fœminis, amicus noſter, Dn. D. *Wedelius* Miſcellaneis curioſis inſeruit, memoriam refricant gemellarum aliquot hiſtoriarum, quarum bigam ſaltem addere placet. Hæmorrhoidibus cœcis tumentibus & ſummè dolorificis, quæ tandem etiam ſuppuratæ, cognata quædam mea ante decennium affligebatur; & hoc anno nobilis fœmina, gracilioris habitus, gibboſa, ad quinquageſimum vergens, deceſſit, quæ ante mortem mihi narravit, ſequovis plenilunio menſtrua, novilunio autem hæmorrhoidali fluxu laboraſſe, ſine notabili virium dejectione, cumque mater fuerit multorum liberorum, ingravidatione factâ, etiam cum menſtruis hæmorrhoides ceſſaſſe.

(L. Chriſtianus Fridericus Garmannus in literis anno 1674. Chemnitio ad Collectores Ephemeridum Vratislaviam.)

OBSERV. LII. & CCXL. pag. 86. & 432.

Quod de ſale Abſinthii & minerali Suecico, Celeberrimus D.D. Major proponit, ejuſmodi ſimilia in aliis rarioribus meis etiam colloco, qualia præcipuè ſunt ſalia ex Ægypto & Archiepiſcopatu Salisburgenſi. Salia aliàs elegātiſſimè deſcripſit magnus Naturæ ſcrutator D.D. Joannes Tackius, Sereniſſ. Haſſo-Darmbſtadinorum Principum Archiater, & Academiæ Ludovicianæ Profeſſor Primarius, Fautor ſummus, amicus optimus *Phaſid. ſophic. tripl.*

OBSERV. CXXXVII. pag. 246. Ad ollas fictiles in argillæ fodinis in Luſatiâ repertas, Dominus *Arnholdus de Bobart*, Scabinus civitatis Gedanenſis ſpectatiſſimus, vir eximiæ curioſitatis, curante Nobiliſſimo Dn. *Breynio*, fautore plurimâ obſervantiâ colendiſſimo, eximium auctarium ex Dlugoſſio & Cromero conferre dignatus eſt, pro quo benevolentiæ teſtimonio utrique hîc plurimæ rependendæ ſunt gratiæ. Verba citatorum autorum ſunt, quæ ſequuntur:

Dlugoſſius Tom. Rer. Polonicarum, p.m. 43.

In campis villæ Nochovv propè oppidum Srzem in Poſnanienſi Diæceſi, item in villa Kozielsko in diſtrictu Paluki, propè oppidum Lekno, univerſi generis ſponte, & ſolâ arte Naturæ, abſque omni humano adminiculo variarum formarum & iis ſimiles, quas humanus convictus habet in uſu, ſub terrâ naſcuntur ollæ, teneræ quidem & molles, dum conſiſtunt in nativo nido ſub glebâ, ſed dum fuerint extractæ, & vento aut ſole duratæ, ſatis firmæ, diverſis formis & quantitatibus compoſitæ, non ſecus, quàm artificio figuli effigiatæ, quarum, quod admirabiliùs reor, generatio augmentatioq; naturalis nunquam nota eſt, glebâ etiam non dehiſcente decreviſſe.

Cromerus de ſitu & gente Polona lib. 1.

Eſt in majore Poloniâ prope Sremum oppidum, collis, ubi (res incredibilis, ſed à multis confirmata) ollæ, amphoræ, cacabi, & aliarum figurarum vaſa fictilia ſponte naſcuntur, & ſub terrâ effodiuntur mollia, in aërem autem prolata dureſcunt. Vidi unum atque alterum, quod inde erutum eſſe dicebatur, rude nec ſatis benè conformatum.

OBSERV. CLXXVII. & CXC. pag. 332. & 354. Ad Cl. D. Henrici Scretæ à Zavorziz, obſervationem de gallo gallinaceo ova ponente, & D. Simonis Schultzii de ovo gallinaceo ſerpentifero reperio, quod proavus meus maternus Bechtoldus Weichman heic Francofurti ſimile

quid

quid annotaverit. Anno 1571. 25. *Aprilis, Gallus ætate provectior, in areâ domus meæ, quæ vocatur Greiffenſtein, ovum poſt doliolum ibidem poſitum excluſit, cujus teſta ſanguine plena loco albuminis, vitellus ad inſtar ſpermatis bufonum apparebat.* Et plurimum Reverendus & Ampliſſimus Dn. Philippus Jacobus Spenerus S.S. Theologiæ Doctor & Miniſterii noſtri Senior, mihi communicavit ſequens de ovo exemplum, quod Argentorati ante Annos 19. & quod excurrit (fortè 2. Aug. Ann. 1654.) in ædibus Dni Weſneri XXI Viri, gallinâ poſuit. *Gallina horâ matutinâ eodemq; tempore defectu ſolis exiſtente, ſuper tecto areæ pertranſiens, forte viderat Eclipſin, mox autem ovum pariebat, in cujus teſta repræſentabatur Eclipſis ipſa, quaſi ſigillo inciſo, & quemadmodum aliàs Eclipſes ſolitis depinguntur coloribus, dum imago Lunæ cum areâ, ſuperiore ex parte, ex inferiore autem Eclipſis poſita videbatur. Ovi albumen cum vitello, & forma erat more ſolito, ex incuriâ autem quum fractum eſſet, nullo modo depingi nec poſt agglutinationem tale quid in eo aſpici amplius potuit.* D. *Sebaſtian. Scheffer*us, *in literis ſuprà dictis ad D. Salom. Reiſelium.*

OBSERV. CCXLV. pag 436. Eſt planta quædam umbilifera, in aquoſis & paludoſis locis proveniens, quæ à Lobelio ſub nomine Sium alterum Oluſatri facie & à Jo. Bauhino ſub cicuta aquatica Gesneri, deſcribitur, cujus radix ab iis, & à plerisque Botanicis in hunc usque diem neglecta. Radix illa, colore partim viridi, partim purpureo, nonnunquam pede longior, brachium craſſa, ſemper geniculata, inferius & ad nodos multis fibris adnatis prædita; intrinſecus cava, ſed circa ſingula genicula numerentur. Putrefactâ hujus radicis carne, & aquâ alluente reſolutâ, reſidui geniculorum nodi (qui in latitudine circumcirca velut circuli clauduntur) & nervi (qui in longitudine ab uno geniculo ad aliud protenduntur) inſtar retis piſcatorii, & ſalignis viminibus contexti, ſe præſentant. Sicut à Dn. Cnœffelio in Ephemeridibus, Anni III. Obſerv. 245. ſignificanter ſunt expreſſi. Raro autem naſſa hæc tàm perſpicua ac integra, ut Dn. Cnœffelii reperitur, cum nervi ante plerumque, quam caro putredine penitùs conſumitur, flumine lacerentur. Plura hic quidem de aliarum herbarum, radicum ac caulium fibris & nervis dicerem, ſed temporis anguſtiâ prohibeor. Quare hoc tantùm addo, me eadem, quæ de Sii alteri Lobelii radicum nervis atque geniculis dixi, etiam de Phellandrii Dodonæi inferiore caulium parte intellecta velle, ex qua ſimilis naſſa arte confici poteſt.

Dn. Jac. Breynius , in literis Dni D. Georgi Segeri ad Collectores Ephem.

OBSERV. CCIII. pag. 379. Quod ad ſeri abſentiam in ſanguine variolis & morbillis laborantium, à me notatam ſpectat, jam veram cauſam me eruiſſe ſuſpicor, experientiâ ſuggerente, hos morbos ſoli lymphæ ſuum debere ortum, quæ per ductos, nobis forſan non tam exactè cognitos, ad cutis glandulas defertur, easque, aut ut in morbillis, exulcerat, & in ſaniem reſolvit, unde foſſulæ; aut à glandulis his ad cuticulam derivatur, ut in variolis apparet. Qui pro ſanguine militantes efflorescentiarum at in principio rubedinem objiciunt, proficiunt parum, non enim ſanguini, ſed lymphæ à ſalium volatilium Sylveſtrium admixtione tinctæ (quæ tinctura, quam facilis contingat nemo chymicorum neſcit) imputanda veniat. Firmat noſtram mentem ipſa morbillorum apertio, quâ factâ nihil ſanguinis, niſi vas capillare lædatur, effluit, ſed lymphaticus humor, qui tractu temporis in cruſtam lymphæ, gluten exactè referentium, faceſſit. Quam neceſſaria igitur ſint in hoc morbo Diaphoretica, inprimis ſale volatili ſtipata, quivis facilè ſubodorabit. Potum etiam largiorem calidum, cæteris ritè ſe habentibus, tempore eruptionis profuiſſe, non ſemel expertus ſum. Quocirca etiam ſi ad nervos & tendines decurrat ſalſus ille latex, arthritide tentantur vagâ, ut in puella duodecim annorum obſervavi; ſi vero ad partes reſpirationi inſervientes, ſpasmum diaphragmati inducit & ſuffocationem minatur. Vetus etiam de ſanguine menſtruo quo nutritus in utero infans, variolas & morbillos cauſante commentum, ſtante hac hypotheſi penitus evileſcit.

(*L. Chriſtianus Fridericus Garmannus in literis Anno 1674. Chemnitio ad Collectores Ephemerid. Vratislaviam.*)

OBSERV. CCVI. & CCLXXXIII. pag. 381. & 498. Quæ de calculis veſicæ felleæ Exc. Dnn. Dd. Cnœffel. & Waygerus obſ. tradiderunt, eadem exempla obvia ſunt. Unum communicabo ex ſchedis paternis. Anno 1654. 3. Junii, Magdalena, Bernardi Gieſſen mercatoris conjux, ex hernia umbilici mortua eſt, cujus veſica fellea quinque lapillos continebat, quorum maximus figuram hic fig. I. depictam repræſentans, ponderis ʒi. reliqui minores erant. Porrò & quum idem pater ὁ μακαρίτης Offenbachium ab Illuſt. Principiſſa Iſenburgica Ann. 1656. 9. Junii eſſet evocatus, ob ſubitam mortem alicujus adminiſtratricis famulæ, & linteonis uxoris, cum magno ejulatu continuò querentis

tis de duabus mulieribus, ac ſi virgis ab iis ſine intermiſſione cæderetur, quum tamen nemo adſtantium domeſticorum aliquid videret; Is & ego tum temporis ex Ducatu Wirtembergico redux, cum duobus chirurgis cauſam obitus exploraturi ſectionem inſtituebamus, & aperto cadavere, ſana omnia inveniebamus viſcera, niſi quod uterus bis eſſet involutus, binis embryonibus maſculis digiti longioris magnitudine & elegantioris formæ imprægnatus, prætereà in veſiculâ fellea calculum formæ ovalis, hic Fig. II. delineatum, reperimus, pondere tunc temporis ℥ß. ferè, modò verò ʒij. ℈ß. quem cum priori adhuc inter rariora mea condo.




Fig. I.   Fig. II.

D. Sebaſtian. Schefferus in citatis literis ad D. Salom. Reiſelium.

OBSERV. CCLVIII. pag. 460. Quoad vermem vomitu ejectum ſupra laudati Schultzii Obſ. 258. ſimile quid aliquoties etiam obſervavi, cumprimis in morbis epidemicis, & ante aliquot annos in quâdam egregiâ virgine 13. annorum, cum morbus catalepſeos ſpeciem oſtenderet, illaque variis ſymptomatibus laboraret, tribusque idiomatibus peregrinis, cumprimis Gallico, quod tunc temporis non adeò perfectè callebat, at abſque hæſitatione loqueretur, adeò ut aliquid περὶ θεῖον adeſſe putaremus; poſt multorum alexipharmacorum uſum, verme mirandæ formæ ore excluſo, ſymptomata deſierunt. Et nunc anui

cuidam

cuidam 74. annorum febre putridâ maligna laboranti contigit, ut ab horrore medicamentorum tres lumbricos ſatis longos ore excreverit. De vermibus in renibus Schultzii & Sennerti Obſ. 261. notabilis eſt eadem Obſervatio in cane quodam cum magno ululatu Helmæſtadii in Academiâ Juliâ ann. 1651. nos defatigante, & à nobis ſecto, quam Excell. Dn. Valentinus Henricus Voglerus, Phil. & Med. Doctor, hujusque Profeſſor Celeberrimus, amicus meus integerrimus, eleganter deſcripſit.

Dn. Sebaſt. Schefferus in modo citatis literis ad Dn. Salomon. Reiſelium.

OBSERV. CCXCI. de Amomo Arabum p. 512. l. 6. pro *Ahamama*, legendum *Hhamama.*

OBSERV. CCXCII. De Amygdalo holoſerico p. 513. l. 19. pro verbis, *quas luſtravimus oculis*, legendum, *quæ luſtretur oculis.*

OBSERV. CCXCV. de radice Tauzargantha p. 515. l. 28. pro *circulis dilatioribus*, legatur, *circulis dilutioribus.*

OBSERV. CCXCVI. de Tacamahaca liquida p. 516. l. 17. poſt verbum *inſervit:* quæ ſequuntur, in talem ordinem ſunt reſtituenda. Tres adhuc aſſervamus Taçamahacæ ſpecies.

Prima (quam à Domino parente p. m. habemus, nomine Batavo Tacamahacca in Schulpen, propter cucurbitularum putamina, ad res varias, in Indiis adhibita, quibus collecta eſt) flava eſt, ſubſtantia compacta, unguibus parvis albicantibus permiſta, jucundi ſuaviſque odoris aromatici & amari ſaporis, munda, pura atque inadulterata, ad uſum omninò expetenda. Dentibus conciſa in pulverem reſolvitur, mox iterum ſe colligentem. Atque hæc dicta velim de non adulteratâ & incorruptâ. Nuper enim quandam vetuſtate obſoletam & fortâſſe ab Americanis temeratam accepi. Hæc minimi eſt odoris, neque dentibus conciſa ullo modo ſe colligit.

OBSERV. CCC. p. 520. Ambræ Auguſtanæ, ob molem ſuam prærarae mentionem feceram; in qua relatione me quaſdam prætermiſiſſe circumſtantias, ad declarationem & majorem fidem pertinentes viſus ſum, innocenti ſane ex ignorantia, nequaquam alicui quippiam detrahendi, multoque minus Lectoribus imponendi ſtudio. Eò lubentius tamen, quæ tunc temporis me latebant,

in

in præſenti in apricum proferam, quantò benevolentiùs hac de re Fautor & amicus honoris candoriſq; ſtudiis perpetim proſequendus, admonitum me eſſe voluit. Quod res eſt. Fruſtum illud Ambræ à Dn. Philippo Thelotto b. m. Venetiis emptum fuit, qui tamen Thelottus Johannem Mattspergerum, Joh. Andreæ & Marci Patrem conſortio negotiorum ſibi junxerat. Hâc ſocietate anno 1623. diremtâ, Ambra quoque tunc ex æquo diviſa eſt, cujus diviſæ & Mattspergero cedentis partis pictura, hodienum videre licet. Quod denique ad pondus attinet, uncia intelligenda venit Veneta (al. peſo Sottil di Venetia,) qualis ponderi medico collata, drachmas tantum ſex, ſcrupulos duos & duodecim grana habet, unde totam illam Ambram libras medicas *quadraginta unam*, uncias *novem*, drachmas *quinque*, ſcrupulum *unum*, grana *quatuordecim* pependiſſe, collectui facile eſt.

D. Henricus Vollgnad.

CATALOGUS
Doctrinâ & genere præcellentiſſimorum Virorum,

Qui Annum IV. & V. Ephemeridum Germanicarum Obſervationibus ſuis Phyſico-Medicis gratioſè communicatis, condecorare dignati ſunt.

1. D. Johannes Fridericus Allmacher, Medicus Francofurtenſis.
2. D. Nicolaus Guilielmus Beckers, S. Cæſ. Maj. Perſonæ & Aulæ Med.
3. D. Salomon Braunius, Phyſicus Biberacenſis.
4. Dn. Jacobus Breynius, rerum naturalium & inprimis Botanicæ, inquilinæ atq; exoticæ, ſcrutator ingenio & felicitate præcelebris.
5. D. Timotheus Clarke, Medicus Londinenſis, Societ. Regiæ Socius.
6. Dn. Andreas Cnœffelius, S. R. Maj. Poloniæ Secretarius & Medicus Aulicus, Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Principis &c. Epiſcopi Varmienſ. Archiater, Conſul Mariæburgenſis.
7. D. Juſtus Cortnummius, Profeſſ. Soravienſis.
8. D. Johannes Michaël Fehr, Conſul & Phyſicus Svvinfurtenſis, S. R. I. Academiæ Nat. Curioſ. Præſes, d. Argonauta.
9. D. Georgius Francus, Prof. Heidelbergenſis & S. R. I. Acad. Natur. Cur. Collega.
10. D. Melchior Fribius, Præfecturæ Electoral. Saxon. Haynovienſ. & Moritzburgenſ. Phyſicus, S. R. Imp. Acad. Nat. Curioſ. Collega.
11. L. Sigiſmundus Graſſius, Phyſicus Svvidnicenſ.
12. D. Johannes Ludovicus Hannemannus, Phyſ. P. P. Kilonienſis, S. R. I. Acad. Nat. Cur. Coll.
13. D. Johannes Ferdinandus Hertodius à Todenfeld inclytor. ſtatuum Morav. Marchionatus Medicus Provincial. Olmutii, S. R. I. Acad. Nat. Curioſ. d. Orpheus.

14. D.

14. D. Hiarne, Illuſtriſſ. Comit. de Tott, in Legatione Colonienſi Medicus ordinarius.
15. D. Johannes Jænisius Noſocomii Vratislavienſis Medicus ordinarius, S.R. I. Acad. Nat. Cur. Coll. d. Arcturus, Ephem. p. t. Coll.
16. D. Georgius Sebaſtianus Jungius, S. Cæſ. Maj. Aulæ Medicus, Colleg. Viennenſ. Aſſeſſor, & S.R. I. Acad. Nat. Curioſ. Adjunctus, d. Podalirius.
17. D. Fridericus Lachmund, Practicus Hildesheimenſis.
18. D. Daniel Ludovici Archiater Ducalis Sax. Gothanus.
19. D. Valentinus Andreas Mœllenbroccius Phyſic. Hallæ-Sax. S.R.I. Acad. Nat. Cur. Collega, d. Pegaſus.
20. D. Johannes Matthias Neſterus, Archiater Beruthinus.
21. D. Fridericus Ortlobius, Phyſicus Vratislavienſis.
22. D. Matthias Paiſenius, Medicus Hamburgenſis.
23. D. Antonius de Pozzis, S. Cæſ. Maj. Medicus.
24. D. Carolus Raygerus, Phyſicus Poſonienſis.
25. D. Salomon Reiſelius, Phyſicus Wormatienſ. S. R. I. Acad. Curioſ. Colleg.
26. D. Johannes Schmidius, Phyſicus Gedanenſis.
27. D. Lucas Schrœckius, Lucæ F. Phyſicus Auguſtanus.
28. D. Simon Schultzius; Phyſicus Thorunienſ. S. Reg. Maj. Polon. Med.
29. D. Johannes Scultetus Reip. Noribergenſ. Phyſicus & Officinar. Pharmaceutic. Viſitator, p. t. Senior, S.R.I. Acad. Nat. Curioſ. Colleg.
30. D. Georgius Segerus, S. Reg. Pol. Medic. Phyſic. Gedanenſis & Gymnaſii ibid. Prof. P.
31. Henricus Vollgnad, Practicus Vratislavienſis, S.R. I. Acad. Nat. Cur. Adjunctus, p. t. Ephemeridum Collector, d. Sirius.
32. D. Georgius Wolfgangus Wedelius, Prof. P. Jenenſ. Medicus Ducalis Saxon. S.R. I. Acad. Nat. Cur. Coll.

CATALOGUS OBSERVATIONUM ANNI QUARTI ET QUINTI Ephemeridum Germanicarum Medico - Phyſicarum.

D. Caroli REYGERI

Obſerv. 1. De defectu arteriarum ſpermaticarum.
2. De lapide ſerpentis pileati.
3. De paracenteſi aſcitici, & de fœminâ anaſarcâ laborante apertâ.
4. De parotidibus.
5. De aurium vermibus.
6. De repentinâ morte cum totius corporis inflatione
7. De pleuritide poſt morbillos ſine venæ ſectione curatâ.
8. De pleuritico curato, cui ex aſſumpto incautè vomitorio varia ſymptomata.
9. De paralyſi univerſali poſt variolas.
10. De cardialgia miris ſtipata ſymptomatibus, tandem lethali.
11. De aſthmaticâ apertâ.
12. De abſceſſu abdominis ingenti, & raræ magnitudinis feliciter curato.

D. Salomonis BRAUNII

13. De monorchite fœcundo.
14. De iride lunari.
15. De cereviſiâ è mamma excretâ.
16. De uvulæ uſu.

D. Va-

D. Valentini Andreæ MOELLENBROCC

17. De morte ex potu ſpiritus vini.
18. De repentinâ morteâ veneno latente.
19. De inopinâ morte.
20. De gonorrhœæ cauſâ & curatione.

D. Johannis SCHMID

21. De terrore gravidæ fœtui exitioſo.
22. De excreſcentiâ carneâ in fœtu ex terrore matris contracta.
23. De præmaturâ menſium eruptione.
24. De oſſiculis à phthiſico tuſſi rejectis;
25. De largo & perpetuo glandulorum ſub axillis madore.
26. De urinâ actu frigidâ.
27. De monſtro fœminini ſexus.

D. Johannis Michaelis FEHR

28. De pinguedine abdominis mirabili.

D. Antonii de POZZIS

29. Quod homo diu vivere poſſit cum magnis morbis.
30. De erratis naturæ in una parte, & ſupplemento ejusdem in aliâ.
31. De dolore ventriculi à cauſâ inauditâ.
32. De calculis occultis in renibus.
33. De ſuturæ cranii diſceſſione ab ebrietate præſervante.
34. De rarâ epilepſiæ cauſa.
35. De epilepſia ab incurvatione diplois internæ.
36. De aqua in cerebro inventa.
37. De delirio à vermibus.
38. De vermibus ventriculum erodentibus.
39. Vulnera profunda colli non eſſe lethalia.
40. De rarâ cordis palpitatione.
41. De hydrope admirando.

D. Simon. SCHULTZII

42. De amuleto epilepſiæ.
43. De epilepſia ex ipſius terrore.
44. De hæmorrhoidum menſtruo & ordinario fluxu in viro.
45. De hæmorrhagia menſtruâ critica.
46. De marasmo.

47. De partium genitalium prurituin puellâ.
48. De febri ſingultuoſa.

D. Andreæ CNOEFFELII

49. De icteritiâ curatâ.
50. De grillo in aure.
51. De remedio ſympathetico antiſcorbutico.
52. De gallo Indico hydropico.
53. De urinâ piloſâ ſ. filoſa.
54. De malo citrio prægnante triplicato.
55. De Roſa triplicata.
56. De dorſi ineffabili dolore ex obſtructione menſtrui.
57. De utero cartilagineo.
58. De febre petechiali comitata hydrope ictero flavo & tandem nigro, curatâ.
59. De aquilâ albâ in Poloniâ.
60. De gangrænæ in genis infantum curatione.
61. De infante monſtroſo, cutem porcelli aſſati ſimilem & duram gerente.
62. De læſo, in brachio, à duplici viperæ morſu, curato.
63. De pleuritide vagante.
64. De ſingulari ſuppreſſione urinæ.
65. De lapide uteri in puella qu in quenui.

D. Nicolai Guilielmi BECKERS

66. De uvulæ ablatione.
67. De funeſta œſophagi obturatione.
68. De dolore ilei ac corporis membranoſi per alvum excretione.

D. Simonis SCHULTZII

69. De hæmorrhoidum fluxu à primâ juventute ad decrepitam usque ætatem durante.
70. De febri octava die recurrente.
71. De inteſtinis in anate monſtroſis.
72. De hernia inteſtinali columbina.
73. De ſanguinis ſputo tertia vice apparente, percurato.
74. De iſchuriâ triduanâ curatâ.
75. De menſtruis per aliena loca fluentibus.
76. De diarrhœa ab eſu carnium.

D. Johann. Friderici ALLMACHERI

77. De luxatione vertebrarum dorſi introrſum factâ.
78. De tumore genu ex lapſu, pro luxatione malè curato.
79. De enterocele deſperatâ, curatâ.

D. Johannis PATERSON Hayn

80. De vermibus è ſtomacho rejectis.

D. Melchioris FRIBE

81. De epilepſiâ mirâ, melancholico-hypochondriacâ merè ecſtatica.

D. Johann. Ludovici HANNEMANNI

82. De aphthis.
83. De dura alvo in infantibus.

D. Georgij Wolffgang. WEDELII

84. De truttâ ſaxatili.

D. Georgij SEGERI

85. De araneo innoxiè deglutito.
86. De acu deglutita.
87. De ſcyrrho pancreatis & glandularum meſenterii lethali.
88. De epidermide totius corporis per partes depoſitâ.

D. Caroli RAYGERI

89. Vermes cum nive cadentes.
90. Fungi, monſtroſæ ac inſolitæ formæ.

D. Andreæ CNOEFFELII

91. De Mercurio fixo Helmontij.
92. De Drif Helmontij.

L. Sigismundi GRASSII

93. De degeneratione roſarum.
94. De roſâ proliferâ & lilio albo bulbifero.
95. De ceraſo pleniflora proliferâ.
96. De frigida vomitus & diarrhœæ medelâ.
97. De acidulis Suidnicenſibus.

D. Joh. Ferdinandi HERTODII à TODTEN (FELD.

98. De Aneuriſmate colli.
99. De ictero ſingulari.

100. D. Geor-

D. Georgij FRANCI

100. De ſudore unius tantùm lateris.
101. De ſteatomate in pyloro.
102. De Herniæ tranſplantatione.
103. De mirâ abſtemiâ.
104. De ſomnio morbi nuncio.
105. De ambuſtionis remedio.

D. Georgij Sebaſtiani JUNGII

106. De ſucco cicutæ innoxiè hauſto.
107. De lapide corvino.

Dn. Andreæ CNOEFFELII

108. De Alcaheſt Helmontii & Paracelſi.
109. De Aroph Paracelſi.
110. De ſeminis Dauci uſu in lithiaſi.
111. De oleo ludi Helmontij & Paracelſi.
112. De ſpiritu Samech.
113. De balſamo Samech.

D. Simonis SCHULTZII

114. De abſceſſu renali cum incendio viſcerum funeſta ſymptomata & mortem inferente.
115. De vulnere pectoris & pulmonum ferè quinquennali, minimè tamen lethali.
116. De fonticulis naturalibus in brachio & pede.
117. De fonticulo abdominis naturali.
118. De colicâ vino Hungarico curatâ.
119. De curatione ventriculi poſt hauſtum aquæ fortis S. Regiæ.
120. De uſu argenti vivi in vermibus.
121. De ſingularibus morientium maculis.
122. De gangrænâ inteſtini recti.
123. De trifolio antiarthritico.
124 De radicibus hyoſcyami per errorem coctis, infeliciter comeſtis, truculentaque ſymptomata producentibus.
125. De lapillis per alvum excretis.
126. De urina poſt emiſſionem lapideſcente.
127. De ſymptomate quotannis certo menſe & die recurrente.
128. De uſu formicarum inſigni in paralyſi.

Dn. Ja-

D. Jacobi BREYNII.

129. De quercu niveâ &c.

130. De arbore canella Zeilanicâ,& de arbore camphorifera Japonicâ.

131. De cortice aromatico Indiæ orientalis canellæ facie.

132. De foliis arboris guyanaicæ colorem purpureum fundentibus.

133. De mogori frutice.

134. De bulbo liliaceo vomitorio capitis bonæ ſpei.

135. De chryſocome ſive ſtœchade igneſcente.

136. De convolvulo heptaphyllo Indico villoſo.

137. De plantâ ſcandente hederaceis foliis Zeilanicâ.

138. De Apocyno Indico minori, nummulariæ foliis.

139. De Bugloſſo Indico echioide, convolvuli cœrulei minoris folio.

D. Juſti CORTNUMMII.

140. De doloribus hypochondriacis menſtruis.

141. De paraplegia brachii à tumore.

D. Georgij SEGERI.

142. De Hepate inſolitæ magnitudinis, & variis aliis in infantis Anatome obſervatis.

143. De eſu rerum abſurdarum.

144. De robore corporis inſolito.

145. De piſcium auditu.

146. De aſthmate & raucedine in dentiente.

147. De gangræna ex terrore materno embryoni impreſſa.

D. Johannis SCULTETI.

148. Caſus Hydropis aſcitæ.

D. Jacobi BREYNII.

149. De ſelagine tertia Thalii.

150. De fungo coriaceo quercino hæmatode.

151. De fungo barbato quercino.

152. De fungo, cornu dorcadis facie.

153. De fungo Sinenſi antidotali, lac Tigridis dicto.

D. Johann. SCHMID.

154. De oblivione lectionis ex Apoplexiâ ſalvâ ſcriptione.

155. De Dyſuria cum penis retractione.
156. De vermibus cum urinâ excretis.
157. De alvi excrementis per genitalia rejectis.
158. De manibus ſulphur olentibus.
159. De iſchuria ex diſtenſione emulgentium.
160. De purgatione ex imaginatione.
161. De cancri cura palliativâ.
162. De deglutitione diverſimodè læſa.
163. De monſtro vitulino.

D. Timothei CLARCKE.

164. De lienis reſectione in cane vivo.
165. De lienis reſectione in homine vivo.

D. HIARNE.

166. De Anatome viri pro hydropico habiti.

D. Lucæ SCHROECKII.

167. De Hippolithorum hiſtoria.
168. De calculis veſicæ & renum in bobus.

D. Henrici VOLLGNAD.

169. De nephritide lethali.
170. De draconibus carpathicis & Tranſylvanicis.
171. De fonte ardente.
172. De figuris in glacie.

D. Friderici LACHMUND.

173. De ulcere inteſtini recti, Braſilianis familiari.
174. De vermibus admirandis pedum, lumborum, & ſcroti in Americâ.
175. De oſſiculorum fragmentis per tuſſim excretis.
176. De particulâ clavi trabalis ab infante 24. hebdomadû deglutitâ.
177. De ſpinâ è muſculo dextræ manus, &, de particulâ ſtraminis ex oculi angulo extractis.
178. De menſtruali partium externarum, utpote aurium, narium, digitorum &c. mortificatione.
179. De Cygni linguâ oſſeâ.
180. De cornu in ſuperiore parte pedis fœminæ enato.
181. De cranio anſeris monſtroſo.
182. Veſpertilionem habere caudam, ſceleton ejus demonſtrat.
183. Teſtudo ex ſuo ſcuto, ut vulgus putat, exire non poteſt.

184. De

184. De avibus præter naturam candidis &c.
185. De mure niveo.
186. De cantharidibus in magnâ copiâ propè Hildesheimium captis.
187. De ovo ab anſere à Februario uſq; in menſem Octobrem retento.
188. De Muſcarum grandium, quæ Perlæ, Germ. Jungfern/ nominantur, inſuetâ copiâ.

D. Johannis JÆNISII.

189. De lapillis bis centū circiter ex abſceſſu in dextro latere excretis.

D. Johannis Matthiæ NESTERI.

190. De verme ex abſceſſu.

D. Salomonis REISELII.

191. De ſtatua humanâ circulatoriâ.

D. Matthiæ PAISENII.

192. In ſectione cadaveris puerperæ annotata.
193. In ſectione cadaveris hæmoptoici.
194. In ſectione icterici.
195. In gravidæ hypochondriacæ hæmoptoicæ ſectione.
196. In infantis octimeſtris ſectione.
197. In capitis humani ſectione.

D. Friderici ORTLOBII.

198. De perpetua infantia.

D. Danielis LUDOVICI.

199. Dudaim Genes. XXX. & Cant. VII. eſſe tubera.
200. De ſpiritus ſeu olei conorū abietis & de pingued. in aquā reduct.
201. De cerevisiæ viniq́ue concentratione, melioratione, Zytho betulino, ſpirituumq́ue è frumentaceis proportione.
202. De periodicâ nonnunquam vigoris in cinnamomo variatione.
203. De nitro murario;
204. De ſpeculo ex orichalco.
205. De moſchi folliculis.
206. De tincturâ Bezoardicâ parabiliori & ſudorifero maximo P. J. Fabri compendioſiori.
207. De innoxiâ opiatorum continuatione.
208. De ſingulari gravidæ imaginatione & roſtro leporino ſingulari.
209 De apoſtemate linguæ.
210. De palpebrarum paralyſi.

INDEX
OBSERVATIONUM ET RERUM
ANNI IV^ti ET V^ti
MISCELLANEORUM CURIOSORUM MEDICO-PHYSICORUM.

A.

ABDOMINIS cauteriſatio, unde menſuræ 44. materiæ purulentæ extractæ. 17
ABIETINI nuclei inebriant. 272
coni quantum ſpiritus ſ. olei fundant. 272.
ABORTUM provocat Selago. 192.
ABSCESSUS Abdominis ingens curatus. 16.
Renum, cum funeſtis ſymptomatibus 124.
ex Abſceſſu vermis grandior. 243.
ACIDULARUM Svvidnicenſium deſcriptio & commendatio 98. ſeq.
ALCOOL Vini exiccati Paracelſo quid? 121.
ALKAHEST Helmontii & Paracelſi. 111. ſeq.
Lullii 115.
ALIMENTORUM per Ulcus Ventriculi tranſitus. 36.
AMBUSTIONIS remedium. 105.
AMNES tingentes pilos 185.
AMULETUM Epilepſiæ 38
ANASARCA mortuæ anatome 5.
ANATOME Aſcitici 4. 31. 178. 179.
Hydropicæ 37. 48.
Viri pro Hydropico habiti 210.
Aſthmaticæ 15.
Viri, cujus Viſcera ferè omnia corrupta. 31.
Fœminæ, ubi varii viſcerum defectus notati. 31.
Epilepticorũ duorum 34.
Puellæ 35.
Syncope extincti 37.
Puellæ ſuppreſſione urinæ extinctæ 54.
alius ſimili fato defunctæ 55.
Viri, ob Oeſophagi obturationem mortui 56.
Puellæ ſcirrho Pancreatis &c. extinctæ 78.
Urſæ 104.
Abſceſſu renum defuncti 126.
Infantis, notabilis. 148.
Monſtri vitulini 257.
Canis liene quondam privati 209.

Ne-

Nephritide mortui 225.
Puerperæ 247.
Hæmoptoici 249.
Icterici 261.
Gravidæ Hypochondriacæ hæmoptoicæ 263.
Hydrocephali 266.
Capitis humani 267.
ANEURISMATIS colli palliativa cura. 102.
ANNI Climacterici, & inprimis magnus, cur hominibus infenſi? 22
ANSERES num retento diutius ovo mori oporteat? 242
APHRONITRUM quid? 279.
ad APHTHAS præſens remedium 73.
APOCYNUM Indicum minus 145.
ex APOPLEXIA oblivio lectionis ſalva ſcriptione 196.
APOSTEMATIS Linguæ Curatio 295.
AQUA in cerebro inventa 35.
Mercurialis externa in pruritu &c. 47.
Ovorum Paracelſi 99.
Mercurialis Ejusdem 114.
Fortis, hauſta. 129.
Flammam concipiens 229.
Vitis congelata, pampinos uvasque exprimens 233.
pro affricando Amalgamate 286.
AQUILA alba 49.
ab ACUBUS deglutitis incommoda, & eorum curatio 77.
ARANEUS innoxiè deglutitus 76.
ARBOR Zeilanica, Canella. 139.
Camphorifera Iaponica 139.
Guyanaica colorem purpureum è foliis fundens 142.
ARGENTI vivi uſus in Vermibus & in partu difficili 130.
ARTERIARUM ſpermaticarum defectus 1.
idem per ſe infœcunditatem non inducit. 2.
ARTHRITIS 3.
Antiarthriticorum externorum abuſus intutus 33.
AROPH Paracelſi 116.
ASCITICI Anatome 4. 178.
Aſcitæ definitio. 160.
genuina ſedes non protinus Epar. 161.
potius Pancreas 163.
Cauſæ 164. ſeq.
Signa diagnoſtica 167.
prognoſtica 168.
Indicationes curativæ 168.
ſine medicamentis curati hiſtoria 178.
Aſcites cum Trichiaſi 179.
ASTHMA flatulentum 15.
cum raucedine in dentitione 153.
AUDITU num piſces præditi 152.
AVENA vid. Frumentum.
ex eâ potum Moſchi conficiunt 277.
AVES præter Naturam Candidæ 241.

 ex

ex AVRE grilli extractio 44.
AURI radicalis & naturalis ſolutio, & Tinctura 115.

B.

BALNEUM aquæ dulcis extenuatis confert 42.
BALSAMI Samech præparatio & uſus 123.
De BARBA & pilis varia 180. ſeq.
Bart-Männer / Cercopitheci. 166.
BETULA ſuccreſcit, ubi Abietes reſectæ ſunt 273.
BEZOAR equinum 221.
Veri notæ 221.
BILIS omnimodè deficiens 16. 33.
Bile folliculus plenus, ſed albâ in Icterico 262.
in Bilis folliculum ductus Hepaticus patet 262.
BUGLOSSUM Echioides Indic. (cum 146.
CALCULUS vid. Lapis.
Renalis ℥iiiß 31.
alius prægrandis 33.
alius quadrangularis 48.
Calculi in uno Rene circiter centum 31.
Occulti vid. Nephritis indolens.
Calculos plusquam centum Icterica per alvum excrevit. 103.
Calculi in Veſica fellea reperti 226. 302. 303.
Calculus ovi Columbini magnitudine excretus, ſequentibus eum aliis 136.
Calculi Lienis 48.
Uteri. 55.
Linguæ 299.
Calculi per Aroph Paracelſi curatio, & in ea cautela. 17.
per ſemen Dauci 127.
per oleum Iudi, Helm. & Paracelſi 118.
per Spiritum Samech, Parac. 124.
per Spirit. Salis ☿ri volatilem vel ſalis Ammoniaci urinoſum. 124.
Calculi in homine ex aliis animalibus generationis cauſa 220.
Calculi Equini. vid. Hippolithi.
Renum & veſicæ in bobus 223.
Calculo non ſolum hominem laborare, adſtruitur contra Ariſtotelem 224.
Calculi bis centum circiter ex apoſtemate excreti 241.
à Calculo inteſtini recti perforatio 291.
CAMPHORA unde generatur, ubi copioſe provenit, & quomodo acquiritur. 140.
Camphora de Borneo. 141.
CANCRI cura palliativa 205.
CANELLÆ Zeilanicæ deſcriptio. 139.
Et Caſſiæ off. differentia ibid.
Folium à Cluſio & aliis malè depictum 141.
idem pro Caryophylli folio

lio à Matthiolo habitum. 141.
Canellæ arbor in Europa nequaquam in Laurum degenerat. 141.
Canellæ faciem æmuli cortices. 142.
CANIBUS viperæ morſus haud lethalis. 4.
Canis linctus ſcorbuticis & Podagricis ſalutaris morbo in animal translato. 44.
CANTHARIDUM magna copia Hildesheimii viſa. 242.
De CAPILLIS varia. 180. ſeqq.
CAPUT ſine cerebro 28.
CARDIALGIA lethalis. 14.
CENANAN de Quahuna Hoac. 141.
CERASVS pleniflora prolifera. 95.
CEREBRUM deficiens. 28.
Cerebri fiſſuræ ad radicem oculorum inventor D. Sylvius. 268.
CEREVISIA è mammæ vulnere profluens 19.
Cereviſiæ concentratio 275.
Cereviſia betulina 275.
CHRISTOPHORUS Bavariæ D. prodigioſi roboris exemplum. 151.
CHRYSOCOME v. Stœchas.
CICUTÆ venenum, qualia ſymptomata producat. 105.
Vis deleteria unde 107.
eſu aſini in ſomnum morti ſimillimum incidunt 108.
ſuccus innoxiæ hauſtus. 108.
Cicuta & Napellus ubi comeſtibilia. 108.
CINAMOMI offic. deſcriptio, variusque uſus. 139.
periodica quandoque in vigore variatio 278.
Cinamomum ratione loci natalis aliarumque conditionum, variat præſtantia. 279.
deperditas vires recuperat. 279.
CIRCULATIO Paracelſo quid? 120.
CITRI malum prægnans, ſ. triplicatum 46.
Citrei pomi vis in ſanando quodam ulcere. 234.
CITRINUS ſ. CITRINIOLUS lapis Paracelſi. 119.
CLAVICULÆ fragmenta tuſſi excreta. 236.
CONVOLVULUS heptaphyllus Indicus 145.
COLCOTHAR Venerē fundit 84.
Materia Drif. 91.
COLICA Vini potu curata. 129.
COLLI vulnera licet profunda non ſemper lethalia 36.
à COLOCYNTHIDE Epidermis univerſi corporis abſceſſit 79.
COLORIS in eadem plantæ ſpecie diverſitas, ejusque cauſa. 138.

Co-

Colorem purpureum fundunt folia arboris guyanaicæ 141.
COR prægnum, os ventriculi comprimens. 31.
aliud, unico ventriculo præditum. 37.
In Cordis ventriculo ſiniſtro duo Polypi 33. vid. Polyp.
Cordis Palpitatio quadriennis continua. 37.
CORIUM quercinum 193.
Pyri ibid.
faginum 194.
CORNU in pede 239.
CORTEX aromaticus Indicus Canellæ facie 142.
CORVINUS Lapis 109.
COSTÆ admodum fragiles in Ictero ex Aneuriſmate demortuis 265.
CRANIUM anſeris monſtroſum. 239.
CRISES ſuſpectæ. 6.
CUPRUM vid. Venus.
ſolvitur ſpiritu Lapidis Calaminaris 116.
CYGNI Lingua oſſea 239.

D.

DAUCI ſeminis uſus in lithiaſi. 117.
DEGLUTITIO læſa quà liquidorum tantum admiſſionem. 14. 206.
qua ſolidorū admiſſionem 206.
Ex DEGLUTITO nucleo pomi, phthiſis & mors. 25.
DEGLUTITA particula clavi trabalis in tertium diem in faucibus hærens. 236.
DELIRIUM à vermibus. 35.
DENTITIO cum Aſthmate & raucedine. 153.
DENTIUM connatorum exemplum. 294.
DENTES talismodi evellere periculoſum. 294.
DIARRHOEA Chyloſa ab eſu carnium 63.
DIARRHOEÆ ac Vomitui medetur frigida 96.
DOLOR hypochondriacus menſtruus. 146.
DORSI pruritus ex obſtructione menſtruorum 47.
luxatio introrſum facta, curata 64.
De DRACONIBUS Hungariæ & Tranſylvaniæ relatio. 226. ſeq.
DRIF Helmontii 90. ſeq.
DUDAIM eſſe tubera 260. ſeq.
In DYSENTERIIS opiata commendata. 291.
DYSURIA cum retractione penis 197.

E.

EBRIETATIS præſervatio. 33.
EMULSIO in Ictero experta. 43.
EMPLASTRUM ad fracturas experientiſſimum. 65.
ad Hydropem expertum. 176.
EPIDERMIS à toto corpore abſcedens. 79.
EPILEPSIÆ rara cauſa. 34.

EPILEPSIA ab internæ cranii laminæ incurvatione. 34.
EPILEPSIÆ amuletum. 38.
ſpecificum, Cinnabaris nativa 38.
EPILEPSIA miraHypochondriaca Ecſtatica 69.
EPILEPTICI Anatome. 34.
EPILEPTICUM intuens epilepſiâ corripitur 39.
ERUCA per nares excreta. 35.
pro ERYSIPELATE epithema D. Sylvii. 252.
ESUS rerum abſurdarum. 149.
EXCREMENTORUM alvinorum egeſtio per genitalia 199.

F.

FACIEI præſervatio à variolis 50.
FACIEI rubor hauſtu cicutæ ſucco non emendatur. 108.
FEBRIS ſingultuoſa. 43.
petechialis vid. Petechiæ.
octavâ die rediens 58.
maligna cum vermib⁹ 304.
FOETUS è regione inteſtini recti perforatus ex terrore matris. 24.
In FOETU ex terrore matris excreſcentia carnea enormis. 25.
FOETUS maſculus latus ſiniſtrum occupans. 265.
FONS ligna & carnes petrefaciens 136.
FONS flammam concipiens. 229
FONTICULI naturales in brachio & pede 127.
in abdomine 128.
FRACTURA vid. Emplaſtrum.
FRIGIDA vomitûs & Diarrhœæ medela 96.
FRUMENTA ratione farinæ & ſpiritus inde confectorum, diſcrepant. 278.
FUNGI monſtroſi 82.
quercini deſcriptio & uſus 193.
FUNGUS cornu Dorcadis facie. 195.
Sinenſis antidotalis. ibid.

G.

GALLUS Indicus Hydropicus. 45.
GANGRÆNÆ in genis infantum poſt variolas curatio. 50.
GANGRÆNA inteſtini recti lethalis 132.
Fœtui ex terrore matris impreſſa 153.
GENU falſa luxatio. 66.
GLANDULARUM axillarium largus & perpetuus mador 26.
Gletſcher quid, ejusque uſus. 99.
GONORRHOEÆ cauſa non ſolùm ſemen, ſed potius alii humores 22.
ejus curatio 23.
Vocabuli GOTT etymon & primi autores 186.
GRAVIDÆ imaginatio ſingularem fœtui imprimens affectum 293.
iſtius affectus cura. 294.
GUTTÆ roſaceæ Paracelſi remedium

dium præſentiſſimum. 47.

H.

HÆMOPTOE tertium rediens curata 61.

In HÆMOPTYSI opii uſum continuare licet. 292.

HÆMORRHAGIA menſtrua critica 40.

HÆMORRHAGIÆ præſentiſſimum remedium. 193.

ad eandem opium commendatur. 292.

HÆMORRHOIDES in viro menſtruæ. 39.

in fœminâ 299.

in viro à iuventute in extremum ſenium fluentes 59.

HECTICORUM urinæ incertæ. 41.

ab HELLEBORO ALBO ſumto graviſſima ſymptomata eorumq; curatio 99.

HEPAR inſolitæ magnitudinis 148.

an hydropis aſcites ſedes? 161.

abſolutè non ſanguificat. ibid.

HERNIA in columba obſervata. 60

HERNIÆ inteſtinalis deſperatæ curatio. 67.

HIPPOLITHORUM hiſtoria 215.

vires 220.

HORDEUM vid. frumentum.

HYDRAGOGUM ſingulare 49.

HYDROCEPHALI octimeſtris aqua intra ventriculos cerebri contenta 266.

HYDROPS admirandus 37.

in gallo Indico 45.

Vide Anatome.

HYDROPS aſcites cum Hydromphalo. 155. ſeq.

clamoſus 167.

pane nautico curatus 169.

ſpurius 210. & ſeq.

HYDROPICIS quibusnam prius abdomen, quàm pedes intumeſcunt, & contra 255.

HYPOCHONDRIACI dolores menſtrui 146.

I.

ICTERI curatio. 43. 49.

ſingularis hiſtoria, aliaque curatio 103.

Ad ICTERUM experimentum 144.

ICTERICI Anatome 254.

ICTERI NIGRI curatio. 49.

JECORIS urſi albi ab eſu univerſi corporis cuticula abſceſſit 79.

IGNIS Gehennæ Paracelſi quid 112.

ejus deſcriptio & compoſitio 113.

ILEI dolor curatus. 57.

ex hernia deſperati curatio 67.

IMPERATORIÆ radix vid. Oſtrutium.

INFLATIO corporis poſt mortem. 8.

INTESTINA tria tantum, ac trium ſaltem ulnarum in fœmina reperta. 31.

INTESTINO cœco ſimile corpus per alvum excretum. 57.

INTESTINA anatis monſtroſa 59.
INTESTINI RECTI gangræna lethalis. 132.
INTESTINORUM in equo ordo & connexio 219.
ex INTESTINO recto exulcerato & perforato laborantes, opiatorum uſu diu conſervati 291.
INFANTUM morbi. 50.
vid. gravid. imaginat.
Aphthæ 73.
Alvus langvida 74.
Panacea 122.
INFANS monſtroſus, cutem porcello aſſato ſimilem habens. 51.
INFANTIÆ perpetuæ memorabile exemplum. 268.
IRIS Lunaris 18.
ISCHURIÆ triduanæ cura. 62.
ex diſtenſione emulgentium 201.
ISLANDIA v. variolæ.

L.

LABIA leporina vide Roſtrum.
LACUS lignum ex parte in lapidem, ex parte in ferrum convertens. 137.
LAPIS corvinus 109. ſeq.
LAPIS fragorem edens 100.
ſaxifragus Paracelſi. 119.
in veſicula fellis repertus 16.
in utero 51.
LAPIDUM picturæ ingenitæ 74.
Leber-Flecke / ſymptomata obſtructionis menſium. 47.
LENDES abigit ſelago. 192.
LIEN librarum viß, novem membranis obductus, & in hypogaſtrio ſitus 32
LIEN calculoſus. 48.
LIEN 15. librarum. 165.
LIENIS reſectio è cane vivo 208.
ex homine vivo 209.
LILIUM album bulbiferum 95
LILIACEUS bulbus vomitorius peregrinus 134.
LINGVA vid. Paralyſis.
vid. Cygnus.
LINGVÆ apoſtema ejusque cura 295.
LINGVÆ dentibus transfixæ curatio in recens nato infantulo 294.
aliàs vulneratæ cura ibid.
LITTÆ vires 150.
LOCHIORUM ſuppreſſionem prava ſequi ſolenr ſymptomata 9.
LOMBARDORUM ſtratagemata in bello Italico 186.
Ipſi Autores vocabuli Gott ibid.
LUDUS Helmontii & Paracelſi quid? 118.
LUNA vide Iris.
LUMBRICUS latus 12 ulnarum à catello excretus 130.
LUMBRICORUM præſentaneum remedium. 74. 120.
LUXATIO dorſi introrſum facta curata 64
LUXATIO genu falſa 66.
LYMPHATICORUM vaſorum origo 164.

LYMPHA hydropis cauſa efficiens 164.

M.

MACULÆ vulgò epaticæ ex obſtructione menſium 47.
Mortis imminentis indices 131.
MANIA à verme 35.
MARASMI curatio 41.
Maſchlabe/herba ejusque vires 192.
MENSIUM præmatura eruptio 25.
per apoſtema & vomitum eruptio 63.
ſuppreſſio vid. dorſum.
MENINX gangrænoſa 34.
MENSTRUUM aurum ſolvens 115. 116.
MERCURIUS fixus Helmontii 88.
eius præparatio ibid. & ſeq.
vid. argentum vivum.
MERCURIUM Longobardi Gotham vocabant. 186.
MESENTERII glandularum ſcirrhi lethales 78.
MICTUS verminoſus 199.
MOGORI frutex & flores 143.
MONORCHITES fœcundus 18.
MONSTRUM fœminini ſexus 27.
Poſt MORBILLOS parotides funeſti 6.
curati 7.
Pleuritis 10.
MORBILLI ſolius lymphæ progenies 302.
MORBILLIS convenit potus largior ibid.
cum MORBIS magnis hominem poſſe vivere 30.
MORS repentina cum totius corporis inflatione 8.
MORTIS repentinæ exempla 21.
inſtantis præſagiũ maculæ 131.
MOSCHI folliculorum exacta deſcriptio 287.
MOSCHI ſophiſticatio ibid.
generatio & collectio 288.
MUS niveus 242.
MUSCÆ vid. Perlæ.
MUSCI arborei variæ ſpecies recenſitæ 188.
Muſcus Floridæ pro velo aut tapeto inſerviens 188.
MYRRHA vid. ſpir. vin. myrrhat.

N.

NAPELLUS vid. cicuta.
NASSAM piſcatoriam naturalem quæ planta exhibeat. 301.
NEPHRITIS indolens nec conſvetum torporem inducens 31. 33.
NEPHRITIDIS lethalis hiſtoria 23 5
NITRUM murarium quid? 279.
ſegnius deflagrat, quàm vulgare 280.
ſpiritum quantitate non virtute parem ſpiritui è vulgari nitro, reddit 281.
Circa NITRUM, ejus reductionem & ſpiritum quædam experimenta 283.
An NITROSITAS ſali aëro debeatur 284
NITRUM è ſalice Mahumedani præparant 285.
NITRUM verè Niliacum an detur? 285.

NUTRI-

NUTRITIO
omnes corporis partes ſangvine nutriri 166

O.

ex OCULO particula ſtraminis extracta 237.
OCULORUM cancri pulvis ad lingvæ vulnera 294.
ODOREM ſvavem quædam hominum corpora ſpirant, quædam inſignem fœtorem 200.
ODORIS ſulphurei periodica è manibus cujusdā exhalatio 200.
OESOPHAGI funeſta obturatio à cartilagine ibi natâ 56.
OLEUM lini, Antipleuriticum 11.
OLEUM raparum ad Aphthas 73.
ad alvi duritiem 74.
ad lumbricos ibid.
OLEUM vitrioli dulce quatenus dicitur 84.
Paracelſi 85.
OLEUM Ludi Helmont. & Parac. 118.
ejus præparatio 121.
OLEI nomine quid Paracelſus intelligat? 85.
OLEUM ex fructibus cinamomi ſebaceum 140.
OLEUM conorum abietis 272.
OLEA vegetabilium quid? ibid.
OLEI ſaponis deſtillatio & proveniens ex hujus ℔ illius quantitas 274.
OLEUM tartari nigrum in reſolutione & contuſione nervorum 296.
OLLÆ nativæ fosſiles 300.
OPIATORUM continuatio innoxia 290.
OPIATA in Dyſenteria etiam malignâ phthiſi deſperatâ &c. commendata 290.
OPII Correctio quatenus obſervanda 292.
OPIUM in quibusdam feces reddere albas, & quomodo id vitium emendandum. 293.
OSSICULA tuſſi rejecta 26. & 136.
OSTRUSII radix amuletum Epilepſiæ 38.
OVUM à gallo gallinaceo poſitum 301.
Eclipſi Lunari inſignitum. 301.

P

PANCREATIS ſcirrhus lethalis. 78.
PARACENTESIS errore ægri infeliciter cedens 4.
vel inutilis vel non neceſſaria 5.
EIUS vera ac perfecta adminiſtratio 170. ſeq.
PARACENTESIS & umbilici perforatio non temere confundenda 194.
PARALYSIS univerſalis poſt variolas 13.
ex terrore 14.
Ad PARALYSIN balneum ex formicis 137.
ad PARALYSIN linguæ mixtura 138.
PARALYSIS palpebrarum curata 296

PAROTIDES perpetuo ſuſpectæ 6.
PARTIS unius defectum natura ſupplet in alia 31.
PARTUS difficilis 130.
PARTIUM externarum menſtrua mortificatio 238.
PEDIS cornu 239.
ad PEDUM tumorem fomentum 258.
PELLIVORUS Pragenſis 149.
PENIS retractio 198.
PERLARUM (muſcæ eſt ſpecies) inſveta copia Hildesheimii viſa 243.
PETECHIÆ poſt variolas 12.
aliis comitatæ morbis 49.
PHTHISIS ex deglutiti pomi nucleo 25.
PHTHISICIS etiam deſperatis opiatis uti licet 291.
PHTHISICUS oſſicula tuſſi rejiciens 25.
PICA virgines nec dum nubiles infeſtat 149.
PILULÆ ad calculum 62.
PILI deglutiti acaciæ fructus medela 180.
de PILIS Epiſtola D. Dieterici cum reſponſione D. Sculteti 180.
PILIS generandis maximè inſerviens planta 190.
PILORUM uſus mechanicus & medicus 191.
PINGVEDO abdominis ſolius mirabilis 29.
PINGVEDINUM in aquam reductio 272.
PISCES foſſiles 74.
audire, ſed non omnes 152.
PLANTÆ diverſicolores 138.
PLANTA ſcandens hederæ folio Zeilanica 145.
PLANTÆ, ſignaturam pilorum præ ſe ferentes 187.
PLEURITIS poſt morbillos ſine V. S. curata 10.
vagans 53.
poſt PLEURITIDEM ſanatam vomitorii noxæ 12.
Anti-PLEURITICUM D. à Mœnichen 10.
D. Raygeri 11.
POLYPI duo in ſiniſtro cordis ventriculo 33.
POLYPUM mentiens materia in utero 249.
in corde hæmoptoici 253.
PODAGRA. vid. Arthritis.
PODAGRICIS canum linctus ſalubris 203.
PRURITUS vid. Vulva.
vid. Dorſum.
totius corporis.
in gangrænam inteſtini recti lethalem degenerans 132.
PULMO unico lobo præditus 31.
PURGATIO ex imaginatione. 203

Q.

QUERCUS nivea 138.
Quick-Waſſer 286.

R.

RAUCEDO cum aſthmate in denti-

dentitione 153.
REN libras iiß pendens 31.
extrinſecus lapideâ cruſtâ obductus 45.
RENUM abſceſſus cum funeſtis ſymptomatibus 124.
ad RENES è ventriculo viæ, ubi juxta Sylvii mentem quærendæ 264.
RESPIRATIO difficilis ab inſolitâ causâ 32.
ROBUR corporis inſolitum 150.
ROSA triplicata 46.
prolifera 94.
ROSARUM prolificationem juvantia 95.
ROSARUM degeneratio 92.
ROSÆ quali ſolo delectantur. 93.
ROSTRUM leporinum ſingulare fœtui factum ab inflictâ matri alapâ. 294.

S.

SALIVATIO liquidorum tantum deglutitionem prohibens. 15.
SAL TABERI Paracelſi non eſt ſpir. vini 86.
SAMECH Paracelſi 123.
SANGVIS omnes corporis partes nutrit 166.
SANGVIFICATIO læſa in omni hydrope 161.
hepati abſolutè non tribuenda ibid.
SANGVIFICATIONIS ordo & perfectio 162.
SCABIES ex ſcorbutici linctu in cane curata. 44.
SCORBUTI ſympatheticum remedium 44.
SCORPIONIS ictus non ſemper nocet 4.
SECALE vide frumentum.
SELAGINIS tertiæ Thalii deſcriptio 192.
SERPENS pileatus vid. lapis.
SOMNIA hypochondriacæ morbos imminentes nunciant 105.
SPECULI ex orichalco ſingularis confectio 285.
SPIRITUS vini myrrhati uſus in variolis 50.
SPIRITUS mineræ argenteæ rubræ pellucidæ &
mineræ argenteæ immaturæ radicaliter ſolvunt aurũ 115. 116.
SPIRITUS lapidis calaminaris cuprum ſolvit 116.
SPIRITUS Samech 124.
STATUA humana circulatoria 243.
STEATOMA in pyloro urſæ 104.
STERCORIS equinæ vires medicæ 222.
STOECHAS igneſcens Caſſubiæ 144.
vulgaris in morbo regio experta ibid.
SUDOR unius tantum lateris 103.
SUDORIFERUM maximum Fabri quomodo compendioſius præparandum 289.
SULPHUR & ignis veneris differunt 84.
Veneris c. aqua forti miſtum

ſtum in album corpus reducitur, viresque amittit 87.
SULPHUR olentes manus. 200.
SUTURÆ coronalis divulſio, ab ebrietate præſervans 34.

T.

EX TERRORE paralyſis 12.14.
TERROR gravidæ fœtui noxius 24.25.153.
TESTUDO è ſcuto ſuo non poteſt exire. 240.
TINCÆ in ictero applicatio 43.
TINCTURA nitri corallata 49.
Bezoardica parabilior. 288.
TRICHIASIS 179.198.
TRIFOLIUM Anti-Arthriticum 132.
TRUTTA ſaxatilis. 74.
TUMORIS genu, pro luxatione malè curati, curatio. 66.
TUMOR brachii paraplegias cauſa 147.
TUMOR abdominis trifidus ingens hydropem mentiens 211.
alius 214.

V.

POſt VARIOLAS paralyſis univerſalis & petechiæ 12.
gangræna 50.
à VARIOLIS faciei præſervatio 50.
VARIOLÆ periodo 20. annorum Islandiam infeſtant. 147.
VAS BREVE ſine valvulis. 32.
VENÆ SECTIO ſub lingua temerè celebranda 73.
VENENI hauſti ſymptomata, annuatim redeuntia 157.
VENERIS ignis Helm. 83. ſeq.
verus 87.
VENUS Helmontiana peregrino fermento comitata 91.
ad VENEREM canis proclivior, qui ſectione orbatus eſt liene. 209.
VENTRICULI dolor à causâ inauditâ 31.
perforatio à vermibus 36.
ulcus à perforatione iſtâ annis 12. apertum permanens ibid.
ab aqua forti hauſtâ curatio 192.
à VENTRICULO ad renes viæ vid. Renes.
VERMES in aure ex ulcere geniti 7. & ſeq.
VERMIUM antidotus, argentum vivum 130.
VERMIS è naribus excretus 35.
VERMES ventriculum & abdomen perforantes 36.
è ſtomacho rejecti 68.
cum nive delapſi 80.
VERMIUM mictus 199.
in quibusdam corporis humani partibus in America curatio 235.
VERMIS ex abſceſſu pedis grandior 243.
à VERME per os excluſo, mira ſymptomata 303.
VERMES cum febre malignâ 304.
VER-

VERMES in renibus 304.
VESICULA fellis omni bile deſtituta ib. 33.
VESPERTILIONEM habere caudam 240.
VINI potu colica curata 129.
VINI Concentratio 275.
melioratio 276.
VINUM quod calculi generandi causa exiſtat 220.
VIRGO verminoſa diverſis linguis expeditè loquens, graviaque ſymptomata perpeſſa 303.
VIPERÆ morſus curari poteſt ligatura & inciſione 4.
alia curatio 52.
non omni tempore nocet ibid.
canes non perimit ibid.
VITRIOLUM vid. Oleum.
ULCUS vid. ventriculus.
ULCERIS cujusdam inteſtini recti ap. Braſilienſes curatio 134.
VOCEM articulare uvula 18.
vid. Uvula.
VOMITUS niger 9.
cum diarrhœâ frigidâ curatus 96.
VOMITORII bulbi liliacei deſcriptio 143.
VORACITAS abſurdiſſima 149.
VORACITATIS cauſa inteſtinorum p.n. conformatio 31.
URINA actu frigida 27.
Hecticorum incerta 41.
filoſa c. gravibus ſymptomatibus 45.
tremula vel ſaliens 47.
lapideſcens 136.
URINÆ ſuppreſſio ſingularis 54.
triduana curata 62.
ſine dolore periculoſa 203.
URINA vid. Mictus.
URSUS albus vid. Jecur.
In UTERO lapis 55.
UTERUS cartilagineus 48.
UVA barbata 185.
VULNERA colli, profunda licet, non ſemper lethalia 36.
in Ungariâ felicius ſanantur 37.
VULNUS pectoris & pulmonum non lethale 126.
VULVÆ pruritum inteſtini accedit eroſio 199.
VULVÆ pruritui puellæ rariùs obnoxiæ. 42.
UVULA amiſſâ, vocis articulatio deperdita 19.
levis ſaltem raucedo ſucceſſit 55.

W.

Wendewurtz quid? 99.

Z.

Zeilanica planta ſcandens hederæ folio 145.
Zeilanica canella 139. ſeq.
Zeilanicum Aporymon 145.
Bugloſſum Echioides 146.

Errata Notabiliora.

Prior Numerus Paginam, poſterior Lineam indicat.

PAg. 4. l. 27. l. Petit, 8. 27. l. extincta eſt, 9. 4. l. ſolent, 14. l. Hipp. S. 7. 20. quicquam. 12. 5. Tractavi eum, 35. fumali, 17. 33. hic, 23. 23. Corall. rub. 24. 18. l. referens, 25. 7. in excreſc., 23. Tulpius. 28. 25. notam. 35. 2. unde ille. 42. 1. in ſ. qv. 44. 1. flavâ. vagis malum, 45. 28. ut eam manib. 50. 18. Vitrioli, 54. 24. gypſea, 28. & materia, 57. 7 natura. 64. 15. delapſus erat. 23. aderant. 67. 32. è coct. 68. 21. eſſe. Excell. 26. at. 33. illorum. 70. 31. jacendo. 74. 34. conceſſit is. 76. 8. multos. 83. 31. Viriditatem. 85. 19. ad Alchim. 88. 10. placet. 89. ult. veſicæ. 90. 29. qui eſt. 91. 10. dicit eſſe. 21. debet. 26. *De* l. ℞. 92. 5. *Unius Obſerv. ſe ipſ. liber. es. ab imm: hydrope:* deleantur omnia. ib. fior. 93. 15. ſeriores. 94. 21. andern/Bluhmen zw. 97. 33. cum. 99. 19. *non* deleatur. 101. 6. calefaciens, nonnihil in fine dulceſcens, reliquum aquæ, filtrum tranſiens evaporavit. 15. *ſtatim* deleatur. 104. 12 ſeptum. 16. tota deleatur linea. 109. 20. in ventre. 111. 31 fit. 116. 15. magis. 16. ſemet. 28. potiti. 119. 2. terræ. Cert. 120. 6. circulati, i. e. 121. 19 totus. 123. 24. Blas. 128. 25. annuum. 136. 25. nobilis. 138. 28 Bardana. 193. 29. ſalicis. 33. Tamali. 140. 28. hæc relata. 25. aliquot. 27. ſint. 142. 16. Hi. 18. eundem. 21. Piſon. 31. foliis non malè comparari poſſunt, quanquam acutiora & colore ex, ibid. margines. 34. conciſa. 144. 16. centuria noſtra. 19. nonnihilo, 145. 28. paſſifloræ. 21. quà. 146. 5. Inſula. 147. 15. redierint. 150. 36. reportaret. 153. 16. vehementerque. 159. 3. enervarant. 159. 36. tum. 160. 21. Aſcitica. 161. 33. accenſetur. 162. 12. θερμȣ̃. 22. *illam* deleatur. 163. 23. ut calorem. 32. excretio] perveniat. 164. 2. demandatur. 8. amandatur. 164. 14. Helmontio. 166. 16. caloris. 167. 15. vix, 168. 14. promittat. 170. 4. laudabilior. 175. 17. Zingib. alb. ℈ij. 176. 35. cortic. rad. tamar. 177. 9. biſcocto. 15. gr. iij. 17. S. E. Hartm. ℥vj. 179. 6. quantitas. 15. *ca-* deleatur. 182. 8. wie in einer Stadt auf der Gaſſen. 185. 27. pſilothrum. 32. Sapientes. 189. ult. Solirora. 190. 12. Seſeli. 191. 35. Veiga. 192. 10. Tragi. 12. ſcriptionem ſequ. 198. 31. cruenta ex purul. ur. nem. non nota. 210. 2. conſuto. 220. 24. οἰνοποσίαν. 223. 23. meritum. 225. 33. ureterem. 227. ult. ac. 229. 12. ulnam. 230. 2. ſubterraneos & ſulphureos. 231. 37. eruitur. 232. 15. contra incend. 24. halitus. 231. 10. de-

mit-

mittendi. 233. 22. *illud*, deleatur. 31. 1672. 234. 31. ipſiusmet. 236. 15. acutæ. 239. 36. frequentius. 37. teſtatur. 243. 19. alis. 244. 37. ſebaceam. 146. 26. ſeu. 28 qui ante partum ejus quod, 247. 1. artificis. 256. 5. d. 5. rad. 23. q. ſ. 33. ∼ ⊖ dulc. 257. 21. fœnic. aa. 24. calor. 259. 30. ſed. 263. 7. Treintie. 266. 8. OCTIMESTRIS HYDROCEPHALI. 268. 3. Sinus IV. 10. inflata. 270. 2. ab — amore. 19. Sibhſuchim. 271. 32. petita ſponſa. 272. Sibhſuchin Iabhruchin. 273. 21. explicatiſſimè. 30. pararius ſimplex intermed. 278. 18. non inf. 34. Stilic. Lacunæ. 279. 12. Sub Luſitan. 281. 33. alcalium. 283. 26. fuerit. 284. 20. ingravidataque. 285. 16. Mahumedanos. 288. 27. utrumque eſt. 289. 26. libra una. 28. collum. 36. aliàs. 291. 7. veneficio. 27. Vitrioli. 292. 25. & 26. potulentorum. 302. 29. Raygerus. 304. 12. Amygdalo. 33. detrahendi.

APPENDIX
AD
ANNUM QUARTUM ET QUINTUM
EPHEMERIDUM MEDICO-PHYSICARUM NATURÆ-CURIOSORUM IN GERMANIA,

In qua quæ continentur, averſa pagina indicat.

I. Georgii Hieronymi Velſchii Micto-mimematum, ſive, Miſcellaneorum Medicinalium, Centuriæ III.

II. Joan. Sigiſm. Elsholtii hiſtoria Steatomatis reſecti & feliciter ſanati.

III. Ejusdem Epiſtola de conceptione tubaria, itemque de puella monſtroſa Berolini natâ.

IV. Tumba Semiramidis hermeticè ſigillata &c.

V. Chriſtiani Adolphi Balduini obſervatio circa regerminationem argenti, novo artificio inventam.

VI. Ejusdem obſervatio circa urnas Gentilium Germanorum.

VII. Ejusdem Aurum ſuperius & inferius auræ ſuperioris & inferioris Hermeticum.

VIII. Ejusdem Phoſphorus Hermeticus, ſive magnes luminaris.

IX. Chriſtiani Mentzelii lapis Bononienſis in obſcuro lucens collatus cum Phoſphoro Hermetico Chriſtiani Adolphi Balduini.

X. Georgii Wolffgangi Wedelii ſpecimen experimenti Chimici novi de ſale volatili plantarum.

XI. Ejusdem experimentum Chimicum novum de ſale volatili plantarum.

XII. J. B. poſitiones aliquot de ſpiritu mundi.

XIII. Andreæ Cnœffelii reſponſum ad poſitiones iſtas de ſpiritu mundi.

XIV. D. Salomonis Reiſelii epiſtola ad Academiæ Naturæ-Curioſos.

XV. D. Martini Bernhardi de Bernitz Faſciculus I. Remediorum Antipodagricorum in Curatione VLADISLAI IV. Poloniæ & Sueciæ Regis, Gl. M., adhibitorum.

XVI. D. Joh. Dan. Majoris Memoria Sachſiana.

GEORGII HIERONYMI
VELSCHII
MICTOMIMEMATUM,
ſive,
MISCELLANEORUM
MEDICINALIUM
CENTURIÆ III.
Ad
INCLYTAM SOCIETATEM
NATURÆ-CURIOSORUM
IN GERMANIA.

INDEX.

OBSERVATIONUM ET CURATIONUM.

Abortus I. 10. III. 66.
ex vitio ſeminis virilis III. 90.
Alopecia I. 23.
Alvi conſtipatio. I. 43. II. 11.
Fluxus. II. 27.
Ambuſta. II. 19. III. 78.
Angina. I. 16.
Antimonii effloreſcentiæ diaphoreticæ. III. 16.
Apoplexia. I. 66.
Arthritis I. 5. 14.
Aſcites. II. 58. III. 61. 63.
Aſthma. II. 16.
Atrophia. I. 84. II. 22.
Aurum potabile pauperum. I. 75.
Cachexia. III. 12.
Calculus I. 13. 57. 58. 69. II. 12.
Calli pedum. I. 47.
Cancer recens. III. 52.
exulceratus. I. 81. III. 32.
Capitis affectus. I. 65.
dolor. I. 18.
& ciliorum dolor. II. 23.
Carunculæ veſicæ. II. 4.
urethræ. I. 54.
Caſus ab alto. III. 58.
Catarrhi tenues. I. 20.
Catarrhi extractio. I. 68.
Cephalalgia. II. 13. III. 12.
Cephalæa. II. 2.
Chloroſis. I. 20.
Clavi pedum. II. 61.
Colica. I. 15. 17. 72. 78. 79. II. 28. 43. 53. 54. 79. 83. III. 21. 62.
ex Colica quomodo icterus. III. 26.
Comatoſi affectus. II. 10.
Contuſio. II. 1.
Coſmeticum. II. 36.
Coxæ dolor. III. 50.
Dæmoniaca obſeſſio. II. 75.
Dentium evulſio I. 87.
Dolores uteri. I. 95. 96.
Dyſenteria. I. 48. III. 2. 19. 44.
Dyſenteria cum febre & perpetua diaſtole. II. 6.
Enterocele. I. 52.
Epilepſia. I. 2. 9. 19. 22. 32. 66. II. 74. III. 14. 15. 71. 82. 84. 85.
Epiphora. I. 25.
Eryſipelas. III. 31. 51.
Excreſcentia indolens. II. 23.
Exoſtoſis. III. 7.
Faciei rugæ. I. 24.
Febres I. 80. II. 41. 48. III. 77. 80.
Febres malignæ I. 8. 83. III. 34.
peſtilentes. II. 40.
Febris Hungarica. II. 24. 27.
Febres tertianæ. I. 31. III. 20.
Febris tertiana mirabilis. II. 85.
Febricula lenta. III. 8.
Febres puerperarum. III. 75.
Fiſſuræ labiorum. I. 26.
mammillarum. II. 38 III. 40.
Fiſtulæ lacrumales. I. 36.
Fluor albus. II. 95.
Fractura rotulæ genu. III. 49.
Ganglion. III. 7.
Gibboſitas infantum. III. 74.
Gonorrhœa. II. 50. 91. III. 23. 59.

viru-

virulenta. II.72.
Gummia arthritica.I.5.
Gallica.II. 51.
Hæmorrhagia.II. 59. 61.
uteri prægnantium.III. 89.
narium. III. 42. 97.
Hæmorrhoides I.33. 38. II. 44. III. 87.
Hæmoptoë.I.27.
Hectica. I.45.
Hecticæ funeſtum ſignum.II. 32.
Hemicrania. III. 11.
Hepar roborans. III. 96.
Hepatis vita. III. 18.
Hepatis obſtructio.I. 61.
Hernia. II. 65. III.76.
Herpes miliaris. II.3.
Hydrargyri noxæ. III. 7.
Hydrophobia.I. 91.
Hydrocephalus.II. 90. (48.80.
Hydrops.I.16.17.63.66.II.64.III.41.
Hyperſarcoſis.I.89.
Hypoſphagma. II.7. (78.
Hyſterica paſſio. I.37. 44. II.25. 35.
Icterus. II.55.III 13.
Ileus.II.79.
Impetigo.II.47.III. 54.
Impotentia. II.56.
Iſchias.I.71.
Iſchuria.II.45.III.88.
Lac generans.III. 45.
Laudanum antimonii.I.76.
Lepra. I.99.II.29. (43.
Lienum magnorum abſumtio. III.
Lues Indica. I. 51.100.III.17.99.
Lumbrici inteſtinales.I.90. (46.
Mamarum durities I.55. tumor.II.
Mammillæ v. Fiſſura.
Mania.II.89.
Maraſmus.II. 97. (20.
Melancholia Hypochondriaca. II.
Memoriæ conſervatio.I.50.III. 29.
ablatio.III.30.
Menſtruorum ſuppreſſio.I.40. 44. 73.74. II.37.
Menſtrua nimia. I. 34. III. 35.
alba. II. 95.
Morbi maligni.I.92.II. 70.
Mors ex eſu leporis. II. 87.
Natta.II 14. (22.
Nephritidis & colicæ diſtinctio.III.
Nodi Arthritici.I.5.
Oculorum affectus. II. 62.
fluxiones II.34.
Odontalgia. III. 93.
Ophthalmia.I 25.
Orthopnoëa.II. 16.
Panacea.II. 99.
Papillarum rimæ. III. 40.
Paralyſis.I. 12.21.
ex variolis. I. 30.
Paronychia. II.71.
Partus cæſareus.II. 94.
Partum facilitans II. 49. 66. (25.
Pericardium ſanguine repletū. III.
Peſtis.I.1.
Phrenitis.III.38.
Phthiſis.I. 28. 60. III. 39.
Pica.III. 12.
Pilorum reparatio. II. 77.
Pinguefaciens. II. 5.
Pleuritis.I 82. 11.II 67.III. 5.
Pleurorthopnoëa.II.16. (83.
Podagra.I.5.46.56.67 II. 15. 47. III.
Pſora I.99.
Pulmonum ulcera.I.64. II. 60.

Purga-

Purgatio è junipero. II. 17.
è ſalvia II. 18.
è ſero lactis. II. 82.
ab epate vulpis. II. 88.
Puris generati ſignum. II. 30.
Quartana. I. 42. 62. III. 42.
Rheumatiſmus. III. 4.
ex Sale Saturni, aurum potabile pauperum. I. 75.
Sanguinem ſiſtentia. I. 35. 49. II. 9. III. 46.
Sangvinem extravenatum reſolvens. I. 33.
in Sanguinis arterioſi miſſione experimentum.
Sarſaparillæ ſuccedaneum. III. 57.
Scabies. III. 27. 28. 54.
manuum. II. 92.
Scrophulæ. II. 42.
Secundinas pellens. I. 94.
Singultus. II. 52.
in febribus. III. 89.
Soporoſi affectus. III. 69.
Sterilitas. I. 98.
Stomachicum Poterii. III. 1.
Struma. III. 37.
Sudor Anglicus. II. 47.
Sudoriferum externum. III. 64.
Suffuſio. II. 63.
Surditas. III. 36.
Tabes. I. 45.
Angliæ familiaris. III. 3.
Tenaſmus. I. 93.
Teſticulorum tumor. II. 46.
Tinctura Lunæ. II. 20.
Tinea. I. 23. II. 68.
Tremor. I. 21.
Tumores maligni. I. 4.
capitis recens natorum. II. 31.
teſticulorum III. 67.
Tympanites uteri. III. 65.
Valetudine nimis firma fruentes periculoſius ægrotant. III. 68.
Varices. III. 56.
Variolæ. I. 29. II. 86. III. 34.
Venarum epigaſtricarum anaſtomoſis. II. 100.
Veneris impotentia. II. 93.
Ventriculi angores. II. 8.
eructationes. II. 69.
Vermes. I. 29. 88. II. 86.
aurium. III. 73.
Verrucæ. II. 94.
penis. II. 26.
Veſicæ carunculæ. II. 4.
Viſus imbecillitas. II. 96.
Vomitus. III. 70.
Vomitorium. III. 55.
Ulcera maligna. I. 3. II. 73.
genitalium. I. 85.
venerea. II. 39.
putrida. II. 42.
tibiarum. II. 57.
renum. III. 92.
quæcunque III. 10.
Ulcerum calloſitas. III. 86.
Urinæ incontinentia. I. 69. III. 98.
Uterini affectus. II. 11.
Uteri dolores poſt partum I. 95.
citra ingravidationem. I 96.
præfocatio. I. 7. 79.
Uteri affectus cũ alvo diff cili. II.
Uteri vita III. 18.
Uterum trahens. III. 60.
è Vulnere chyli profluxus. III. 6.
Vulnera citò ſanans. III. 33.

PRÆFATIO.

NOn dubitamus, inſcriptionem miraturos, qui inſpexerint. Non dubitabunt tamen viciſſim, qui dubitant, probare, ſi, quæ dicturi ſumus, benigniùs acceperint. Cùm *Syllogen* ederemus *Obſervationum* quarundam Medicinalium, promiſimus, *Miſcellanea Henrici Smetii* imitatione aliquando proferenda. Hæc igitur heic damus: & hinc eâdem operâ MICTOMIMEMATUM appellatio ſpontè eluceſcit. Μικτὰ enim & σύμμικτα in titulis librorum veterum frequentiſſima, etſi vix unum aut alterum hoc nomine hodiè ſuperſit. Μιμήματα autem imitamenta ſunt, quorum pigere neminem poteſt, nec tædere debet, ſi rationem pariter, uſumque animo expenderit. Nimirùm jam olìm laudavimus, quicunque Obſervationes, Curationes & Conſultationes ſuas Medicas bono publico permiſerunt. Celebrarunt etiam alii. Nec poſteri tacebunt. Non uno tamen omnes ſucceſſu ſua propalarunt. Id olim quoque doctiſſimorum Virorum conſenſu monuimus, nec ideò repetemus. Stylus, eruditio, fides, accuratio, & candor præcipua ſunt, quæ non omnibus pari felicitate adfuerunt, quod quivis intelligit, ſi modò legere non dedignetur. Quibusdam præterea prolixitas tædioſa, aliis judicii immaturitas odioſa fuit. Inæqualitas etiam conſultantium cauſa extitit, ut nihil ferè ex omni parte beatum eſſet. In tantâ tamen varietate & reprehendendi etiam promtitudine, quâ nonnulli plus, quàm opere & æmulatione pollent, mirum profectò exiſtimamus, nemini uni brevitatem damnatam, ſed nec viciſſim cuique etiam deſideratam eſſe. Hæc ſanè *Smetio*, præ reliquis omnibus, propria, ſemper nobis viſa eſt imitationem mereri. Quod enim præfatione in *Chiliades noſtras* dicebamus, cui bono tot nominum ac prænominum cognominumque & titulorum, profeſſionum, terrarum, regionum, temporum, temperamenti, adfectus ipſius & ſymptomatum prolixa adeò deſcriptio, niſi ſigillatim neceſſe fuerit? cui cauſa-

rum diſceptatio immodica? quam novarum inventionum quotidiana acceſſio ſtatim immutet aut evertat? & cætera vulgò nota, quorum præſcientia omnibus communis eſſe debet? Quæ porrò neceſſitas tot compoſitionum, quarum pleræque abſonæ & inefficaces, nonnullæ etiam indoctæ, & praxi ineptæ occurrunt? Quotquot ſanè hucusque prodierunt, omnes pellegimus, nec parum temporis impendimus: meminimus tamen à lectione ſæpè jejunos & famelicos abiiſſe, ſæpiusque advertiſſe, quæcunque alicujus momenti, ſex, ſeptem, decem, pluribusque paginis continebantur; à nobis tribus quatuorve verſibus comprehendi potuiſſe, eodem planè, quod laudare cœpimus, *Smetii* inſtituto, quemadmodum ex *Theſauro noſtro Experientiæ Medicæ* aliquando amplius patebit. Hoc autem ſi plures ſuperioribus ſeculis ſequuti eſſent, nî fallimur, fieri poterat, ut ipſâ brevitate publicè dilaudatâ, plerisque ſapientiorum Archiatrorum & Poliatrorum occaſionem præbuiſſet, uti inter tot occupationes ſuas, hac ipſa methodo ſua nobis non invidiſſent, quæ nunc æternis tenebris involuta jacent. Nec enim gravioribus momentis pleroſque abſterritos conſtat, quàm prolixioris ſcriptionis accuratæque tractationis impoſſibilitate, quam illis ſcilicet numeroſæ ægrotantium viſitationes objiciebant. Cum tamen ex Epidemiis Hippocratis longè utiliora didiciſſe potuiſſent, ut quæ non minus, nî fallimur, occupatus, mirâ tamen doctrinæ & brevitatis Laconicæ cum Jonicâ eloquentiâ mixtura conſcripſerat, multoque, ut credimus, plura, quàm temporum iniquitas in noſtras manus venire conceſſit. Ac utinam hodieque hæc imitarentur, ſi qui recentiores Smetii conatus â nobis commendatos, tàm facilè ſpernendos cenſuerint. Quidquid tamen alii ſtatuerint, nos fidem noſtram liberare, & exemplum præbere voluimus, quo ſine gravioribus laboribus, aut moleſtis nimium ſtudiis, infinita, eximia, rara, & proficua Reipubl. Med. accedere poſſint; Hujus itaque animi ſecuri iſta protulimus, neque deinceps deſiſtemus, quidquid ad artis noſtræ ornamentum fecerit, procurare & promovere. Pleraque quidem ſatis expedita & clara opinamur, ne tamen ſequiùs forſan interpretaturis habenas laxaremus, notas nonnullas ex tempore adjecimus, quæ neceſſariæ videbantur, ut efficaciæ medicamentorum ex veterum pariter atque recentium conſenſu auctoritas adeſſet, quæ malignorum linguis frenum imponeret, ne probaturos & imitaturos abſterrerent. Selegimus autem nunc iſta ex pluribus aliis MSSIS, quæ Bibliotheca mea continet, inprimis ſchediaſmatis illis eximiis Nobiliſſimi quondã viri, *Pauli*

Mar-

Marquardi Slegelii, Poliatri Hamburgenſis, quæ peregrinando, totius ferè orbis clariſſimorum virorum familiaritate collecta, cum *Jo. Georgio Virſungio*, cive noſtro, ſed Chir. & Med. Patavino, communicarat, atque â cruento illius obitu in noſtras manus amicorum benevolentiâ pervenerunt, tùm etiam illis, quæ clariſſimi Parentis ſui *Theobaldus Prevotius* benignè conceſſit, ceu præfat. in Epiſagm. noſtra ingenuè profeſſi ſumus. His addidimus reliqua ex Euporiſtis miſcellis *Petri Aſſelinæi*, Med. Caſtrofrancani & Veneti, *Marci Barchæi*, Chemiatri Aurelianenſis, apud Archiep. Electorem Colonienſem, *Frid. Echſii*, Med. Reinfeldenſis, *Chriſtoph. Heupergeri*, *Caroli Vidmanni*, *Joh. Rumleri*, & *Adami Hebichii*, Poliatrorum noſtratium, *Thom. Stromajeri*, Archiatri Saxonici & Cæſarei, *Joh. Rhodii*, amici noſtri ſummi, *Joh. Veſlingii* & *Benedicti Silvatici*, *aliorumque* quorundam Obſervationibus atque Curationibus, quos ipſo opere nominavimus, pauciſſimis quoque ex *noſtris* adjectis. Quod ſi benevolis Lectoribus non faſtidita comperiemus, operam dabimus, ut plurima ſimilia *Theſauro illi* accedant, quem ſuprà *Experientiæ Medicæ* nomine inſcriptum diximus, & olim promiſſum, cum DEO proferemus, quàm primùm, quæ præmitti oportet, lucem adſpexerint, *Chiliades* ſcilicet *duæ Curationum*, *Centuriæ IV. Conſiliorum*, & *propriarum Curationum Decades X.* ampliori exegeſi illuſtratæ, & niſi fallimur, ad Vett. eruditionem novâ ratione exactæ.

I.

MICTO MIMEMA.

LIquorem Mumiæ vulnerarium eodem modo parabat Marcus Barchæus Aurelianenſis, Chemiatrus Archi-epiſc. Colonienſis, quo Ol. Philoſophorum ſive Laterinum dictum fieri ſolet, eique ⊤ ⊙i Theophraſti deinde admiſcebat, & in malignis morbis omnibus, inprimis *Peſte*, utebatur cum ſucceſſu. NOTÆ.

Ol. Philoſoph.) De hoc in Pharmacevticis noſtris. Eſt enim non aliud, quàm Olivum deſtillatum. A lateribus nihil aut parùm accipit, ut contemni queat. Unde nonnulli cum calce vivâ deſtillatum, efficacius compererunt.

⊤ ⊙i *Theophraſti.*) Id aurum vitæ eſt, de quo nonnulla Epiſagm. noſtrorum Obſ. XCIX.

II. Idem, in quibusdam *Epilepſiam* curavit aqua Hydrargyri ſaccharata: Hanc in retortâ deſtillabat, ☿o prius cum ſaccharo trito in porphyrite, donec diſpareret, & ſubnigrũ magma fieret.

NOTA

Hydrargyri) Si quid veri habent Thom. Williſii viri Doctiſſimi particulæ claſticæ, quibus epilepſia excitatur, nemo non ſponte capit, his cõpeſcendis Hydrargyrum aptiſſimum eſſe. Nollemus tamen, quidquã tale ſine cautione adhiberi, quam Medici prudentiæ nunc relinquimus; alio loco commodiùs exponemus.

III. Celebritatem Is ſibi comparaverat *Ulcerum malignorum* curatione, quibus ſubinde Pulv. hunc adhibebat, ſal ſalutis ab ipſo dictum. Alumin. ℥xvij. ⊕℥xvij. lap. calamin. ℥ij. Maſtiches. ℥ß. Myrrhæ ℥iij. Ceruſſ. ℥j. coquendo coagulabat, & ℥ß. aquâ calidâ ſolutam cum panniculo admovebat.

NOTÆ

Sal Salutis) Parùm differt â lapide medicamentoſo Crollii: ſed differt tamen: nec inutilis ejus uſus erit, ſi conveniat.

IV. *Tumoribus malignis peſtiferis quibusvis* Idem olympicum ſuum feliciter adhibebat, cujus præcipuum ingrediens erat aquila cœleſtis, domeſtica ipſi dicta, quam miſcebat cum ſuccis

cis Geranii, Rhapontici, Helenii, Sideritidis Ananienſis, Croco ♂, gummib9 nonnullis, lap. calamin. magnete, Ol. ♁. Caphuræ, lumbric. terr. pinguedine ſerpentinâ & jecinoribus ranarum.

NOTÆ. *Olympicum*) Danda nominibus venia, quamvis præſtaret apertè ſemper loqui.

Aquila Cœleſtis domeſtica) Sic vocat ☿ dulcem, quod ex præparatione patet, à Beguineâ nihil diſcrepante. Aquila autem ſilveſtris ipſi Præcipitatus eſt, externis uſibus commodior, quàm internis.

Geranii) Ingens farrago hujus medicamenti tædium nobis movit, ut omnia deſcribere non placuerit. Quæ minus igitur trita & efficaciora viedebantur, ſufficere poſſe judicavimus. Jecinora tamen ranarum fruſtrà adjecta putamus.

V. Eâdem Aquilâ Cœleſti etiam ad *Arthritidem* utebatur cum Aloë aq. Chamæpityos lota; ♁ reverberato, & Croco Chalybis, M. c. Eſſ. Stœchados Maſſilienſis, & Ol. ⊕i. Exterius autem illinebat Oleum Macrobii dictum, i. e. ex ſanguine Cervino deſtillatum, cum ⊖e ſuo volatili probè unito. Addebat etiam interdum Extr. Scammonii c. Ol. aniſi deſtill. & *gummibus* ſive nodoſis tumoribus Ol. laterin. & caryophyll. c. ture, myrrhâ, ammoniaco & Mumia in emplaſtrum redactum, admixto etiam aquilæ dictæ pulvere.

NOTÆ.

Eâdem) Vid. Hecatoſtéæ noſtræ II. Obſ. LXVII. quâ de ☿ dulci, & Obſ. LXXIV.

Stœchad. Maſſilienſ.) i. e. Arabicæ: ab inſulis è regione Maſſiliæ, quæ Stœchades dictæ, innuit Dioſc. III. 32. & repetit Plinius XXIIX. 12. Copioſum proventum in Languedociâ memoravit Joh. Stephan. Strobelbergerus.

Macrobii) Longæva animalia plerique credunt.

VI. Ex ficubus contuſis Idem cum vini latice Extractum parabat, cui Crocum, Myrrham, Aloën, & Terebinth. ſpiritum, admiſcebat, eo planè modo, ut aliàs Elixir Proprietatis Paracelſi fieri ſolet, quo pariter ad eoſdem adfectus utebatur.

NOTA.

Ficubus) Quid hoc Extractû ficuum ſingulare obtineat, non liquet. Liceret ſanè Elixir Proprietatis Paracelſi, correctum dictum, præferre, quia ne quid deſit, etiam ſpiritum Therebinthinæ continet.

VII. Mulierem *Uteri præfocatione* ſæviſſimâ laborantem, cum nihil profuiſſet, Jo. Piſtorius curavit, Eſſ. Caphuræ c. Oleo amygdal. d. poſtquam univerſalia præmiſiſſet.

NOTA.

Eſſ. Caphuræ) Nihil iſtâ opus videtur. Ipſa Caphura ex tempore. Oleo amygd. promptiſſimè conjungitur, quam ſi quis recuſet, Oleum ejus addat, ſeu potiùs ſolutionem cùm ſpiritu ⦶ factam.

IIX. Ex C.C. Vitrum alexipharmacum in *Febribus peſtilentibus* valdè laudatum idem ſæpiùs expertus erat.

NOTA. *C.C. Vitrum*) Non differt id â Gelu ejusdem, quod omnibus notiſſimum, in Scyphorum formas effundi poteſt: ſed tantam tamen duritiem non habet, ut Vitrum, nec tantundem pellucet.

IX. Illuſtriſſima Comes â Scharfenberga â Sereniſſima Conjuge Elect. Saxoniæ aquam acceperat ex Leontocopro deſtillatam, eaque ad *Epilepſiam frequentem* feliciter uſa eſt. Exemplo etiam poſteà motus Daniel Rappoldus Uratislavienſis Med. ſæpiùs cum ſucceſſu adhibuit.

NOTA.

Aquam) Eſt quoque hujus aquæ prolixa ad nauſeam deſcriptio, quam ideò integram adducere noluimus. Satis eſt ex fimo leonino præcipuas vires ſperandas, quas ſi omninò habet, contentus ſit quivis, aut quidvis ipſe addat.

X. Gravidæ innumeræ *Abortum* præcaverunt frequenti uſu aquæ Caryophyllorum compoſitæ, id eſt, quæ ex flore betonicæ altilis, cum Moſchata, Cinamomo, Maci, & Caryoph. arom. deſtillata erat.

NOTA.

Aq. Caryophyl.) Elegans hoc Medicamentum, & multis aliis, ipſi quoq; balſamo Embryonum dicto, præferendum. Epicuri dictum pulcerrimum fuit: *χάρις τῆ μακαρίᾳ φύσει, ὅτι τὰ ἀναγκαῖα εὐπόριστα ἐποίησε, τὰ δὲ δυσπόριστα, οὐκ ἀναγκαῖα.*

XI. Ex Oleo ♀i Cryſtallos præparabat Barchæus cum phlegmate Chalcanthi, quibꝰ ad *pleuritidem* magno ſucceſſu utebatur.

NOTA. *Oleo* ♀i) Idem facit ſpir. ex cremore deſtillatus V. circulatus, & ⊖ ♀i quodvis, convenientibus admixtum.

XII. *Paralyſi* internum arcanum mirâ felicitate exhibebat ſpir. L. S. baccis marinis abundè imbutum.

NOTA. *Baccis marinis*) i. e. Margaritis, quibus noſtro periculo, ejusdem

ejusdem operationis ſubſtitui poteſt Concha Margaritifera, ut etiam pauperioribus medicamenti gratia fiat.

XIII. *Arenulæ & calculi* majuſculi feliciter è renibus mulieris exacti ſunt ⊖le ſilicum aliquoties dato. Id fit ſolutione cum aceto deſtillato, cujus abſtractione ſponte concreſcunt.

NOTA.

⊖le ſilicum) Mirari queas cum ſilices ipſos à ⊖e concreviſſe nemo dubitet. Nimirùm diſtingues: aliud Sal in ſilice, à ſucco lapidifico, aliud vi reſolvendi præditum, quod non coagulat, ſed coagulatur.

XIV. *Arthritidem* pilulis aloëticis cum ☿ dulci ſæpè exhibitis, illitoque ſpiritu Mannæ cum ſpiritu vini elicito, curatam ſcimus in viro juvene. NOTA.

Pill. aloëticis) vid. ſupra Obſ. V.

Spiritu Mannæ) Non eſt quidem hic ſpir. verè Mannæ genuinus; ſed potiùs latex vini mannatus, qui quomodo arthritidi conferre poſſit, ex ipsâ mannæ natura cognoſces.

XV. *Colica* deſperata regulo ☿ij vitæ in globulos redacto curata eſt. Fit autem ille cum ſali ☿i.

NOTA.

Regulo ☿ij vitæ) Eſt enim efficacior in ejuſmodi adfectibus, quàm Regulus ♁ij ſimplex, quamvis ſint, qui utrumque nihil ex hydrargyro habere putent.

XVI. Nitrum antimoniale ex aquâ lotionis diaphoretici, purgare & *anginæ* prodeſſe compertum eſt.

NOTA.

⦶♁ale) Parùm tamen differt à ⦶ fixo communi. Huic enim 🜍 commune adſumitur, in illo eſt 🜍♁ii, quod ſe ex parte ⦶ junxit, nam major pars detonando evanuit.

XVII. Tincturam ex magnete cum aceto ♀ij & ſpir. ⊕i paratam & *coli dolori*, & *hydropico* tumori profuiſſe accepimus à fide digno. NOTA.

Magnete) magnetem umbilico impoſitum colicis profuiſſe quidam narrant. Cauſam non edicimus, quia ab aliis intelligere præoptamus. Si tamen magnes venenum eſt corpori humano, quod occultâ tabe lentè

co-

conficere perhibetur, cavendum ſanè fuerit. Ipſum certè acetum ℥ij ⊕atum ſatis efficax, etiam abſque magnete.

XIIX. Luſitanis novum ſatiſque jam cognitum remedium eſt ad calidos *capitis dolores* Conſerva Golvaon dicta, i. e. Aromatonymphææ Indicæ.

NOTA.

Golvaon) vid. Marc. Ant. Recchum & reliquos Indicorum ſcriptores.

XIX. Conſervâ fl. amaranti c. oleo ſuccini ad *epilepſiam* aliosque morbos capitis uſus eſt P. Aſſelinæus, ſenior, Medicus Aurelianenſis.

NOTA.

Amaranti) vid. quæ de elaſticis Williſii diximus ſuprà Obſ. II. Amaranto ſanè vis coërcendi ab adſtrictione, quæ cum alvi fluxibus & hæmorrhagiis manifeſta.

XX. Idem catarrhis tenuioribus continendis ſuccum cydoniorum adhibebat caphurâ permixtum, & caphuram cydoniatam appellabat.

NOTA.

Caphuram Cydoniatam.) Elegans contrariorum colligatio. Cydonia enim incraſſant, caphura ſiccando diſcutit.

XXI. Tremori & paralyſi incipienti Joh. Veslingius expertum adfirmavit panacis Pharnacii Pliniani ſuccum denſatum.

NOTA.

Panacis Pharnacii) vid. Plin. XXV. 4. eſt virga aurea G. Bauhini Theatr. Botan. lib. VII. ſect. IV.

XXII. Idem ad *epilepſiam* experimenti nomine nobis commendabat Talictrum Virginianum.

NOTA.

Talictrum Virginianum) elegantiſſima planta latè ſuccreſcit. Superiori anno mirè luxuriavit à nobis conſita: & primâ mox æſtate ſemen in ſiliquis tenuibus oblongis copioſiſſimum protulit, nec ceſſavit in auctumnum uſque floſculos & ſiliquas maturas ſucceſſivè pro trudere.

XXIII. Generoſiſſima Comes à Flekenſtein *tinea & alopecia* correpta, purgata eſt pilulis ☿ dulcis à Fabiano Leucopetræo; pul-

verem

verem viperinum ſæpiùs ex vino ſaccharato ſumpſit: lixivio cynogloſſi caput abluit, & pinguedine natricum German. illita convaluit.

NOTÆ.

Cynogloſſi) conf. quæ diximus in not. ad Jer. Martii Obſ. XXXIX.

Natricum German.) Eadem enim illis vis, quæ viperis ipſis, niſi quod minùs venenoſæ ſint, etſi nonnihil ſunt minores.

XXIV. In Mſo veteri Bibl. Patavinæ reperimus *rugis faciei* exterendis experimentum ſingulare liquorem anguium Æſculapii ſive Anthracinorum Patavinorum odoris gratia floribus roris-marini aut Jaſmini imbutum.

NOTA.

Anguium) Omni ferè ſerpentum generi id datum à naturâ. Nec externo tantùm uſu proſunt, ſed etiam interno. Potum ſanè vini, quo ſuffocata vipera, Anglicæ fœminæ pro coſmetico habent, quo epidermidem decidere, novamque renaſci ajunt.

XXV. In eodem, liquorem ſive ſuccum ex baccis ſolani tetraphylli (quod vulgò herba Paris) expreſſum ad epiphoras & ophthalmiam præcellentiſſimum remedium, ideòque (anima oculorum) appellatum.

NOTA.

Anima oculorum) Ex Arabe aliquo Medico id transſcriptum videtur, ut alia pleraque نفس العيون (נפש אלעיון) ש/

XXVI. *Fiſſuris labiorum* incomparabile eſt coagulum albuminis maſculum ſ. ςόλος ὀμφαλώδης Ariſtot. c. aq. roſ. & ſaccharo applicitum.

NOTA.

Maſculum) Quod Ital. gallatura. Conf. not. in Marcelli Cumani Obſ. LIX.

XXVII. *Hæmoptoën*, etiam diuturnam, Empiricus ſedabat datis ex aq. plantag. vel ſimili feſtucis ſecalinis, quæ vulgò ineptè, mater ſiliginis, dicuntur.

NOTA.

Feſtucis ſecalinis) αἰγίλωψ Græc. vid. Bauhinum pin. th. Bot. lib. I.

 ſect.

ſect.1. Dicuntur etiam clavi ſecalis. Exterius nigricant ſemina illius, & ungues quorundam animalium figurâ exprimunt. Ubique haberi poſſunt, ut non opus ſit Stolbergicam aut Thuringicam appellare cum Joh. Thalio in Silv. Hercyn.

XXIIX. In *Phthiſi* Frider. Echſius, Med. Reinfeldenſis feliciter utebatur ceraunochryſo cum oleo ♄i ſoluto, & iterùm coagulato.

NOTA.

Ceraunochryſo) Quid hoc poſſit ad Phthiſin, non ſatis liquet. Ex ♄o ☿um parabat olim Chemiatrus Neapolitanus ſine ulla hydrargyri vivi additione. Ejus ℥vj. cum ☉ʒj miſcebat ad uſus medicos. Sed luſus in nomine ☿ii, & proportio ad ☉ nulla eſt.

XXIX. Adamo Hebichio, Poliatro Auguſtano frequenti uſu commendata erat pulticula myrrhata dicta ad præcautionem *variolarum* & *vermium* in pueris.

NOTA.

Myrrhata) Ejus deſcriptionem dedimus in exerc. noſtrâ de vermibus capill. infant. venæ Medin. ſubjecta.

XXX. *Pareſin ex variolis* ſæpè obſervavit Chriſtoph. Heupergerus, Med. Auguſt. in adultis maximè, quos Ta. ſignata ambarata Maximiliani Imper. percurabat, cum & ſine ſudore exhibita.

NOTA.

Ambarata) Ejus facilis mixtura proportione ferè duodecupla.

XXXI. Idem tertianas in plurimis perſanavit cinnabari nativo.

NOTA.

Cinnabari nativo) Id non tàm propter diaphoreſin eligebatur, quam illam ob cauſam, quam ediximus not. in H. Reuſneri Obſ. CXIIX.

XXXII. Lugdunenſibus familiare eſt, veſicatorio ſuo *epilepſiam* curare, aperto ſervato ulcere per annum integrum.

NOTA.

Veſicatorio) Ejus hæc deſcriptio. G. Galbani, ammon. āā ℥ij. Picis navalis. Terebinth. Sinap. āā ℥jß. piper. long. ʒij pulv. cantharid ℥ij F.E. Sunt quidem & aliæ deſcriptiones, ſed quia non valdè placent, omittere ſatius judicavimus.

XXXIII.

XXXIII. *Hæmorrhoidas* tumentes fotu urinæ urticatæ in Galliis ſæpè curatas vidit Paulus Marquardus Slegelius, Poliatrus Hamburgenſis. Solâ etiam, ſed ſuâ in ſeipſo imminuit G. Scioppius, ipsô met referente.

NOTA.

Urticatæ) Dioſc. IV. 94. ad tumores etiam alios commendat: φύματα, παρωτίδας, φύγεθλα, ἀποςήματα.

XXXIV. Nimium *menſtruorum* fluxum experimento Solenandri ex ſucci plantag. ℥jv. cum colophoniæ ʒj. ter exhibito curatum obſervavit P. M. Slegelius.

NOTA.

Colophoniæ] Sic dicitur reſiduum à deſtillatione terebinthinæ. Vid. de fuliginum & reſinæ uſtæ viribus Dioſc. l. 93 Siccare enim planum eſt.

XXXV. Capiſtro captum chirurgus liberare conabatur ſectione, ſed ſive imperitiâ, ſive aberratione fortuitâ frenum virile altius incidit, & arteriam læſit, ut copioſum ſanguinem profunderet, Medicus accitus juſſit aquâ plantaginis cum ⊖ prunellæ miſtâ probè eluere, & eandem deinde cum linteis imponere.

NOTA.

⊖ *Prunellæ*) Vid. quæ de ⦶ & ⊖ communi ad curationem vulnerum utili diximus Hecatoſteæ II. Obſ. XCIX.

XXXVI. Celebre experimentum D. de Lort in *fiſtulis lacrumalibus* erat Tutiæ præp. ʒj. pulv. ℞j. ſubtil. ♄ crudi ſubtil. āā ʒß. cerusſ. lithargyri āā ℈j. c. cerato diachalciteos ꝟ.

NOTA.

♄ *Crudi*) Conf. not. noſtras in H. Reuſneri Obſ. CLXXXVI.

XXXVII. *Hyſterica* Monſpelienſis vomitu & diarrhœa cum cordis palpitatione adflicta, curata eſt, clyſmatibus infuſis, epithemate cordiali & pullis gallinaceis cordis regioni impoſitis, & aq. Naphæ cum aqua roſarum, artemiſiæ, cinamomi, confect. hyacint c. ſpecieb. diamargar. fr. & croco exhibita.

NOTA.

Pullis) An extrahendis malignis vaporibus, ut in punctūris vene-

noſis, & Feb. malignis? de quibus vid. Petr. à Caſtro de febr. punct.

XXXIIX. *Hæmorrhoidum* tumor cum dolore maximo viro generoſo moleſtiſſimus evanuit applicatione ol. roſ. amygdal. in quo cotyledon infuſ. adjectis guttulis Libanotidis coronariæ.

NOTA.

Cotyledon) Huic eadem vis, quæ ſempervivo ap. Dioſc. IV. 92. 93. & Cymbalariæ.

XXXIX. *Surditati* experta Lugduni pinguedo viperina cum pauciſſimis guttis olei ſuccini, auri infuſa, deinde admoto pane recente calido.

NOTA.

Impoſita) Præſtant ſuffitus, qui etiam Theriaci eſſe poſſunt, vid. not. in A. Gaſſeri Obſ. LXI.

XL. Arcanum mulierum Britannicarum ad *menſtruorum defectum*, præmiſſis univerſalibus, decoctum Cortic. ſalicis minoris in vino, ſua quoque experientia conteſtatus eſt G. Entius Medicus præclariſſimus.

NOTA.

Salicis) Huic obſervationi videtur adverſari Dioſc. I. 136. qui tàm fructui, quàm foliis & cortici & ſucco ϛυπτικὴν δύναμιν adſignat. Sed niſi in Codd. mendæ ſubſint, contrarii ſanè effectus arguunt, non ſatis hæc illi expenſa eſſe.

XLI. Nihil ad *vermes* facilius, præſtantius & jucundius adſeruit D. Pilonus, quàm aquam Hydrargyri crudi hâc ratione præparatam; ☿ crudi ℔j aq. ſimpl. fontan. ℔xij coq. & col. doſ. ℥iv. Addebat tamen ipſe ravendi Sin. ʒiß. ad libras aquæ ſingulas.

NOTA.

☿ *crudi*) Plumbago igitur illi adhærens hoc facit, nec enim aliud quid aqua ſimplici elui poteſt: id facit etiam plumbum ipſum, de quo in alio loco.

XLII. *Quartanæ* ſingulare evdiapneuſticum curatorium Empirico expertum ex vitro ℔ij cum ☿ crudo, purgato prius per alutam, ℳ. Non enim purgat, nec vomitum movet ſic præpara-

tum

tum, imò nec ſudores excitat, ſed verè diaphoreticum eſt per διαπνοὴν τὴν ἄδηλον.

NOTÆ.

XX ♁ *cum ☿ crudo*) Quod igitur parum abeſt â ☿ vitæ dicto.

Nec vomitum) De quo tamen valdè dubitari poteſt, ut tutius ſit aliis uti, niſi fortè in agreſti aliquo & robuſtiſſimo corpore.

XLIII. Perpetuâ alvi conſtipatione, â quâ catarrhi frequentes, infeſtabatur Cardinalis Granvellanus. Cum plurima Medicorum conſiliis admiſiſſet, pertæſus tandem omnium, ſolo hoc pugillato, ut vocabat, deinde uſus eſt. Fol. Senæ ℥vj. Myrobal. Citrin. Cabulenſ. Amlegor. āā ℥j. Sachari ℔iij. Aq. Cinamomi ℥jv. M, & fiant grana papaveraceis ſimilia, quæ iterum ſaccharo obducantur.

NOTA.

Pugillato) Ita vocant confectiones ſaccharaceas, quæ pugillis firmuntur. Nobis tamen elegantior videtur pulv. præparans Oxonienſib9 dictus, quem ex ſchediis MSS. Guil. Gaddani, Med. Angli, nobis olim dedit Jo. Rhodius, etſi nihil ſingulare contineat, quod hodiè non ſit omnibus notiſſimum: Fol. Sen. ʒiij. ſem. aniſi, fœnic. āā ʒß. Cinamomi ℈j. ſacch. roſ. ʒvj. Crem. ♀ri ad pondus omnium, datur hora ſomni ex ala Anglica, deinde mane ſequente tantundem.

XLIV. Patavinis mulieribus olim celebratiſſimam aquam Croci ad *hyſtericam* adfectionem & *menſtruorum ſuppreſſionem* reperimus in MSo Bibliothecæ Patavinæ. Succi bugloſſ. Dioſc. meliſſæ ſingul. ℔ij. Croci ℥i. diſtillentur.

NOTA.

Croci) Eadem vis etiam croco ſilveſtri ſeu cnico ſativo, qui crocus Saracenicus Matthioli. vid. Hier. Tragi part. II. Herb. c. CV.

XLV. *Hecticis & tabidis* quibuscunque Empiricus Venetus exhibebat Eſſ. ex Mumia rec. i. e. carnibus microcoſmi deſtillatione elicitam & ad mellaginis conſiſtentiam redactam, addito Mag. margarit. orient. ex lacte caprillo per pluſculos dies.

NOTA.

Microcoſmi) De iſtiusmodi remediis ſingulari libello egit Daniel Beccerus Med. Boruſſus Regiomonti. Sed vereor, ut plus jactantiæ, quàm utilitatis pleraque habeant.

XLVI. J. Faber, Profeſſor Witebergenſis, *Podagricis* cum ſucceſſu antiſcorbutica dabat, ſuccum ſc. cochleariæ & anagall. aquat. cum V ♀ ſato: extra autem admovebat aquam calcis vivæ chalybeatam, cujus ℔ij. pulv. æris uſti ℥ij. & Cinab. ʒij. infundi juſſerat.

NOTA.

Antiſcorbutica) Id ſatis jam notum, pleriſque Germanis uſitatum, in morbis omnibus ad miaſma aliquod ſcorbuticum reſpicere.

XLVII. *Callis pedum* Ol. laterin. cum calc. viv. deſtillatum â leviculâ inciſione illitum, optimum expertum, addebant nonnulli odoris gratiâ Ol. juniperini & ſpicæ guttulas.

NOTA.

Cum calce viva) Vid. ſuprà Obſ. I.

XLIIX. *Dyſenteriæ* epidemiæ feliciter pulv. dedit Jo. Veſlingius ex rhabarb. loti ʒi. Myrobal. Ind. Crem. ♀i āā ℈j. pulv. N. M. gr. iij. Sacchari roſ. tab. ⊕ati. ʒi. f. pulv.

NOTA.

Rhabarb.) Conf. quæ de iſto diſputant Practici. Nec enim adducere placet: quia pleraque frivicula ſunt.

XLIX. Idem expertus eſt pennas Pavonis minutiſſimè inciſas & in pulv. redactas præſtantiſſimum *hæmoſtaticum* ſuppeditare.

NOTA.

Pennas) Accipies tamen plumeas tantùm illarum partes, quæ etiam ex aliis volatilibus non minùs, quàm pili quadrupedum huic fini efficaces compertæ ſunt.

L. Pilulas ad *memoriam* expertas, profani vulgi denominatione D. J. Chriſti dictas accepimus olim â Doctorum noſtrorum Nobiliſſimo Melchiore Sebizio, ex aloës ℥i. Croci, myrrhæ āā ʒi Rhabarb. ʒij. agarici ʒi. Zedoar. gentian. āā ℈j. Theriac. opt. q. jugland. ß. F. magnitudine Francofurtenſium, quarum vij. aut ix. plures pauciores deglutiendæ. Extractum quoque ex iisdem ſive Elixir cum ſpir. vini præparatum ad gutt. vij. vel plures exhibendum.

Nota.

NOTA.

Pil.) Conf. quæ diximus de variis ElicſiriiProprietatis compoſitionibus in Exerc. de venâ Medinenſi.

LI. Antaphroditicum Moufeti, quod olim contra luem Indicam adeò efferebatur, conſtabat ex Decocto L. S. communi, & ſapone albo Veneto, quod paucis cognitum erat.

NOTA.

Sapone) Paucis id cognitum putamus. Eſt autem ſaponi vis anodyna, ita ut panis concoctu etiam tormenta exquiſitiſſima eluſa ſint. Qui enim hoc veſcuntur, ἀναίσθητοι evadunt. Ectroticum quoque medicamentum præbet, quod experimentis recentibus didicimus.

LII. Ad enterocelen puerorum Aſſelinæi curatio certiſſima. Serapium de Cichor. c. rhabarb. ad purgationem. Fomentum Salviæ & nuc. Cupreſſi cum Schœnantho. Subligaculum. pulv. rad. Valerianæ & nuc. Cupreſſ. ex juſculis.

NOTA.

Valerianæ) Eſt enim præſtantiſſimum vulnerarium medicamentum.

LIII. D. de Lurbigny â caſu undique contuſus, ſanguine extravenato, Diachylon Ireatum cum pulvere cumini, oleo rutæ, ſucco raphani & vino miſtum applicuit, citiſſimè reſtitutus eſt.

NOTA.

Ireatum) Vid. Pharmacop. Londinenſem, quamvis etiam ex tempore quævis emplaſtra Ireata reddi poſſint, ut nos ſæpiùs reddimus admixto extr. radicis.

LIV. Multum honoris lucrique acceſſit Petro Aſſelinæo Venetiis, *carunculæ in urethrâ* curatione. Ejus hæc methodus erat. Caſſia cum ſucco Glycyrrhizæ. Potus decocti althææ cum Glycyrrh. & Petroſelino, per xv. dies. deinde candelæ unguento illitæ immiſſæ. Ceruſſæ ℥. troch. Raſ. ãã ʒij. Tutiæ præp. Caphuræ ãã ℥ß. ung. alb. Raſ. & ol. roſ. q. ſ. m. Ni mox juvaret, addebat quibusdam etiam præcipitatum album.

NOTÆ.

℥ij.) Vid. quæ ſuprà notavimus Obſ. XXXVI.

Præcip.

Præcip. album) Ejus optima deſcriptio etiam interno uſui apta. vid. Epiſagm. noſtrorum Obſ. LXXXIX.

LV. *Mammarum tumoribus* duris Idem inſigni emolumento applicabat acetum myrrhidis cicutariæ.

NOTA.

Myrrhidis) vid. Emplaſtrum de cicuta. De uſu interno quoque ad Cambucam Veneream quædam non prohibita attulimus in ſpecimine Curationum propriarum, quam ſuo tempore, cum DEO, in lucem dabimus.

LVI. In podagrâ frequenti eventuum fortunâ exhibebat aloën ſtibiatam, i. e. oleo ♄ii. ſacchari additamento deſtillato, imbutam: deinde anodynum Extr. aſphalti mumiale cum oleo ☽. & Caryophyll. ac cinamomi præparatum.

NOTÆ.

Ol. ♄ Sacchari) Vid. ap. Jo. Schrœder. in Pharm. qui id ex Quercetano transſcripſit.

Ol. ☽.) De hoc quoque vid. eund. Non propriè enim Oleum dicitur.

LVII. Vir Nobilis in *calculo* ſuâ experientiâ aquam Myriophylli ſtillaticiam ἄδηλον habebat.

NOTA.

Myriophylli) Non communem adfuſâ aquâ, ſed ex ſucco expreſſo, adfuſo vino deſtillatam.

LIIX. Heroardus Faleſæus Vertuniamus in quibusdam ad *calculum* feliciſſimè uſus eſt Decocto L.[i] S.[i] cum rhamno Cathartico parato.

NOTA.

Rhamno Cathartico) Conf. de mixturâ purgantium cum ſudoriferis Epiſagm. noſtrorum Obſ. LXXXIV. At hic diureſeos intentione Lum Sum præſcriptum videtur: quanquam etiam purgandi cauſa in calculo ritè exhibeatur.

LIX. Generoſa Collinia Thalaſſarchæ Conjux *ſubmejulis pueris* præſenti affectu dabat radicem papaperis cum melle roſato; quanquam etiam Cryſtalli pollinem, & myrtillorum aut cupreſſi adjiciebat.

NOTÆ.

Papaveris) Eſt ſanè illi ſingularis vis ἐφεκτική in omnibus adfectibus.

bus. Conf. Dioſc. IV. 65. quà de ſativo nigro: Semen ejus cum vino potui datum contra fluxionem alvi fluoremque muliebrem: πρὸς ῥεῦμα κοιλίας καὶ γυναικεῖον ῥοῦν.

Cupreſſi) Vid. Dioſc. I. 102. qui κύστει ῥευματιζομένῃ καὶ δυσουρίαις commendat.

LX *Phthiſicis* Petrus Aſſelinæus aquam Ulmariæ, multo uſu edoctus, ſalubrem adnotavit, in victu optimum teſtudinatum adſeruit. Interdum & Patris ſui pnevmonicum dedit: Terebinthinam ſcilicet ♀atam cum pulvere nepetæ, & oleo amygdal. dulcium.

NOTÆ. *Ulmariæ*) Planta quippè egregiè Traumatica, ut profectò illa vis pyrotica memorata à Trago part. I. Herb. c. XCV. valdè dubia nobis appareat, quales hallucinationes illi in aliis etiam accidiſſe, peritis non ignotum.

LXI. Idem adfectibus omnibus ab *hepatis obſtructione* oriundis aquam radicis filicis & cardui benedicti cum aqua cinamomi & Lithoſpernio expertus eſt.

NOTA. *Filicis*) Conf. Dioſc. IV. 186.

LXII. *Quartanas* curabat J. C. Scaliger aceto cum pane & pulvere pyrio deſtillato, ad ℥ij. propinato: & Epicarpio ex hydrargyro cum Theriaca impoſito.

NOTÆ. *Aceto cum pane*) Cujus remedii pro corporum varietate diverſi effectus ſunt, aliis enim vomitus, aliis ſudores movet.

Hydrargyro) Conf. Epiſagm. noſtr. Obſ. IV.

LXIII. *Hydropem*, Turpeto minerali exhibito per ſalivationem curabat D. Turquetus, juxta diaphoreſin & diureſin procuratam. Præcipitatus is ruber erat cum ſpir. vini deſtillatus, in quo ⊖☿i. & ☾.

NOTÆ. *Salivationem*) Quæ huic tamen adfectui nequidquam convenit, & remis veliſque, ut dicitur, fugienda eſt: imò nec aliis unquam profuit. Conf. Not. noſtras in Conſil. Exoter. Cent. I. Conſ. V.

Præcipitatus is ruber erat) Quem vid. apud Schrœderum.

LXIV. *Ulceribus pulmonum* ⊖ cryſtallinum ex urinâ cum ſucceſſu adhibuit Petr. Aſſelinæus.

NOTA. *Urina*) Si aſthmati aut dyſpnoëæ adhibuiſſet, laudari poterat. Nunc, quia de ulceribus ſermo eſt, vix fidem habemus. Finge

enim abſtergendi vi pollere, quid eſt, quod reliquis indicationibus ſatisfacere queat?

LXV. Eſſentiam ſuam corporis humani D.Gnanius, Med. Lutetianus ad varios adfectus, inprimis capitis parabat non ex recentibus partibus, ſed vermibus muſculorum, nam viſcera omnia & inteſtina unà cum oſſibus abjiciebat.

NOTA. *Vermibus*) Non dixerim, quod benè: Alii viderint. Sed nec ipſa illa hypotheſis de ſymboliſmo cadaveris humani cum vivo corpore quidquam ſolidi habet. Tædet! ſed ideò tamen adduxiſſe non piget, ut quàm leviculis momentis etiam celeberrimi Medici ſua muniant, intelligatur. Conf. quæ diximus. Hecatoſt. noſtræ II. Obſ. XCIX.

LXVI. Idem *Apoplexiæ* inprimis & *Epilepſiæ* ſæpiùs exhibebat Ol. caſtorei cũ Terebinthina & ſpir. vini rectificatô deſtillatũ.

NOTA. *Cum Tereb.*) Erat igitur verius Ol. Tereb. Caſtoreatum. Quid? non licebat illi ſpiritum aut oleum in officinâ accipere & Caſtoreum aut ⊖ ejus, aut ping. aut ol. aut Mag. aut Eſſ. ex tempore pro lubitu admiſcere?

LXVII. In podagrâ ⊖ ♄ii. propinabat, ſpiritum vini vitriolatum partibus dolentibus admovebat, deinde oleum balſami artificiale deſtillatum inungebat.

NOTÆ. ⊖ ♄ij.) Vid. Schrœderus, cujus Pharm. omnibꝰ notiſſima.

Spir. vini vitriolatum) cujus uſus ſanè cautionem poſtulat.

Ol. balſami artificiale) Vid. deſcript. & cenſuram noſtram Cent. IV. Conſil. exoteric. Conſil. LXXXIX.]

LXIIX. Catarrho obnoxiis errhinum Empirici Germani, quem â Calvitio depilatum vocabant, in Italiâ celeberrimum erat CIↃ IↃXC. Hunc imitatus Chirurgus Alteſtinus CIↃ IↃ XCII. ſolo ſucco hederæ arboreæ utebatur.

NOTA. *Errhinum*) Conf. quæ de curatione ejusmodi catarrhi empirica cõmemorãt Naturæ Curioſi in Ephem. ſuis ann. I. Obſ. XXXIV.

LXIX. Nobilis Mediolanenſis *calculoſus* jam conclamatus, convaluit ſem. violar. & bardanæ, cum fol. quercus, ſaxifrag. & gran. lauri in pulv. redactis.

NOTÆ. *Sem. Viol.*) erat hoc Experimentum quondam Jo. Cratonis ap. Laur. Scholzium: & nobis quoque ſæpiùs cum ſucceſſu adhibitum, ſed non in conclamatis, quibus veſica onerata.

Bar-

Bardanæ) Vid. de Aretio Dioſc. IV. c. 91. p. 106.

LXX. *Chloroſin* in virginibus J. C. Scaliger curabat aqua Cruciatæ & Ulmariæ. Rhabarbarũ quoque & Agaricum cum ſaccharo, aquâ abſinthii prius irroratum exhibebat.

NOTÆ.

Cruciatæ) Gentianæ familiæ adſcriptam intelligas oportet. Nam alia eſt cruciata Dodonæi, quæ nec ipſa tamen aliena eſſe poſſet.

Ulmariæ) Huic vim tergendi purgandique adſcribit Tragus l. ſuprà c.

LXXI. *Iſchiadem* in Domina de Cheſnay curavit D. Scotus poſt corporis luſtrationes, fotu radicis cyclaminis cum vino Græco & urina impuberis infuſæ & contuſæ; illito deinde Balſamo ex ſebo cervino, adipe humano, opopanace, agrimonia, adianto, myrrhâ, caphura, lumbricis terreſtribus, vino lotis, catulis, & oleo ſpicæ ac ceræ præparato. At Joſephus Quercetanus, Philippo Meraldo, Medico Caſteldunenſi experimentum ſuum laudavit, oleum olivarum cum felle bubulo digeſtum, illitum â lotione & fomento prius adhibito ex aquâ Marcaſitæ argenteæ cum urina & vino deſtillata.

NOTÆ.

Cyclaminis) Conf. Dioſc. qui II. 194. laudat *πρὸς στέμματα καὶ ποδάγραν.*

Catulis) Hoc igitur experimentum non debuit â Zuelfero in Pharm. R. p. 241. ceu novum jactari, cũ ejusdem etiam mentionem Platearius faciat ex Ebnzacharia Raſæo, qui ſexcentis abhinc annis vixit. Add. Petr. Borell. Cent. III. Obſ. XXIIX.

Felle bubulo) *πᾶσαι αἱ χολαὶ δριμεῖαι θερμαντικαί.* Dioſc. II. 96. *ἐμπραστικωτάτη δὲ ἡ ταυρεία.* ibid.

Marcaſitæ argenteæ) Parum eſt, quod deſtillatione dare poteſt. Si quid enim unguento præſtat, ab urina ſola eſt & vino ipſo.

LXXII. *Coli dolorem* ſæpè curatum obſervavit Aſſelinæus ſpir. vini meliſſato cum ſucco Chelidonii & ſpir. ⊖i miſto.

NOTA.

Chelidonii) Aperit enim, incidit, terget, bilemque educit.

LXXIII. *Menſtruis ſuppreſſis* idem ſingulariſſimum invenit coſtum Indicum : ex quo electuarium Coſtinum componebat addito croco, cinamomo, xylocaſſia, & trochiſcis de myrrhâ.

NOTA.

Coſtum Indicum) Imò potiùs amarum Syriacum buxei coloris, qualem noſtræ officinæ habent, nec alium, nam candidus, Arabicus & Indicus dulcis eſt, id eſt, minus calidus & acris, quàm ille, quod verè Ebnſinâ lib. II. c. XIX. commonuit, ſed apud eundem, quod Plempius vertit : Præſtantiſſimus cenſetur candicans : & mox : ſuccedit Indus niger & levis : ſequitur niger Syriacus. Sic legendum deinceps eſt : p.c. c.ſ. I. niger & levis, ſequitur buxeus ſive flaveſcens Syriacus, صغر النديّ اسو والسوريا في

LXXIV. Idem ⊖ volatile Terebinthinæ ex fumo collectum, pilulis, & ſpiritu, quibuſvis aliis ejuſdem remediis efficacius deprehendit, ideoque arcanum certum alios celavit.

NOTA.

⊖ *volatile*) Atqui celari non merebatur. Cui enim non dictus Hylas.

LXXV. G. Turnerus ſal ♄i ex minio cum urinâ parabat, & aurum potabile pauperum appellabat, quia omnibus adfectibus conferre expertus erat, quibus & illud commendatur.

NOTA.

⊖ ♄i) Præparatur cæteroquin cum 🜿o. Sed parum intereſt, niſi quod cum iſto paratum Kalinum videatur, ſ. ut vulgò vocant Alkali : cum urinâ autem magis accedere videatur ad volatilia. Interim uſum cur plerique ſuſpectum habeant, non liquet, quia multa alia ſimilia ex metallis non reformidant.

LXXVI. Idem & laudano opiato præferebat laudanum ex ol. ♄ii per deliquium paratum, adjectâ myrrhâ, croco, maſtiche, margaritis & auro bracteato tenuiſſimo.

NOTA.

Ol. ♄ii] Eſt enim etiam in ♄, ut in aliis pluribus, vis pariter anodyna & diaphoretica : de quâ in Pharm. plura.

LXXVII.

LXXVII. Narcoſin opii in oleo potiſſimùm conſiſtere, experimento ſuo probabat Aſſelinæus, quia per retortam extracto, ſal reſiduum in fundo amarum diaphoreticum, non aliâ qualitate pollere oſtendebat.

NOTA.

Oleo] Conf. Helmontium tr. de Duumviratu §. IIX. quod ante illum jam dudum Angelus Sala obſervarat *ſect.* VI. Eſſ. vegetabil. c. II. & Felix Platerus de Narcoticis omnibus verè adfirmabat lib. III. Obſ. p. 504. & Con. Geſnerus lib. 1. Epiſt. f. 46.

LXXIIX. *Coli dolorem* à vini potu Germanis familiarem in plurimis ſanabat Joh. Gregorius Gobelius, Archiatrus Moguntinus, & deinde Bavaricus: clyſmata infundendo emollientia potiùs quàm acria: potione exhibita ex Manna & Rhabarb. c. aq. chamæmeli: ſed ſi pareſis jam ſuperveniſſet, hieras dabat aliaq; purgantia validiora: abdomini & artubus illinebat ſpiritum vini cum oleo juniperino miſtum.

NOTÆ.

Emoll. potiùs) Conf. quæ de coli dolore bilioſo notavimus ad Jerem. Martii Obſ. XXXIII.

Cum ol. juniperino) Ineptè. Cur enim non ipſum ſpiri. juniperi ſincerum, ſi conveniat: aut oleum unguento aliquo alio remixtum.

LXXIX. Parùm diſtant ab iſtis *coli dolores* bilioſi, qui viro nobili tàm atroces & tàm diu moleſti erant, ut de ſalute illius plerique deſperarent. Hic tandem Balſami Peruani nigri guttula j. in juſculo exhibita reſtitutus eſt. Sed id D. Heldinerii Belgæ arcanum experimentum erat in quovis ejuſmodi dolore, à quacunque causâ exortus eſſet.

NOTA.

Balſ. Per.) Non convenit id cæteroquin in bilioſis, interno uſu, niſi ab acrimoniâ fortè inteſtina eroſa fuerint. Sed quid hoc caſu guttula j. præſtare potuit? Sunt alii, qui ad ℈ß. & ℈j. uſque propinant. Nos mallemus Tolutanum ſiccum, aut Opobalſamum or. verum exhibere. Nam nigrum iſtud Americanum anorexiam & ventriculi ſubverſionem inducere certum eſt, ut nauſeam etiam adſumentibus moveat, quod ſæpiùs etiam in me ipſo expertus ſum.

LXXX Empiricus Caſtrofrancanus, notante Aſſelinæo, in *febribus* inſigni emolumento purgantibus diacodium addebat, curationem reliquam aqua Ulmariæ per diaphoreſin perficiebat.

NOTA.

Diacodium) Vid. quæ de mixturâ diaphoreticorum & purgantium diximus Epiſagm. noſtrorum Obſ. LXXXIV. Eſt enim eadem ratio Narcoticorum. Omnia enim Narcotica etiam ſunt hydrotica & diaphoretica, niſi impediantur, ut ſuprà ex Plateri mente diximus §. LXXVII.

LXXXI. In duabus perſonis *cancro exulcerato* laborantibus D. Pageot, Med. Pariſienſis, expertus eſt folia clymeni contuſa & impoſita plurimum profeciſſe.

NOTA.

Clymeni) id eſt, Periclymeni, quod vulgò Matriſſilva.

LXXXII. *Pleuritidem* flor. buxi & bardanæ in pleriſque curatam adnotavit Petr. Aſſelinæus.

NOTA.

Flor. Buxi) Tàm ſunt iſti exigui & verè non multi, ut collegiſſe operæ pretium non videatur. Quid multis opus? Rulandum vide, qui oleum ſuum Heraclium ſæpiùs commendavit. Plerique quidem id ex Guajaco aut corylo deſtillatum ſuſpicati ſunt: nonnulli tamen etiam ex buxo. Nec multum refert. Omnia prodeſſe poſſunt. Neutrum ex iſtis omnibus palato gratum eſt, ſed fœtet, & ſapore aduſti ligni amaricat.

LXXXIII. Idem ſuo tempore Romanis Medicis ad *febres malignas* & *venena* cruciatam Dodonæi in pretio fuiſſe commemoravit.

NOTA.

Cruciatam Dodonæi]Huic vim aperiendi cæteroquin & vulnera curandi attribuunt

LXXXIV. Inter externa ad *atrophiam* ol. Mumiæ cum pinguedine humanâ nihil præſtantius animadvertit idem D. Eucharii experientiâ.

NOTA.

Ping. human.) Dixiſſe debebat quo uſu, externo, aut interno? Dicamus igitur nos, utroque: ſed ægrotus id neſciat, neceſſe eſt: ſi meliora Medicus ignoret. LXXXV.

LXXXV· Spongiolæ juglandium ſecreto Italorum Chirurgorum experimentò *ulcera genitalium* peregregiè deſiccant.

NOTA.

Spongiolæ Juglandium) Hoc illis cum ſpongiolis cynorrhodi commune ſæpiùs expertum eſt.

LXXXVI. Fuit qui *hydropi* lapilloſum vomitum chelydri expertum profitebatur.

NOTA.

Chelydri) Eſt lapis chelydrites, ſed foſſilis, qui ſpiritu ⦶i in pollinem chemicum redactum hydropi commendatur: à formâ nomen inditum. Sed qui hunc vomitum laudabat, ſerpentes aquaticos ad ſolem in aëre ſuſpendi volebat, ſuppoſitâ pelvi aquâ plenâ, donec lapillum evomuiſſent. Experientiæ id relinquendum. Nam & vomitus bufonis Helmontio celebratus adeò rarò impetrari poteſt ad peſtem, ut cum hoc ipſi ſuboleret, κρησφύγετον excogitarit: bufonem, niſi probè animadvertatur, quæ rejecerit, ſtatim denuò tranſvorare, niſi prohibeatur, ſc, appoſito aliquo cuſtode, qui Argô ſit oculatior.

LXXXII. *Dentes corruptos integros eximere* licet, ſi cicada æſtate inter ſegetes cantando ſe oblectans contuſa imponatur. Hoc adeò certum prodidit Aſſelinæus, ut multam pro arcano pecuniam ab chirurgis ſibi perſolutam profeſſus ſit.

NOTA.

Cicada) Idem de ranis arboreis viridibus nonnulli adſerunt, quibus tamen experientia nondum adſtipulatur.

LXXXIIX. Chemiatrus Neapolitanus *verminoſos* curabat, verme vivo ventriculi regioni ſuperadligato, donec emoreretur, hoc enim facto omnes in corpore reliquos ſimul commori adfirmabat.

NOTA.

Verme vivo) Quamquam id nobis dubium videatur, ex ſymboliſmo tamen naturæ cauſa deduci poſſet.

LXXXIX. Ad *hyperſarcoſes* pulverem peti maris inter arcana Com. Gambaræ Brixienſis non infimum erat.

NOTA.

Peti maris) id eſt, Nicotianæ inprimis Indicæ ſive Virginianæ.

XC. Ad

XC. *Ad lumbricos* inteſtinorum extremum remedium Carolo IX Galliarum Regi datum, D. Harlæus perſcripſit aquam, in quâ plumbum liquefactum aliquoties extinctum eſſet, ſed ventriculum tamen eodem valdè refrigerari. Hoc ab illo acceptum D. Danſæus deinde in pluribus optimum deprehendit Caſtrofranci inprimis in D. Novelli filio, jam morti proximo.

NOTA.

Plumbum liquefactum] Omnes aquæ metallicæ huic intentioni aptæ, etiam chalybeata, aurata, mercuriata, ſtannata, vitriolata, antimoniata & ſimiles.

XCI. *Hydrophobiæ* experimentum ſæpiſſimè comprobatum à Damicella du Puys ſuccus erat Chryſanthemi expreſſus, cum vino exhibitus. Sed P. Aſſelinæus præterea addebat pulverem medii corticis cynorrhodi.

NOTÆ.

Cryſanthemi) vulnerariâ vi præditum herniis commendatur à Trago p. I.c.XLV.

Cynorrhodi) Vid. Plin. l. 84. Eſt enim vetuſtiſſimum remedium incubatione ab Æſculapio proditum, cui fidat, qui certiora non didicit.

XCII. Idem in morbis malignis Alexipharmacum Venerabilis Bedæ magnifaciebat. Eſt verò non aliud, quàm infuſum papyri litoralis, quam ex Hiberniâ acceperat, ab amico navibus tranſmiſſam.

NOTA.

Papyri) Nondum nobis quiſquam compertus, qui papyrum Hibernicam deſcripſerit, nec tamen dubium, præter Ægyptum & Indiam, etiam aliis locis, & in Europâ non minùs, quàm Aſiâ & Africâ provenire; ad arundines enim pertinet, quæ ubivis ad mare & flumina obviæ.

XCIII. *Tenaſmo* moleſtiſſimo ſuffitum conorum abietis præſentiſſimum remedium ſæpiùs adhibuit J.V. Rumlerus, Poliatrus Auguſt. & inteſtino recto deinde illini juſſit mucores ſeminum pſyllii & cydoniorum cum aquâ ebuli elicitos.

NOTÆ

Conorum abietis) Habent enim vim vulnerariam & ulcerariam: & humores acres in tenaſmo inteſtina rodendo ſæpè exulcerant.

Mucores pſyllii) Conf. Dioſc. IV. 70.

XCIV. Pellendis *ſecundinis* ſpir. Thlaſpeos myagroidis, & aquam Xyridis tanquam ſummum remedium commendavit Jo. Veslingius. Fit autem ille ex ſem. cum 🜄. Hæc ex radice deſtillatur.

NOTÆ.

Thlaſpeos myagroidis) Dioſc. II. 186. *κινεῖ ϗ καταμήνια ϗ ἔμβρυα φθείρει.*

Xyridis) Diuretica enim eſt, Dioſc. IV. 22. Omnia autem, quæ urinas movent, ſuo modo etiam menſtrua cient, & fœtus expellunt. Nec aliter alvi profluviis prodeſt, quàm humorum abundantiam divertendo, ut cum lotio excernantur, quâ de re idem l. c.

XCV. *Doloribus uteri* à partu moleſtiſſimis experimentum incomparabile Catharinæ Mediceæ Reginæ, ex Mſo Florentino, Thom. Stromajerus Med. & Chir. Cæſareus, nobis reliquit, pulverem fol. ſen. polypod. card. ben. ſem. fœnic. & fl. menthæ.

NOTA.

Pulv. fol. Senæ) Nil iſto opus. Tutius calidis diſcutientibus uti. Sena enim flatulenta eſt. Nec calor corporis à partu, quem nonnulli febrilem falsò putant, cum ſit à labore, prohibet; quod Theod. Mayeri experientia in tr. Mſ. de curâ gravidarum abundè firmatum in plurimis noſtratibus veriſſimum deprehendimus: etiam cum alii inutili diſputatione & tergiverſatione miſeras ferè ad deſperationem redegiſſent.

XCVI. At extra tempus puerperii à flatibus turgentem dolentemque uterum egregiè juvat Erigeron ſeu ſenecio dicta herba, aliis Jacobæa, ſi cum vino decocta bibatur, & cum Sale in ſacculis pubis regioni imponatur, Herbariæ noſtratis experimento.

NOTA.

Erigeron) Hoc multò efficacior eſt cinerariâ marinâ Africanorum, quæ in hortis noſtris colitur & perennis eſt, ſi à frigore nivoſo ac glaciali protegatur. Hæc نُحولن ابيم Ebnſinæ eſt, & verum Parthenium Hippocratis. Non enim differt Aſiatica ab Africanâ, niſi loco natali.

XCVII. Reſina Cardopatiæ ad *præfocationem uteri*, arcanum non revelandum videbatur, D. Wolfgango Mellæo.

NOTA.

Reſina Cardopatiæ) Si hæc Chamelæon album Dioſc. fuerit, ineptiunt, qui Gummi ejus ſeu reſinam Ixiæ nomine celebratam veneni crimine infamare conati ſunt.

XCIIX. *Sterilitati* mulierum, inſtitutis ex arte purgationibus, & V. S. ſi opus fuerit, nihil præſtantius ſibi cognitum in variis ſuis Practicis reliquit J. V. Rumlerus, quàm inſeſſus Valerianatos ex aqua pluvia concinnatos.

NOTA.

Valerianatos) Conf. Dioſc. l. 10.

XCIX. Antonii Viguaræ, Med. Patavini æmulatione Thom. Stromajerus *pſoras & leproſas* diſpoſitiones curabat ſero roſato cum ⊖e theriaco diutiùs potato, cui per intervalla aliquot dierum Conſ. fumariæ uſum cum ☿ dulci interponebat: poſtremò ad balnea ægrotos deducebat.

NOTÆ.

⊖ *theriaco*) Communi quidem illo, quod ex Galeno tranſcriptum Aëtius repetiit, & Pharmacopœiæ ſuæ etiam -- -- -- - inſeruerunt.

☿ *dulci*) Vid. tamen, quæ de Hydrargyri uſu quocunque in leproſis cavendo monuimus Chiliad. II. Obſ. Cur. LXXVII.

C. Ad *Luem Indicam* peregrinum noſtriſque novum experimentum Jo. Veslingius noſter orientalium populorum uſu adſeruit Decoctum Stoebes marinæ, quam nonnulli Smegma Vegetabile appellarint. Copioſum enim proventum illius in litoribus Ægypti, Palæſtinæ & Arabiæ retulit, quæ loca ipſe adierat.

NOTA.

Stoebes marinæ) Non tàm ſudores ciendo, cum illis locis ſub ſole plus quàm ſatis ſudetur, & ventilationibus potiùs opus ſit, quàm hypocauſtis & caminis: ſed detergendo & ſanguinem purificando, per inſenſilem maximè transſpirationem, aut etiam per urinas: quod tamen paucioribus commodum verè pronunciabat, iis ſanè nunquam proficuum, quibus genitalia læſa. Eædem propemodùm vires plantis cognatis ſunt, ſtoebi, ſcabioſæ, ſucciſæ, Serratulæ, jaceæ: conſ. quæ adnotavimus ad H. Reuſneri Obſ. LXVI. & CLXXIII.

MICTO-

II.
MICTOMIMEMA.

I. Seni à bove ſiniſtro latere *contuſo* ſectâ venâ Jo. Prevotius applicuit unguentum Foſcareni, manuſque veſperi fricari juſſit ad revulſionem.

NOTA.

Foſcareni) celeberrimum hoc deſcriptum vid. in Secret. ejuſd. p. 5.

II. *Cephalæam* contumaciſſimam, nullis remediis cedentem, veſicatoriis internæ coxarum parti admotis aliquoties ſuſtulit Benedictus Silvaticus.

NOTA.

Coxarum parti internæ) Revulſione ſc. longiſſimè inſtituta, quæ ideò commodiſſima propter inſignia vaſa, tàm ſanguiflua, quàm lymphatica & nervoſa, quibus maximus conſenſus per ſpinam dorſi cum cerebro.

III. *Herpeti miliari* efficaciſſimum Succum Tabaci expertus eſt Andrighett. Andrighettius.

NOTA.

Tabaci) Exulcerato ſc. ſed quem unguento roſato aut albo caphurato permiſcere utile fuerit. Ab unguento autem Nicotianæ nullum effectum felicem unquam obſervavimus.

IV. *Carunculam veſicæ* Emplaſtro Divino Fernelii feliciter curavit Adr. Spigelius.

NOTA.

Empl. Divino Fern.) Id vid. apud ipſum in Pharm.

V. Nobiles Venetæ nucleis nucis Indicæ lacte nutritis multum impinguantur.

NOTA.

Nucis Ind.) Jucundum hoc remedium, multoque commodius, quàm ol. ejuſd. expreſſum ex conis ſc. Palmarum Indicarum: de quibus conf. Jo. Prevotium de mater. remed. p. 218.

VI. Polonus *dyſentericus* & febriens, in ſtatu morbi tantam neceſſitatem fuligines expellendi oſtendebat, ut nulla arteriæ dilatatio obſervata fuerit, notante J. Prevotio.

NOTA.

Nullæ arteriæ dilatatio) Adeò ſc. diſtenta ſemper arteria, ut perpetua diaſtole videretur: ſed huic rei dubium occurrit: quod nullo diaſtoles ſenſu, nullus etiam ſyſtoles eſſe poſſit, ſed una & continua ἀσφυξία. Si enim ſyſtole ſentiatur, etiam diaſtole ſenſibilis erit. Nec licet unquam unam ſine alterâ cognoſcere aut ſentire, imò ne mente quidem rectè concipere.

VII. *Hypoſphagmata* cum ſucceſſu curabat Adr. Spigelius: Tutia c. 🜊o applicita aut vino rubro in ſtuppa.

NOTA.

Tutia c.🜊*o*) Lota commendatur ab Ebnſina lib. II. h. II. c. XXIII. ſiccandi facultate inſignis, cui 🜊 incidendi, attenuandi & diſcutiendi vim ſuperaddit.

IIX. Idem extracto ſiliquæ marinæ ad ventriculi angores feliciter utebatur.

NOTA.

Siliquæ marinæ) Ἄσαι Græcis jactationes ægrotantium ab oris ventriculi vellicatione, quam plerumq; ichores bilioſi, ſeroſi acreſque excitant. Ipſe quidem fructus ventriculo adverſatur, ſed ſerapium ejuſdem cum decocto capitum papaveris nobis ſatis expertum eſt, omnibus humoribus acrioribus fluxione concitatis demulcendis.

IX. Succus parietariæ *ſanguinem ſiſtit*, novo experimento Chirurg. Patavini. Nota addenda vid. infra p. 335.

X. Trochiſcos viperinos in *comatoſis* adfectibus ſingulares expertus eſt J. Prevotius.

NOTA.

Viperinos] Empiricus Venetus his ſtillaticium liquorem ex vermibus præferebat, efficaciorem, ut putabat, quàm ex ipſis carnibus elicitum.

XI. Adfectibus *uterinis*, alvo difficili, δραστικὰ nocentiſſima obſervavit idem.

NOTA.

Δραστικὰ) id eſt, vehementiora purgantia omnia. Lenientia igitur ſemper præferenda, quod ſæpiùs experti ſumus.

XII. In *calculo* uſum aparines præſtantiſſimum expertus eſt idem.

NOTA

Aparines) Effectu ſanè notabili, cujus nemo Rhizotomorum hactenus meminit.

XIII. Probatum eſt remedium, burſa paſtoris ſoleis pedum ſuppoſita, in *Cephalalgia*, ejusdem obſervatione.

NOTA.

Burſapaſtoris) Non eſt ejusmodi Hypopediis & Epitharſiis diffidendum. Nam vis illorum in venas transſumta per cutis ſpiracula ad cor ipſum tendit circulari ſanguinis motu.

XIV. *Nattam* ab opio appoſito abſumtam vidit D. Lælius.

NOTA.

Opio) Conf. Hiſtoriam, quam Vop. Fort. Plempius recenſet de Scirrho jecoris, Prevotii relatione exot, in Ebnſinæ lib. II. c. II. c. I.

XV. Phlegma ⊕i. infuſum ſandalo doloribus *podagricis*, præſentiſſimo auxilio admovit idem.

NOTA.

Phlegma ⊕i.) Quin ipſum ſpiritum acidularum Kyperianarum tumoribus frigidis quibuscunque, etiam podagricis, & nodis, Veronæ & Mantuæ feliciter adhibuit noſtro tempore Petrus â Caſtro, qui tamen cautione opus habet.

XVI. In *Aſthmate & Orthopnoëâ* V.S. optimum remedium, ſtatim ante uſum thoracicorum inſtituta, hunc enim præmiſſum, ægrotum præfocaſſe obſervavit Idem.

NOTA.

V. S.) Quod in Pleurorthopnoëa maxime evenit, de quâ Vincentius Baronius tr. ſingulari.

XVII. Expertum eſt ſummitates juniperi teneras non minùs purgare, quàm turiones ſambuci.

NOTA.

Juniperi) Sed valdè teneras eſſe oportet: adultiores enim aculeati, & eſui inepti evadunt.

XIIX. Rhizotomus Patavinus experimentum Proſperi Alpini retulit, Salviam creticam ad inſtar ſcammonii purgare.

NOTA.

Purgare) Sunt qui de hormino quocunque id adfirment. Nos dubitamus, & ſæpè aquis deſtillatis, eſſentiis, ſpiritibus, & quandoque etiam ſucco cum conſervâ utimur, nullâ ſuccedente alvi lenitione, nedum purgatione fortiori. Pulverem tamen cum butyro puerperis Epom-

 phalii

phalii loco optato eventu imponebat Veſlingius noſter, quem nos ſæpiſſimè imitati ſumus, cum obſtetricantes ſolo butyro anteà fruſtrà uſæ eſſent.

XIX. Vulgare eſt remedium ruricolarum in Italiâ, ambuſtis folia Phyllitidis recentia applicare: præſentiſſimâ ope: unde & Herba de Scottatura dicta.

NOTA.

Phyllitidis) Egregium ſanè remedium, ſed commodè adhibendum, quia haut parùm adſtringit, etiam apud Dioſcor. III. 121.

XX. In Melancholiâ Hypochondriacâ Tincturam lap. Lazuli expertus eſt Dominicus Sala.

NOTA.

L. Lazuli) Quæ facilis paratu, quemadmodum & Magiſterium ejusdem etiam pictorum pueris notum, ſi quorundam ſententia admittatur, ex colore vires æſtimantium.

XXI. Idem ℞am ☽æ nullam eſſe obſervavit. Sed ſi quæ ſit, potius ♀is dicendam, quæ ab illâ non ſeparata ſit: & ☽am quoque ignis operâ in ♀ redire.

NOTÆ.

℞*am* ☽*æ*) Hoc dubium videtur: aut ſaltem audaculum. Ex ☽a etiam in capellâ, ut vocant, ab aurifice depurata, quæ puriſſima & alieni nihil habet, ℞am elicuimus, quæ ♀i adſcribi nullo modo poteſt.

Redire) Hoc liquorum metallicorum ope impetrari quidem poteſt, ſed inutile & nemini deſiderandum opus: igni enim nudo depuratur potiùs, quàm deſtruitur, & ſepties excoctum puriſſimum redditur. Nec vera transmutatio eſt, nec eductio, ſive extractio, ſed combinatio.

XXII. Atrophiam à ſcabie venarum V. S[e] curavit Hercules Saxonia.

NOTA.

Scabie Venarum) Scabies cutis adfectus, quomodo venis propriè adſcribi queat, non liquet. Alii diſpiciant. Nobis abſtinere his ſatiùs videtur, ne ineptire, aut ſaltem externa internis confundere videamur.

XXIII. Excreſcentia indolens, fruſtrà emollientibus & dige-

rentibus

rentibus tractata, evanuit impoſito ♄o in aceto ſambucino macerato.

NOTA.

♄o) Satis quidem eſt ♄i uſus ſolus, ut etiam auri, aut Malagmatis hydrargyrati. Qui tamen aliquid ſingulare ex ♃o ſibi pollicetur, ♄um liquidatum in illo exſtinguat, ⊖ ejusdem commiſceat.

XXIV. Aqua panis in febri Hungaricâ, ſummum alterans, feliciſſimè exhibita eſt ab empirico.

NOTA.

Aq. panis) Conf. Chiliad. I. cur. Exoteric. Cur. ICCXXXI.

XXV. Euſtachius Rudius duas *hyſtericas* reſtituit V. S. in poplite jam conclamatas.

NOTA.

In poplite) Vid. de hujus ſectione Caſtellanum in phylacterio ſuo: & add. quæ nos diſſeruimus Exerc. noſtrâ de Venâ Medin. c. X.

XXVI. Verrucis in Coronâ penis, ab impuro congreſſu pulvis radicis petaſitæ expertus eſt Adr. Spigelius, & pulveri Savinæ prætulit.

NOTA.

Petaſita) De Savinæ baccis Ebnſina lib. II. h. II. c. I. vehementer diggerere & deſiccare cum morſu ſive acrimoniâ. Ulceribus malignis & phagedænicis Dioſc. commendat IV. 108.

XXVII. Fluxus alvi in lue Hungaricâ nunquam diaphoreſi ſiſtendus eſt, ſubſiſtens enim mala ulcera in habitu corporis excitare ſolet.

NOTA.

Subſiſtens) Id vix credibile videtur. Siſtere quidem noxium, ſed non per diaphoreſin: Adſtringentibus igitur & conſtipantibus in corpore ſubſiſtunt humores ulcerum cauſæ: Sudoriferis â corpore excluduntur, quibus ſi clyſmatum uſus acceſſerit, periculi nihil reſtare poteſt.

XXIIX. In *Coli* dolore aliquando pectoris dolor obſervatus, alternis moleſtiſſimus, uno ſc. creſcente, altero remittente & viciſſim.

NOTA.

Alternis) Id niſi vicinia diaphragmatis factum ſit, translatione certè ichorum per lymphatica & arterias accidit.

XXIX.

XXIX. Qui proclives ſunt ad lepram, non debent unctionibus hydrargyri ſubjici, nec aliis quibuscunque medicamentis σιελοκινητικοῖς uti, quia his lepra ſepulta in facie mox ſe prodit.

NOTA.

Hydrargyri) Eò enim tendit Hydrargyri vis omnis, & ſurſum commotis humoribus vitioſis proclivis iſta adfectus latentis retectio.

XXX. Si dolor aliquam corporis partem occupet, & ibi pus contineri ſuſpicio ſit ſudante ægroto præcipuè circa vultum & dolore permanente, certiſſimũ habendum pus illa in parte dolẽte colligi, unde licet non mutetur color partis, tamen aperienda eſt, ut evacuetur: experientiâ comprobante.

NOTA.

Aperienda eſt) Id ſæpè faciendum, etſi tumor nondum ſuppuratus appareat.

XXXI. Infantes quoque recens nati tumorem in capite circa futuram coronalem ſecum ex utero adferunt, hic goſſypio moſchato impoſito curatur, frequenti Italorum experimento.

NOTÆ.

Tumorem) Inflationem verius, quàm phlegmonem dixeris, & Oedematoden potiùs molliculum, quàm durum.

Moſchato) Siccando pariter, & diſcutiendo. Eſt enim in moſcho vis eximia diſſolvendi, & acrimoniam quandam habet, qua recens & genuinus etiam ſanguinem ex naribus provocat.

XXXII. In *hecticis*, ſi coxa doleat & intumeſcat, mortem inſtare obſervatum eſt: quod etiam fit, ſi vermes excernere incipiant.

NOTÆ.

Si Coxa) Fit enim abſceſſus quaſi criticus, non naturæ robore, ſed ἀπόςασις eſt, per epigeneſin & metatheſin vitioſam & inutilem.

Vermes) Denotat enim humorum vitioſorum abundantiam & caloris nativi diminutionem. Etſi enim ex propriis ſeminibus generentur, nunquam tamen ſine vitioſis ichoribus in corpore ſtabulantur.

XXXIII. Obſervati ſunt nonnulli, dolore capitis excruciati ſuper utrumque cilium hærente, pulſante & auguſto loco con-

contento. Hic ſolis exortu ſtatim incipiebat, occaſu deſinebat. Opinio erat ex ſanguine calidiori & arterioſo fieri: erat enim dolor pulſatilis, omnesque verno tempore laborabant, manè dolor mitior erat, circa meridiem invaleſcebat, noctu ceſſabat, refrigerato ſc. ſanguine noctis frigore. Poſt univerſalia frontale ex verbenâ contuſâ profuit.

NOTÆ.

Cilium) Barbari Med. ſuperiorum ſeculorum ejusmodi adfectum Clavum ſolebant appellare, quod tanquam clavus certo alicui loco eoque exiguo capitis infixus videretur: Sed in temporibus maximè aut ſyncipite. Hoc igitur rarius in fronte, ejusque parte, Cilio utroque, ubi ſc. nervus Opticus divaricatus in oculos tendit, comite arteria ex carotide oriunda.

Pulſatilis) Exiguæ quidem arteriolæ ſunt, quæ illic conſpiciuntur ſed communione generis & ſucceſſione quâdam cum vaſis majoribus dolorem ingentem pulſatilem fieri veroſimile apparet.

Noctis frigore) Non tantùm hiberno tempore, ſed etiam æſtivo: Solis enim abſentiâ vapores Geocoſmici non adſcendunt altius in aëre, radiis illius rarefacti, ſed circa terram craſſiores hærent, unde refrigeratio.

Verbena) Sæpiùs cùm alii, tùm etiam nos illâ uſi ſumus, ſed nihil magnifici obſervavimus, quod non fidelius flores papav. rhœados nobis præſtitiſſent.

XXXIV. Quibus *Oculi fluxione* laborant, & lentore â ſomno palpebræ inviſcantur, aqua roſar. in quâ parùm aloës diſſolutum, curati ſunt.

NOTA.

Aloës) Sunt qui lotam accipiant, ne mordacitate obſit. Sed id tùm demùm laudari poteſt, ſi ad ulcera deſiccationis tantùm gratiâ expetatur. Hoc enim caſu abſterſioni illotâ aptior. Ne noceat, grana tantùm duo aut tria ſatis fuerint ad totidem aquæ uncias.

XXXV. Mulierum venetarum creberrimum certiſſimumque experimentum ad hyſtericam adfectionem eſt H. Botrys, externo & interno uſu mirè utilis.

NOTA.

Botrys) Non meminit facultatis hujus Dioſc. *III.* 130. Sed dum Ambroſiam & Artemiſiam Cappadocum commemorat, hunc quoque uſum tacitus videtur innuiſſe.

XXXVI. Iisdem ad *fucos manuum* ⊖ lithargyri cum Ol. amygdal. in pretio teſtatus eſt D. Lucius, Chemicus Patavinus.

NOTA.

⊖ *Lithargyri*) & Marcaſitæ, & ♃. & ♄i quoque his utilis.

XXXVII. Movendis menſtruis paucula folia laureolæ cum vino decocta Nobilis fœmina in arcanis habuit Venetiis â celeberrimo Medico Cremenſi edocta. Non movebant vomitum, nec alvum ciebant.

NOTA.

Laureolæ) Vid. Dioſc. IV. *172.* de Chamelæa. Eadem vis etiam Thymelææ & Cucoro ejusdem IV. *173.* quod ſi non idem fuerit cum Matthiolano illo apud nos frequentiſſimo, ſaltem hoc noſtrum menſibus movendis & abigendis partubus exemplum memoravimus Hecatoſteæ I. Obſ. XCV. Quin omnia purgantia menſtrua ciere ſolent, ſed juſtâ nec minori quantitate.

XXXIIX. *Fiſſuris* mammillarum unguento roſato illito, folium hederæ terreſtris impoſitum præſens remedium obſtetricum quarundam in Italia. Ex pede columbino ſ. Geranio Rob. manibus contrito quaſi pileolum efformant fœminæ in Galliâ, & cum ſucceſſu applicant.

NOTÆ.

Hederæ) Egregiâ enim facultate glutinandi pollet.

Geranio Robertiano) Hoc etiam ad vulneraria & ulceraria pertinet: Feliciùs tamen res ſucceſſerit, ſi goſſypium ſucco imbutum appoſueris, aut etiam pileolos ex cera Geraniata efformaveris.

XXXIX. *Ulcus venereum* putrilaginoſum & exedens, ſolo uſu aquæ ſtillatitiæ bolbiti, interno & externo, curavit D. de Nove.

NOTA.

Bolbiti) Eſt enim illi vis detergendi inſignis, quam non tamen ex paſturâ omnium florum, ut vocant, accepit, ſed ex fermento ventri-

culi

culi & inteſtinorum, cum ſucco pancreatico, & bilis quoque aliquâ portione.

XL. *Graſſante febri peſtilente* D. le Feure, ſuccum calendulæ cum vino alb. propinabat. Plerique convaleſcebant.

NOTA.

Calendulæ) Hoc etiam Veslingii noſtri arcanum experimentum erat, quod fidum deprehendimus.

XLI. Limacem pratenſem cubito adligatum, indicio Jac. Sylvii omnes *febres* curare expertus eſt Petrus Aſſelinæus, qui tamen etiam aquam acetoſæ campeſtris ſ. rumicis exhibebat.

NOTA.

Limacem) Sunt etiam, qui ranas virides arboreas dictas febres ſanare adſerant, ſi manibus detineantur, donec exſpirent. Id ſi contigerit, non tàm idea aliqua pavoris aut Archei commotione Paracelſicis excogitata, fieri ſolet, quàm fermentationis p. n. in ſanguine cohibitione per vapores illi communicatos, & commeatu humorum circulari ad cor ipſum delatos.

XLII. Mulier flores liguſtri in vitro ſoli exponebat, addito pauco olivo, ne in pulverem ſiccarentur, colliquati q. in balſamum vertebantur, quo in Italiâ magnâ fama utebatur ad *ſcrophulas & ulcera* omnia putrida.

NOTA.

Liguſtri) Licebit etiam ex illis non tantùm vulgaribus, ſed etiam orientalibus ſive Cyprinis oleum parare odoratum & efficax, ſicut ex jaſmino & myrto.

XLIII. In *coli dolore* omnia irrita. Decoctum chamæmeli in juſculis profuit. Sed mox recurrit. D. de Laigre V. S^em^ inſtituit. Ceſſavit.

NOTA.

Chamæmeli) Hoc multum præſtat oleum ejusdem deſtillatum ſapphirinum, quod omnibus notiſſimum.

V. S.) Quippe billioſus erat, ichoribus ſanguini commiſtis, & per vaſa ſanguiflua circumlatis.

XLIV. CardinalisFerrarienſis ad *hæmorrhoides* uſus eſt cum inſigni levamento adipe felis domeſtici ſaginati.

NOTA.

Adipe felis) Sunt tamen, qui cati ſilveſtris præferant. Lenitioni ſanè doloris pinguedines omnes idoneæ, nullo delectu ſcrupuloſo.

XLV. *In Iſchuriâ* vinum, quo radix filipendulæ rubræ infuſa, mira præſtitit.

NOTA.

Filipendulæ) Conf. Dioſc. de Oenanthe *III.* 135.

XLVI. *Mammilla* adfecta rarò ad ſanitatem reducitur, niſi altera ſana â lacte ſiccetur. Siccatur autem, ſi ſugenda non præbeatur, & farina fabarum ac lentium cum aceto decocta imponatur. Hoc enim remedio nihil convenientius expertum ſive mammæ ſive teſticuli minuendi ſint.

NOTÆ.

Fabarum ac lentium) Conf. J.V. Rumleri Obſ.XCI. in Sylloge noſtrâ.

Nihil convenientius) Si cum cautione prudenter uſurpetur. Malignitate enim præſente aut acrimoniâ ichorum repercuſſâ, graviſſimi adfectus excitantur.

XLV*II.* Muſcus terreſtris Germ. Morſebab quaſi mors vetulæ, clavato ſimilis, ſub abiete minus tamen repit. Expellit per vomitum omne venenum, & quamvis vehemens videatur, tamen ſine periculo eſt: in *ſudore Anglico, febribus* & *podagra* expertus â Petr. Aſſelinæo.

NOTÆ.

Muſcus terr. Germ. Morſebab.) Germanis rectiùs dicitur Beerlapp: Gürtel-Kraut / id eſt, Lycopodium ſ. Cingularia. vid. Hier. Tragi herbar. lib. 1. c. CLXXX*I*X. qui podagræ pariter, ſed externo tantùm uſu commendat.

Sudore) Vid. quæ ex Rondeletii ſententiâ notavimus ad A. Gaſſeri Obſerv. XXIIX. Nemo enim, quod ſciamus, vomitum hoc caſu valdè laudavit, ut ſaltem notari mereatur.

XLIIX. *Impetigines* oleo ceræ cum flor. ♀is & Caphura feliciter curabat Idem.

Nos

NOTA.

Ol. ceræ cum fl. 🜂) Sed ſi quis noſtrum conſilium non adſpernabitur, præferet Balſ. 🜂 is Rulandinum, addetq; ſi opus ſit, ejuſdem Emplaſtrum Dia🜂. dictum.

XLIX. *Partum provocat* certo experimento interna pellicula ventriculi capi. Idem.

NOTA.

Pellic. ventric. capi]Nec capi electio præ gallinaceis quibusvis, nec pelliculæ ventricularis natura ſatis apta videtur huic inſtituto. Nec plura addimus, niſi ut experimentum fiat. Si enim ſucceſſerit, aliter deinceps de talibus philoſophandum erit, quàm vulgò fieri ſolet. Nos tamen experti ſumus, cordialia, etſi adſtringentia, pleraque partum promovere, roboratâ ſc. naturâ, cujus id opus unicum eſt.

L. Pulv. turis maſculi ad ʒi. ex ovo ſorbili ſæpius data idem plures *Gonorrhoicos* percuravit.

NOTA.

Turis maſculi) Idem facit & Maſtiche & G. Animé, quod arcanum cujuſdam experimentum novimus & quæcunque alia ulceraria. Nec enim aliud eſt gonorrhœa, quàm ulcus paraſtatarum, de quo Epiſagm. noſtr. Obſ. LXVII.

LI. *Gummia* ſ. nodi duri articulorum in lue Indicâ plurimis curata ſunt Oxycroceo c. ol. L. S. & amygdal. d. miſto experientiâ J. Prevotii.

NOTA.

Gummia)At longe præſtantius nobis compertum Emplaſtrum de ranis cum ☿ Vigonis aut ſimile ex tempore præſcriptum, omiſſis ſuperfluis c. ol. L. S. non fœtido permixtum.

LII. *Singultus* difficillimus Aloëdario cum Theriaca, propter veneni ſuſpicionem, brevi ſanatus eſt in viro nobili.

NOTA.

Aloëdar. cum Ther.) Si quid vulgaribus compoſitionibus tribuendum, Mithridatium hâc in re Theriacæ præferri poteſt. Etſi enim parùm differre videantur, fuit tamen, cum Mithridatium plerumque Theriacâ efficacius experti ſumus.

LIII. Jo. Hartmanni experientia ol. olivar. cum Rhabarbaro infuſ. & expreſſum ad cochl. j. exhibitum certiſſimum remedium contra *dolores coli* adfirmavit nobis Jo. Rhodius.

NOTA.

Rhabarbaro) Vid. ℴℴ Rhabarb. compoſ. Jo. Magebuchii & alterum eo melius Danielis Ergaſii: Item ol. benedictum Hemicephali Rom. & Bernardini. Hecatoſt. II. Obſ. XCV.

LIV. Idem magnete umbilico impoſito curatos à ſe viſos atteſtatus eſt.

NOTA.

Magnete) Hujus tamen effectus quæ ratio fingi poteſt? Nos ſæpè epomphaliis ex cruſtâ panis, aut etiam fictili vaſorum epithemate & ſimilibus multa præſtitimus in quibusvis abdominis doloribus. Nec cauſam habent ſingularem, qui ophitem eligunt.

LV. Infuſum ♁ii crudi ictericum intra triduum reſtituit.

NOTA.

♁ii crudi) Pollet enim vi abſtergendi inſigni, nec noxæ aut veneni ullum periculum, quod ignari ignavique homines tantoperè formidant. Eadem ♁ii natura, quæ ♄i eſt: neutrum periculoſum, ſed interno uſu prudentiâ tantùm Medici moderandum vidimus olim Medicum Caſtrenſem Gallum in enematis decocto ℥vj. crudi illius cum fructu præſcripſiſſe. Hoc delicatulo alicui cenſori nimium videri poterat. Sed ſi quis pondus ejuſdem ♄i etiam gravius cogitet, ſummâ cum ratione præſcriptum fatebitur. Quid enim ʒj. vel altera ejuſmodi gravis ponderoſique corporis præſtiterit in decocto, cujus major pars abjicitur.

LVI. Adrianus Spigelius in conſultatione quâdam aloën tanquam ſummum ad *impotentiam* remedium commendavit, probante Hier. Fabr. ab Aquapendente.

NOTA.

Aloën] Non malè, ſed uſus tamen modicus ſit, ut ne purget. Præſtaret igitur Americanâ recente uti, quæ parùm aut nunquam purgat.

LVII. Idem ſola aquâ fol. quercus ulcera deplorata tibiarum percuravit.

NOTA.

Aqua fol. quercus] Et hæc nobis quoque non diſplicet: quicquid tamen facit, ⊕i illius vi facit, quod in quercu latet, & ad ſenſum etiam elici poteſt.

LIIX.

LIIX. *In aſcite* quidam feliciter uſus eſt cataplaſmate ex ſapone Veneto cum ♈ & ramentis raphani miſto, ſæpiùs repetendo.

NOTA.

Sapone Veneto) Conf. quæ de fiſco ſaponaceo notavimus ad Jer. Martii Obſ. XL.

LIX. *Folia ceraſi* arboris contuſa naribus indita, hæmorrhagiam ſiſtunt, experientiâ Jo. Prevotii.

NOTA.

Ceraſi] Habent enim aliquid gummoſi, quo venarum arteriarumque orificia claudunt, quemadmodum & gummi ipſum.

LX. *Pulmonibus* exulceratis extractum corticis medii ſalicis tenellæ, antequam folia emittat, collecti, expertus eſt ſingulare remedium idem.

NOTA.

Salicis] Nemo ignorat noſtrâ ætate plures fungos illos, ſive pilulas excrementicias ſalicis, tanquam ſingulare experimentum propoſuiſſe: de quibus iccircò egimus Hecatoſteæ *I*. Obſ. LXI.

LXI. Clavis pedum emplaſtrum Vigonis cum ☿ ſæpè expertus eſt Thom. Platerus, aliquando à pediluvio & craſſioris cutis remotione ſenecionem adfrictum etiam impoſuit cum ſucceſſu.

NOTÆ.

Emplaſtrum Vigonis] Imò etiam ſine ☿, à quo plerique abhorrent.

Senecionem] Huic vim repercutiendi lib. *I*. Herb. c. XCVI. cum adſcripſiſſet Hier. Tragus ſeq. c. XCVII. parùm ſententiæ ſuæ memor facultatem deinde diſcutiendi tribuit.

LXII. Aq. Lapathi ſtillaticia per menſem integrum bibita plurimos *oculorum* adfectus perſanavit.

NOTA.

Lapathi] Lapathis omnibus vis quædam purgandi ineſt, experientia Illuſtr. Veslingii, quâ ratione ſanguine ſuccoque nutricio depurato ſpiritus vividiores clarioreſque fieri neceſſe eſt.

LXIII. Sanctorius Venetum quendam inſertis radd. Thymelææ auriculis perforatis à ſuffuſione diu præſervavit.

NO-

NOTA.

Thymelæa) Conf. quæ de Helleboratis cauteriſmis nonnulli poſt F. Platerum obſervarunt, & add. quæ de Helleboro in fonticulis habet Jo. Walæus Meth. Med. p. 43.

LXIV. In *hydrope* ſuccum Chærephylli ad ℥ij c.vin.alb.ſæpiùs datum, diureſi & roborationi aq. cinamomi, exterius autem urinam impuberum, cum ⊖ prunellæ coctam, impoſitam, remedia optima experti ſunt plures.

NOTA.

Urinam] Quin hæc deſtillata, ut ſpiritum & ⊖ volatile ſuppeditet cum ⦶ mixta ſatis efficax & commoda, etiam ut bibatur. Nec multum differt à Chryſocolla factitia Venetorum.

LXV. D. de Belleval ad *hernias* efficaciſſimum obſervavit cataplaſma ex Oſmunda regali dicta.

NOTA.

Oſmunda regali] Os mundi Hier. Trago lib. II. Herb. c. XVI. eſt aphaca Dioſc. II. 137. quintum Viciæ genus ulcerarium: quo nomine heîc prodeſſe poteſt. Sed quam Oſmundam regalem ſemibarbari appellant, eſt Filix major, & ipſa ulceraria ap. eund. lib. I. c. CLXXXVI. egregiè deſiccans.

LXVI. Quæ *difficulter pariunt*, ſi magnetem manu dextrâ tenuerint, tanquam miraculo ſubitò liberantur.

NOTA.

Magnetem] Experimentis igitur opus fuerit, ut Galeni ſententiæ concilietur, qui magnetem eaſdem vires cum Hæmatite habere adſerit: Hic verò ſanguinem & partus retinet: ex quo transſcripſit etiam Boëtius de Lapp. & Gemm. lib. II. c. CCLIII.

LXVII. *Pleuritici*, quicunque per initia vomunt, omnes evadere comperti ſunt. Hinc Quercetanus Crocum metallorum exhibet. Sed ſi dolor ſæviſſimus fuerit, præſtat ol. amygdal. d. ad ℥ij. vel ℥iij. c. Laudani opiati gr. ij. vel iij. propinare: quod in plurimis probatiſſimum.

NOTÆ.

Vomunt] Spontaneus ſc. vomitus intelligendus; nam cæteroquin plerumque nocet, monente Petr. Jo. Fabro Cur. Spagic. LX. quo nomine etiam

etiam Jo. Freitagius IV. auror. Med. c. XV. aquam benedictam Rulandi non admittit.

Opiati] Hujus cautior uſus ſit oportet, non tàm ipſius remedii cauſâ, quàm hominum, qui plerumq; non cauſas pro cauſis criminantur. Mitigantia ſanè etiam ante S. M. laudat Euſtachius Rudius lib. *I.* de Vit. c. XLV.

LXIIX. *Tinea* in puello Nobili, pileolo ex carne ſuillâ ſalitâ impoſito brevi percuratus est Patavii.

NOTA.

Carne ſuillâ] Vid. quæ de ſuillis cutibus & carnibus ad curationem lepræ conſuluit famoſus ille hiſtrio Fr. Mar. Burrhus Mediolanenſis.

LXIX. Tinctura & extractum Aſpalathi roſei ſ. Aloaſtri Rhodiaci ad *eructationes ventriculi* præſtantiſſimum remedium expertus eſt Hier. Reiſnerus. Noſtratibus Rhabarbarum craſsè inciſum cum guttâ olei ejuſdem deſtillati feliciter uſitatum.

NOTÆ.

Aloaſtri Rhodiaci] Conf. obſ. ejuſd. in Exerc. de ſcorbuto.

Ol. ejuſd.] Quamvis nonnulli odorem illius vehementiorem averſentur: qui verò externis tantùm uſibus unguentariorum ſervire debere putant, falluntur.

LXX. *Morbis malignis* Echidnophthalmi ſive lapilli Melitenſes, ſemirotundi & nigricantes, alexipharmaci præſtantiſſimi comperti. Iiſdem viribus pollent & Gloſſopetræ, maj. & min. quarum uberior proventus eſt, & moles amplior, illi enim rariores, vix eâ copiâ haberi poſſunt, quæ medicis uſibus conveniat.

NOTA.

Echidnophthalmi] Sic nos vocamus: deſcriptionem vid. in Muſeo Olai Wormii lib. I. ſect. II. c. XI. qui oculos ſerpentum petrefactos vocat: quod tamen non videtur veroſimile, ſunt enim lapilli ſui generis, quemadmodum & gloſſopetræ, quas nonnulli lamiarum dentes perperàm opinantur. Nos plurimos habemus, ſplendidos, nigros, & alterâ parte nonnihil excavatos: quoſdam etiam lineis albis decuſſatis inſignes & raros, de quibus aliàs.

LXXI. Expertum eſt, aquam auratam ad inſtar chalybeatæ, per exſtinctionem paratam *paronychiæ* dolores ſedare, ſi digitus in illâ aliquantiſper calidâ detineatur.

NOTA.

Aq. auratam] Hæc ſanè in omnibus aliis adfectibus internis chalybeatæ meritò præfertur.

LXXII. Fernelii exemplo Medicus Bellunenſis plurimos à *gonorrhœa virulentâ* curavit pilulis, ariſtolochia, gentianâ, myrrhâ, aloë, mithridatio & terebinthina Venetâ cum ſerapio althææ factis perinæo inuncto ſucco ſedi majoris & plantaginis cum ⊖le: ♄i m.

NOTA.

Fernelii] Vid. ipſum de lue.

LXXIII. ☿io vitæ aquâ plantag. ſoluto & per chartam trajectò, plurimis *ulcera maligna* percurata ſunt.

NOTA.

☿ *vitæ*] Huic præferri poſſet ſpiritus ⊕i philoſophicus, qui ab ejuſdem præparatione reſtat: aut etiam ☿ ritè ſublimatus, cui pulvis aut ſcoria reguli ♁ i admiſceri poteſt.

LXXIV. Viro religioſo *epileptico* Julius Alexandrinus pilularum uſum ſuaſit ex caſtorei, ſanguinis Draconis, ♁ii mineralis, i. e. crudi, & opopanacis partibus æqualibus cum aquâ pæoniæ miſtarum ad ʒj. alternis ſumendarum.

NOTA.

♁ *Mineralis*] Non eſt ſanè contemnendus aut noxius crudi uſus, ut nonnulli rerum naturalium inexperti putant. Sed cura tamen adhibenda, ne ſine delectu quodcunq; obvium adſumatur. Id optimum, quod ex mineris auriferis haberi poteſt, quibus & plumbum reperitur. Ad hujus enim naturam proximè accedit.

LXXV. Abbas ad S. Nicolai Venetiis ſolebat *dæmone vexatis* potionem hanc exhibere: Hellebori albi ʒj Cinamomi el. ℈ß F. Infuſ. in vini albi ℥iv. colaturæ addendo pauxillum ſacchari. Plurimis evacuatione copioſâ utrinq; profuit, ut exorciſmo ne quidem opus fuerit, quo in cæteris utebatur.

NOTÆ.

Potionem] Non diſplicet in infuſo: in pulvere enim minùs commodum, quod etiam Ariſtoni cognitum in ſimilibus ap. Jo. Stobæum Serm. LXXX. ὁ ἐλλέβορος ὁλοσχερέστερος μὲν ληφθεὶς καθαίρει... εἰς δὲ πάνυ

πάνυ μικρὰ τριφθεὶς πνίγει. Nec facilè admittenda ſententia Nohi, Med. Pr. ſuæ c. XXXIII. qui lapidem Armenium eidem juxta veterum conſuetudinem præferebat. Extracto Hellebori nigri cum Flor. Caſſiæ feliciter uſus eſt Benedictus Silvaticus Cent. *II.* Conſ. LXXVII. ad ʒß. uſque ℈ j. & ʒj integrum exhibuit etiam Melch. Sebizius Med. Pr. Spec. ſect. II. c. IV. & nos ad ℈j plurimis dedimus in melancholicis adfectibus, nec facilè id ponderis, niſi inſaniæ curandæ, exceſſimus.

Exorciſmo) Et nos quoque Patavii plurimos ex ruſticanâ plebe utriuſq; ſexus homines vidimus ad aras ſanctorum & pedes exorciſantium delatos, qui fruſtrà excarnificati in noſocomio deinde publico Helleboriſmis reſtituti, ipſo eventu comprobarunt, ſe non dæmoniacos, ſed melancholicos tantùm, aut maniacos fuiſſe.

LXXVI. Radice Scorzoneræ ſaccharo obductâ ad hypochondriacam feliciter uſus Jo. Bapt. Taxia, Regis Hiſpan. Orator Pariſiis.

NOTA.

Scorzoneræ) Conf. Hecatoſteæ noſtræ II. Obſ. XXIX.

LXXVII. Piſanorum conſuetudine probatiſſimum remedium eſt ad *reparandos pilos* linimentum ex melle cum ovis formicarum paratum, facto, ut vocant, ſtrato ſuper ſtratum.

NOTA.

Ovis formicarum) Hoc nobis magis adridet, quàm ſi in pulverem redactæ cum veſpis & ſimilibus inſectis reſiccatis admiſceantur.

LXXIIX. Virgo ſacra hyſterica optimè reſtituta eſt à Medico Belga, ſolo aceto Leucoji, inſolatione parato.

NOTA.

🜊o *Leucoji*) Idem tamen etiam 🜊 fol. rutæ præſtiterit. Vid. Dioſc. III. 138.

LXXIX. *Coli ileiq;* dolores ſuſtulit nux Metella Indica ad ʒj. exhibita, Jo. Bapt. Olivi imitatione.

NOTA.

Nux Metella] Narcotica Ebnſinæ lib. II. tr. II. c. III. Tatura vulgò Turcarum dicta: Hippomanes cratevæ ſive fructus Mamonii.

LXXX. Heliotropium majus Matthioli *vermes* certo experimen-

rimento enecat, ſolo adfrictu, relatione Rhizotomi Patavini, unde & Italis vermaria dictum.

NOTA.

Heliotropium majus M.) & Dioſc. IV. 193. bilem & pituitam alvo expellens.

LXXX. Putamina nucum juglandium contuſa in linimentum c. aq. plantaginis redacta, aut adſtringenti unguento alicui remixta, *hæmorrhagias* omnes ſiſtere comperta ſunt.

NOTA.

Nuc. jugland.) Habent enim vim manifeſtam adſtringendi ſatis validam, atque ex ſucco ⊕ elici poteſt, cujus ratione nigricante colore tingere ſcriniariis notiſſimum.

LXXXII. Serum noctu ſub dio relictum & remotum ante ſolis ortum felicius purgat, experientiâ Medici Belgæ.

NOTÆ.

Serum) De hoc vid. ſi lubet, controverſias Liceti, Caſtrenſis & Servii.

Sub dio) Non tàm à nocturnis vaporibus aliquid accipere putant, quàm à rore matutino noctem ſequente, quemadmodum & uvæ, & roſæ & fructus floresque alii plures.

LXXXIII. Torminibus *colicis* adflictiſſimus convaluit ſtatim exhibitis cum vino Ol. juniperini guttulis aliquot.

NOTA.

Ol. juniperi) Idem præſtat & vinum ipſum juniperinum & tinctura ſive eſſentia cum ſpiritu vini præparata.

LXXXIV. Puellæ & viduæ, quæ â ſuppreſſis menſtruis in dorſo palpitationem ſentiunt, cum perturbatione mentis, helleboriſmis & melanagogis aliis facilè reſtituuntur.

NOTA.

Helleboriſmis) Sed neceſſe eſt à purgatione, etiam cardiacis ac hyſtericis uti, nec venæſectionem, ſi videatur, ex occaſionis neceſſitate omittere.

LXXXV. Mulier *XXX.* annorum tertianâ intermittente mirabili tenebatur. Prima acceſſio circa nonam veſpertinam die Veneris, duravit usque ad Xam. matutinam diei ⊙; ſecunda

incepit

incepit die ☽. manè, duravit uſque ad diem ♃; ita ut totius paroxyſmi horæ *LXI.* numerarentur. Reliquæ poſteà acceſſiones *XXX.* tantùm horas perſiſtebant: Intermisſiones *XVI.* circa diem *XX*um puſtulæ variæ apparuerunt variolis paulò majores, ſed magis acuminatæ, quarum eruptio febrem ſuſtulit. Hæ *XII.* dies duraverunt, ſolo linimento pomato ſublatæ ſunt. Ægrota toto acceſſionis tempore dormiebat. Febris à frigore incipiens ferè vix perceptibili, nocturna potiſſimum moleſta erat.

NOTA.

Tertiana intermittente mirabili) Adde: Cataphorica ſive ſoporoſa. Nos nihil de illa ultrà; qui cauſas ex fermentatione p. n. ſanguinis, ſuccique nervoſi deducere novit, ei rarus quidem adfectus, ſed mirus non videbitur, nec quis, quin multi alii ſimiles etiam mirabiliores obtingere queant, dubitavit. Motum quoque morbi & exitum criticum in puſtulas, facilè eſſet ex ☽æ tranſitu per Zodiacum percipere, ſi annus & dies menſis adnotati fuiſſent. Morbum ex decidentiâ acutum, ut vocant, tardior criſis, XX. demùm die oſtendit. Hoc autem temporis ſpatio neceſſe eſt Lunam à puncto principii morbi ſive ſigno illo, quo cœperat, ad tertium uſque quadratum proceſſiſſe. Per quadraturas enim ſignorum, motum acutorum fieri ſatis planum: Reliqua particularia adſpectus Planetarum revelare poſſet, ſi cognoſcere licuiſſet.

LXXXVI. Variolis hieme laborans, nivemque manibus tractans, recurrentibus intrò puſtulis in maximum periculum conjectus ajebat ſe purgante potione à Medico exhibitâ evaſiſſe.

NOTA.

Recurrentibus) Durum iſtud & difficile creditu, plus ſanè felicitatis ex fortunâ, quàm conſilio, traxit. Naturæ enim motus impeditus, & in contrarium averſus, liberior ſibi verſus exteriora reſtituendus erat, alexicacis ſc. & diaphoreticis expellentibus.

LXXXVII. Eſu leporis plures obierunt altero die, quia foliis rhododendri oppletus erat, obſervatione Petri à Caſtro Med. Veronenſis.

NOTA.

Rhododendri) Sunt tamen, qui externè & internè necis quoque ſine

ne noxâ adhibitum teſtentur. Et nos quoque multa veneni crimine traducta obſervavimus, quibus tamen innocentiam ſuam experientia adſeruit.

LXXXIIX. Civis Groninganus à pulvere hepatis vulpini exhibito, utrinque moleſtè purgatus eſt.

NOTA.

Hep. vulpini) Pleraque ſilveſtrium animalium hepata eſui inepta, neſcio quid malignitatis habere videantur. De hepate urſino exemplum habes in Holandis novæ Zemblæ hibernantibus apud Leuin. Hulſium in deſcript. navig. Batavorum. Hoc notent illi, qui hepar lupinum tantoperè commendant, quo tamen nos lubenter caremus. Picæ hepar in aulis quibusdam uſitatum eſt in eundem finem, ut propinatum inſciis alvum, reliquis verò riſum moveat.

LXXXIX. Medicus Hebræus Pragæ *maniacum* curavit à purgatione repetitâ & V. S. decocto roris ſolis & aquilegiæ propinato.

NOTÆ.

Roris Solis) De iſto actum nobis Hecatoſteæ I. Obſerv. XCIV.

Aquilegiæ) Splenis ſc. conſenſu, ut videtur, cui illa adverſatur, ap. H. Tragum. lib. I. Herb. c. XLII.

XC. *Hydrocephalum* in puero Petrus à Caſtro curavit ſolo linimento ex cochleis unà cum teſtis ſuis contuſis & ol. amygdal. amar. miſto.

NOTA.

Cochleis) Eſt enim hydrops particularis capitis. Vid. igitur cochlearum uſum in hydrope ap. Galen. XI. ſimpl. c. propr. & adde, quæ Alex. Maſſarias expertus eſt *III.* Pr. c. XVI.

XCI. Ejusdem experimentum ferè quotidianum fuit ad *gonorrhœam*, poſt lenientia, muria Encraſicholorum exhibita. Siccat enim & tergit.

NOTA.

Encraſicholorum) Vid. Ebnſinam lib. *II.* tr. *II.* c. XIIX. de صحناة

XCII. *Scabiem manuum* in ſeipſo curavit H. B. H. purgatione, emulſ. ſem. melon. cum ſacchar. roſaceo, & deinde vino Nicotianæ maris infuſo Alectoraphodo, ſolâ lotione.

NO-

NOTÆ.

Vino Nicotianæ) Validè enim deſiccat.

Alectoraphodo) Et huic vis tergendi ſiccandique eximia.

XCIII. Stellarum marinarum pulvere ex juſculo vel vino exhibito nullum certius aut efficacius ἐντατικὸν ſuâ experientiâ teſtatus eſt Anonymus Medicus Hebræus, qui abhinc duobus ſeculis vixit, in aphrodiſiis ſuis MSS. quæ ſingularium nomine olim nobiscum amiciſſimè communicavit Jo. Rhodius.

NOTA.

Stellarum marinarum) Ineſt enim illis non tantùm quædam acrimonia, ut plerisque marinis â ⊖e, ſed oſtrea etiam comedunt ſingulari aſtu & lapillorum interjectu capta, narrante Æliano lib. III. de animal. c. XXII. Hæc autem poſtquam devorarunt, non excernunt, ſed integra conficiunt. Inteſtinis enim carent. Unde *S*caligeri jocus in Cardani commiſerationem, defuiſſe ſc. naturæ ſubulam, quâ partes illas perforaret. Vid. Ulyſſ. Aldrov. de teſtac. lib. III. c. LXVI.

XCIV. *Verrucæ* quacunque parte corporis abolentur cinere bryoniæ cum ſucco ejusdem miſto, certiſſimo experimento M. Hopperi Med. Oxonienſis.

NOTA.

Bryoniæ) Conf. Dioſc. IV. 164.

XCV. Cremore lacteo ſeminis lactucæ aquâ chalybeatâ præparato, plurimas albo fluore laborantes, cum pulvere eboris ſubtilisſimo miſto percuravit Jo. Meynoldus Med. Venetus.

NOTA.

Eboris) Quod etiam experimentum fuit Zacuti Luſ. quem vid. in Praxi admir. add. Dioſc. II. 61. qui δύναμιν ϛυπτικὴν ei adſignat.

XCVI. Electuario ex ſeminibus ad *viſus imbecillitatem* ſimplici, ſed efficacisſimo uſus olim Innocentius III. P. M. R. ex ſem. fœnic. ſileris montan. apii, aneth. & petroſelini cum melle idque pretioſisſimis quibusque prætulit. Quod ex MS°. antiquo in membranis Ser.[mi] Principis Mantuani CIↃ CCCCXLIIX. adnota-

-tum

tum, additumque eſt, idem Abbati S. Pauli Piſas transmiſſum viſum reſtituiſſe, quem centenorum annorum ſenex ferè amiſerat.

NOTA.

Sileris) Hoc in vicinis Alpibus apud nos copioſum & eximium, radice & ſemine pluribus adfectibus expertum, multis aliis præferendum.

XCVII. *Maraſmum* aqua ſanguinis ſuilli deſtillata cum ſucco expreſſo Gammarorum fluv. adjecto ſaccharo clarificato, in viro curavit Jo. Prevotius, cum ferè conclamatus videretur.

NOTA.

Sanguinis ſuilli) Conf. quæ de curatione lepræ ad mentem famoſi illius Empirici F. J. Burrhi recenſentur: Quæ enim huic conveniunt, etiam Maraſmo proſunt, & viciſſim.

XCIIX. Obſervatum eſt, ſi ſanguis ex arteriâ mittatur ad ℔j. ſpatio VI. horarum illum in ℥ix. ſeri faceſſere, & ℥iij. tantùm in fundo denſari.

NOTA.

Seri) Hoc experimentum monſtravit nobis publicè in noſocomio Patavino non ſemel Hieron. Frigimelica, vir Nobiliſſ. & Acad. Profeſſor.

XCIX. Sal centrale, ex glebâ terrenâ purâ elicitum, quorundam panacea eſt in Italiâ, cum quo etiam nonnullos aurum ſolvere, ut potabile redderetur, adlaborâſſe novimus.

NOTÆ.

⊖ *Centrale*) Sic vocant, ſed neſcio, quàm benè, cum nec terra ipſa, quam terimus, verè in mundi centro poſita ſit, nec ⊖ illius, ſi quod eſt, propterea tamen centrale dici debeat.

Adlaboraſſe) Sed fruſtrà, & nos ſententiam noſtram diximus Hecatoſt. II. Obſ. c. 31.

C. Jo. Prevotius adnotavit, Hieronymum Fabricium ab Aquapendente in Theatro Anatomico Patavii aliquando publicè oſtendiſſe in abdomine hiatus & anaſtomoſes venarum epigaſtricarum in nervos pertingentes, per quas iccircò potum & liquida omnia copioſius adſumpta ferri opinabatur.

NO-

NOTA.

Venarum epigaſtricarum) Potiùs arteriarum: per has enim cum ſanguine chylus & liquidiora omnia deportantur : in nervos autem & vaſa lymphatica tranſſumi facilè , nec noſtri ævi inventis ulla de iis dubitatio ſupereſt.

III.

MICTOMIMEMA.

I. *Stomachicum* ſingulare Michaëlis Poterii , Chemiatri, ad appetentiam excitandam conſtabat ex ſaccharo roſato , & oleo 🜍is multiplicabili.

NOTA.

Ol. 🜍 multiplicabili) At Petrus Poterius Ol. Cryſtalli multiplicabile pari laude evehebat, in pharm. Spagir.

II. *Dyſenteriæ* D. Pilonus nunquam adſtringentibus medebatur, quia obſervavit omnes , quibus ita ſiſtebatur, vel in recidivam incidiſſe, vel febres & pleuritidem. Nec ſudoriferis utebatur, quod calorem membri transmittentis augere putaret, ideoque lenientibus tantùm & V. S. morbum curabat.

NOTÆ.

Adſtringentibus) Cautius horum uſus, nec tamen nullus eſſe debet. Si quis ab illo recidivam paſſus , aut febri & pleuritide correptus eſt, aliam cauſam metaptoſis & epigeneſis habere potuit.

Sudoriferis) Hæc tamen aperta & ſecura. Vid. Guil. Fabricium Hild. tr. propr. & quæ nos adnotavimus ad H. Reuſneri Obſ. 85.

Lenientibus & V. S.) Quæ duo præſidia profectò vix ſatisfaciunt omnibus indicatis.

III. Angliæ tabes peculiaris, tanquam endemia, multos quotannis auferre ſolet. Cauſam tamen putabat Gabriel Hardugnus de St. Jacques, quod illa natio nimis à V. S. abhorreret, ideoque cum pleræque febres, & rhevmatiſmi cum viſceris alicujus inflammatione conjunctæ ſint, in ſuppurationem abire, ut tabe tandem confectos mori neceſſe ſit.

NOTÆ.

Angliæ) Vid. de illâ, flagello Angliæ dicto, ſingularem libellum D. Gareucier.

à V. S. abhorreret) Sunt enim inflammationibus propter plethoram obnoxii, quam plerique ex victu pleniori contraxerunt.

IV. *Rhevmatiſmis* maximum remedium V. S. compertum, & aq. papav. rhœados cum diacodio & ſimilibus. Purgantia enim minimè convenire expertus eſt idem.

NOTA.

Diacodio) Optimum ſanè remedium, ſi cardiaca quædam addantur: Purgantia tamen leniora excludi non debent, ſed moderato uſu utiliſſima ſunt.

V. In *Pleuritidis* initio idem remedium laudabat Idem, & procedente demùm morbo bechica exhibebat.

NOTA.

Idem) Conf. quæ ſuprà dicta Mictomim. II. § 67.

VI. Fortunius Licetus ex vulnere abdominis Bononiæ chylum effluxiſſe vidit planè lacteum.

NOTA.

Chylum) Viderunt & alii: Nec difficultas ulla obſervationis, etiam in ſectionibus quotidianis.

VII. *Gangliis & Exoſtoſibus* Jo. Veslingius Auri laminas ponderoſas multò efficaciores quàm plumbeas expertus eſt.

NOTA.

Auri laminas) Inprimis ſi hydrargyro imbuantur.

IIX. Ad febrem malignam pertinet illa febricula lenta, quæ imperitos Medicos ſæpè latet, Galeno *V.* de loc. adfect. c. VII. deſcripta, ex ſanguine ſanioſo in jecore ob imbecillitatem ejusdem genito, & poſteà ibidem putreſcente, quemadmodum in fluxus hepatici progreſſu aliquando evenit. Prava enim eſt cujuscunque ſanguinis corruptio, quæ malignum vaporem exſpirat. Hanc ſæpè curavit olim Jo. Prevotius.

NOTA.

Febricula lenta) Hæc perpetua abſceſſuum latentium comes eſt, tunc

tunc tamen inprimis manifeſta, cum ſuppurationis initium accedit, nec ulla ſingularis ejusdem conſideratio aut curatio neceſſaria. Quia enim abſceſſum ſequitur,eo curato ipſa etiam curatur. ∮. IX

X. Idem ulcera pleraque percurabat lotione cum aqua roſ. plantag. & 🜄. p. æquis miſtâ. Deinde inſpergebat pulverem Solenum uſtorum.

NOTA.

Solenum uſt.) Ital. Cappelonge, unguis ſpecies,de quibus vid. Aldrovandus lib. III. teſtac. c. LXXV. Sed noſtra quidem ſententiâ, quæcunque teſtacea uſta idem præſtiterint.

XI. *Hemicrania* deſperata, fruſtrà adhibitis purgantibus, revellentibus & intercipientibus, curata eſt ſubitò hirudinibus fronti ſupra oculum applicitis.

NOTA.

Hirudinibus) Et nos etiam venæ frontis ſectione curatam vidimus in Italiâ.

XII. Cachecticis & picâ laborantibus à menſtruorum ſuppreſſione ⊖ corticum aurantiorum & citriorum experientiam Quercetani ſequutus Samuel Fermiſius magno ſucceſſu exhibebat ex aquis propriis additis eſſentiæ croci guttulis.

NOTÆ.

⊖ *Cortic. aurant.*) Imò tinctura potiùs illorum exhibeatur, ſatis enim ſalis in ſe continet, amari, aperientis & extergentis, quâ facultate etiam crocus pollet.

Eſſ. Croci) Vid. tr. ſingularem Curioſum D. Joh. Ferd. Hertodii.

XIII. Idem Gordonii imitatione *Ictericis* feliciſſimè dabat ſuccum capill. ♀is, qui remedium eſt omnibus præferendum.

NOTA.

Capill. ♀is) Vid. Gordonium ipſum c. propr. Pr. de Ictero, ex Dioſcor. IV. 136.

XIV. *Epilepticum* cum ill. Veslingio Patavii ſæpè inviſimus, qui in ſingultum inciderat adeò vehementem & ſonorum, ut in quartam usque domum vicini exaudiretur.

NOTA.

Singultum) à vellicatione ſc. humorum acrium & malignorum,

qui epilepſiam per conſenſum excitabant. Quod ſi quis elaſtica illa irritamenta Williſii maluerit, non prohiberi poterit, quanquam ad idem ferè omnia redire ſatis planum appareat.

XV. *Epilepſiæ* aliisque morbis gravioribus Empiricus Lucenſis Cryſtallos ♁ij exhibebat ad gr. viij. blandiſſimè purgantes. Has verò parabat ex regulo ♁ij, calcinando in furno figulino, IV. crucibulis ſibi invicem adaptatis. In horum ſupremo ♁ reperiebatur cryſtallinum.

NOTA.

Cryſtallos ♁ii) Vid. Schrœderum pharmac. qui alios parandi modos docet.

XVI. At verò Poterius ex crudo in marmore per diem integrum trito, aërique expoſito, efflorescentiam quandam albam eliciebat, diaphoreticam pariter & narcoticam, cujus doſis gr. IV. febb. experta rarius alvum ſubducebat.

NOTÆ.

Efflorescentiam) Cui ſi ipſum ♁ diaphoreticum prætuleris, non ſanè errares.

Narcoticam) Has certè facultates ne quidquam contrarias ſæpiùs conjungi etiam in aliis patet.

XVII. Obſervavit idem hydrargyrum non ſolùm luem non eradicare, ſed etiam altiùs infigere, & ferè inſanabilem reddere, iis maximè, qui capillo ſint rufo, nigro craſſoque.

NOTA.

Hydrargyrum) De pilis eſt obſervatio Guil. Ballonii lib. II. Conſil. Sed hydrargyri uſus internus externo ferè tutior, ſi ritè præparetur, lui omninò neceſſarius.

XIIX. Beubeſius ſtannum, cum piſtillo ferreo, fuſum agitabat, quod in pulverem nigrum abibat. Hunc duplo ⦶ pondere calcinatum abluebat, Jovisque calcem appellabat, hepatis uterique vitam, præfocationi ejusdem maximè utilem.

NOTA.

Jovisq; calcem) Sunt & aliæ ejusdem calcinationes per aquas rodentes, accedente abluitione non ſpernendæ. Et Bezoardicum ♃ale dictum heic maximè locum habere poteſt.

XIX.

XIX. *Dyſenterias* omnesque alvi fluxus ſiſtebat D. Guenocius cataplaſmate ex ſtercore gallinæ cum butyro frixo.

NOTA.

Gallinæ) Siccando enim ſtrenuè cohibet, quod monuimus ſuprà Mictomim. II. §. XCII.

XX. Idem in tertianis poſt univerſalium uſum ſexto vel ſeptimo paroxyſmo ventriculi regioni cataplaſma apponebat ex foliis Tanaceti craſsè conciſis cum ſucco ejuſdem maſtich. tereb inth. furfur. macis in ollâ colliquando permixtis, & placentæ roſaceæ illitis.

NOTA.

Tanaceti) Plerumque enim his febb. dolores ventriculi & coli junguntur.

XXI. Coli dolores D. Sharpius præmiſſis clyſmatibus purgantibus feliciter curabat aquâ abſinth. ℥ij. cum aquâ cinamomi ℥ß. data.

NOTA.

Aq. abſinth.) Quæ eò efficacior, ſi cum vino aliquo generoſo deſtilletur.

XXII. Monſpelienſium experimentis nephritici doloris diſtinctio certiſſima eſt à colico, quod in illo urina ſupprimatur, alvo libera aut etiam citata, in iſto è contrario alvus obſtructa ſit, urinâ fluente.

NOTA.

à Colico) Non eſt tamen adeò certa iſta diſtinctio, quin interdum fallat. Sæpè enim miſcentur iſti affectus, & tùm vel præſtantiſſimi Medicorum errare poſſunt.

XXIII. *Gonorrhœam* in plurimis brevi ſiſtebat Formiſius conſerva ſive emulſione ſeminis braſſicæ cum ſaccharo factâ.

NOTA.

Braſſicæ) Eſt enim vis inſignis etiam braſſicæ tergendi & purgandi, quo nomine etiam ſerapium rhamni cathartici ſæpiùs expertum eſt. Idem etiam præſtare novimus ſemen eryſimi ſive irionis.

XXIV. *Quartanas* idem perſanabat ſucco ſempervivi mini-

mi, quod Plinio illecebra dicitur, ad ℥j. cum vini ℥iij. bibito, corpore ad ſudorem in lecto compoſito.

NOTA.

Illecebra] Hæc tamen pleriſque minùs commoda videtur, quia vim cauſticam habere creditur, unde & ſempervivum majus accipi tutiùs videtur.

XXV. Irâ repentè mortuus, pericardium ſanguine repletum diſſectus oſtendit. Cum ejus rei cauſa ulteriùs quæreretur, inventi ſunt duo abſceſſus in trunco arteriæ aortæ prope cor, unde ſanguis exierat.

NOTÆ.

Pericardium.] Quod rupto vaſe proximo aut dilatato ſaltem ejuſdem orificio factum probabile videtur.

Abſceſſus.) Crudi haut dubie & ſanguinei ſive inflammatorii, nondum ſuppurati.

XXVI. Ut truncus venæ cavæ, arteriæque magnæ, quemadmodum & aliarum venarum tunicæ ramulos quoſdam venarum à partibus adjacentibus accipiunt, ita & porus choledochus à venis cyſticis ramos accipit. Nil igitur miri, ſi ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus icterus aliquoties naſcatur. Colon hepar pertranſiens veſiculam bilis tangit, ejuſque colore tingitur, unde ratio, cur colici ſæpè quoque icterici appareant, Valverdi & Veſalii obſervatione. Spigelius etiam advertit eos, qui alvo ſunt adſtricta, capitis dolori maximè obnoxios mediante omento, cujus tunica ſuperior ventriculo adhæſit, inferior autem colon ſub illo reflexum ſuſpenditur, unde nec mirum, quod horis matutinis, cum inteſtina excrementis turgent, nauſeabundi plerique ſint, ut ſaltem aliquid comedere cogantur.

NOTÆ.

Choledochus) Etiam ab arteriis cyſticis, quamquam ex his vix liceat aliquid ſingulare exſculpere, cum venarum arteriarumque omnis confluxus ſanguinis non tantùm puri, ſed in maſſa ſua etiam bili permixti, omnibus notiſſimus ſit, & transcolatio ejuſdem per cribroſa colatoria hepatis multis modis impediri queat.

Ex

Ex ſuppreſſ. Hæmorrhoid.) Non opus eſt, tàm longè cauſas icteri ejuſmodi arceſſere: ſatis eſt hæmorrhoidibus ſuppreſſis, ſanguinem bile utrâque remixtum in corpore reſtagnare, atque per circulationem ſanguinis in habitum uſque deferri. Talis autem color in cute apparere ſolet, qualis in vaſis ſanguinis continetur.

XXVII. Proſperi Alpini arcanum fuit ad *ſcabiem* ſuccus fol. ranunculi tenuifolii, Majo menſe expreſſus & illitus.

NOTA.

Ranunculi tenui fol.) Habet enim vim validiſſimè tergendi & ſiccandi, quo nomine etiam inter cathæretica refertur. Ideòque cum cautione adhibendus, nec ſolus, ſed adipi ſociatus.

XXIIX. At Jo. Prevotius in eâdem ſucco fol. nerii utebatur, interdum & decocto fol. Oleandri, tabacum addebat, ad lotionem.

NOTA.

Succo fol. nerii) Conf. quæ diximus Mictomim. II. §. LXXXVII. Petri à Caſtro obſervatione: quæ tamen uſum tantùm internum, ut iſta externum, reſpicit.

XXIX Idem ad *memoriam* reparandam ac conſervandam experimentum præſtantiſſimum commendabat carnes attagenum, qui vulgò Francolini, & turturis, cum cordibus hirundinum & ſpeciebus alephanginis.

NOTÆ.

Francolini] Vid. Aldrovandum XXIII. Ornitholog. c. X. & XI. ubi quorundam ſententiam recenſet, qui gallinas ruſticas Varronis, cum Bellonio, hoc nomine dignantur.

Spec. alephanginis) Sunt rubræ aromaticæ, quas vide triplici deſcriptione expoſitas ap. Ebnſinam lib. V. ſumm. I. tr. III. حوارشن الغنوش، بالمسك وبلا مسك cum & ſine moſcho.

XXX. Idem notavit medullam arietis non caſtrati *memoriam auferre* tanquam veneno aliquo, cui reſiſtat medicamentum ex phaſide præparatum.

NOTA.

Arietis non caſtrati) Hoc notent illi, qui ad melancholiam cerebrum

arietis

arietis commendant in pilulas efformatum, quod aliàs memoravimus. Vid. H. Reuſneri Obſ.7.& not. in add. p.13. An verò, quia oblivionem inducit imaginationum & phantaſmatum melancholicorum, propterea eligitur. Quod opium quoque facit.

XXXI. *Eryſipelas* curabat idem pannis aqua ſaponata imbutis applicitis, præmiſsâ proviſione corporis.

NOTA.

Saponata) Parùm videtur diverſa ratio hujus & lactis aurei chirurgorum: nam ſapo quoque ex calce & cineribus conſtat.

XXXII. Idem Empirici relatione caput catelli unius menſis in clibano ſiccatum & in pulv. redactum *cancro ulcerato* inſperſum eundem curare prodidit.

NOTA.

Catelli) Conf. ſuprà Mictomim. I. §. LXXI.

XXXIII. Pulv. genitalis bubuli vulneribus inſperſus, etiam magnis, bidui ſpatio illa perſanat ejuſd. obſervatione.

NOTA.

Bubuli) Id faciunt omnia nervea & coriacea corpora, quæ humore aliquo madefacta glutinandi vim habent.

XXXIV. In *febribus malignis* omnibus, ſed maximè exanthematicis, quæ vulgò variolæ, decoctum majoranæ & hyſſopi cum emulſ. ſem. cannabis præſtantiſſimum ſudoriferum expertus eſt idem.

NOTA.

Sem. cannabis) Huic enim plerique vim narcoticam adſcribunt. Narcotica autem pleraque omnia ſudorifera nemo ignorat. Vid. tamen, quæ de hyoſcyamo monuimus in catagraph, Philomatheticorum Syllab. III. §. XXI.

XXXV. *Menſtruis ſiſtendis* mirabile remedium, cinis Ægaphadi cum aquâ pluvia, Patavinarum quarundam experimento cognitum.

NOTA.

Ægaphadi) Omnes omninò excrementorum cineres id præſtare poſſunt, ut neceſſe non ſit, ad capras ſolas reſtringere.

XXXVI.

XXXVI. ***Surdaſtris*** expertus eſt Anonymus Medicus Patavinus in Mſo antiquo, pinguedinem anguillæ auribus inſtillatam.

NOTA.

Ping.anguillæ) Abſtinere tutius ejuſmodi unctuoſis, jam dudum alii monuerunt, qui ideò ſuffitum præferunt.

XXXVII. *Strumas* curabat Martinus Rulandus coagulo lactis cum ſero ad cataplaſmatis conſiſtentiam percocto & impoſito.

NOTA.

Coagulo lactis) Dioſc.II. 85. eleganter: πᾶσα πιτύα λύει τὰ συνεστῶτα.

XXXIIX. ***Phreneticis*** ad ſomnum conciliandum quoque aquam perſonatæ ad ℥iij. propinabat J. Prevotius.

NOTA.

Aq.perſonatæ)Et hoc quoque experimentum notari meretur: quod diaphoreticam vim plerumque narcoticæ conjunctam oſtendat.

XXXIX. Cardani obſervationem de uſu adipis viperini ad *phthiſin*, tota ſpina dorſi peruncta, experientiæ non omninò adverſari judicabat idem.

NOTA.

Adipis viperini) Facilè enim penetrare, & per nervos pariter ac vaſa ſanguiflua cum ſucco nervoſo & ſanguine toti corpori diſtribui poteſt.

XL. ***Rimis*** papillarum oleum rorismarini expertum memoravit idem, incocto prius ſempervivo minori.

NOTÆ.

Ol. roriſmar.) Etiam oleum juniperi & ſimilia plura ſiccantia ſebo aut adipi concocta aut remixta his utiliſſima experta.

Minori.) Imò potiùs majori, quod tutius & minus acre.

XLI. *Hydropicos* cibis oleo bryoniæ conditis purgari & juvari atteſtatus eſt idem.

NOTA.

Ol. bryoniæ) Variis etiam modis aliis planta hæc adhiberi poteſt.

XLII. Illuſtriſſ. Comes Hanovienſis *hæmorrhagia* narium obnoxius, adamante ſub linguâ detento fluxum ſiſtebat.

NOTA.

Adamante) Plerique huic gemmæ parùm tribuunt in medicinæ uſu, quidam etiam veneni infamiam impingere conati ſunt. Sed ſi quid pulveris aſperitate efficit, eadem certè arroſio à quibuſvis aliis cryſtallinis & vitreis metuenda, non item à gemmâ integrâ.

XLIII. Arcanum ad *magnos lienes* J. A. Medici præclari erat in electuariis hedera corymbifera exhibita.

NOTA.

Hedera corymbifera) De foliis Dioſc. II. 210. σὺν ὄξει πινόμενα σπλῆνα ἰῶνται.

XLIV. Experimento conſtat, pulverem pedum perdicis toſtorum ad ℥j. ex vino rubro datum manè & veſperi dyſenteriam perſanare.

NOTA.

Pedum perdicis] Idem poſſunt etiam omnia alia ſimilia ex animalibus deſumpta, nervoſa, tendinoſa, & glutinoſa: quemadmodum & cineres ferè omnes ſiccando pares effectus edunt:

XLV. Monſpelienſium mulierum conſuetudine verbena ſub axillis geſtata, ejuſque aqua ſtillatitia ebibita felici ſucceſſu *lac deficiens* reparat, teſte Formiſio & Beubeſio.

NOTA.

Verbena) Nondum ſatis explorata videtur natura & facultas illorum, quæ vulgò lac generare perhibentur. Cum enim non aliud, quàm chylus ſit per ductus lactiferos ſive chyliferos in mammas delatus, quid heîc ejuſmodi medicamenta tàm interna, quàm externa efficiant, obſcurum apparet. Nec enim chylum generant, nec quomodo lac in tubulos ſuos propellant aut deducant, ſatis manifeſtum eſt.

XLVI. Ex vulnere in brachio largus ſanguinis fluxus cum ſaltu. Multa adhibita fruſtrà. Cum Formiſius accitus obſervaret digito admoto ſiſti, petiam duplicatam adligavit, ut digiti vicem gereret: efficax erat. At Riverius in tali caſu carnem ovillam vel bubulam adligabat.

NOTÆ.

Cum ſaltu) Nimirùm ex arteriâ aliquâ læſa. Quanquam etiam ex venis cum ſaltu exſilire venæ ſectione pateat. *Car-*

Carnem ovillam) Quod ſanè præſtat, quia etiam ſanguis quivis admotus ſanguinem ſiſtit.

XLVII. Guenocius *genorrhœam* pro deploratâ habuit, quæ digito in anum immiſſo renitentiam habebat ad ſenſum, aut ſi catheter argenteus intruſus ſub lividus extraheretur.

NOTÆ.

Renitentiam) Tumoris nempè indicium ſive abſceſſus ulcerati, de quo nonnulla ex Jo. Georg. Virſungii ſententiâ attulimus Epiſagm. noſtr. Obſ. LXVII.

Sublividus) Hoc enim ichoris gangrænoſi ſive ſphaceloſi indicium.

XLIIX. *Hydropicus* balnei uſu fuſis humoribus in epilepſiam incidit.

NOTA.

Epilepſiam) Non tàm fuſione humorum id factum, quàm elaſticarum particularum commotione.

XLIX. Cuidam genu rotula transverſim fracta, ut partes â tendinibus ſurſum deorſumque traherentur, cum perſanata jam omnia chirurgus putaſſet, ægrotus tamen non citiùs erecto corpore ſtare & prodeambulare cœpit, quàm rotula in duas partes denuò diſſiliret.

NOTA.

Diſſiliret) Nimirùm in luxationibus & fracturis nimio ſiccantium uſu ſæpè vidimus ligamenta breviora reddi, & tendines contrahi, ut deinde motus non uno modo lædi ſoleat.

L. Viri cujuſdam religioſi experimentum ad *coxæ dolores* erat ol. ſem. cannabis expreſſum calidè illitum.

NOTA.

Ol. ſem. cannabis expr.) Diaphoreticâ ſc. & narcoticâ pariter facultate, de quâ ſuprà §. XXXIV.

LI. *Eryſipelati*, etiam deſperato, certum & arcanum ejuſdem experimentum erat farina ſecalis in ſacculo parti admota.

NOTA.

Secalis) Novimus etiam, qui inſpergere ſolent. Sed præſtat tamen in linteolo admovere.

LII. Succus chelidonii filis carptis admotus *cancro recenti* expertus, indubiâ relatione fide dignorum conſtat. NO-

NOTA.

Chelidonii.)Habet enim vim cathæreticam:quâ etiam folliculos abſceſſuum cyſticorum extergit.

LIII. Elaphometra conceptionem juvat,arcano experimento anonymi in Mſo apud Jo. Prevotium.

NOTA.

Elaphometra)Cui confer Jo. Agricolæ cervum excoriatum.

LIV. Hoc etiam ſecreti loco quibusdam habitum : Cymbalariæ ſuccus externo & interno uſu ad *ſcabiem*, breviſſimo ſpatio feras quoque impetigines ſanat.

NOTA.

Cymbalaria) Eadem huic vis, quæ ſempervivis & cotyledonibus cæteris.

LV. Pollinem corticis Anagyridis Alpinæ ſupernè avulſi *vomitum* movere,Solerii indicio, verum comperit Jo.Prevotius.

NOTA.

Anagyridis Alpina)Omnibus Anagyridis generibus hoc commune: Sed avulſio corticis verſus ſuperiora ſuperſtitioſa videtur.

LVI. *Varices* primùm ſe prodentes in puero curavit idem foliis perfoliatæ impoſitis.

NOTA.

Perfoliata]Eadem ſc. facultate rupturas ſeu dilatationes valvularum in venis, quâ proceſſus peritonæi dilatatos percurat.

LVII. D. Guenocius radice Solani lignoſi feliciter utebatur ſarſæparillæ loco.

NOTA.

Solani lignoſi) Si manicum intellexerit,quod ad frutices pertinet,ſententiam noſtram diximus in Exerc.de venâ Medin.Narcoticum enim eſſe non dubitamus, à quo nimirum & vis diaphoretica dependet.Sed illud μανικὸν videtur à narcotico differre.

LIIX. Idem ad caſum ex alto lapſis propinabat ſterc.ovilli ℈j.vel ℈ij. ſudores enim movet, & grumos ſanguinis diſſolvit.

NOTA.

Sterc.ovilli) Eadem vis omni penè quadrupedum excremento, ob ⊖is ⊕oſi copiam, quæ illis ineſt.

LIX.

LIX. ⊖ herniariæ & ſtipitum fabarum & feculæ bryoniæ æquas portiones ex vino albo deterſis renibus, gonorrhœam ſiſtere expertus eſt D. Thierrius.

NOTÆ.

⊖ *herniariæ & ſtip. fabar.*) Detergentia quidem diuretica huic negotio apta, ſed fortiora eſſe non debent. Conf. Epiſagm. noſtr. Obſ. LXVII. quâ de malva & rhabarbaro.

Fec. bryoniæ) Vid. ſuprà §. XLI.

LX. Folia bardanæ vertici impoſita uterum ſurſùm trahunt, & umbilico admota etiam ſubſidere non patiuntur, ſed ſuo loco detinent, femori autem admota deorſum trahunt D. Myendaelii obſervatione.

NOTA.

Bardanæ) Eſt enim illi vis ſiccandi eximia. Sed illa tractio & retentio uteri valdè dubia videtur.

LXI. D. Burgæus ol. ex ſem. ebuli expreſſo plures *arthriticos* curavit, quem ſequutus D. de Lort etiam exterius folia ebuli applicabat.

NOTA.

Ebuli) Serum enim potenter vacuat: ſed quia etiam vomitum movet, cum cautione exhiberi debet.

LXII. *Dolori coli* clyſma ex ol. nucum & vin. malvatico plurimùm profuit obſervatione D. Beubeſii.

NOTÆ.

Ol. nuc.) Vid. Dioſc. l. 41. qui balanino & ſeſamino comparat.

Vin. Malvatico) Conf. Jo. Rhodii obſ. de delirio ab illius uſu; ut videtur ſolius tamen, & ſine oleo.

LXIII. *Arthritidem* à pollice pedis incipientem Monſpelienſes quædam ſtatim ſedare ſolent albumine ovi cum ⊖e trito & ⚹o miſto ſtuppis cannabinis applicito, genubus autem tumentibus in progreſſu cataplaſma adhibent ex melle cum furfuribus, vel ex calce vivâ cum melle roſato.

NOTA. ~~in~~ ~~Alb~~

Alb. ovi) intercipiendi conſilio, aut repercuſſione, ut videtur; quod tamen non ſemper ſuccedit etiam in principio.

LXIV. Folia juglandis, aut alni, aut ebuli ſiccata, lecti ſtrato, ſudorem movent copioſum, remedio mulierum Monspelienſum certiſſimo.

NOTA.

Alni) Hoc adeò vulgare quibusdam locis alpeſtribus, ut cum in Rhætiâ olim ipſa hieme in lectis ejusmodi foliaceis quieſceremus, ſudore tentari admiraremur, quia cauſa nondum nobis cognita erat: In reditu autem per vallem Cadorienſem, æſtate jam adultâ ferre nō potuimus.

LXV. Eædem ad *tympanitem uteri*, ſuffitum nucis aromaticæ ſingularem expertæ ſunt.

NOTA.

Nucis aromat.] Cauſa tamen latet, præ aliis pluribus efficacioribus. Nec facilè admittenda, niſi interna præmittantur, quæ conveniant.

LXVI. *Abortum* autem pleræque præcavent ſem. plantag. ad ℨß. ex ovo ſorbili toto geſtationis tempore adſumpto.

NOTA. *Sem. plantag.*) Hoc tamen multò felicius præſtabit, ſi grana coccinea addantur.

LXVII. Tumori teſticulorum à ſuppreſſâ gonorrhœâ, cataplaſma ex foliis cupreſſi cum vino rubro & melle roſato ſæpè expertus eſt Pharmacopœus Pariſ. D. M. duro autem reſtanti applicabat emplaſtrum Vigonis de ranis c. ☿.

NOTÆ.

Cupreſſi) Cautela heic opus non exigua. Vidimus enim, qui ab ejusmodi adſtringentibus graviſſimè læderentur, nec niſi ingenti curâ à nobis reſtitui poterant.

De ranis c. ☿) Hoc tutius & efficacius etiam omiſſo ☿.

LXIIX. Qui integrâ valetudine ſemper fruuntur, cum aliquando ægrotare incipiunt, raro evadunt, quia validam cauſam eſſe oportet, quæ firmam valetudinem infirmare poteſt, obſervatione D. de Lort.

NOTA.

Raro evadunt) Conf. quæ J. V. Rumleri Obſ. LIX. Hieronymi Tutini præcellentiſſimi Medici experientia adnotavit.

LXIX. Aſfectus ſoporoſos omnes Monſpelienſes curant feliciter ⊕ vomitorio. Quod Riverius etiam in apoplecticis expertus

pertus eſt. Iidem etiam purgantibus caſtoreum addunt, ut diacarthamo & pilulis cocciis minoribus.

NOTÆ.

⊖o vomitorio) Eſt igitur ⊖ nonnihil depuratum, quod jam olim Billichius monuit. Mannam ⊖i qui vocant, inanibus vocabulis ſe oblectant. Uſus in apoplexiâ cautionem poſtulat, de quâ iccircò alioloco.

Caſtoreum) Pinguedinem ejusdem nos in omnibus capitis adfectibus exhibemus, etſi non ſint ſoporoſi.

Cocciis minoribus) Vid. deſcript. in adnot. Alberti Reuſini Pharm. & Antidot. Rom. Petri Caſtelli.

LXX. Vomitus difficilis aqua plantag. cum ſpir. vitrioli & tincturâ roſarum ab iisdem curari ſolet.

NOTA.

Spir. vitrioli) Hoc remedium etiam ad vomitum ſanguinis commendatum Petro Caſtello in Epiſtolis, quem imitabatur Romæ J. Bapt. Meltius.

LXXI. Epilepſia in filiolâ N. N. curata pulvere ireos ex rad. ante ſolis in ♈ ortum verno tempore effoſſæ & ſiccatæ tribus matutinis ante novilunium & veſperi ante ſomnum dato ex aqua florum verbaſci.

NOTA

Ante ☉ in ♈. ortum) Vanitatem inſignem nobis oſtentant, qui hæc talia in Epilepſia tantùm ſcrupuloſè obſervanda proponunt, quia nulla ratio cæteroquin apparet, cur in aliis negligi debeat. Nos in Pharm. noſtris quædã de delectu & collectione plantarũ ſigillatim enarrabimus.

LXXII. Cephalalgia vehemens foliis lappæ majoris applicitis curata: multo aquoſo humore extracto.

NOTA.

Fol. lappæ maj.) Frequens hoc experimentum in hydrope, Chirurgis omnibus notiſſimum, quod idem præſtant etiam folia tuſſilaginis admota.

LXXIII. Vermiculatio aurium in pluribus curata eſt ab E. A. radice Valerianæ cum oleo olivarum tuſa & expreſſa. Melle etiam exterius admoto evocari certum eſt.

~~NOTA.~~ NOTÆ.

~~*Alb. ovi*) Intercipiendi conſilio, aut repercuſſione, ut videtur: quod tamen non ſemper ſuccedit etiam in principio.~~ ~~LXXV.~~

NOTÆ.

Valerianæ) Eſt enim planta ulceraria eximia, quæ tergendi vi maximè pollet.

Melle) Sed tamen diligentiùs advertendum, ut quamprimùm prodierint, ſtatim amoveantur aut abſtergantur.

LXXIV. *Gibboſi infantes* feliciùs curantur faſciationibus, ſi potui quotidiano hedera arborea imponatur.

NOTA.

Hedera arborea) Conf. Gliſſonum de Rachitide.

LXXV. Quam *febrem puerperarum* vocant, feliciter curari terrâ ſignatâ aliisque diaphoreticis exhibitis, obſtetricum frequentibus experimentis conſtat.

NOTÆ.

Febrem puerperarum) à partu ſc. & lochiis non ſatis fluentibus.

Terra ſignata) Nobis magis in uſu eſt lap. Badzaharticus, & ♁ diaphoreticum cum aliis ſudoriferis.

LXXVI. *Herniæ* in pluribus curatæ ſunt à D.N. pulv. cochlear. & ſem. perfoliatæ āā ℥j. ireos ℥ß. m. trag. arom. ℥iij. loco inuncto pinguedine anſeris & ſuperpoſitis linteis maſtiche & thure ſuffitis.

NOTA.

Pulv. cochlear.) Siccandi viribus præſtantiſſimæ ſunt, & tumoribus plerisque œdematoſis interno pariter externoque uſu utiles.

LXXVII. Fuit, qui nobis Patavii dejeravit in ranunculo nemoroſo fl. albo ſibi vim narcoticam cognitam & expertam, qua *febres* etiam diaphoreſi perſanet.

NOTÆ.

Ranunculo nemoroſo) plerique internum uſum prohibent: Cum tamen & allium & alia plurima non minùs cauſtica ſint, & tamen adſumantur.

Narcoticam) Conf. ſuprà §. XXXIV. & LI.

LXXIIX. Craſſamentum illud coactiliariorum, quo pilei tinguntur, *ambuſta* feliciſſimè percurâſſe, probatum & ſecretum Empirici remedium erat, quod aliorum mixturâ occultabat.

NO-

NOTA.

Coactiliariorum) Id faciunt atramenta omnia, ſive ex ⊕o fiant,ſive terris ⊕atis. §. LXXIX. vide infra p. 335

LXXX. Vidimus ab eodem in *hydrope* cum maximâ ſiti propinatum ♁, cui pauculæ ſpir. ⊕ guttulæ inſperſæ erant: & pro roborante medicamento tincturam ſacchari exhibitam profuiſſe.

NOTÆ.

Spir. ⊖*is*) Ejus uſus nemini non cognitus: ſitim ſedare creditur, quod nos nunquam tamen obſervare potuimus; nauſeam enim & anorexiam potiùs inducit: quam facit etiam ⊖ ipſum cum vino datum.

Tinct. Sacchari) Hæc cum ✣o præparata rubeſcit. Sed cur pro ſingulari roborante habenda ſit? nondum liquet.

LXXXI. Idem & ſuccum aurantiorum depuratum cyathi menſurâ exhibebat in tertianâ & quotidianâ: in quartana autem piloſellæ decoctum in lacte quinquies propinabat, donec convaleſcerent.

NOTÆ.

Succum aurantiorum) Facili quidem remedio, ſed cui alia certiora addi queant.

Decoctum piloſellæ in lacte) Multa ſunt ejusmodi, quæ conferenda cum Sebaſtiani Benzii, Med. Argentinenſis, obſervatione apud H. Reuſner. Obſ. CXX.

LXXXII. Phlegma ⊕i ſali ſuo defecato adfuſum D. O. à menſtruâ digeſtione fortiſſimo igni deſtillabat, cujus ʒj. ter data ſummum epilepſiæ idiopathicæ arcanum pluribus expertus erat.

NOTA.

Phlegma ⊕*i*) Id tamen ſi rectè inſpiciatur, vix differre poterit à ⊖ ipſo ⊕i aut ejusdem ſpiritu aquæ alicui deſtillatæ convenienti remixto.

LXXXIII. Idem in *podagrâ* nihil præſtantius ſuâ experientiâ adfirmabat, quàm ☿ animatum cum ☉ & ☽, ſecundum Claveum præparatum in Theatr. Chemic. part. IV.

NOTA.

☿ *animatum*) Qui parùm aut nihil differt à Badzohardicis mineralibus dictis; ☉ari ſc. & Lunari.

LXXXIV. *Epilepſiæ* per conſenſum hypochondrii Idem multo cum fructu exhibebat antitartarum ſuum ex ♀ & ♁ præparatum addito cinnabari antimonii.

NOTA.

Antitartarum) Plerique cinnabari iſtud ♁ale ſatis notum, ſed longè minori effectu, quàm famâ, ſæpiùs adhibitum.

LXXXV. Empiricus M. T. qui paucis abhinc annis apud nos *epilepſias* deſperatas & ab utero matris in adultâ ætate perſeverantes, curare conabatur, purgabat ægrotos validiſſimè ſpiritus ⊖is ʒj. cui olei ♁ ex butyro ejusdem deſtillati gutt. 6. infuderat, ut lacteſceret, additâ ℥j. hydromelitis exhibebat. Deinde ♁ præparatum cum ⊕ partibus æqualibus in ollâ per plures dies uſtum ad ℈j. integram propinabat. Parùm tamen profecit.

NOTÆ.

Ol. ♁ ex butyro ejusd.) Horribile hoc remedium ob fœtorem, & ſaporem ingratiſſimum.

♁ *præparatum*) Diaphoreticum ſc. Nec enim quidquam aliud erat, ſed fruſtrà epilepſiæ adhibitum.

LXXXVI. Callis ulcerum exterendis Patavii in Noſocomio publico ſuccum chelidoniæ cum pinguedine vitulina & cera permiſtum felici ſucceſſu adhibitum vidimus ab illuſtri viro Petro Marchetto, Chirurgiæ & Anat. Prof.

NOTA.

Succum chelidoniæ) Conf. ſupra §. LII.

LXXXVII. *Hæmorrhoidibus* dolentibus efficaciſſimam expertus Prevotius tunicam minimam Dalechampii contuſam & hepati applicitam.

NOTA.

Tun. min. Dalech.) Conf. quæ nos de ſtatices uſu in gonorrhœa ex mente D. de St. Jacques memoravimus Epiſagm. Obſ. LXVII.

LXXXIX. Iſchuriæ contumaci jam omnibus propemodùm deſperatis Dalechampii experimentum ſæpè comprobatum teſtatus

ſtatus eſt in MSS. ſuis Jo. Prevotius, decoctum glycypicri, quod etiam grumos ſanguinis diſſolvit.

NOTA.

Glycypicri] Ad ſmilacem lævem Dioſcoridis refert H. Tragus II. Herb. c. XCIII. Qui easdem facultates adſignat IV. 140.

LXXXIX. Pariſienſium quotidianâ praxi expertum retulit P. M. Slegelius in MSS. adverſariis, quæ ex relictâ Virſungii ſupellectile librariâ accepimus, ſi gravida in immodicum ſanguinis ex utero fluxum inciderit, ita ut judicetur à jecore uterino, ab utero aliquâ parte divulſo fieri, ſtatim incumbendum eſſe, ut enitatur. Non enim ſiſti ſolet ejusmodi ſanguinis profluvium, ſed ſi aliquandiu perſtiterit, tàm matrem, quàm infantem è medio tollit. Si verò fœtum ſtatim ex utero rejecerit, matris viribus etiamnum conſtantibus, illa ſervari poteſt.

NOTA.

Ut enitatur) At nos plures remediis liberavimus, ut deinde feliciſſimè enixæ ſint ſuo tempore. Nec proclive eſt conjecturâ certiori divulſionem placentæ uterinæ adſequi. Quin natura ipſa tantùm ſe ad partum aut abortum accingit. Nec facilè ὠκυτόκια danda, niſi fluori dolores etiam conjungantur.

XC. Ad *ſingultum* in febb. moleſtum Claudini experimentum ex Diaphænico & Philonio Romano miſtum, Monſpelienſium praxi frequentatum utiliſſimum compertum eſt.

NOTA.

Philonio Rom.) Vid. ipſummet in lib. de ingreſſu, & empirica rationali.

XCI. Maritus cum uxore juvenculâ formoſiſſimâ rem habere cupiens impediebatur, quia trepidaret maximè, & concubitum reformidaret, quia ſemen emittebat calidiſſimum & fœtidiſſimum, ita ut plerumque exanimis in thoro jaceret: Quinque tamen annorum ſpatio decies concepit & abortiit. Hic purgatus ☿ dulci ita convaluit, ut etiam conjux nullo alio remedio indigeret, ſed anno ſequente parentem faceret.

NOTÆ.

Calidiſſimum & fœtidiſſimum) Similis planè caſus, ni idem ſit, habetur ap. Laur. Hofmannum de uſ. & abuſ. med. Chem.

☿ *dulci)* Curatio morbum oſtendit. Non conſtat tamen, an aliqua luis ſuſpicio adfuerit: Nec multum refert. Semen ipſum in quibusdam adeò corrumpi poteſt, ut veneni alicujus naturam æmuletur.

XCII. In *renum ulceribus* nihil præſtantius expertus eſt D. de St. Jacques, quàm aquas ferro aut plumbo medicatas, præmiſſa S.M. è bracchio, & purgantibus lenioribus: Thermarum autem defectu ſubſtituebat decocta refrigerantia cum trochiſcis de Caphura. Clyſmata prætereà refrigerantia ex Oxycrato ſæpè repetebat.

NOTA.

Troch. de Caphurâ) Obſoleti iſti, nec ulli ferè hodiè uſitati. Ipſa ſanè Caphura decocto aut deſtillato convenienti addita idem præſtiterit.

XCIII. Odontalgiæ præclariſſimum experimentum expertus eſt Riverius ſpir. vini cum ſatureja deſtillatum, ore detentum.

NOTA.

Satureja) Idem præſtat etiam ſerpillum, & thymum non tantùm in collutione, ſed etiam in pediluviis.

XCIV. Riverius ſtatuebat Cæſaream ſectionem nunquam exercendam eſſe matre in vivis exiſtente, quia illâ vivâ partus nunquam deſperatus eſſe ſoleat. Probabat id exemplo mulieris Monſpelienſis ægrè parturientis, qua mortua infans quoq; mortuus inventus eſt, ſed tamen excluſus, unde conſtet extremis etiam conatibus excludi poſſe matre deficiente ex doloribus jam antè exantlatis. Quare nihil miri eſt, ſi Hildanus puerperæ extrema quæque patienti ſomnum viresque conciliarit confectione Alkermes exhibita ad ʒj. c. ſir. fl. papav. err ℥ij. ex aq. nenupharis & borrag. feliciſſimè ſuccurrerit. Vulnus etiam magnum in cute uniri non poſſe ajebat ſine ſuturâ, nedum in utero, qui in humidiori eſt cute & cui nihil ſubſternitur ad callum inducendum idoneum.

NOTA.

NOTA.

In vivis exiſtente) Rectè ſanè, nec facilè quisquam, quod ſciamus, in vivâ ſectionem tentare auſus eſt: ſed ex mortuâ vivus fœtus extrahi ſine hæſitatione poteſt.

Hildanus) Vid. ipſum Centur. 6. Obſ. 63.

XCV. *Mammillis excoriatis* pulverem Tragacanthæ inſperſum, certum remedium comperimus.

NOTA.

Tragacantha) Et nos quoque cum farina tritici, & Amylo & G. Arab. feliciter adhiberi obſervavimus.

XCVI. Hydropicorum hepati roborando nihil præſtantius expertum ſe profitebatur D. de Lort, quàm fe Spic. Nardi ʒß. ex ovo ſorbili datam. ſfl.

NOTA.

Spic. Nardi) Eſt ſanè egregium remedium, de quo vid. Dioſc. 1. 6.

XCVII. Hæmorrhagia periodica narium laborans, fruſtrà tentatis variis remediis oxycrato attracto curata eſt à Riverio.

NOTA.

Oxycrato) Id felicius adhibebitur, ſi acetum roſatum, ſucco plantag. aut urticæ miſceatur.

XCIIX. Urinæ incontinentiam in adultis pariter & pueris ſæpiſſimè curavit idem ſcobe ſive ramentis genitalium arietum in pulverem redactis ad ʒj. exhibitis.

NOTA.

Genit. arietum) Aut etiam cervini et taurini, quia omnia nervoſa & tendinoſa vim habent κολλητικὴν, de quâ ſuprà §. XXXIII.

XCIX *Luem ♀eam* Formiſius ſæpè curavit in plurimis præcipitato tàm albo, quàm rubro aliquoties exhibito ad ℈j purgandi gratiâ: deinde abſolvit reliquum lixivio è cineribus ſarmentorum.

NOTÆ.

Præcipitato albo & rubro) Conf. Epiſagm. noſtr. Obſ. XC.

Lixiv. è cin. ſarment.) Ineſt enim omni lixivio vis diaphoretica ob ſalem copioſum, quo nomine etiam ſalſamenta, & inprimis decoctum pernæ, Gallis in uſu.

C. Cùm toto Oriente communiſſimum & probatiſſimum remedium ad *oculorum dolores* percognitum ſit ſemen, quod Acacalidis Dioſc. I. 118. plerique putant Guil. Quacelbenus epiſt. ad P. A. Matthiolum lib. III Keſmeſen vocat, adeò ut vulgari proverbio dici ſoleat: Si doleant oculi, habes Keſmeſen: mirari ſæpè lubuit, hodiè à nemine tamen in uſum duci. Cauſam ſanè vix aliam conjicimus, quàm quod vix ulli ipſa planta agnoſcatur, quod Valerius Cordus ingenuo candore fatebatur. Bauhinus in pin. ſiliquæ ſylveſtri ſimilem conſtituit, multum profectò aberrans, & Paludani relatione deceptus, qui ſe ex ſemine Cairo delato, cum CIↃ IↃ LXXIX. ex Syriâ rediiſſet, ab eodem accepto plantam foliis rotundis enatam vidit, & Æginetam prætereà adduxit, qui tamen diſertè myricæ ſimilem profeſſus eſt: eo prætereà magis halucinatus, quod Acaciam Dioſc. Rauvolfio quondam noſtro deſcriptam ſuſpicaretur, cui tamen profectò non convenit. At ſi nonnihil temporis Linguarum ſtudio dediſſent Viri doctiſſimi, certiora omninò comperire poterant. Nam Kezmázek aut Keſmáſek كِزْمَازَق (כזמאזך) كِزْمَازَك (כזמאזק) & كِزْمَازَج (כזמאזג) Jacobo Firauzabadio diſerte exponitur حَبُّ ٱلأَثْلِ (חבאלאתל) id eſt, baccæ Tamaricis albæ ſ. fructus Acacalidis Dioſc. I. 128. EbnBeitharo. Et أَثْل (אתל) Aſiaticis Perſicè كَز سُورَه & (סורה כז) آق يلغون (אק ילגון) Mircâti auctori Turcicè Myrica ſalſuginoſa ſive alba, planta aculeata Zamachſſario prodita, non verè, qui folia acuminate & aſpera hoc nomine intelligebat. Charmaſel P. Bellonio lib. II. Obſ. c. XXV. corruptè dicta, ex quo repetebat etiam Cluſius I. hiſt. plant. rar. c XXVII. non pœnitendum mercimonium ob frequentiſſimum ubique uſum appellans: At proverbium de re quâcunque

cunque facili & parabili accipiendum, adeò enim copioſè provenit ſive ſemen, ſive, quod alii volunt, excrementum plantæ illius, ut rami pondere prægravati ferè diſrumpi ſoleant.

NOTÆ.

Acacalidis) Multus hujus uſus quondam Paulo Renealmo erat, quod ex curationibus illius patet. Provenit enim copioſè in Galliâ maximè Narbonenſi.

Keſmeſen) Vid. infrà. Keſmázekenim dicitur: aut Turcarum pronunciatione Kezmaſenk.

Acaciam Dioſc.) Vid. ipſum I. 133. de Ponticâ ſive Cappadocicâ, quæ diverſa putatur ab Ægyptiâ, rectè tamen ab illo deſcripta.

Tamaricis alba) Vid. Dioſc. I. 116. de Myrica: *γεννᾶται δέ τις ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Συρίᾳ ἥμερος, κατὰ τὰ ἄλλα ὁμοία τῇ ἀγρίᾳ καρπὸν φέρουσα ἐμφερῆ κηκίδι, ἀνώμαλον* (ſic enim legendum, non *ἀνωμάλως*) *στύφοντα κατὰ τὴν γεῦσιν*, id eſt, gignitur & in ÆgyptoSyriâque ſativa quædam, cætera ſilveſtri ſimilis, at fructum ferens gallæ proximum, inæqualem guſtu adſtringentem. *ἁρμόζοντα δὲ ἀντὶ κηκίδος εἰς τὰ στοματικὰ καὶ τὰ ὀφθαλμικά*, qui gallæ vice ad oris oculorumque medicamenta accommodatur. Ut mirari queas, cur Dodonæus XVII. Prax. c. XI. Tamariſcum Corinthium duplicem ſilveſtrem ſterilem, & mitiorem fecerit, ab Ægyptio & Syriaco gallifero diverſum. Nam & hic Ægyptius ipſe, qui gallas fert, *ἥμερος* Dioſcoridi dicitur. Si maximè Corinthius aliquis fuerit, cum ubique proveniat, tot ſc. Tamariſci erunt, quot regiones fuerint, Hiſpanicus, Pannonicus, Italicus, Gallicus, Germanicus & ſic deinceps, aut etiam plures, ſi urbium nomina captemus, quo nihil magis abſonum cogitari queat.

HISTO-

HISTORIA

STEATOMATIS reſecti, & feliciter ſanati.

Auctore

JOAN. SIGISM. ELSHOLTIO D.
& Sereniſſ. Electoris Brandenb.
Medico Ordinario

AD

D. MARTINUM VVEISSIUM

ET

D. CHRISTIANUM MENZELIUM

Sereniſſimi Electoris Brandenburgici Conſiliarios & Archiatros.

Exordium MEdicarum obſervationum quæ ſit, quantaque utilitas, apud peritos in propatulo eſt. Quid proderunt medicinæ præcepta quæcunque, cum univerſalia ſint, niſi ad ſanandos ægros ſingulatim illa applices, & per individua? inde enim unice pendet artis certitudo. Suos de morbis epidemicis libros incredibili diligentia ſcripſit olim Hippocrates, qui tamen maximam partem præter hiſtorias certorum ægrotantium nihil continent. Ipſum longo ordine qui ſecuti ſunt Medici, ſpiſſa Obſervationum, Conſiliorumque volumina nobis reliquere: nec deſunt hodieque viri ſummi, qui laudabili conatu rariores ſuas curationes in literarum monumenta referant. Illis ipſis non auſim nomen inferre meum, quamvis Obſervationes partim ab aliis

aliis peregre domique communicatas, partim proprias in ordinem redigere, & juſto libello complecti, nobis in promptu ſit. Recens tamen natam hanc abſciſſi Steatomatis hiſtoriam vulgare nunc viſum eſt, non quaſi carere illa Reſpublica Medicorum nequeat; ſed ut amicis, qui ipſam deſiderant, gratificemur.

MICHAEL NEBEL, miles decurio de legione prætoriana pedeſtri Sereniſſimi Electoris noſtri, annos triginta ſeptem natus, ſtatura procerior & macilentus, illibatæ tamen valetudinis & robuſtus, ſexto abhinc anno ſenſit aliquod tuberculum piſi inſtar ſibi naſci prope perinæum in extremis natibus, non procul ab ano, ſine dolore aut moleſtia. Quare neglectum per aliquot annos, incrementum ſumſit, & antrorſum ad inguen ſiniſtrum uſque fuit protenſum. Superiori menſe tandem ad tantam molem pervenit, ut vehementer extenſa primum, mox rupta etiam cute tumor procideret, & intra paucos dies magis magiſq; elapſus, hanc faciem, qualiter in icone prima pictus eſt, referret. *Hiſtoria tumoris.*

In conſilium adhibitus judicavi, eſſe tumorem ex eorum genere, qui materiã peculiari incluſam membranæ continent. De occaſione tanti mali interrogatus æger, referre nihil poterat, niſi olim ſeſe dimacham ab equitatione multa paſſum eſſe incommoda, & ab eo tempore initium tumorem ſumſiſſe. Suſpicari autem licet, vaſorum peculiarem diſpoſitionem in illo loco à nativitate nactum fuiſſe miſerum hominem, ita ut arteriæ cluni ſiniſtræ ſanguinem deferentis certus ramulus vena ſocia deſtitueretur, aut caſu hæc obſtrueretur: accidit inde, ut ſanguis affluens negato regreſſu ſubſiſteret, & natura nunquam otioſa nutrimentum allatum in materiam adipoſam ſenſim converteret, ipſiq; augeſcenti ſaccum fabricaretur. Cæterum erat univerſus tumor ad tactum durior, & prementi digito renitens adeo, ut primo intuitu Sarcoma ſive carnea videri excreſcentia potuiſſet. Conſilium de materia in pus vertenda, itemque aliud de ſectione per partes inſtituenda, cum non placerent: itum fuit in ſententiam de amputatione una vice perficienda. Semel igitur purgato corpore, & ſanguine ex vena brachii detracto, dies VI. elapſi menſis Decembris operationi fuit deſtinata. Convenimus Medici duo, mecum ſcilicet Excell. Dn. D. Martinus Weiſe Fil. totidemque Chirurgi, mane circa octavam. Omnibus rite comparatis, ægrum in ſcamno ſupinavimus, & quidem ſine vinculis, quippe quæ ſibi homo militaris dedecori ducebat. Adhibiti nihilominus fuerunt viri robuſti, qui brachia pedeſque decumbentis complecterentur. Tumor ob lubrici- *Curatio.*

citatem linteo involvebatur, ut manu firmiter teneri poſſet. Ad radicem ipſius acus filum trahens tranſadigebatur ex uno latere, & ex altero latere alia acus, radicem totam, in præcautionem nimiæ hæmorrhagiæ, arctiſſime conſtringendo. Mox novacula prope ligaturam amputatio fiebat, & celeri manu fruſtum ingens fungi orbicularis, deſuperque ſtupa cum albumine ovi & bolo vulneri imponebatur. Deinde vero faſciæ tum per pedem, tum per ventrem pro majori firmitate circumductæ, & ægrotus, qui maſcule ſectionem pertulerat, in lectulum fuit repoſitus.

Elapſis XXIV. horis faſciæ arctiores ſolvebantur, aliis paulo laxius injectis: medicamenta tamen ſanguinem ſiſtentia nondum movebantur. Tertio die omnia fuerunt ablata, unguentum digeſtivum, poſtmodumque cætera medicamenta convenientia ordine adhibita, adeo ut vulnus intra menſem ad cicatricem perduceretur.

Deſcriptio tumoris abſciſſi. Amputatus hic & bilance examinatus tumor, duas libras medicas æquabat; forma equidem marſupium referens, ad radicem tamen paullo anguſtior, itemque circa apicem. Portio cute nuda non apparebat lævis, ſed ſcabra & inæqualis: color carneus in locis extantibus, albicantior in depreſſis. Secundum longitudinem diſſectus, oſtentabat materiam adipoſam, adipique ſuillo recens extracto & ſubſtantia & colore tam ſimilem, ut diſcernere potuiſſet nemo. Folliculus craſſitie calamum fere æquabat, ut videre eſt in icone poſteriori: tenuiſſimæ vero membranulæ per totam adipis maſſam diſperſæ, in cellulas quaſi ipſum diſtinguebant.

Explicatio literarum in iconibus.

Fig. I. Steatoma integrum.

a. Radix ſteatomatis.
b. Apex ejuſdem.
c. Portio cutis amputatæ.
d. Portio cutis ruptæ.
e. Folliculi ſuperficies externa.
f. Materia adipoſa.

Figu-

Ad Append. p.74. & 75

Fig. 1.





Fig. 11.





BRITISH
NATURAL HISTORY

Fig. II. Steatoma juxta longitudinem diſſectum.

a. a. a. Materia adipoſa, membranis diſtincta tenuibus.

b. b. Portio cutis diviſæ.

c. c. c. Folliculi craſſities.

Cæterum de tumoribus materiam ſevo, melli, pultive ſimilem complexis, qui plura ſcire deſiderat, evolvere imprimis poterit Galenum *l. XIV. meth. med. c. XII.* Aëtium Amidenum *lib. XV. de re medic. c. VIII.* Paulum Æginetam *l. c. XXXVI.* C. Celſum *l. VII. c. VI.* Felicem Platerum *Tom. III. Prax. Medic. lib. I. c. III.* Ambroſium Paræum *l. VI. c. XIX.* Gabrielem Fallopium *l. de tumor. p. n c. XXIV.* Hier. Fabr. ab Aquapendente *l. I. Pentat. chirurg. in app.* Franciſc. Peccettium *tom. I. Oper. chirurg. lib. I. c. XXV.* ſpeciatim vero Joan. Baptiſtæ Corteſii *Steatoma exulceratum* à dextri femoris interna regione marſupii in modum pendens, editum Meſſanæ Anno 1614. Citandis pluribus ſuperſedeo. *Concluſio.*

Scribebam Berolini VI. Nonas Januariii
M. DC. LXVI.

Joan. Sigism. Elsholtii,

D. & Medic. Electoral.

De

CONCEPTIONE TUBARIA,

qua humani fœtus extra Uteri cavitatem in Tubis quandoq; concipiuntur:

Itemque de

PUELLA MONSTROSA,

Berolini nuper nata,

EPISTOLA

AD

DN. D. VVOLRATHUM HUXHOLTIUM

Sereniſſ. Principis Landgraviæ Heſſorum Regentis Archiatrum, &c.

PRÆNOBILIS, EXCELLENTISSIMEQUE DOMINE,

CUm Sereniſſimam Aulam Veſtram Caſſellis ſecutus, hic apud nos Berolini aliquot ſeptimanas nuper hoſpitareris, ſuaviſſima tua converſatione ſummopere delectatus ſum. Tui enim ſimiles Viri in doctrina & arte præcellentes aromatis apte comparantur, quæ contrectantibus non poſſunt non odorem affricare gratum ſimul & utilem. Idem mihi contigiſſe fateor, quotiescunque de artis operibus & nuper-



Ad Append. pag. 7?



Confer Acta Anglicana pag. 8v. ubi hæc figura
literis notata & explicata.
Exstat quoq; hæc figura apud Graafium. de Org. Mul. p. 26

nuper-repertis ſermonem inter nos conferebamus: imprimis cum tua opera & favore in muſeo noſtro inſpicere aliquando liceret literas, quas proxime elapſo M. Novembri accipiebas ab amico, Lutetiæ Pariſiorum nunc commorante, quibus is refert, in aperto cadavere fœminæ Pariſinæ inventum fuiſſe duplicem Uterum, addendo etiam Programma Gallicum typis impreſſum, atque Iconem æri inciſam cum lemmate hoc: *Demonſtration d' une double Matrice.*

Profecto non levis tum ſubibat admiratio animum meum, immo utrique noſtrum oſtentum hoc naturæ rariſſimum, & ulteriori examine quam maxime dignum videbatur. Cum vero TU paullo poſt iterum hinc abires, ſententiamque nihilominus hac de re meam requiſiviſſes, lineas aliquot in chartam conjeci: & ut in Germania quoque noſtra iſthæc ſi non nova, ſaltem paucis obvia hactenus concipiendi ratio magis innoteſceret, Epiſtola hac ad TE conſcripta Caſum repetere breviter, & adjecta effigie excitare animos Eruditorum ad id genus plures Obſervationes notandas volui. Id quod haud inique Te, Vir Excell. me laturum penitus confido.

Argumentum autem Programmatis Gallicani, omiſſis ſuperfluis, Latine ſic ſonat: *Benedictus Vaſſalius Chirurgus Pariſienſis aperuit d. VI. Januarii anni currentis 1669. cadaver mulieris triginta duos annos natæ, temperamento ſanguineo & habitu corporis ſatis maſculo præditæ. Repertæ fuerunt duæ Matrices ſingulari connexione à natura tam bene diſpoſitæ, ut vera undecies jam concepiſſet, ſeptem nimirum filios & quatuor filias juſto omnes tempore & debitæ compoſitionis. Atqui habebant fraterculum embryonem, conceptum in Adjutorio ſive Adminiculo genuini Uteri & quidem in loco ad diſtenſionem tam inepto, ut fœtus grandeſcens decem ſeptimanas funeſtis ſymptomatis matrem exagitaret: tandem trium aut quatuor menſium factus fœtus carcere effracto tumulum ſibi in ipſa matre paravit excitando ingens ſanguinis profluvium in univerſam abdominis cavitatem: id quod tribus ultimis diebus vehementiſſimi motus convulſivi, & denique mors ſubſecuta fuit.*

Cæterum ad demonſtrationem hanc Dn. B. Vaſſalii quod attinet, quamvis cum nemine contendere velim admodum, ægre tamen à me impetrare poſſum, ut credam, gemino inſtructam Utero fuiſſe Pariſienſem illam gravidam: niſi vocabulum Uteri latiſſime accipere velimus pro quacunque capſula fœtum includente. Quotusquisque enim appictam Embryi domunculam attentius conſiderat, dextram Uteri genui-

ni tubam dilatatam, non autem accurate loquendo Uterum ſecundum eſſe confitebitur.

Nimirum fundus uteri eſt locus, in cujus rotunda cavitate humani fœtus ordinaria naturæ lege concipiuntur: canum ſiquidem & aliorum brutorum matrices à rotunditate iſta recedunt, & bicornes aut alterius formæ ſunt æmulæ. Atqui communi gentium conſenſu hactenus ſtatutum fuit, Uteri humani rotundam illam cavitatem non tantum eſſe genuinam, verum etiam unicam conceptionis ſedem: quin immo extra illam non dari ullam Embryi formationem.

At vero aliter ſe rem habere, hiſtoriæ aliquot noſtrâ patrumque memoria factæ convincunt. Joannes ſane Riolanus *lib. II. Anthropograph. cap 35. In tuba uteri*, inquit, *quod eſt mirabile, fœtum humanum concipi, fuit obſervatum.* Deinde recenſet quatuor è tubis exſectorum fœtuum exempla, quæ quidem nolim hic otioſe repetere. Pertinet huc hiſtoria de uxore Civis Viennenſis, quæ extat apud Joan. Marquardum *Practic. Medic. tit. de Mola matricis p.390.* Inventæ ſcilicet ſunt in ipſius cadavere diſſecto duæ molæ extra matricem: una ſupra ipſam fruſti inſtar carnis, & altera in latere ſiniſtro circa vaſa ſeminaria, capitis magnitudine. Plane etiam huc ſpectat ObſervatioMuſſipontanæ mulieris, embryum extra uterum gerentis, quam ante hos decem annos ſeorſim vulgavit Jo. Daniel Horſtius, & repetiit Thomas Bartholinus *Centur. VI. Hiſtor. 92.* Accedit jam nunc nova hæc ex Galliis Obſervatio, cæteras ante ſe tum magnopere illuſtrans, tum evidentia longe ſuperans. *Lit. a.* eſt Uteri cavitas. *b.* Vagina. *c. c.* Ligamenta teretia. *d. d.* Teſtes *e.* Tuba ſiniſtra *f.* Tuba dextra. *g.* Portio tubæ dextræ dilatata, in qua embryo conceptus. Cætera ſine interprete patent.

De modo tantum mens hæret, quo *Conceptiones* iſtæ *tubariæ* (liceat nunc iſtac voce à proprio ſenſu, quo Fabrum tubarum alias ſignificat, paullum detorta uti) contingant. Concedendum primo, ſemen virile non tantum in fundum pervenire, ſed in ipſas inde penetrare tubas valere. Deinde quoque, tubas immane quantum dilatari poſſe, veluti infelix Catharina Bonevallia, hydropem in illis paſſa, apud Nicol. Tulpium *l. IV. Obſerv. Medic. c. 44.* ſatis ſuperque commonſtrat. Tertio, maſculum ſemen in tubas receptum, ſemini fœminino commiſceri, ut conjunctim deinde in fundi cavitatem pro fœcundatione & fœtus conformatione refluant. Denique *in tubis, haut ſecus atque utero, obſtructiones*

ctiones eſſe frequentes, ut loquitur Joan. Veslingius *Syntagm. Anatom. cap. VII.*

Suppoſitis his ſequitur, miſellam hanc Pariſinam ſub amplexibus venereis ſuſcepiſſe ſemen maris, quod per uteri fundum in dextram usq; tubam penetrans, & muliebri copulatum, dum relabi in cavitatem nitebatur, interveniente notabili quadam obſtructione impeditum ſubſtitit. Virtus interim plaſtica nunquam otioſa, ex miſcella fœcundi ſeminis fabricari fœtum incepit, non refragante prorſus loci commoditate: ſiquidem, auctore Riolano l. c. *tubæ uteri ejusdem ſunt naturæ & ſubſtantiæ cum utero, quia mediocriter carnoſæ.* Porro creſcente fœtu magisque dilatari tuba cœpit, immo & membranæ ipſius ſpiſſari adeo, ut craſſitie ſua uterum genuinum æmularetur.

Tubarias autem ejusmodi *conceptiones* embryo ſemper, matri ut plurimum lethales eſſe arbitramur. Per anguſtum enim tubæ ductum remeare in uteri cavum haut valet fœtus grandior: unde aut ſoffocatur in matrice illa falſa, ſi ea ſit ſpiſſior: aut ſi tenuior, vi perrumpit, & in cavum abdominis prolabitur. Eam rupturam inſignis hæmorrhagia neceſſario comitatur, immo lethalis, niſi abdomine artificioſe diviſo ſanguis effuſus evacuetur, & embryo novâ Partus Cæſarei methodo eximatur. Hujus equidem operationis, qua exciſo fœtu in tuba concepto parens ſervata ſit, etiamſi exemplum nondum extet: fieri tamen eam poſſe, non magis eſt negandum, quam Partum Cæſareum hactenus cognitum. Atqui nec illud negandum, tum in tubis variorum morborum muliebrium cauſſas latere hucusque ignotas, tum in ligamentis uteri teretibus: quippe quæ non ſimplicia, ſed concava eſſe, & è duplici membrana haut ſecus, atque Uterum ipſum componi, immo per eadem ſeminalem materiam, nec non alia in utero coacervata excrementa ad inguina expelli, ex Jo. Veslingio *Syntagm. Anatom. cap. VII.* aliisque Neotericis abunde conſtat.

Ita equidem hac de re nunc conjicio, nondum meliora doctus: atqui Guilielmi Harvei de generatione animalium ſententia, quæ jamnunc inter Doctos ventilatur, ejusmodi experimentis majus acquiſitura robur videtur: quippe ſi in tubas poſt coitum ſecedit ſemen, quid mirum, ſi in cervis & damis primo menſe vacuam uteri cavitatem ipſe invenit. Qua de controverſia legi merentur, poſt Antonium Deuſingium, Jani Orchami *Conjectura de generatione animalium*, & examen illius libelli, quod hoc ipſo anno Georgius Fridericus Rallius, Medicus Stetinenſis divulgavit.

Et

Et hæc quidem hactenus: at vero de *Puella illa monſtroſa*, quam urbs noſtra nuperrime conſpexit, adjicere aliquid viſum quoque eſt, præſertim cum effigiem ipſius TU à me deſideraveris. Eam itaque hic additam nunc accipe: immo, niſi faſtidis, ejusdem etiam deſcriptionem.

Die nimirum XIII. M. Octobris, & quidem anni labentis CIↃ IↃC LXIX. naſcebatur Coloniæ Brandenburgicæ puella peſſimæ conformationis in partu mortua. Mater erat juvencula, quam ſuperiore anno uxorem duxerat miles gregarius de Legione urbis præſidiaria. Tertio igitur à partu die cum inſpectio à me fieret, in capite fœtus nullum exterius apparebat vitium, quin potius facies ipſi erat bellula & venuſta ſatis. Sic etiam brachium dextrum, itemque totum dorſum erroris viſebatur expers.

Contra vero brachium ſiniſtrum ab humero ſenſim acuminabatur, & tandem deſinebat in unicum digitum, ſuo ungue *lit. a* rite munitum. Crus lævum abdomini adnatum ita, ut genu illud attingeret: hiabat autem tota illa abdominis portio, *lit. b.* propendentibus per cutem fiſſam hepate, meſenterio, cæteriſque nutritioni dicatis viſceribus, uti etiam umbilicalibus vaſis. Pes quatuor tantummodo digitis inſtructus, & per medium notabili ſciſſura *lit. c.* divulſus, adeo ut eminus conſpicienti duplex planta in uno pede appareret.

In dextro genu patella deerat, & planta pedis *lit. d.* itidem quaternis prædita digitis. Verum & ex interno femore *lit. e.* prodibat, ſimulque malleolo interno *lit. f.* connectebatur caudam ſuillam oblongam referens corpus, & quidem glabrum: qualem caudulam, ſed breviorem & piloſam, etiam prope anum in ſolita coccygis extremitate *lit. g.* haut ſine ſtupore contemplabamur.

Interrogata mater, num tempore geſtationis ob terrorem aut ſimilem animi perturbationem aliquid mali paſſa ſit, ſe quicquam meminiſſe negabat. Frequentibus tamen mactationibus ſuum atque porcorum ipſam interfuiſſe, fœmellæ adſtantes aſſerebant: unde malum hoc, interveniente imaginationis vehementia, unice originem traxiſſe conjicimus. Ne quid enim de cauda illa porcina in coccyge hic dicam, ſuſpicionem multum auget fiſſura illa in abdomine, per quam viſcera propendebant. Quicunque enim vel ſemel de trabe mactatum ſuſpendi porcellum obſervavit, & quam faciem referat abdomen ejus, dum à lanione diſſecatur prolabentibus inteſtinis: is ea parte conformitatem aliquam cum monſtroſo partu hoc, facile agnoſcet. Cæterum quamvis

iſtius-

Ad Append. pag. 80.

PUELLA MONSTROSA.



BRITISH MUSEUM NATURAL HISTORY

iſtiusmodi aſpectu ſe perterritam mater non recordetur, vero tamen perquam ſimile eſt, non advertenti tale quippiam: dum utero ferret, contigiſſe: aut, veluti rerum ſuarum quandoque minus ſatagunt mulierculæ, perturbationis quondam perceptæ ipſam prorſus fuiſſe oblitam.

Interea quanta vis ſit imaginationis, mirari ſubit: quippe quæ ſub auſpiciis τῆς πλαστικῆς in uno fœtu & digitos aufert, & caudas apponit, & plantas ſulcat, & ſciſſo abdomine viſcera protrudit: immo his longe majora facinora in embryone quandoque patrat, cujus calamitatis exempla affatim proſtant apud Auctores, qui de Monſtris & Prodigiis ſcriptitarunt. Et ſpeciatim quidem, ut noviſti, laudandi hoc loco venirent Ulyſſes Aldrovandus & Joannes Georgius Schenkius, uterque in *Hiſtoria monſtrorum*, Alphonſus de Carranza Hiſpanus *Tractat. de Partu natural. & legitim.* Ambroſius Paræus *Oper. Chirurg. lib. XXIV.* Martinus Weinrichius *Commentar. de Monſtr.* Caſpar Bauhinus *lib. de Hermaphrodit. monſtroſisq; partub.* Fortunius Licetus *lib. de Monſtrorum natur. cauſſ. & different.* At ne noctuas Athenas, aut aquam pelago illaturus videar, finio illo Philoſophi de Monſtris effato *lib. IV. de Gener. animal. cap. 3.* Πάρεγγυς οἱ λέγοντοι τὰς αἰτίας καὶ παραπλήσιοι λέγονται τινά εἰσιν, οἵ τε περὶ τῶν τεράτων καὶ οἱ περὶ τῶν ἀναπήρων ζώων. καὶ γὰρ τὸ τέρας ἀναπηρία τίς ἐστι.

Tuæ vero cenſuræ, Huxholti Celeberrime, quicquid hic perſcripſi, ſubmitto: obnixe precatus, ut qui tuus eſt candor, omnia in meliorem partem interpreteris, tuumque mihi amorem conſtanter ſerves. Berolini d. XIV. Decembr. A. cIɔ ɪɔc LXIX.

TUMBA SEMIRAMIDIS
Hermeticè ſigillata,

Quam

SI SAPIENS APERUERIT,

Non

CYRUS, AMBITIOSUS, AVARUS,

Regum ille theſauros divitiarum inexhauſtos, quod ſufficiat, inveniet.

Da amantem, & ſentiet, quæ loquor, ſin autem frigido loquor, non ſentiet, quæ loquor. *D. Aug. d. amor. div.*

Nobiliſsimi, Præcellentiſsimi Viri, S. R. I. Naturæ Curioſi DOMINI,

Et

FAUTORES HONORATISSIMI.

NOn tantùm priſcis temporibus, ſed & hâc mundi ſenectâ nil altius ſepultum, nec quod magis ab omnibus, maximè Technophilis deſideratum hactenus eſt, quam magni illius myſterii Sapientum Scientia, quæ notâ voculâ *Lapis Philoſophorum* appellatur; Eapropter ſcientiam hanc ſub ſchemate *Tumbæ Semiramidis*, ſapientiſſimæ quondam Babylonis Reginæ tumulatam & adumbratam, ſervata ejuſdem monumenti inſcri-ptione

ptione, è tumulo extrahimus, orbique literario viſendam & aperiendam ſiſtimus; *Quam ſi Sapiens, non Cyrus, ambitioſus, avarus aperuerit, Regum theſauros divitiarum inexhauſtos, quod ſufficiat, inveniet.* Addo conſtantem ſanitatem, quæ duo præcipuas feliciores vitæ columnas dixeris.

Sed erunt fortè altum Sapientes, quibus Tumbam hanc reſerare opus mulierum & ludus puerorum videbitur, ſciant autem velim, ſcientiam hanc eſſe *Amnem altiſſimum, in quo Agnus ambulat*, id eſt, ſimplex proficit, *& Elephas natat*, id eſt, doctiſſimi quique opinionibus, erroribus, & dubiis ſuis fluctuant, & immò ſubmerguntur; dum hic de vero ſubjecto magni operis adhuc dubius, immò toto genere alienus eſt; ille de Mercurio ſophico acquirendo arduè ſollicitus, nec quis ille ſit, vel cujus formæ, inanibus laboribus ſeſe fatigat; alius quid Ignis Philoſophicus? quid elementa magica, clavis, vel menſtruum ſolvens? undè illud depromendum? an dulce vel corroſivum? frigidum? vel igneum ſit? vano mœrore ſeſe lacerat. Ingemui ſæpè ſuper ea, quæ talium manus fecerant, & in quibus fruſtrà inſudaverant, ubi ultimò non invenirent, niſi vanitatem & afflictionem animi. Stimulo itaque charitatis eorum miſertus, communicatam mihi miſericorditer lucem, eandem, ut clavem ad ſacræ illius ſcientiæ ſanctuarium inveniant, lubens impertior, quamvis à multis violati ſilentii reus accuſabor.

Veſtra verò, Viri Præcellentiſſimi, in curioſis Polydædalæ Naturæ arcanis & operibus curioſa induſtria, & indefeſſa curioſitas, quæ totum Orbem literarium ad ſecretiora communicanda ſuaviſſimo ſuo illicio invitavit, me quoq; impulit, hujus, quod apud me eſt, totius naturæ curioſiſſimi operis, Vos genuinos omnigenæ ſcientiæ filios, hæredes facere.

Quis verò ſim ne quærite; Homo ſum, qui aliis prodeſſe ſtudeo; amicus veſter, & virtutum veſtrarum admirator, notus multis, ſaltem nomine.

Valete ergò Curioſi Naturæ, & Artis Myſtæ, excelſa Ger-

maniæ ſidera; DEUS ſit Vobiſcum; Veſtraque opera & cogitationes toti Reipublicæ literariæ ſummè proficuas virtute ſuâ corroboret ad publicæ ſalutis incrementum, veſtrique Nominis gloriam immortalem.

Ex Muſeo Calendis Januarii, Anno à nato Salvatore 1674.

TUMBÆ SEMIRAMIDIS HERMETICE SIGILLATÆ

CAPUT I.

De Subjecto Phyſico Lapidis Philoſophorum.

OPeris noſtri principium ſit TIMOR DOMINI, finis autem CHARITAS & AMOR proximi. Aggreſſuri itaque cum Bono DEO tam divinum opus, primo inquirendum, quodnam ſit ſubjectum illius? Ut enim agricola incaſſum ad meſſem agrum præparat, niſi de ſemine certus ſit, ita & ille gratis agrum chymicum inſtruit, ſi quidquid in illum ſeminet; ignorat. Et in hoc hodienum plures ſeſe angunt, inque differentes opiniones rapiuntur.

Sed omnia hæc velle diſcutere, bujus loci non eſt: Dum illi in Regno Animali, Sanguine, Spermate, Sudori, Urinâ, Capillis, Stercoribus, Ovis, Serpentibus, bufonibus, araneis, &c. quærunt; Iſti in Regno Vegetabili, præprimis Vino, inani pro Magiſterio magno conatu occupantur. Etſi enim nobis conſtet in utroque Regno, & quidem in Homine (maximè illius corde) dum etiam Vino ſupremam quoque unam valetudinis noſtræ medicinam obtineri poſſe: ut enim aurum omnium mineralium, ſic hæc duo omnium Animalium & vegetabilium poteſtates, in unum quaſi collectas, complectuntur; Porrò ut ex illis fiat opus magnum ſapientum, nullus Adeptorum ſomniavit. Supereſt igitur ex Regno minerali petendum eſſe; ſed & hic magna diſſentientium Corona, ut herclè Oedypo opus habeamus: Sunt enim, qui ex mediis, ut vocant, mineralibus, utpote Sale, Nitro, Alumine, & id genus aliis eruere

ere volunt, ſed fruſtrà; cùm hæc argenti vivi nihil in ſe habeant, in quod reſolvi queant; Quo in luto & nos in prima noſtra inſcitia immerſi fuimus.

Manet ergò ratum, metalla ſubjectum Phyſicum eſſe Lapidis noſtri benedicti. Verum & hic res in bivio: Metalla enim alia imperfecta ſunt, perfecta alia.

Breviter ut nos expediamus, dicimus omnia metalla fuſa, præcipuè verè non fuſa etſi imperfecta, per intimam labis ſuæ originalis depurationem (quod tamen perquam difficile, & apparenter vix impoſſibile) ſubjectum Lapidis eſſe poſſe, de quo FLAMELLUS: Aliqui in Jove, aliqui in Saturno laboraverunt, ego autem, *inquit*, in Sole laboravi & inveni. *Et in exercit. ad Turbam legitur:* Omnia metalla munda & immunda ſunt intus Sol, & Luna, & Mercurius, ſed unus eſt verus Sol, qui abſtrahitur ab eis. *Et Author arcani operis Hermeticæ Philoſophiæ canon. XVI. inquit:* Quicunque extra metallorum naturam imperfecta metalla perficiendi & multiplicandi artem quærit, in via erroris eſt, à metallis enim metalla, ſicut ab homine humana & à bove bovina ſpecies potenda eſt. *Et canon. XVIII. amplius agit:* Corpora perfecta ſemine perfectiori prædita ſunt; ſub duro itaque perfectorum metallorum cortice latet perfectum ſemen, quod qui novit reſolutione philoſophicâ eruere, regiam viam ingreſſus eſt. *Sic &* Anonymus *ille PHILALETHA in introitu ad Sacrum Regis Palatium cap. XIX. de progreſſu operis inprimis 40. diebus:* Eſt nimirum in omnibus metallis, etiam communibus AURUM, ſed proximius in AURO & ARGENTO. *Quamquam (ut benè idem Adepus loquitur)* eſt adhuc unum in regno metallico mirabilis originis, in quo Aurum noſtrum proximius eſt, quàm in communi Auro & Argento, ſi illud in hora ſuæ nativitatis quæras, quod in noſtro Mercurio liquatur ut glacies in aqua tepida, &c.

Sed præſcindendo hâc vice ab his imperfectioribus, in præſenti magna illa duo luminaria perfectiora, SOLEM & LUNAM, Aurum quippe & Argentum pro ſubjecto phyſico Lapidis declaramus, quam Viam magna pars Philoſophorum ſecuta eſt, & voti ſui compotes facti ſunt. Et declarat illud AUGURELLUS l. 2. Chryſop. dum ait:

- - Purum atque omni purgatum ſorde metallum
Accipies, cujus ſecreta in parte receſſit
Spiritus, & craſsâ preſſus ſub mole latenter
Victitat, ac ſolvi vinclis & carcere cœlo
Emitti expectat, tenues effuſus in oras.

IDEM in Chryſop. l.

- - - - nec tu
Nunc aliundè auri quæras primordia, in auro
Semina ſunt auri, quamvis abſtruſa recedant
Longius, & longo nobis quærenda labore.

Et de utriuſque luminaris dignitate illud Spagyricæ Philoſophiæ Sidus LULLIUS, codicill p.m.28 Propter quod depurata magis aliis reperiuntur duo, ſcilicet, Aurum & Argentum, ſine quibus ars iſta non poterit integrari, cùm in illis ſit puriſſima ſulphuris ſubſtantia ingenio naturæ perfectè depurata, & ex illis duobus corporibus cum ſuo ſulphure vel arſenico præparatis, noſtra elici medicina poterit, & ſine illis haberi nequit. *Et clangor BUCCINÆ:* Prudenter & diſertè oportet te operari, quoniam ſine fermento non poterit Sol neque Luna eſſe: & aliud ſemen ſive fermentum non eſt appropriatum & utile, niſi Aurum ad Rubrum, & Argentum ad Album, quæ corpora ſubtiliata prius ſub pondere, deinde ſeminanda veniunt, ut putreſcant & corrumpantur, ubi deſtructa una forma alia nobilior induatur: Et hoc fit aqua noſtra ſola mediante. *Hinc optimè concludit ANONYMUS quidam in ſua reſponſione:* Sicuti ignis ignificandi principium eſt, ita Aurum Auri eſt principium, qualis cauſa, talis effectus. Qualis pater, talis filius: quale ſemen, talis fructus. Homo hominem, leo leonem generat.

Sed dices: aſſerunt Philoſophi, quod talis debeat eſſe materia, quam æquè dives, & pauper habere poteſt, unde illud: DEUS hunc theſaurum omnibus hominibus inquirendum conceſſit, nec mortalium ulli, niſi quis pravis cordis ſui affectibus indignum ſe ipſum reddat, tanta bona invidet. Et GEBER: non oportet tua bona conſumere; quia vili pretio ſi artis principia non ignoraveris, quæ tibi trademus, ad completum pervenies magiſterium. Si enim Aurum, vel quid ſimile ſumptuoſum illud (*tantùm*) eſſet, ſic pauperes cogerentur hoc glorioſum opus poſtponere, cùm contingat, Artificem pluries errare, pauper non poſſet poſt admiſſum errorem opus repetere, quod omninò fieri oportet, ſi nullum aliud remedium ſupereſſet. *Et Lilium:* Hic autem Lapis palàm minimo emitur pretio: qui ſi noviſſent venditores, ipſum manibus tenerent, & nullo modo venderent. *Et alius ANONYMUS:* Expenſæ noſtræ non excedunt pretium duorum florenorum. *Quod confirmat ARNOLDUS:* Firmiter teneas, quòd expenſæ noſtræ nobiliſſimæ Artis non excedant pretium duorum aureorum in ſua emptione, id eſt, operatione. *Et*

GE-

GEBER : Si in operando æs tuum amiſeris, nos non iniquè corrodas, ſed tuæ imputes imprudentiæ: Scientia enim noſtra magnas non requirit expenſas.

Ad quæ reſpondemus: Nos nunquam negâſſe, præter Aurum & Argentum non etiam dari aliud ſubjectum minoris pretii: ubi imperfecta metalla non excluſimus, quemadmodum ſuprà ex ANONYMO PHILALETHA hiſce verbis meminimus: Eſt adhuc unum in regno metallico mirabilis originis &c. *Quamquam vile hoc pretium multi Philoſophorum de menſtruo noſtro ſolvente intelligi velint.*

Dices amplius ex SENDIVOGIO tract. XI. In laboribus tuis Aurum & Argentum vulgi non accipias: nam hæc ſunt mortua.

Reſpondemus, concedendo ex Auro & Argento vulgi, quâ talibus, & quamdiu mortua fuerint, non confici Lapidem; Ubi verò reſuſcitata, & in primam ſeminalem naturam redacta, & Auro Philoſophorum ſimilia facta fuerint, dum non tantùm de ſe ſemen edunt, ſed & loco fermenti inſerviunt. Quod confirmat Philoſophus his verbis: Præſentes & præteriti non fecerunt aliquid niſi ex Auro Aurum, & ex Argento Argentum, non tamen Aurum illud vel Argentum fuit vulgi.

Ex quo patet, quòd Aurum Philoſophorum non ſit Aurum vulgi, nec in colore, nec in ſubſtantia, ſed illud, quod extrahitur ex eis, eſt alba & rubea tinctura.

CAPUT II.

Quid ſit Aurum Phyſicum ſeu Philoſophorum?

AUrum vel Argentum Philoſophorum eſt corpus metallicum reſolutum in ultimam materiam, quæ prima Lapidis eſt, (ſcilicet in Mercurium) & probatur: Omnis res eſt ex eo, in quod reſolvitur, ſed omnia metalla reducuntur in argenteitatem vivam, ergò fuerunt Argentum vivum.

Eſt enim (*juxta vulgatam Philoſophorum ſententiam*) in Mercurio, quod quærunt ſapientes. *ITEM*: Mercurius eſt radix in Alchymia, quoniam ex eo, per eum, & in eo ſunt omnia metalla. *Et Spagyricæ Philoſophiæ abſtruſiſſimum mare THEOPHRASTUS de prima metallorum materia ita loquitur:* Extrahere corporibus metallicis Mercurium nihil aliud eſt, quam ipſa reſolvere, ſeu in primam ipſorum reducere materiam, hoc eſt, Mercurium currentem, qualis ſcilicet erat in centro terræ ante metallorum generationem, vapor ſcilicet humidus & viſcoſus

(qui

(qui eſt Aurum vel Argentum Philoſophorum) continens in ſe inviſibiliter Mercurium & Sulphur naturæ principia omnium metallorum. Talis Mercurius ineffabilium eſt virtutum viriumque, & ſecreta divina continet.

CAP. III.

De Præparatione corporum pro Mercurio Philoſophorum.

INquit *AVICENNA*: Si laborare volueris, neceſſum habes, ut in ſolutione vel ſublimatione duorum luminarium laboris tui facias initium, primus ſiquidem operis gradus eſt, ut Argentum vivum ex eo fiat. *Verùm cùm hæc corpora, utpote perfectiora arctius conſtricta, & duriorem coagulationem nacta ſint, ut ipſa in Mercurium reduci queant, primò præparatione, & phyſicâ calcinatione opus habent, quæ quidem non tam neceſſaria eſt in Argento [nam propter munditiem & mollitiem facilè in id agit aqua noſtra] quod non fit in Auro & reliquis metallis, quæ omnia requirunt calcinationem, in qua aqua noſtra facilius tunc agit, maximè, ſi quæ impura depurata ſint, propter ſubſtantiæ ſimilitudinem.*

De calcinatione corporum ex opere ſecreto de Lapide Philoſophorum D. Doctoris & Epiſcopi Tridentini: Metalla ſolvenda in lacte virginis prius debent calcinari ſeu purgari, & luna quidem finiſſima & ſubtiliter limata diſſolvatur in aqua forti, & aqua pluviali ſtillatitia in qua amoniacum, vel ſal commune diſſolutum ſit, præcipitetur in calcem albam, decantatâ aquâ lavetur, & edulcoretur calx alia aqua pluviali calente, ut omnis ſalſedo & acrimonia tollatur; ſiccetur poſteà, & erit calx mundiſſima.

Aurum verò calcinetur in hunc modum: Fac amalgama cum Auro (quod priùs per Aquilæ nigræ corpus depuretur, ut ſuprà modum pulchrum & glorioſum fiat) & Mercurio optimè purgato per ſalem & acetum, perque corium expreſſo, pone in aqua forti purificata, ut Mercurius omnis ſolvatur; aquam fortem à calce ſolis decanta, calcem ut ſuprà aquâ calidâ lava, & leni calore exſicca. Calx iſta ſi artificiosè & leviter reverberetur, ita tamen ne fluat, in pulcherrimum crocum abibit.

Aliter ſic calcinatur, Aurum, ut in primam materiam ſeu Mercurium Philoſophorum reduci queat, de quo PARACELSUS lib. 7. Metamorph. de reſuſcitatione, nimirum: calcinetur metallum cum Mercurio revivificato, ponendo Mercurium cum metallo in ſublimatorium, digerendo ſimul donec fiat

fiat amalgama. Sublima indè Mercurium modeſto igne, & denuò cum calce metallica tere, & ut ante digeſtionem & ſublimationem repete, idq; toties, donec calx admota candelæ ardenti fluat inſtar glaciei, vel ceræ. Hoc metallum ita præparatum pone ad digeſtionem in ventrem equinum, vel B. M. decenter calidum, digerendo per menſem, & convertetur metallum in Mercurium viventem (id eſt) in primam materiam, quæ Mercurius Philoſophorum, & Mercurius metallorum nuncupatur, quem multi quæſiverunt, ſed pauci invenerunt.

JOACHIMUS Polemannus de myſterio Sulphuris Philoſophorum, *beneficio corroſivi ſui duplicati & ſatiati metallum in minutiſſimas atomos dividit, & dilacerat ad tingentem animam menſtruo igneo ſolventi tradendum.*

Alia & meliori via à nobis calcinatur, quam calcinationem primam ſolutionem nominare libet; & fit ſi calcibus ſolis vel lunæ præfatis in phiala poſitis affundatur vinum vitæ, quod eſt menſtruum noſtrum, de quo infrà c. 6 ad eminentiam unius digiti tranſverſi, & appoſito capitello ſeu alembico digerantur in cinere vel etiam arena, & coagulentur; coagulato novum menſtruum ut ſuprà affundendo, & coagulando, idq; tertio & quarto, vel donec calx metallica ad lumen inſtar ceræ vel glaciei liqueſcat, quod eſt ſignum ſufficientis calcinationis Philoſophicæ, fitq; hoc cum conſervatione metalli in ſua virtute prima. Et hoc eſt, quod dicit ARISTOTELES in Roſario: Conjunge filium tuum Gabritium dilectiorem tibi omnibus filiis tuis cum ſua ſorore Beja, quæ eſt puella fulgida, ſuavis & tenera.

CAPUT IV.

De ſolutione corporum Philoſophica ſecunda & vera, atq; reductione in Mercurium.

FActâ calcinatione ſeu primâ ſolutione, de qua capite præcedente dictum eſt, & quæ (ut Philoſophus ANONYMUS tractatu aureo de Lapide Philoſophorum in ſua reſponſione habet) ſuavis eſſe debuit, & planè naturalis (id eſt) quæ ſubjectum ſine ſtridore cum humiditatis ſuæ radicalis conſervatione ſolveret, tunc corpora ita calcinata phialæ H.S. committenda ſunt, & leni igne B. M. vel roris per menſem Philoſophicum digerenda vel putrefacienda; melior enim eſt ſolutio voluntaria, quàm violenta; temperata, quàm feſtina, *ut habet Philoſophus. Et ſic fit ſolutio ſecunda & vera metalli in aquam viſcoſam, ſeu oleitatem quandam cum conſervatione humidi radicalis, in qua eſt verum ſulphur metallicum, ſimulque verus &*

nobiliſſimus Mercurius; unum enim alterius ſemper magnes exiſtit, manetque ſolvens cum ſoluto, & inſeparabiliter manere cupit, idque propter ſubſtantiæ ſimilitudinem; hinc veteres dixêre: natura naturâ gaudet, natura naturam vincit, immutat. *Et per hoc eſſentialis ſeu formalis ſolutio à corroſiva ſolutione diſtinguitur. Sciendum autem ex luna liquorem ſeu tincturam viridem gigni, quæ eſt verum Elixir lunæ, ſummumque arcanum confortandi cerebrum: ex ſole verò per æqualem putrefactionem ſummæ rubedinis liquorem produci, qui eſt verum Elixir ſolis, & quinta eſſentia metalli; de qua GEBER ait:* Nos facimus Aurum ſanguinolentum, meliùs quàm à natura productum, quod natura nequaquam facit. *De hac viſcoſitate amplius loquitur GEBER in ſumma:* Exactiſſimè ſingulæ ſumus experti, ſuis idquè probatis rationibus, ſed nihil potuimus unquam reperire permanens in igne, præter viſcoſam humiditatem ſolam radicem omnium metallorum, cùm cæteræ humiditates omnes, quia in homogeneitate non benè ſunt unitæ, ab igne facilè fugiant ac elementa ab invicem facilè ſeparentur, at humiditas viſcoſa, Mercurius videlicet, nunquam in igne conſumitur, nec aqua à terra ſeparatur, ſed aut omnia ſimul manent, aut ſimul abeunt.

Sed quæres, ſub quo pondere menſtruum metallo deſponſandum ſit? ROSARIUS Philoſophorum inquit: Sicuti in operatione panis modicum fermenti levat, & fermentat magnam copiam paſtæ, ita & illud modicum terræ ſufficit ad nutritionem totius Lapidis. *ARISTOTELES nominat pondus, dicens:* Sic igitur facite & coquite donec terra *(id eſt Aurum)* exhauſerit decuplum de aqua.

Author novi luminis in fine libri in hæc verba prorumpit: Aqua in decuplo eſſe debet ad unam partem corporis, & hâc viâ facimus Mercurium ſine Mercurio vulgi, accipiendo de aqua Mercuriali noſtra, *(id eſt, oleo ſalis Mercuriali putrefacto & alembicato)* quæ eſt vapor unctuoſus in decuplo ad corporis auri partem unam, & clauſis in vaſe per decoctionem continuam, Aurum fit Mercurius, id eſt, vapor unctuoſus & non Mercurius vulgi, ut falsò nonnulli imaginantur.

CAPUT V.

Quid propriè ſit quinta eſſentia?

PARACELSUS *lib. 3. de vita longa cap. 2. ſic diſcurrit:* Quinta eſſentia nihil aliud eſt, quam bonitas naturæ, ita ut tota natura in Spagyricam mixturam, & temperamentum abeat, in qua nihil corruptibile, nihilque contrarium ſit invenibile.

IDEM

IDEM lib. 4. Archidox. de quinta eſſentia ait. Quinta eſſentia eſt una materia, quæ corporaliter extrahitur ex omnibus creſcitivis, & ex omnibus, quod vitam habet, ſeparata ab omni impuritate & mortalitate, ſubtiliata mundiſſimè, diviſa ab omnibus elementis.

Et paulò poſt ibidem: Scire debes de quinta eſſentia, quòd ſit parva & modica, hoſpitata in aliquo ligno, aliquâ herba, vel lapide, aut ſimili: reliqvum purum corpus eſt, ex quo diſcimus ſeparationes elementorum, *&c.*

RUPESCISSA de quinta eſſentia c. 5. circa finem; Ideò eſt ingeniatum divino ſpiraculo, quod per continuas aſcenſiones, & deſcenſiones ſeparatur quinta eſſentia, quam quærimus à corruptibili corpore quatuor elementorum, & hoc fit, quia iſtud quod ſecundò & ſæpè ſublimatur, eſt magis ſubtile, & glorificatum, & à corruptione quatuor elementorum ſeparatum, quam quando ſolum unâ vice aſcendit, & ſic uſque ad mille vices, & per continuum aſcenſum & deſcenſum quod ſublimatur, ad tantam virtutem glorificationis venit, ut ſit compoſitum incorruptibile ferè ſicut cœlum, & de materia cœli, & ideò quinta eſſentia appellata, quia ita ſe habet ratione corporis noſtri, ſicut cœlum ratione totius mundi, ferè eo modo, quo artificium poteſt imitari naturam, quaſi per quoddam ſimile valdè propinqvum, & connaturale.

CAPUT VI.

De Igne Philoſophico, ſeu Menſtruo ſolvente, aut Liquore noſtro Alkaeſt.

Hujus aquæ ſeu ſucci nobiliſſimi (qui eſt verum Regis balneum) præparationem Philoſophi ſemper occultam tenuerunt, ita ut Bernardus Comes in Treſne & Neigen *lib. 2. dixerit, ſeſe nudis verbis nulli hominum expoſiturum, DEO votum, Philoſophis & æquitati præſtitiſſe, cùm ſit ſecretiſſimum totius operis arcanum; & revera! ſi enim liquor hic cuivis pateret, tunc pueri briderent ſapientiam noſtram, & inſipientes æquarentur ingenioſis, & totus in univerſum orbis cœco impetu huc rueret, ac ſe ipſum nullâ, nec æquitate, nec pietatis habitâ ratione in imum Acherontem præcipitem daret.*

AUGURELLUS menſtruum hoc Mercurium indigitat, dum ſic canit:

Tu quoque nec cœptis Cylleni audacibus unquam

Deſueris argentum vulgò quod vivere dicunt,
Sufficit, & tantis præſtant primordia rebus.

IDEM ſentit GEORGIUS RIPLÆUS in proœmino duodecim portarum: Ego profectò te docebo, Mercurios eſſe hos, qui ſunt claves ſcientiæ, quos RAYMUNDUS ſua menſtrua vocat, ſine quibus nihil fit. *GEBER aliter nominat*; Per DEUM altiſſimum hæc eſt illa aqua, quæ lucernas accendit, domos illuminat, & abundantiam divitiarum præbet. O aqua maris noſtri! ô ſal nitri noſtrum in mari mundi verſans! ô vegetabile noſtrum! ô ſulphur noſtrum fixum & volatile! ô caput mortuum ſeu feces maris noſtri!

TRIDENTINUS in opere ſecreto de Lapide Philoſophorum inquit; Philoſophi aquam ſuam, quâ uſi ſunt pro complendo opere, vocaverunt lac virginis, coagulum, rorem matutinum, quintum eſſe, aquam vitæ, filiam Philoſophorum &c. *PARACELSUS variè etiam: AZOTH*, ſpiritum vini, temperatum, circulatum, aquam Mercurialem; *SENDIVOGIUS* chalybem: *RUPESCISSA* acetum nobiliſſimè deſtillatum: *Profundiſſimus ille per ignem Philoſophus* Von *HELMONT* liquorem Alkaeſt *dixit*, *& ſic deſcripſit*: Liquor Alkaeſt reſolvit omne corpus viſibile & tangibile in primam ſui materiam ſervatâ ſeminum poteſtate, de quo ajunt Chymici: vulgus cremat per ignem, nos per aquam.

Nobis oleum ſalis Mercuriale putrefactum & alembicatum *nominare libet: licentiâ Philoſophica, ceu qui fœtibus ſuis pro arbitrio nomina diſpenſare poſſunt, oleum enim eſt ad altiorem gradum igneæ qualitatis exaltatum, ſicut totius ſolutionis metallicæ fundamentum (quod benè notandum) oleum eſt, ſine quo nihil utile in arte profici poteſt, & ipſum vices fœminæ agit in opere noſtro, atque meritò ſponſa ſolis, & matrix vocatur, eſtq; ipſa clavis abſconſa ad reſerandas portas metallorũ clauſas; ſolvit ſiquidẽ metalla calcinata, calcinat, putrefacit, facit volatile ſpirituale, tingit in omnes colores eſtq; principium, medium, & finis tincturarum; Et eſt unius naturæ cum Auro, ut VILLANOVANUS aſſerit, niſi quod natura Auri completa eſt, digeſta, & fixa; Aquæ verò natura incompleta eſt, indigeſta, & volatilis; Uno verbo: Eſt Ignis Philoſophorum, cum quo Hermetis arbor in cineres comburitur. De hoc Igne JOANNES PONTANUS in ſua Epiſtola:* Ignis Philoſophorum non eſt ignis balnei nec fimi, neque alius ejus generis, quos Philoſophi in ſuis libris poſuerunt: Mineralis eſt, æqualis eſt, continuus eſt, non evaporat, niſi nimium excitetur, de ſulphure participat, aliunde ſumitur, quam à materia, omnia dirimit, ſolvit, calcinat, atque congelat, & ille ignis

le ignis eſt cum mediocri ignitione, eſt compendium ſine ſumptu aliquo ſaltem parvo, quia cum eo totum opus perficitur. Studeas igitur ibi, nam ſi hunc primò inveniſſem, non erràſſem ducenties, antequam ad praxin perveniſſem. Quapropter errant, erraverunt, errabunt, eo quod proprium agens in ſuis libris non poſuerunt Philoſophi, excepto uno, qui ARTEPHIUS nominatur, ſed pro ſe loquitur, & niſi ARTEPHIUM legiſſem, & loqui ſenſiſſem, nunquam ad complementum operis perveniſſem, *&c. Hunc & tu conſule, & ſcies quid ſit menſtruum noſtrum: ſatis dixi.*

CAPUT. VII.

An menſtruum ſolvens ſit corroſivum?

V*Idetur hujus opinionis eſſe GEBER ſum. perfect. c. 52. dum inquit:* Omne quod ſolvitur, neceſſe eſt ſalis, aluminum, & eorum conſimilium naturam habere. *Et PARACELSUS lib. 4. Archidox. de quinta Eſſentia mox in principio §. ſic ait:* Difficile eſt, & vix credibile quintam eſſentiam extrahere ſine corroſivo ex metallis, præcipuè verò ex Auro, quod ſuperari nequit, niſi per corroſivum, per quod quinta eſſentia & corpus ab invicem ſeparantur, quod corroſivum iterum ab eo tolli poteſt. *Et cap. 3. de vita longa tom 6. lib. 3. ſic effatur:* Reſolve aurum unà cum omni ſubſtantia auri, corroſivo, *&c.* & id tantiſper donec idem fiat cum corroſivo, nec obſtupeſcas ob hunc laborem, quia auro ſi aurum eſt, corroſivum commodo eſt, & ſine corroſivo mortuum eſt.

Sciendum tamen, menſtruum noſtrum auro affuſum propriè corroſivum dici non debere, ſed potius igneum, cujus Arcani vis atque virtus vincit omnia venena; cum omne Realgar (id eſt Mercurius vivus, & ſublimatus, item præcipitatus) in ſolis Elixirio mori debeant, deveniantque ad ſingularem, & ſummam tincturam. Dum etiam per menſtruum noſtrum non fit violenta ſolutio, qualis per aquas fortes, regias, reſuſcitativas, & hujus formæ alias; ſed ut ſuprà cap. 4. dictum, blandè fit, ſuaviter ſine ullo ſtridore, & cum humidi ſui radicalis conſervatione, cum cujus ſpiritibus, (ut habet LULLIUS in Vade mecum) infunditur virtus vivificata in materiis.

CAPUT VIII.

De Practica Lapidis.

P*Oſtquam tingentem Planetæ animam, ſeu veram illius quintam eſſentiam præviâ putrefactione nactus es, in qua verus Mercurius, verumque ſulphur Philoſophorum latent, tunc materia tua apta nata eſt, ex ea fieri Lapidem*

dem noſtrum benedictum. Accipe ergò in nomine illius, *qui dixit, & facta ſunt, hujus materiæ puriſſimæ q.ſ. inde vaſi fixatorio, vel phialæ, aut ovo Philoſophico S.H. colloca in athanore, ut ſcis, & conveniente, digerente ſcilicet, continuo (enim eo deficiente mortem ſequi, aut fieri abortum neceſſe eſt) ſuavi ſubtili, alterante, & non comburente (ut cum Comite loquar) à prima conjunctione ad perfectam uſque ablutionem; ignis regimine (de quo amplius ANONYMUS PHILALETHA conſuli poterit, qui per cujusque Planetæ regimen diverſitates colorum lucide deſcribit) coagulando & figendo in Lapidem album vel rubeum, progredere; qui enim, ut RAYMUNDUS LULLIUS monet*, potentiam & patientiam non habet in opere, ille propter feſtinantiam corrumpit opus.

Perfecti operis ſignum hoc erit: ſi Lapis ſuper candentem Veneris laminam injectus inſtar ceræ fluat; non fumiget, ſed penetret, & tingat. Et tunc natus eſt Rex orientalis, in regno ſuo ſedens & potens ſuper omnes Principes mundi. Hinc exclamat Philoſophus: Egredere ex inferno, reſurge ex ſepulchro, expergiſcere ex tenebris, indutus enim es ſpiritualitate & claritate, quoniam audita eſt vox reſurrectionis, & anima vitæ ingreſſa eſt ad te. *Laudetur Altiſſimus, cujus dona cedant in Nominis ſui Sanctiſſimi gloriam, & proximi emolumentum.*

CAPUT IX.

De Augmentatione Lapidis *Benedicti.*

UBi jam Sulphuris præfati incombuſtibilis purpureo rubicundi auxilio Divinitatis poſſeſſor factus es ſupereſt, ut per repetitam rotæ inverſionem (ut loquuntur Philoſophi) illud augmentare ſcias, ſub quo non leve artis myſterium volvitur. Eâdem autem methodo, quâ illud confecimus, idem augmentare poſſumus. Sciendum enim, quo ſæpius Sulphur noſtrum, qui eſt Lapis noſter, lacte ſuo proprio irroratur, vel cibatur, in balneo rorido ſolvitur, iterumque ut in primo opere coagulatur, & figitur, major ſemper illius vis tingendi futura eſt; adeò quidem, ubi poſt abſolutum primum opus pars una centum partes Mercurii purgati, aut alterius metalli imperfecti tinxit, in ſecunda ſolutione per lac virginis, ejusque coagulatione & fixatione pars una mille tinget, & ſic per repetitas vices medicina noſtra augmentatur & multiplicatur in quantitate & qualitate, in virtute & pondere.

Accipe itaque Lapidis noſtri partem unam, & affunde lactis virginei, ſeu olei ſalis Mercurialis putrefacti, & alembicati partes duas, ſolve, coagula, ut in primo opere factum eſt, & aqua noſtra, quæ antea erat tantùm minerale in potentia, fit actu metallum precioſius auro; & ſic mortificatur Lapis per ſubli-

ſublimationes, & revivificatur per imbibitiones, quæ eſt ſumma via Univerſalis. Perductis his ad optatum finem, projectio ad lubitum ſuper hoc vel illud metallum præparatum, & decenter mundificatum fuſum, prout ad album vel rubeum, tincturam nactus es, inſtitui poterit; cujus verum uſum ars, & omnes Philoſophorum libri (maximè PHILALETHA noſter) abundè docebunt.

CAPUT X.

De uſu Lapidis Medico interno & externo.

Sciendum eſt de hoc Lapide benedicto, quod ille ſit medicina Catholica, continens in ſe omnium morborum tàm calidorum, quàm frigidorum perfectam curam, quatenus nimirum per naturam curabiles agnoſcuntur, & à DEO ſanari permittuntur. Si quæras, qualiter hæc medicina perfectiſſima cœleſtis tinctura, aliæque ſimiles panaceæ agant; & contraria curando in corpore humano, operentur? Reſpondemus, hoc totum præſtare calefaciendo, illuminando, atque irradiando Archæum, ſicut habet Philoſophus noſter von *HELMONT in l. & tract. cujus inſcriptio: in Herbis, Verbis, & Lapidibus eſt magna virtus. Quod nimirum agant* citrà ſui diſſolutionem aut interitum, citrà ſui penetrationem, introadmiſſionem, commiſturam, & commutationem liberè, etiam eminus inſopitum vel accenſum Archæum, ſolo quaſi ſuo aſpectu, irradiatione, vel ejaculatione ſuarum virium in medio productarum, retentis adhuc priſtinis, & non mutatis pondere, & proprietatibus. *Quomodo, ut præclarè JOACHIMUS POLEMANNUS,* Spiritus tenebrarum, morbos ſcilicet (qui omnes nihil aliud ſunt, quàm proprietates cubilis mortis vel præcurſores tenebroſæ mortis) in bonos ſpiritus tranſmutant, quales anteà erant, cùm homo ſanus eſſet. *Et hâc renovatione defectarum virium robur ſimul univerſo denuò reſtituitur.*

Doſis illius eſt granum 1. ad 2. juxta ætatem, & vires ægri in hauſtulo vini calidi, vel cochleare uno quintæ eſſentiæ ejuſdem diſſoluta, & tertio quoquo die exhibita. In morbis externis, vulneribus, ulceribus cacoeticis, phagedænicis, fiſtulis, gangræna, cancro, &c. quotidiè, vel alternis diebus granum unum exhibetur in vino. Pars verò externè affecta vino, in quo portio noſtri Lapidis ſoluta ſit, lavatur, vel ſi neceſſitas exigat, per ſyphonem injicitur, ſuperpoſitâ plumbi laminâ, & ligaturâ convenient.

Et hic magni hujus myſterii conſummati uſus internus eſt; pro cujus adeptione Lumen de Lumine invoca, tuique intellectus illuminationem puro corde pete, & accipies. Tum operare ſufficienter, pauperibus ſubſidia feras, donis DEI non abutaris, crede Evangelio, ſis pius, Amen.

OBSERVATIO CHRISTIANI ADOLPHI BALDUINI,

S. R. I. Academ. Naturæ - Curioſorum Collegæ cognom. Hermetis,

Circa

REGERMINATIONEM

ARGENTI

novô artificiô inventam.

ANNO CIↃ IↃC LXXIV.

AD

JOHANNEM MICHAELEM FEHR,

Phil. & Med. Doct. Conſulem & Phyſicum Liberæ Civitat. Imperial. Svvinfurtenſis celeberrimum, feliciſſimum S. R. I. Academiæ inclytæ Naturæ - Curioſorum

PRÆSIDEM,

dictum

ARGONAUTAM.

C. D!

NOn Aurum tantùm progerminat extra viſcera terræ, quem Naturæ effectum mirantur Subtilitatum Magiſtri, *Cardanus* ille, *lib. V. de Miſtis*: cum *Scal. Exerc.* 102. cujuſmodi, inſtar fili contorti, vegetabilem terræ velut partum aſſervat Auguſtiſſimum S. C. Maj. Cimeliarchium; ref. *Obſ* 131. *Ephem. Acad. Nat. Cur. Anni I.* Sed Ar-

Argentum in Mineris quoque præ ſe ferre & ipſum videtur ſpeciem capillorum, teſte *Oſwald. Grambs, in Arbor. Homin. l. 1. c. 7. ſect. 5. §. 18.* nec non arbuſculæ naturalis, *Franciſc. Imperat. in Diſc. Nat. 2. p. 16. & Joh. Gerbard. D. in Medic. Univ. Aſſert. & Defenſ. p. 23.* imò Vitis; qualem poſſediſſe Dn. *Olaum Wormium*, ipſi credimus, quem adi ſis *l. 7. ſect. 3. Muſei, c. 2. f. 116.* Quid? quòd viſa nobis contrectataque noſtris manibus Crux ſit illa naturalis Argentea, quam, vegetabilis inſtar, enatam ex minera, Illuſtriſſimi *Octo-Viri* ac Principis noſtri Technophylacium & ipſam oſtentat, Dreſdæ.

Quemadmodum itaque Germinatio iſta naturalis nihil aliud eſt, quàm creſcentia vegetabilis à propria facultate, mediante calidô & humidô. Sic de modo, quem invenirent, ſolliciti ſemper Hermetici extitére, quô, naturam imitati, germinare & ipſi facerent metalla extra mineras ſuas. Quam equidem rem Dn. *Caſp. Jaſket, Sileſ. Med. & Chym. Caſ.* uti olim tentavit, ita uſque eò fertur progreſſus, uti Arborem Philoſ. Metallorum exhiberet. Cujus conficiundæ, quem vocant, proceſſum, ſeu rationem cum Auguſtiſſimo tunc temporis *Imperatore* ille communicavit: quam, ex *Petri Ribolæ, Ordin. Benedict. Monachi*, Tractatulo, *de Facultate Metallorum germinatrice, extat cum Burggravii Biolychnio Francof. 1630. 8.* deſumptam, dubitare non ſinunt MANUSCRIPTA, qui, quod feci non ſemel, quùm ſint penes me, Latina inter ſe utraque contulerit.

Equidem circa proceſſum illum difficultatis nonnihil obſervare me, diſſimulare non poſſum, quùm ad germinationem illam requiri videam (I.) id, quod germinat; quodvis puta, exceptô Mercuriô, Metallum. (II.) Terram Philoſophicam, in qua germinare debet; quæ Stellatus Antimonii Regulus eſt. (III.) Calorem ignis, tanquam cauſam efficientem; quæ cùm actualis tùm potentialis. (IV.) denique humidum, Mercurium nempe, quô mediante imbibitio fit. Neq; id diffiteri quidem poſſum, produxiſſe me non ſemel, ſed communi modô, Arborem illam. Solutâ enim in ſpiritu Nitri q. ſ. Lunâ, i. e. Argento, (Unc. ſem.) affundens aquam fontanam, (Unc. 4.) injeci comm. Mercurium, (Unc. 1. vel. 2.) poſtremò ſic miſta; etiam atq; etiam, ne turbarem, curavi, & vidi Metallum ramuſculos ac frutices jucundos ſurſum emittere cavitatem vitri occupantes.

Fieri pariter per liquorem Silicum Metallorum creſcentiam, *Joh. Rud. Glauber. p. 2. Furnor. Phil. c. 85. It. de Sale Artis p. 63.* perſecutus pluribus eſt. Quâ de re ut, quid ſentiam, dicam; poſſe Liquorem eundem & faciliori

faciliori multò labore & minoribus ſumptibus obtineri, ſi lib. trient. Ciner. Clavell. purg. & lib. quadrant. Silic. calcin. in Crucibulo in unam maſſam conflatis, in Cella liqueſcere eam facias.

Cæterùm, cùm, quas dixi, Germinationes illæ, non ex Metallis ſolis, ſed Antimonio quoq; Mercurioq;, ſiueLiquore etiam Silicum, miſtis inter ſe, conſtent, omnem cogitationem cœpi convertere inquirereq; in Medium aliquod, quô fiat, uti, quemadmodum intra viſcera terræ, Naturæ opere: ſic, artificis operâ, in puros putos reverà metallum regerminet frutices; Cumq; pro comperto ſatis habeam, in tribus illis Naturæ regnis Acidum temperatum rerum omnium vegetationem juvare imprimis, idemq; in Sulphure re ipſâ communi deprehendiſſem; Minerale ſum deniq; illud aggreſſus, quod tantùm abeſt, uti, quam de ipſo conceperam, omnem prorſus falleret ſpem, uti Regerminationis potiùs ejus, quod ſequitur, Experimenti mihi copia fieret. Communi enim Sulphure calcinatas Lunæ, i. e. Argenti cupellati, in pulverem redigo Laminas, (vel nummos purè argenteos,) quibus deinde, injectis Crucibulo ac ſubditis prunis, nonnullas ſubindè Sulphuris immitto particulas: Quô peruſtô, non deſtiti idem facere, quoad, quod calcinaſſem, Argentum tantum Acidi illius, quantum ſatis eſſet, Sulphuris imbibiſſet. Jam, contēta in Crucibulo, argentea maſſa horæ ferè unius, quadrante minus, Rotæ ignem tolerarat, cùm ſurgentibus, ecce, paulatim minutis compluribus argenteis, iiſq; durioribus arbuſculis ramiſq;, altitudine eâ, quæ latum pollicem parùm, vel non, excedit, Regerminationis auſpicia capio planè feliciter.

Eſt ea indoles mentis humanæ, ut, non contenta novis inventis, emendare laboret, quæ pepererit ſemel, arcanorumque conſcia ulteriùs ſemper progredi amet. Idem mihi contingere, LECTOR, hic non miraberis, ſcio. Nam, dum, defixus in curam hanc unicè, magiſq; ei rei incumbo: hæ Nominum meorum literæ initiales, C. A. B. mihi prodeunt, è quibus deinceps purum putum Argentum cùm arbuſcularum, tùm graminis ſpecie, pullulare velut porrigique in altum, non ſine admiratione deprehendo: paribus per omnia, quas notare & hic licuit frondibus capilliſque iis ipſis, quos natura ramos capilloſq; ex ſe ipſa produxit ſub terra; quorum, uti rerum metallicarum peritis non ignotum, rariſſimus uſus. Quanquā totū illud, de Regerminatione quod diximꝰ, & quô ritè incipi modô, quôve regi igne deceat, oſtendi cupiat veriùs, quàm doceri.

NOTO inde: (I.) commune nobis Sulphur non pinguedine tantùm terræ, reſinamque atque oleum, (quod cùm priſcos, tùm modernos

Phi-

Philoſophos velle video,) imò inviſibilis Naturæ rectè ignẽ cenſeri. (cui adſertioni ſapientiſſimè lubens ſubſcribit *Kircherus*, profundiſſimus aliàs Autor:) Verùm etiam aciditate Chalcantosâ quâdam gaudere, neq; id abs re quidẽ: quùm, præter Aurum, metalla idem calcinet omnia efficiatque Vitriolum. Quid? quòd Vitriolũ quodvis aliud nihil, quàm quod deflagravit, Sulphur eſt, cumq; deflagrante jam Sulphure, viſibili quôdam modô, poteſt augeri. Maximè autem affinitatem eam, quæ cum Acido Sulphuris, primo Vitrioli Ente, intercedit Argento, ſummam eſſe oportere, cùm ad Regerminationem ejus creſcentiamq; eâ, quâ jam diximus, ratione, mirè faciat. Quæ quamdiu ſeſe habeant ſic, tamdiu à vero videtur alienum iſtud, in *Correctorio Richardi Anglici: Omne Sulphur vulgi metallis contrarium eſſe*; & q. ſ. Item illa Ejuſdem: *Quomodo poſſit aliis metallis vitã inſpirare? Habet enim duplicem ſuperfluitatem: inflammabilem ſubſtantiam & terream fæculentiam.*

(II.) Putamus, extra controverſiam poſitum quàm longiſſimè: veram Vegetationis metallorum cauſam Acidum eſſe, ſive ſint eruta è viſceribꝰ ſuis, ſeu ſub terra lateant. Nam ſi, exemplum ut demus, Acidi illius parum addas Argento, planè non creſcet. Sin, quod ſatis ſit, illi des quidẽ, cæterùm Ignis rationem non habeas faciasq;, calor intenſior ut ſit, ſcilicet ocyùs, Acidi quod erat, avolabit, ſuſpenſumq; te tenebit Regerminatio deſtituetq; omnẽ penitùs ſpem. Quô verò Sulphur modô naturalium rerum, præcipuè autem metallorum mineraliumq; & dici principium poſſit, & eſſe; quâ ratione ad ſublunarium omnium generationem concurrat; quot imprimis modis: quibusve in locis Sulphur fiat & generetur; quot illius ſpecies; quod differentiæ; ea *Kircherus* omnia, doctiſſimus Vir, egregiè & cum cura; *Mundo Subterraneo, l. IX. ſect. 3. p. 146. & l. XI. ſect. 2. p. 252.*

Sequitur jam & hoc (III.) liquefactum in igne juſto & competente Argentum vitam non amittere, quùm per Acidũ Sulphuris ſuſcitari idem denuò poſſit. Equidem demus hoc: Aurum Argentumq; extra mineram ſuam non vivere amplius, ſecundô actu: ſicut nec decerptum ab herba ſua ſemen, conditumve in horreo frumentum non ampliùs viret, viget vivitq;: Ineſſe tamen illi vitam, actu primô: vegetativô ſpiritu excitatam, quis tàm imperitus rerum naturalium, qui neget, eſt? Accedit nobis, *ex Ariſtot. de Admirandis, libro* referens *Fortunius Licetus, de ſpont. vivent. Oſtu. Lib. IV. c. 72.* Aurum defoſſum, aut in terram projectum, aliquandò excreviſſe; Cui rei non illud tantùm, quod exhibuimus, fidem facit experimentum: ſed verò, &, cujus nuper item facta mentio, Philoſ. illa Arbor, in

qua producenda Spiritus Terræ ſ. Nitrum, Argentum item atq; Mercurius mutuas operas præſtant, paucarumq; horarum interjectu, jucundiſſimas edunt plantas.

Equidem (IV.) quùm ſingulare ac admirandum planè Sulphur ſit Naturæ productum: cujus non ignoravit vires, paulò poſt principium *l. Miner. c. 7.* ſcribens *Paracelſus*: Sciendum, *quòd (niſi DEUS impediat) in Sulphure negotium mirabile inſit, ac ita excellens, ut lumen naturale hominis obſtupeſcat. Item: ea vis & facultas in Sulphure ineſt, ut nemo peritus eam exhaurire poſſit, talis quoq; virtus, ut cuivis admirationi ſit. l. I. & V. de Nat. Rerũ*

Neq; enim in globo illo tantùm ſulphureo meo, quem, non ita pridẽ eſt, quòd deſcripſi, *Tract. de Auro Auræ, p. 42.* virtus impulſiva & conſervativa, dirigensq; & vertens, ſonansq; atq; calefaciens, nec non lucens oſtenſa mihi deniq; eſt: ſed & his ipſis diebus obſervavi, combuſtibile aliàs igni noſtro, Solis quidem & ipſum incendi liquefieriq; Sulphur radiis, per Speculum parabolicum collectis: cæterùm non abſumi, nihilq; prorſus decedere ipſi de pondere. Quod quî fiat, cùm non temerè cuiquam obvium ſit, ab aliquò rationes vix ſperem. De virtutibus autem ejus in Medicina non commemorem hoc loco, nam & *Unzeri*, ſuper Sulphure, extat *Tractatus*, & Autores allegati ibi non pauci, quò ſtudioſos ejus rei delegamus. Quibus, inquam, cùm virtutibus polleat: perſcrutandum nihilominus eſſet denique: annon ex communi illo Sulphure, Acidum iſtud, primùm aliàs Vitrioli Ens, aliô quôdam modô copioſiùs puriusque extrahi, metallorumque inde procurari generatio: Et,

(V.) quòd ſi minùs ex Acido Sulphuris Speciali, annon Univerſaliſſimô ſaltim augmentum metallis accedere domeſticaque atque arcana, ut ſic dicam, Metallifodina quædam inſtitui poſſit. Nam ſi, (cujus ſuperiùs jam meminimus,) Philoſophicam illam Arborem (communem) annum integrum ſerves, & immotam eam quidem, creviſſe Argentum videbis. Auctûs hujus autem cauſa Mercurius eſt qui, quantum illi accreverit, tantum profectò naturæ ſuæ deperdidit, in argentum mutatæ. Quam in rem *D. Joh. Hiſk. Cardilucius, in Aula ſubterranea Laz. Erckeri, l. 1. p. m. 89.* Imò notum eſt, ex Minera quadam Solis fertili & liquore aliquo, cum ejusdem appoſitione ſ menſtruâ, perpetuum Solis augmen Fœminæ cuidam Nobili ſuccreviſſe: Aurô ſurgente primùm inſtar graminis; viridi colore: poſteà ſenſim apicibus in Solem vergentibus, qui forfice demeti poſſent, referente *Nic. Nig. Hapel. in Cheiragog. Hel. de Aur. Philoſ. pag. m. 38.*

Sed

Sed nunc quidem iſta ſufficiant, neque enim plura permittunt cùm negotia, quibus ſæpenumero publicis obruor, tùm privati, iique graviores labores Chymici mei. Et erunt è Collegio Naturæ-Curioſorum noſtro inclyto Viri judicandi ſolertiâ peritiſſimi, qui, me, iſta noverint rectiùs, & omni acie ingenii contemplabuntur. Nondum occupata Natura eſt: multa adhuc deliteſcunt in Democriti puteo, ſudore magis operantium protrahenda in lucem, quàm, profundô licèt, genio Speculatorum. Tuum, LECTOR, erit, ſequi quodque rectiſſimum, compertisque incomperta non anteferre.

OBSERVATIO CHRISTIANI ADOLPH BALDUINI,

S. R. Imp. Academ. Naturæ-Curioſorum Collegæ cognom. Hermetis

Circa

URNAS

GENTILIUM GERMANORUM

ANNO CIↃ IↃC LXXIV. inventas:

AD


HENRICUM VOLLGNAD,

Med. Doct. & Practicum Vratislavienſem, S. R. Imp. Academ. Nat. Cur. Colleg. & Adjunctum p. t. Ephem. Collect. dictum

SIRIUM

SOllicita admodum in cineribus ſuorum (quos functos cremabant) componendis Romanorum Veterum diligentia, an ſuperſtitio? fuit. Ei rei adhibitæ Urnæ. Nec frequentiora antiquiſſimi ritus terrarum ullibi monumenta, quàm in Italiâ. *Bayſius de Vaſcul. c. Vaſc. Vin.* Quo de ritu *Scholaſt. Homer. Iliad.* Δ. *Herodian. lib. 2. Athanaſ. Kircher. in Latio p. 68. ex Marliano. Fortunat. Licet. l. 2. c. 55. Jacob Gutherius de jure Maniorum l. 1. c. 26. Herald. Adverſ. lib. 1. c. 7. Caſaubon. Animadv. in Sueton. Aug. Job. Kirchmann. de Funer. Rom. l. 3. cap. 8.*


M. Zuer. Buxhorn. in Quæſt. Rom. 25. ubi pro *Kirchmanni* & incomparabilis *Caſauboni* ſententia, ſuperaddit: qui Cadaveris cineres à cineribus lignorum aliorumque, quæ in pyram conjecta, dignoſci potuerint. Apparatus mortuorum (ſecundùm Servium ad lib. III. Æneid) funus dici ſolebat, exſtructio lignorum rogus; ſubjectio ignis pyra, crematio cadaveris buſtum, locus uſtrina, operis conſtructio ſepulchrum; nomen inſcriptum monumentum. Igitur rogus & crematio cadaveris omnino erant diverſa. Tres enim hîc ordines obſervare mihi videor: Primus erat, Cupreſſorum, vel aliorum lignorum odorif. quæ uſtrinam circumdabant & incendebantur ad tollendum fætorem cadaveris, quod cremabatur. Secundus erat rogi, qui formâ ſequente quadratâ, ex vario lignorum genere, additâ pice, connexus erectusque, & à cadavere ipſo nonnihil diſtans, incendebatur. Tertius erat cadaveris, quod vi & æſtu flammæ circumlambentis haud difficulter in cineres reſolvebatur.



Cùm compertum eſſet, quinto decimo Martii, anni currentis, ſupra milleſimum, ſexcenteſimum, ſeptuageſimi quarti, ad *Hirſchfeldam* pagum, unum cum quadrante milliare diſtantem ab Urbe *Haynâ*, Veterum Urnas quaſdam eſſe repertas, aquis, ex nivibus glacieque collectis, penetrantibus humum, detectôque ex ruina monumentô, quod cùm ne veſtigium quidem ejus antea adpareret, diuque arari terra conſueviſſet, credi poteſt, Gentilium Veterum, qui circà colerent, fuiſſe. Quæ cùm ad me fama eſſet perlata, cœpi ipſemet, cum Collega Academico ***Dn. D. Melch. Fribe Med. Ord. Præſ.*** die XXIV. ejuſdem de luſtrando eo, curam cogitationemq; ſuſcipere. Cùm quod Nobiles à Mülckau & Köckeritz / ad

quos

quos ille locus hæreditariò Jure perveniſſet, Præfecturæ Electorali mihi demandatæ eſſent Schrifftſaſſii incorporati: tùm quod curioſitas mea me non pateretur quieſcere. Itaq; illuc venimus, locumq;, ubi Urnæ conditæ ſeſe aperuerant, arenoſum quidem, cæterùm omninò viginti octo paſſuum deprehendimus; qui duorum triumve, aut, ſi latitudinem metiaris, quatuor ad ſummum paſſuum fuerit. Uti re ipsâ ſe ſepulchrum ſic probet, cujusmodi condidiſſe Gentili olim ſuperſtitioni deditos, veroſimile ſit. Septingenti ſexaginta quatuor paſſus numerantur ab eodem, quô diximus, pago. Quòd ſi viginti ſeptem adhuc alios facias, extitiſſe, ajebat Eccleſiæ illius Paſtor D. *Johannes* Reytanß / quod detectum ſimilis caſus, Anno cIↃ IↃc LXXIV. Martiô & ipſum menſe, tùm primùm contemplantium oculis ſubjeciſſet. Non nos Urnam tantùm, eamq; integram, manibus contrectavimus, examinatamq; diligentiùs, exhibemus hôc, quod vides, Lector, Schemate; Sed complura inſuper fragmenta, ex



aliis, in

aliis, in quibus & ipſas notare anſas licuit, cùm collegimus, tùm antiquitatis cauſa, allatas nobiſcum, aſſervamus. Unde colligimus, factas ex arena atque lapillis Urnas luto maceratis coctiſque. Quod afferimus jam, viſu compertum eſt, non ollarum inſtar, quibus vulgò hodiè utimur, Urnas iſtas ſuper rota formatas, ſed ſub manibus figuli natas fuiſſe. Colonos, ferunt, ejus Pagi, variæ magnitudinis Vaſa aliquot abſtuliſſe jam ante, nec inlectos, ut credibile eſt, ſpe lucri alicujus, fodere deſtitiſſe, ſive aurum offenderent, ſive annulos. (Solitos enim Veteres numiſmata quædam atque annulos, eoſque interdum oſſeos, terreoſque, interdum æneos, aureos item ac argenteos, ſepulchris cum cineribus inferre teſtis *Golzius* eſt) Fruſtrà. Nec enim eventus reſpondit; cum cineres præter & oſſa adpareret nihil.

Obſervo ex his (1) à vero non eſſe abſonum, Gallis Germaniſque, propiusq; Septentrionem Populis Cremationem Cadaverum frequentatam fuiſſe, autoribus *Cæſare lib. 6. Bell. Gall. Euſtath. Iliad. α. Tacit. de German. §. 27. Alex. ab Alex. Gen. Dier. lib. 3. p. m. 130. Sched. de Diis Germ. p. 453. Phil. Cluver. Ger. Antiq. l. 1. c. 53.* aliis.

Et uti (2) Dio autor *Caſſius* eſt (*lib. 48. de publ. Off.*) *Auguſti temporibus App. Claud.* & *C. Norbano Coſſ. h. e.* Edict. V. DC CXVI. edictum fuiſſe: ne mortui intra duo millia paſſuum ab urbe cremarentur, propter flammæ periculum; (uti *Cicero* explicat *l. 2. de LL.*) Sic Germanos Veteres hoc quicquid Legis eſt, obſervaſſe, inde conſtat, quòd de quo ſermo nobis hactenus, Monumentum iſtud ſeptingentis, ſexaginta quatuor paſſibus diſtat à pago, qui, ſi vulgarem pro veſtigio & ſpatio, h. e. pro duobus pedibus accipias paſſum, (*Philandrum* ſecutus, in *Vitruv. l. I. c. 6.*) ultra 2000. utique Romanos paſſus habebis.

(3) Cùm, præter oſſa & cineres, Vaſis iſtis incluſum aliud fuerit nihil, dixiſſe Veteres Urnulas has non abs re Oſſuaria partim (cujus *Ulpianus* vocis meminit l. 2. ff. de Sepulchr. viol.) partim Cineraria quoque, apud *Kormann. de Mirac. Mort. c. 29.*

(4) Olim Urnas, pro conditione & facultatibus cujuſque vel viles extitiſſe, vel precioſas. Illuſtrium enim Virorum oſſa aureis Vaſis condi ſolita, *Homerus* teſtatur *Iliad. Eutropius de Trajan. Imp. lib. 8.* de Urnâ argenteâ: *Marcell. lib. 19.* æneâ, *Virgil. lib. 6. Æneid.* marmoreâ *Xiphilinus in Severo*: fictili *Propertius lib. 2. Eleg. 11* Ex quibus quid aliud conſici poteſt, quàm in re admodùm tenui iſtos fuiſſe, quorum fictiles Urnæ eſſent, nuper apertæ.

Et

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY


Surſum
Retrorſum
Horſum
Seorſum
AURUM AURÆ
Chriſtiani Adolphi Balduini
Deorſum

Et hoc (5) inde concludo: non communia ſepulchra hæc, ſed verò familiaria extitiſſe, (quorum *l. 4. c. de Relig.* mentio) quòd ſcrobes diverſæ duæ, 27. tantùm inter ſe paſſibus quæ abeſſent; & utraque complures urnulas contineret.

Cumq; (6) annalium Conditores fidem faciant, primum illum Germaniæ Imperatorem *Carolum Magnum* Saxonibus adhuc dum Ethnicis, recuſantibus Religionem Chriſtianam, aut ſi qui recepiſſent, averſantibus iterum iterumque, Anno Ær. Chriſt. DC CLXXII. bellum facere cœpiſſe. Quod ultra triginta annos exarſerat jam, (*Sethi Calv. Chron. p. m. 708.* antequam *Witikindus*, Progenitor ille Electorum Saxoniæ P.P. cum univerſis terris ſuis ſalvificam fidem eſſet profeſſus: (quamvis populi cis Albim nonnulli diutius reſiſtentes idola coluerint uſque ad annum ferè milleſimum,) hinc conjicimus: Monumentum iſtud Urnasque, quas jam aliquoties memoramus, circiter 700. vel 800. annos duraſſe incolumes.

A U R U M
Superius & Inferius
A U R Æ
Superioris & Inferioris
H E R M E T I C U M
CHRISTIANI ADOLPHI
B A L D U I N I
S. R. Imp. Academ, Nat. Curioſor. Colleg. cognom. Hermetis.

H E R M E S.

In ſuperiori ſphæra eſt in medio fontis
Vena, quæ eſt Philoſophorum Regula prima.

Conſummatiſsimâ Doctrinâ,
acerrimo Judicio, incomparabili Experientiâ & rerum Uſu

Illuſtribus

S. R. Imp.
ACADEMIÆ
Naturæ-Curioſorum
STATORIBUS:
Magnifico
DN. PRÆSIDI,
ac Excellentiſsimis
DNN. ADJUNCTIS
& Collectoribus Ephemeridum cæterisq; graviſsimis
DNN. COLLEGIS,
Patronis, Collegis & Fautoribus honoratiſſimis

S. P.

HERMETEM TRISMEGISTUM eſſe illum quem Latini *Mercurium*, *Taautum* Phœnices, Ægyptii Θωὺτ, Alexandrini Thoth, Ἑρμῆν Græci olim dixerunt; Imò *Hermetem* omnium mortalium ea ætate, ſive immenſam ingenii capacitatem, ſive deniq; propagandæ ad poſteros gloriæ, beneque de humano genere merendi deſiderium ſpectes, primum fuiſſe, doctiſſimi ævi omnis voce conſonâ approbavêre. Vid. *Steuchus Eugubinus Epiſc. Kiſam. ſedis Apoſt. Bibliothec. Tom. 3. lib. 2. tit. 4. c. 3. Samuel. Bochart. in Geograph. Sacr. ſive Phaleg. p. 68.*

Cæterùm, ut Linguarum inſanarum tanta fuit ſemper temeritas, ut nec

nec ipſi numini parcant: ſic fortunam quoque iſtam expertus, quem prædicamus, HERMES eſt. Negantibus illis, (in quibus, quod primus eam fabulam edidiſſet in vulgus quaſi *Georg. Becanus* familiam ducit) interfuiſſe unquam rebus humanis: contra ea aſſerentibus his, (quibuſcum facit *Dn. Herm. Conring. de Hermet. Ægypt. Medic. c. 3.*) Chemiam à primis artificibus non *Hermeti*, ſed aliis inventoribus attributam eſſe. Quas eorum animadverſiones ut probare non poſſumus certè: ſic peculiari nuper ſcriptô vindicavit egregiè celeberrimus Vir, *Olaus Borrichius*, non literarum tantùm, ſed & diſciplinarum artiumque Inventorem extitiſſe HERMETEM, *Platonis, Philonisq; Biblii, Tullii* item & *Diodori Siculi*, aliorumque complurium autoritatibus prolixè oſtendens.

De familiâ autem ejus minimum eſt, quod ſcimus, & ſunt poſita in incerto, quæ memorantur. (Vid *P. Scherlog. S. I. Antiquit. Hebr.*) niſi, quòd in *Aſclepio*, libro à ſe confecto, de ſe ipſe fatetur: Avum ſibi fuiſſe *Mercurium Majorem*. E monumentis autem rerum geſtarum, vetuſtatiſque exemplis imprimis probare ſatagit *Dn. Wilh. Chriſtoph. Kriegsmannus in Taaut. p. m. 6. Noachi* nepotem *Chamique* filium *Canaanem*, progenitorem illum Phœnicum Ægyptiorumque eundem fuiſſe. Sed relinquimus nos iſta meritò Autoribus ſuis. Fuit tamen Auditor *Noachi*, *Chuſi* Præceptor, ejusque liberorum *Iſidis Oſiridisq;* præfectus ac conſiliarius, ref. *Dn. Otth. Heurnio Profeſſ. Leydenſ. in Barbar. Phil. Antiquit. lib. 2. c. 27.* Τρισμέγιστος, qui ob triplicis regni mineralis, vegetabilis, animalis, imò ob triplicis in una creata eſſentia ſubſiſtentiæ indagationem, in qua vim omnem vegetabilis, animalis & mineralis naturæ exploravit, Pater Philoſophorum dici meruit. *Aphor. Baſil. ſive Can. I. Herm. Nicol. Nig. Hapel*, vel ut *Gelaldinus Arabs de ſapientibus Ægypti* explicat, qui Propheta, Rex & Philoſophus fuit.

Quàm autem inſatiabilis in homine commentandi cupido, quanta induſtria fuit? nam ſi fides *Jamblicho, l. 6.* ex *Seleuco* referenti, *de Myſteriis Ægyptiorum* tricies ſexies mille libros ille confecit. (quos, quem nominavi, *Bochartus p. 68.* tamen verſus interpretatur:) utut, eorum accuratè numerum iniens, XLII. omninò recenſeat *Clemens Alexandrinus, Stromatum 6.* è quibus duo tantùm hodie extant, *Pymander* alter, alter, quem & ſuprà adduxi, *Aſclepius*. Vid. *A ur. Vell. Guilielm. Mennens p. m. 12.* Fertur & hujus eſſe *Tabula* illa, *Smaragdina* dicta: cujus initium: *Verum eſt, & ab omni mendaciorum involucro remotum, quodcunque inferius eſt, ſimile eſt ejus, quod eſt ſuperius &c.*

Equidem ſunt, qui in dubium vocent, eamque *Bernardo Caneſio*, Alchymiſtarum primo, velint aſſertam, quam in ſententiam ipſe pedibus ivit *P. Kircherus, in Oedip. Ægypt. claſſ. 10. c. 7.* At enim, ne latum illa quidem, quod ajunt, unguem ab inſcriptione iſtâ abit, characteribus copticis prope Memphin, ſaxo inſculptâ: (quemadmodum *Schatta Copita Memphitanus* ſcribit) *Cœlum ſurſum, cœlum deorſum: Aſtra ſurſum, Aſtra deorſum; quod ſurſum, omne id deorſum. Hæc cape & beaberis*, & deinde, quod nec ipſe diffitetur *Kircherus*, eſt hæc *Tabula* Theoria theſauri totius Naturæ. Ægyptii igitur quòd Chemiam *Hermeticam* ipſi *Sapientiam* vocent, ex eo minimùm videbitur poſſe confici hoc: eundem *Hermetem* eſſe, quem & Principem ponant, fontemque exiſtiment, unde ea ad alios poſtea ſcientia demanavit.

Ac (ut ingenuè iſtud dicam,) ad me quidem. Neque enim eam laudem, tàm futurus ingratus nunquam ſum, qui & *Tabulæ* iſti, *viriſq́;* qui ſapientiſſimis commentariis illuſtrarunt, detraxero. Quamvis juxta idem cenſuerim pariter: non tàm circum aurum metall. verſari, quod elaboraret, quàm medicinam: quæ non auri tantùm, ſed & aliorum omnium, tam ſuperiorum, quam inferiorum, corporum vires complectitur atque concludit.

Ac annus jam admodum eſt, ex quo de AURO AURÆ nonnulla luci publicæ committenda exiſtimavi. Primitias voco, quòd id ſcripti genus antea non dediſſem. Nomen, ut laterem, ſpontè occultaveram, niſi quòd Anagramma id contineret, quod tùm legi in fronte voluiſſem: *Sic* (infrà, ſuprà) *Sol duplus abundat in Auris*. Sed non paſſus eſt ille, INCLYTA ACADEMIA! favor, quamque optare faciliùs, quam petere mihi auſus fuiſſem, major ſolitô, humanitas tua. Tantine enim tantillum TIBI laborem fieri! qui & tantum Autori ſuo pareret decus ac nomen, ut ad conſortium tantæ Societatis alliceres verò humaniſſimis verbis pertraheresque! quemque *Ephemeridibus* tuis, Cedro dignis, auctum à me, inſeri cuperes! uſa manu ac ſtylo SIRII, interpretis tui. Patere, Excellentiſſime Vir HENRICE VOLLGNAD, immortale nomen tuum à me profanari velut; leveſq; hinc chartas famam ſibi auctoritatemq́; aliquam polliceri.

Nec indignaberis legi hîc quidem, æternis in Nobiliſſimum Ordinem meritis ſemper victure,

Magnifice PRÆSES ac ARGONAUTA,
JOHANNES MICHAEL FEHR!

Sic

Sic eſt enim in me meritum tuum. Per TE honores ac ornamenta iſta ſum conſecutus! TU, ex autoritate Tibi ſingulariter conceſſa, me addidiſti Tantæ huic *ACADEMIÆ* membrum! Tu proclamaſti! TU, quo non ſuſtinuiſſem ſperare unquam, invidendo *HERMETIS* cognomento auxiſti! Deniquè hoc egiſſe videris, ut quem beneficiis certaturum credidiſti fortaſſe, iſtum hoc modo animum ſuperares, unâ, quam auferre non poſſes, memoriâ tanti beneficii mihi relicta, quam vel ſic gratus, quam diu ſuperero, depoſiturus nunquam etiam ſum.

Quemadmodum unum id itaque hactenus contendi, ut, cùm deſperarem Fili nomen, *HERMETIS*, ſaltim me imitatorem probarem ac diſcipulum: ſic, quas relictas mihi cernerem, horas collocandas ita exiſtimavi, ut reſumpto in manus de *Auro Auræ ſuperioris* vi Magnetis univerſalis attracto, iſti ſcripto *Auræ inferioris*, h. e. Materiæ noſtræ univerſaliſſimæ adderem *Aurum*. Quod utrumque mihi *Hermeticum* eſt.

Sed jam reddenda & de *EMBLEMATE* mihi non minùs videtur ratio eſſe. Nam & alatum ibi videtis circulum Hieroglyphicum, & Ciſtam, & Solem, & Lunam, & ſi quæ alia occurrunt. Nempe notat duplicem Mundi Spiritum circulus: Liquidum alterum, ſeu *Hermetis*, quam vocant, *Aviculam*; alterum coagulatum. Includit, in ſe latens, ille *Aurum ſuperius*, circumque in aëre volitans, perindè ut avicula, à Magnete Philoſophico, jacente in ciſta, attrahitur. Per hunc autem Magneſiam noſtram fertilem *Auri inferioris*, innuere libet. Sol, cum igneo Trigono, & cum aquoſa Luna, Spiritus mundi & utriusque *Auri Auræ* ſunt parentes atque deſignant.

Nec mutum idem volui eſſe hinc ut *SURSUM* inſcripſi, ſic *DEORSUM* curavi ſubſcribendum. Quô ipſô cùm *Hermetica* mihi *Tabula* ſignificatur: *Quod eſt ſuperius, eſt ſicut inferius &c.* tum verò Philoſophicum iſtud Ægyptiorum: *Cœlum ſupernnum, cœlum infernum, aſtra ſuperna, aſtra inferna. Hæc accipe* vel *RETRORSUM*, vi Magnetis univerſalis ex Aura ſuperiore, vel *HORSUM* & *SEORSUM* ex aura inferiore. *Beabitur* enim, qui contentos ibi Trigonos △ & ▽ gemino noverit includere.

Age itaque, cùm ſit mihi decretum *Hermetis* nomen, & honori Mercurii Philoſophici noſtri, velut *Hermam*, ſacrum jubeo eſſe iſtum Tractatum.

Statuo *Hermam* iſtum, annuente *Sereniſſimo Electore Saxon. Domino meo Clementiſſimo*: Cui & ipſi pro *Hermetico* Symbolo: *SURSUM DEORSUM.*

SUM. Utut piè, intelligat magis & Chriſtianè. Statuo *Hermam* iſtum, ammonitu Inclutæ Academiæ Veſtræ:

O HERMETICÆ Veteris Sapientiæ,

LUMINA atq; ATLANTES!

Erant Statuæ *Hermæ*, *Mercurii* imaginem referentes, quas eidem olim ſacras, in publicis itineribus ponebant, quarumque permutari poterant capita. Et ambiguæ ſunt viæ, in quibus poſitus meus dedicatuſque *Hermes* hic eſt. Cui, quod magis idoneum caput, i. e. principium ac fundamentum Mercurii noſtri Hermetici, ſit, applicare qui volent, faciant, age per me liberum eſto.

Ad *Hermas*, conjectis ex tempore lapidibus ab his, qui præterirent, acervi fiebant, qui & ipſi Mercurio ſacri.

VIRI Magni, Incomparabiles COLLEGÆ: Conſtruite & Ipſi ad *Hermam* meum *Hermacas*. Quiſque lapidem conferat, i. e. mutet, demat, addat, ſed amicè, ſed candidè, Philoſophiceque, quod Lex noſtra Academica XII. jubet.

Quòd ſi, præter opinionem fuerint tamen, quæ invidiosè detrahant de eo, aut contaminent manus; ſunt ſacraria Vobis: *Ephemerides* ſunt. Huc inlatus inſertuſque non timebit, quæ aut volent turbare, aut dejicere manus, intra iſtum Sapientiæ velut ſinum, ſine offensâ tutus atq; tranquillus. Cui quô debeo, animô committo conſecroque.

Eſt Homo Homini *DEUS*. Et eſtis Vos *Dii*, quia *Æſculapii* atque *Apollines*. Sinite, in poſterum Nuncius Vobis, aut, ſi vultis, *Hermes* atque *Mercurius* ſim. Perſcrib. Haynæ è Muſeo, die natali meo XXIX. Jun. qui (*Cœliô Secundô Curione de Bell.Mel.p.m.* 430. referente,) à Melitenſibus olim Menſis *Hermeti* ſacer habitus eſt. A. CIↃ IↃC LXXIV.

Inclytæ S. R. Imp. Academiæ Naturæ-Curioſorum

Cultor & Collega ad quævis ſervitia devinctiſſimus

Chriſtianus Adolphus Balduinus, d. Hermes.

In

In librum de Auro Auræ & ejus appendicem de Phoſphorô Hermeticô.

C. A. Lib. Bar. à F.

VIderat *Hermetis* noſtri modò Muſa labores
& mirata, ſuo talia verba refert:
Jam Tua, docte *ſenex*, gemmata tabella recedat,
hic liber, in parvô, nobiliora docet:
Aurum hic immenſi fluitans per limina Olympi
exhibet, & flores, & ſine nocte diem.

In

Auræ Aurum.

DEtulit ad Divos, Librum hunc conſpexit ut HERMES
In partes varias atque Helicona trahit.
Præſide res eguit poſcitque ab Apolline Nomen.
Qui tandem variè ſic meditatus ait:
VIRGULA, parve Liber, mihi DIA vocaberis: AURUM,
Indice Te, Tellus quod nequit, AURA dabit.
Flora aderat, memoranſque ſuum decus addit honores:
Nunc mihi perpetuum Ver, niſi fallor, adeſt.
Sic Dea læta refert. Cui cætera turba Deorum:
Ergone mors etiam Floribus, inquit, abeſt:
Immò Homini meditamur idem, ſuperaddidit Hebe,
AURI ſacra fames, nunc mihi, ſit ne? refer.

De

PHOSPHORO HERMETICO.

Deſine perpetui mirari Luminis uſum;
Perpetui Liber hic Luminis inſtar erit.

*Aurum Auræ ut & Phoſphorum Hermeticum
ceu Laborem verè Hermeticum & ſtudium
merè Curioſum commendare debuit*

Melchior Friebe, Phil. & Med. Doct. Præfecturæ Haynenſis Phyſicus S. R. I. Academiæ Naturæ Curioſorum Collega.

INDEX

INDEX CAPITUM

CAP. I. De Aura in genere.
II. De Aura, effluviis variarum rerum repleta.
III. In Aura etiam Materia Hermetica, ſive ſpiritus Mundi volitat.
IV. De Auro in Aura.
V. De magnete univerſali, Aurum ex Aura attrahente.
VI. De modo attrahendi Aurum ex Aura.
VII. De tempore attrahendi Aurum ex Aura.
VIII. De coloribus Auri Auræ.
IX. De Auro Auræ potabili.
X. De virtutibus Auri Auræ in regno Animali.
XI. De virtutibus Auri Auræ in regno Minerali.
XII. De virtutibus Auri Auræ in regno Vegetabili.

PROOEMIUM.

AGnoverunt priſci Philoſophi, agnoſcimus & nos libenter, & in intimis ſuprema, & in ſupremis infima: in Cœlo quidem terrena, ſecundùm cauſam modoque cœleſti: in terris verò Cœleſtia, modô terrenô, vid. *Proclus de Sacrificio & Magiâ*. Unde in terrâ intueri quidem licet Solem, Lunam ac cæteras ſtellas, ſed pro qualitate terrenâ: in cœlo autem plantas, lapides, metalla, mineralia, pro cœleſti naturâ. Lumine itaque Hermeticæ Philoſophiæ omnia naturalia ſuperiora cognoſcuntur per inferiora & inferiora per ſuperiora. Hæc Harmonia eſt illa catena aurea, quâ inferiora ſuperioribus connectuntur, gubernantur, imò mutuò attrahuntur. Annon vides, quàm mirabilis ſit Elementorum luſus? quam contraria etiam, mediante alterô, ambiant ſe? quomodò ignis aquæ, aqua igni, terra aëri, aqua terræ conjungantur?

tur?

tur? & quomodo Mundus hâc diſcordi rerum velut concordiâ conſervetur? Motus *Antonius Mizaldus Monlucianus Gallus* his, ſuperiori ſeculô, rationibus eſt, ut Harmoniam ſuperioris Naturæ Mundi & inferioris unà cum admirabili fœdere & ſympathiâ rerum utriuſque *Pariſiis* ederet: Moti & juxta mecum his ſunt Scrutatores omnes Naturæ, ut Catenam hanc ſuperiora inferioribus connectentem amplecterentur. Quam enim qui ſciverit, vel, *Agazielis Arabis* teſtimonio, Myſteriorum maximum penetrabit.

Quod cùm *Hermetis* Patris noſtri Tabula illa, dicta Smaragdina, perfectiſſimè doceat, eamque ego ſcripto iſti, de Auro Auræ, meo fundamentum eſſe voluerim; operæ me facturum precium duxi, ſi, qualem, ex contextu Phœnicio, delineavit *Kriegsmannus*, eam ego huic loco, ſic ſe habentem, insererem: 1. *Verè, non fictè, certò, veriſſimeque ajo.* 2. *Inferiora hæc cum ſuperioribus illis iſtaque cum iis viciſſim vires ſociant, ut producant rem unam omnium mirificiſſimam.* 3. *Ac quemadmodum cuncta educta ex uno fuere verbo DEI unius: ſic omnes quoque res perpetuò ex hâc unâ regenerantur diſpoſitione Naturæ.* 4. *Patrem ea habet Solem, matrem Lunam: ab aëre in utero quaſi geſtatur, nutritur à terra.* 5. *Cauſa omnis perfectionis rerum ea eſt per univerſum hoc.* 6. *Ad ſummam ipſa perfectionem virium pervenit, ſi redierit in humum.* 7. *In partes tribuito humum, ignem paſſam, attenuans denſitatem ejus, re omnium ſuaviſſima.* 8. *Summâ aſcende ingenii ſagacitate à terrâ in cœlum, indeque rurſum in terram deſcende, ac vires ſuperiorum inferiorumque coge in unum, ſic potiere gloriâ totius mundi, atque ita abjectæ ſortis homo ampliùs non habere.* 9 *Iſthæc jam res ipſa fortitudine fortior exiſtet: corpora quippe tàm tenuia, quàm ſolida penetrando ſubiget.* 10. *Atque ſic quidem, quæcunque mundus continet, creata fuere.* 11. *Hinc admiranda evadunt opera, quæ ad eundem modum inſtituuntur.* 12. *Mihi verò ideò nomen Hermetis Triſmegiſti impoſitum fuit, quòd trium mundi Sapientiæ partium Doctor deprehenſus ſum.* 13. *Hæc ſunt, quæ de Chymicæ artis præſtantiſſimo opere conſignanda duxi.*

Cæterum Literato ego ſiſtam hic Orbi

AURUM

Superius & Inferius

AURÆ

Superioris & Inferioris

Hermeticum.

PEr Auram ſuperiorem intelligo aërem ſimplicem, ut Elementum: per Auram inferiorem aërem coagulatum, ut elementatum. Utriſque extrahi Aurum Philoſophicum poteſt. Utrumque Aurum eſt, illud ſuperius & remotum, hoc inferius & propinquum. Unum tamen Aurum Hermeticum noſtrum!

CAPUT I.

De Aurâ in genere.

VElut igitur Aër vel Aura inſtrumentum illud Mundi & delator univerſalis noſtri Spiritus eſt: Unde *Trismegiſtus*: Ventum, id eſt, Aërem, inquit, portaſſe illum in ventre ſuo: ſic in Capite iſtô I. Auræ, vel Aëris ſuperioris nomine, Elementum illud intelligimus, primigenium, transparens, tamque levitatis, quàm ponderis expers, impermutabile ac perpetuum, frigore præditum naturali, niſi ſituum & commiſtorum robore impediatur: Poris autem ubivis refertum, & hactenùs extenſionem aut compreſſionem ſui tolerans: *Joh. Bapt. Helmontius, in Tum. Peſt.* infra cœlum ac ſupra aquam terramque exiſtens: uti loquitur *Scaliger, de ſubtilit. Exercit.* 27. non obſtante, quod *Iſac. Voſſius de Mot. Mar. & Ventor.* c. 21. p. 49. in Macrocoſmo fabellam vocet quatuor Elementorũ recẽſionẽ Aërem verò nil aliud, quàm aquã, ſeu humorẽ dilatatum ad legẽ æquilibrii quaquaverſum ſe extendentẽ: maria autem præcipu-

cipuum aëris fontem eſſe & tantò quidem magis ſoli ſubjecta; moverique aërem ſecundum dictos maris diverſos motus.

Neque tamen Elementaris hic aër orbibus incluſus cœleſtibus eſt, *Tych. Brahe. l. 1. Ep. Aſtr. p. m. 100.* ſed in tribus ſuis regionibus, ſupremâ videlicet, mediâque atq; infimâ movetur, ac à ſuperficie terræ & aquæ ad ſummitates uſque nubium currit: Ac licet veriſſima illa *Scaligeri* ſint: Aërem noſtrum aquâ eſſe miſtum: quod nî fieret, occideret utique: uti hinc non ineptè concludit *Magnus* ille *Albertus*: non exindè tamen aquæ dici merebitur ſpecies: utut *P. Lemb. Danæus Phyſ. Chriſt. tr. 1. c. 9. p. m. 34.* diverſum ab aquâ elementum eſſe aërem neget. Quo nomine *Andr. Libavio de Univerſ. & Orig. Rer. Cond. l. 1.* meritò ille vapulat.

Vivit Aër in igne, hic in Aëre: in Terrâ Aqua, in Aquâ Terra, & denique Aqua in Aëre. Purgat Aërem ignis, Aquam Aër, Terram Aqua; quolibet, ignis beneficiô, cæteris claritatem ſui communicante. Cùmque, Elementa qui quæſierit pura in Mundo, oleum perditurus juxtà & operam ſit, quid, quò credere minùs liceat, impedit: eſſe id, quod aërem dicimus, aquam tenuem, ignem item auram tenuem, ſimiliter aquam terram tenuem, iſtam autem ignem craſſum? & è contrario: terram congelatam aquam, aquam aërem congelatum, aërem Ignem addenſatum? vid. *Alphonſi Regis Clav. Sap. in Theatr. Chem. Vol. 5. p. m. 861.* Hinc aër fit lympha, ex lymphâ fit terra, & ex terrâ fit aqua. Quæ ſingula exemplis probat *Drebbelius, de Natur. Element. Tractatu.* Igitur, cùm vel aura, vel æther nihil quicquam ab aëre differant, niſi, quod *Eman. Magnanus* ſtatuit, *c. 16. Phil. Nat. prop. 2.* ſicut limpidiſſima aqua ab impurâ, & ex conſequenti aura ac ſuperior æther nihil, niſi aër ſubtiliſſimus, ſint; nihil, opinor, omninò peccabimus hîc, ſi pro unâ eâdemque re iſta quidem ubivis ſumamus.

2. Per auram inferiorem, vel aërem coagulatum, ut elementatum, intelligimus ſubjectum noſtrum catholicum. (quo de *Cap. 3.* quidem in ſpecie) Unde rectiſſimè *Sendivogius in Epilogo Tract. Aër*, inquit, *veterum Philoſophorum materia*, cujus & in ſe aërius, id eſt, color candidus eſt. In hac autem noſtrâ coagulatâ aura ſiccum & frigidum dicitur ſal vel corpus; in eâ verò quod calidum igneumque eſt, ſulphur audit, ſeu anima, frigidum autem & humidum Mercurius, ſive Spiritus, vocatur. Sed enim coctione continuâ ac perenni tria illa convertuntur in unum, hâc ratione: Frigidum & humidum convertitur in calidum & humidum & tandem in calidum & ſiccum. Sic quæ in materiâ noſtrâ reperiuntur

confuſa ea diſtinctâque convertuntur Elementa fiuntque unum aliquod Elementum igneumque & ſiccum. De quo quidem ſubjecto in cæteris ordine omnibus nonnulla annexuri Capitibus ſumus.

CAPUT II.

De Aurâ, Effluviis variarum rerum repletâ.

OBſervandum itaque 1. Auram, ſuperiorem puta, poſſe conſiderari dupliciter: vel, ut Corpus ſimplex & purum putum Elementum; de quo in Cap. præcedenti: vel, prout varios vapores & exhalationes in ſe continet. *D. Dan. Sennert. de Febr. l. 4. c. 2. p. 382.* de quô hic ſermo nobis inſtituetur. Pori, vel poroſitates, quibus refertum aërem eſſe diximus, vel planè hiant expertes corporis, in ſui integritate manentes, vel replentur vaporibus alienisque exhalitibus, & veluti uteri ſunt, quibus aporrhœæ fructuum aquæ reſolvuntur denuò in ultimam aquæ ſimplicitatem, unde provenerunt, ſpolianturque quibuscunque primorum ſeminum ſignaturis, vid. *Helmontius in Tum. Peſtis §. Forma.* Nam è rebus ſublunaribus duplex ſeu ſpiritus, ſive halitus, vi caloris ſolis vel ſtellarum, aut etiam ignium ſubterraneorum, ut & calore rebus ipſis innato, extrahitur atque in altum elevatur. *P. Caſp. Schott. in Phyſ. cur. l. 9. c. 1. §. 1.*

Ejusmodi autem in aurâ peregrina Effluvia ſunt, &, per accidens, varia; juxta indolem, undè exhalarunt, concreti. Hinc Terra, Virgo, ſponte ſuâ herbas producit, ſi idoneo conditam vaſi libero aëri exponas noctu diuque, congruô tempore imprimis. Quod eſt ſignum, terram illam ſolâ aurâ ejusmodi herbarum ſeu ſemina ſive ſpiritus continente, fuiſſe imprægnatam. Terra ſaltem permanens matrix exiſtit, non Corporum Mater; quod probè tenendum. Sic Nitri & Vitrioli Spiritus per aërem volitant. Si enim, poſtquam è Vitriolo vel Nitro ſpiritum extraxeris, Colcotar ejus (uti vocant) ponas ſub dio, ibique dimittas paucis diebus, & mox in Retortâ reponas, adhibitis ignis gradibus, novum eundemque efficaciorem ſpiritum elicies. Quæ experimenta *Magnanus* adfert *in Philoſ. Nat. c. 16.* & ex eô cauſam colligit, cur quibusdam in locis ſalubris aër, alibi verò minimè ſit, cur item alibi gratos, alibi tetros efflet effectus odores: nimirùm, quia vel ſalubres & gratos, vel inſalubres ingratosque ille ſpiritus continet.

Scilicet, redolent venti, quæ prætervexerit corpora illa. Dum

Roſæ

Roſæ florent, è locis *Fontenau* & *Vaurigard*, qui circa *Pariſiorum* urbem ſunt, aër mirâ odoris ſuavitate delibutus naribus affertur, referente *D. Kenelm. Digbæ. in Theatr. ſympath. p. m. 48.*

E contra *Matriti in Hiſpaniâ* tàm eſt tenuis aër, uti, niſi aliarum rerum effluviis identidem inſpiſſetur, minùs aptus hic reſpirationi hominum atque animalium ſit.

Londini in *Angliâ*, quòd in totâ vaſta illa urbe ignibus incolæ utuntur, ex eô carbonum genere, quos ſolent foſſiles vocare, totus aër velut ſale & fuligine repletur: unde lecti, aulæa, & quævis utenſilia alia, quantumvis nitida ac ſplendentia ante, breviſſimô tempore obfuſcantur.

Drepani in *Siciliâ*, urbe maritima ex Salinis celebri, aër eſt adeò corroſivus, ferrum ut exedat. *P. Caſp. Schott. in Techn. Curioſ. l. 4. c. 1. præl. 1. §. 44.*

Varias igitur ob cauſas conſtitutio aëris variatur, quatenus pendet à locorum ſitu, terræ natura, maris & lacuum vicinitate, fodinis metallicis, temporibus anni, uti latè deſcribitur à *D. Dan. Sen. Inſtit. Medic. l. 4. part. 1. c. 2.*

Quemadmodum ergò variarum in aëre rerum permiſta varia continuò effluvia, ſive omnis generis ſpiritus ſunt, terrei puta, aquei atque ignei, è terrâ aqua, igne, mineralibus quoque, plantis item, animalibus, adeòque hominum corporibus, magna ſemper copia, vi caloris ſeu extrinſeci, ſeu intrinſeci reſoluti & ob levitatem aſcititiam in altum evecti: ita à corporibus homogeneis vi magnetica attracti iidem corporificantur.

Utor Minera Marti-Solari; (quam ex *Haſſiâ* adferunt, tribusque diobolis libram Lipſiæ æſtimant, non cariùs) flava intùs, aureæ inſtar marcaſitæ, cæterùm planè inſipida. Quam enim ſi in pulverem redactam in aqua aliquandiu coquas, ne colorem quidem mutabit, nec ſaporem alium, quàm qui aquæ eſt, habebis. Hujus uncias duodecim, per integros quatuordecim dies, non ita pridem aëri frigido expoſui. Quô factô, peculiarem illa humidumque atque dulcem, talemque, qui vitrioli eſt, ſalem attraxit continuò; quid? quod duabus unciis aucta & ipſa pondere eſſet. Qui extractus Sal pluvia aqua, forma viridi, purgatusque, mirum, quantum morbis iſtis reſiſtat, qui ex Tartari abun-

dantiâ oriuntur; ſicut nec minus aliis. Dicitur & *Hauſenſis* Terra Minera hæc, quam & ad vitrificaturas ſuas adhibent figuli, continetque ea Spiritum metalla omnia ſolventem. Ref. *D. Joh. Tileman. Exper. 3. p. m. 8.* Eſt eadem *D. Joh. Hiskiæ Cardilucio, in Aula ſubterr. Lazari Erckeri, l. 2. p. m. 327.* Magneſia Vitriolata, *Arnſtadii*, *Aquisgrani* atque alibi item, non infrequens. *Glauberus in Furn. Philoſoph. part. 2. c. 11.* Vitrioli dulcis Mineram vocat, inventam à ſe copioſiſſimam *Almanroth* (eſt is *Haſſiæ* pagus, unum *Caſſellis* lapidem diſtans) Virtutem ſi ſpectes, qua attractiva prædita eſt, pari ac Biſmuthi illa Minera, eſt & ipſa ſanè ex aëre, viride admodùm, attrahens Vitriolum; crediturque Chymicorum pleriſque immaturum *Paracelſi* Electrum, niger Saturnus, albumque Philoſophorum Antimonium eſſe. Cujus, opinor tactus invidia, verum reticere maluit nomen *Joach. Polemannus de ſulphure Philoſ. Tractatu p. m. 114.* quod verò ut diſertè dicerem, domi habui cauſas.

Monſtro ſimile eſt, quod *Dn. Kenelmum Digbæum* autorem habet, experimentum. Hic namque *Arcevilenſi*, quam vocant, terra aëri libero expoſita, ſingulisque diebus aqua pluvia humectata, poſt primum menſem, in eadem vitriolum: ſecundô ſulphur: tertiô plumbum: ſtannum quartô: quintô ferrum: æs ſextô menſe reperit, in quo ramenta argenti tenuia eſſent. Quod idem *D. de l' Oborie & D. Locques*, Galliarum Regis Spagyricus, & ipſi feliciſſimè tentarunt. De quô qui volet cognoſcere, is prolixiſſimè diſſerentem adeat *Dn. Olaum Borrichium diſſertat. de ort. & progreſſ. Chym. p. m. 149.* Hôc pactô exhauſtas & auri, argentiq; & ferri, ac lapidum fodinas creſcere denuò docet *Athanaſ. Kircher. in Mundo ſubterr. lib. 4. c. 8. p. m. 215.*

D. Marcus Antonius de Caſtagniâ, Minerarum Reip. Venetæ ſupremus Præfectus & Societatis Panċeticæ Fundator, coram quovis atteſtabitur, eſſe arti poſſibile, in quavis domo & laboratorio, variis modis perpetuam mineram exſtruere, unde ſtatutis temporibus, metallum verum, non ſecus ac ex minera, erui poſſit. *D. Joh. Joachim. Becher. in Exper. Chym. nov. p. m. 62.*

Cernis, opinor, aura quid præſtet, quid Cœlorum influxus, ut ad fictos ingenioſè cortices deſcendere non ſit adeò neceſſum. Rectè ergò dictum à ſenſatioribus Philoſophis, πανσπερμίαν quandam, ſeu rerum omnium ſeminarium & cornu copiæ auram eſſe vel aërem.

2. In noſtra aura inferiore coagulata, ſeu ſubjecto univerſaliſſimo, mox nominando, dantur etiam effluvia ex aëre & terra attracto, ſed diverſæ

naturæ

naturæ: quæ cauſa eſt, cur, feces ac ſuperflua cùm ſint, per ſolutionem, quam vocant filtrationem, deſtillationem, putrefactionem & ſublimationem ſeparari neceſſe habeant.

CAPUT III.

In Aurâ etiam Materia Hermetica, ſive ſpiritus Mundi, volitat.

C*Arteſius part. IV. Princ. Phil. n. 48. Lipſtomius pag. 3. ſpecim. Philoſ. Cart. c. 2.* aſſerere videntur: aërem nihil aliud eſſe, quàm congeriem particularum terreſtrium, tàm tenuium, & à ſe mutuò disjunctarum, ut quibuslibet motibus globulorum cœleſtium obſequantur. Licet *D. Robertus Boyle, in Experimentis de aëre, Exper. 1. Carteſium* aliter interpretetur. Credendum tamen eſt, naturam, cui peculiaris ſemper fuit cura, ut indefeſſum cœli ac terræ commercium, velut admirabilis harmonia totius mundanæ machinæ perduraret, à primô mundi ortu, etiam cœleſtem quandam ſubſtantiam vel materiam per univerſum orbem diſſeminaſſe. Præcipuè verò 1. in Auram vel aërem ſuperiorem, ut digniſſimum Elementum, in quô ſemen & vitalis ſpiritus, ſeu domicilium animæ omnis creaturæ lateat. *Mich. Sendivogius Tract. de Sulphur. p. m.* 152. Hinc Hebræorum Doctores Aërem numero Elementorum eximunt, eundem velut medium quoddam atque glutinum, diverſa ſimul conjungens & tanquam ſpiritum mundani inſtrumenti reboantem, habentes. Vid. *Templum Naturæ Henr. Kornmann. p. m. 72. & D. Marcell. Vrankheimi ἐπίκρισιν ad Achill. πανυπερυπλόμαχ. p. m. 36.*

Docet id indies experientia, quod hôc Elemento non ſolùm mineralia, animalia, vegetabilia, verùm etiam alia Elementa vivant. *Johan. Sperl. Inſt. Phyſ. l. 4. c. 2. ad præc. 1.*] ſiquidem ſpiritus quidam aſtralis in hæc inferiora influens, metallis, lapidibus ac plantis ſe accommodat, imò in eorundem ſubſtantiam occultè ſe ingerit. *R. Goclen. in Synarthroſ. Magnet. p. 102.* Ipſe ubique viget, in omnibus generationibus omnis proximus autor atque motus. *Marſil. Fici. de vita l. 3. c. 3.*

Hanc ſubſtantiam ætheriam *Helmontius* vocat Magnale Magnum, *lib. de Magnet. Vuln. cur. §. 151.* Eſt qui eandem aquis tribuit ſupracœleſtibus,

leſtibus, *Kircherus in Itiner. Ecſtatico*, quas natura ille ſua roris inſtar, comminiſcitur, luce propria contentas, pellucidas, atque in ſublunaria hæc influentes, quibus, vel ut nutrimento aliquô, vivant, quæ ullibi in mundo corpora extent. Cui opinioni fidem aſſenſumque præbet *Henr. Nollius*, ex Cabala & ſecretiori Philoſophia, *in Phyſ. l.2. c.2.* Eſt ejuſmodi, inquit, aqua, cujus perpetuô & continuô influxu in hæc inferiora omnia animantur & diſponuntur ad ſuſcipiendam exaltationem. Primùm ſe communicat aſtris viſibilibus, per aſtra aëri, per aërem aquæ & terræ &c. Sed hanc ego opinionem non facio meam, & album adjicio ſententiæ calculum *Petr. Palmarii D. Pariſ. de Lap. Phil. dogm. p. m. 64.* (utut prægnantibus de cauſis, id ſcripti, factum ſit, ab Academiæ Pariſienſis Collegio Medico, 1609. obeliſco ut jugularetur) Cor mundi Sol, non oculus, eſt. Diffundit vivificum nectar (per aërem) in ſubjecta omnia. Ergò quædam permanens ſubſtantia, cœleſtis, divina, ab Elementorum concretione alieniſſima: quæ ſingulorum ortui ut acceſſit, ſic per eorundem diſſolutionem, cur non educetur? fundata eſt in ſubjecto tenaci, plus minùs, pro rerum conditione. Cum illo manet, abit, diſpirat, redit, recedit, inducitur, extrahitur. Neque enim pura conſiſtit & omni ſubjecto nudata. Ut non nuda naſcitur, ſic nuda non extrahitur.

Deinde, nominatur hæc materia cœleſtis, de quâ jam loquimur, ſpiritus & anima Mundi, (ab Avicenna & Platonicis) ros de nocte, aqua rarefacta de die, ſpiritus inviſibilis congelatus, ſemen omnium rerum, ſpiritus vivus omnium creaturarum, vita cœleſtis, ſpiritus univerſalis cunctis rebus incluſus & per aërem ingroſſatus. *D. Frid. Hoffm. in method. med. l. 1. c. 19.* Semen univerſale Naturæ; Spiritus Salino-Sulphureo mercurialis, una ſubſtantia triplici virtute diſtincta, proximum rerum omnium principium. *Athan. Kircher. lib. 12. cap. 5. pag. m. 332. Mund. ſubterr.* Lumen, Vitæ balſamus, Mumia vitalis; Calidum naturale, Humidum congenitum, vis & vigor univerſæ naturæ, principium motus, Entelechia, Sperma mundi, Aqua magni Oceani, Aqua vitæ puriſſima, Ignis univerſalis, Chaos naturæ ac Penuarium, ex quo calor vitalis ac ſpiritus, tanquam ex ſpermate, prodeunt. Quinta eſſentia & Mercurius vitæ! præter millena nomina. *D. Petr. Johann. Faber, in Compendium Secret. Chym. lib. 1. cap. 3. Damian. de Campis in Enucleat. Nov. Lun. Chym. Mich. Sendivog.* §. wir können es *Spirituo-*

ſum

ſum vitæ Balſamum nennen / & *ejuſdem Enarrat. Somni ſi non Panſophici, tamen Philo-Polymathici §. 34.*

Dicitur & Leo viridis propter robur, quo cuncta movere poteſt & penetrare: quod *Trismegiſtus* docuit, appellando illum, in Tabulâ Smaragdinâ, totius fortitudinis fortitudinem fortem. Dicitur ſuperius, & Avis ſeu Avicula Hermetis, immò Mercurius univerſaliſſimus, qui, aquæ ſiccæ nomine clarus, in communi ſuperioris & inferioris & mundi cœmiterio ad patranda totius mundi miracula circumvolvitur, & occultus vitæ noſtræ cibus à *Cosmopolitâ* appellatur. Hic enim levi digeſtione debitè captus, rubeſcit, magnatumque refectionum pater eſt, ſi virtus ejus converſa ſit in terram, dicti *Hermetis* teſtimoniô. *Doct. Johann. Tack. in Epiſt. ad Doct. Johann. Daniel Majoris Chir. infuſ. pag. m. 3.*

Poſſum hic nominare complures, qui iſtius Humidi radicalis Mundi in ſcriptis ſuis paſſim meminerunt non tantùm: è quorum ſanè numero non poſtremus occurrit *Henr. Cornel. Agrippa ab Nettesheim de occult. Philoſ. lib. 1. cap. 14. Bernhardus G. Penotus, deinde Gerhard Dorn. Papinius in diſſert. de pulv. Symp. Oſwald. Crollius, in Baſil. Chym. Mich. Sendivogius in XII. tract. Doct. Petrus Joh. Faber, in Pall. Spagyr. Hydrogr. Spag. in Myroth. Spag. Hercule Pio Chym. & Comp. Secret. Chym. Corn. Drebbelius de Nat. Elem. Robert. de Fluctibus cap. 5. lib. 1. de Vromantia. Cæſar. Reviera in ſuo, de Mundo magico, Tractatu, Italicè confecto. lib. 1. Johann. Poppius in Hodog. Chym. D. Olaus Borrichius de ortu & progr. Chym. Joh. Verem. Rhumel. Baſil. Chym. Chym. Johann. Rudolph. Glauberus in Pharm. Spag. Johann. Lud.* Gottfried *in Archontol. Coſmica* atque alii: ſed & integrum hac de re Commentarium dedit. *Johann. Rohtmannus*, cui, de Anima mundi & Spiritu Univerſi, titulum fecit.

Eſt & *Dni Nuyſement* liber confectus de Spiritu Mundi univerſali & vero Sale ſecreto Philoſophorum. *D. Andreæ Nitneri* item de eodem Mundi Spiritu, attracto ex aëre, nec non *Tractatus de Cœlo terreſtri Venceslai Lavinii Moravi.* Quare ſtudioſos iſtius ad illa volumina delegamus.

Dominus Petrus Borellus, Cent. 1. Obſ. 6. ſub. tit. Curat. febr. malign. aurô ſolutô curatæ: rationem docet præparandi Magnetis, quô eſſentia, hæc attrahi ex aſtris, deſtillarique atque eâ aurum ſolvi queat.

Ac, ut de me ipſemet hoc afferam, anni ſunt admodum ſeptem, quàm Magnetis Philoſophici ope, præparati ex Nitro fixo, ſpiritum aliquem ſive aquam Mercurialem ex aëre attrahebam,

quâ, uti loqui amant, rectificatâ, reſiduum phlegma, utut planè inſipidum, inſtar aquæ communis, tincturam ex corallis rubram extraxit, mutatô horum colore in album; cujus cauſam haud temerè alii, quàm volatili aëris Sali, ducimus aſſignandam.

Extra igitur aleam dubitationis poſitum id quàm longiſſimè eſt, eſſe ſol corpus primum, per quod materia cœleſtis palpabilis & viſibilis redditur. Eſt Sal enim Terra, Virgo, quæ nihil adhuc produxit, in quam Spiritus Mundi primò convertitur per vitrificationem, h. e. extenuationem humoris. Quô ſenſu fuit haud dubie *D. Joel Langelottus* (*Epiſtolâ ad Præcellentiſſimos Naturæ Curioſos p.m.* 191.) cùm Sal aëris unicum ſolvens indigitaret Catholicum. Rectiſſimè, meô animô quidem.

Cæterùm exiſtimo ego cum *Nollio:* Hunc divinum theſaurum, ne fruſtrà deſcendere & ſe humiliare videretur, ſui perfectam imaginem cuidam quoque mineræ coram mundo abjectæ, quæ Magneſiâ ſapientum dicitur, impreſſiſſe, illamque ſic diſpoſuiſſe, ut facili negotio, DEO ſingulariter benedicente, & induſtriâ humani ingenii, inde erui poſſit.

Eſt autem, ut apertiùs dicam, 2. Aura inferior coagulata, vel magneſia illa, nitrum noſtrum, ſive ſal petræ, in quo ætheria illa ſubſtantia copioſiſſimè diſſeminata. Nam eſt nullus omninò Sal, qui ſit, illô, magis catholicus. Quin adeò diffuſum eſt nitrum per univerſam rerum naturam, itaq; actuoſum in concretionibus ſatuq; miſtorum ſublunarium, ut operæ precium facturus ſit, quiſquis ad veſtigandam ejus indolem animô ſeſe & cogitatione attentiſſima converterit. *Rob. Boyle. Nob. Anglus in Tentam. Phyſ. Chym. p. m. 1.* Non eſt è numero Salium, appellari vivens quod poſſit, uno nitrô exceptô noſtrô Virgineô. Quod & ipſum tamen anteà, carens vitâ ex aëre eam receperit. Eſt Subjectum Philoſophorum univerſaliſſimum hoc; cui non Mercurius tantùm, ſed & ipſum aureum Sulphur ac Mundi Sal copioſiſſima inſint.

At enim, quantum eſt, quæſo, contradicentium! quos ego contrà aſſerentes omnes mihi, audio hic: Redolere hæc *Joh. Rudolph. Glauberi* novam illam primâque ſpecie blandientem opinionem: Eſſe Nitrum Philoſophorum illum Mercurium, Menſtruumque univerſaliſſimum, ſtatuentis. Quam, aſſertam à ſe aliquamdiu, Mundi Miraculo, in cæteris ſcriptis ſuis, poſteà ille exploſum, atque in alia omnia ire potius cœpit, extremum Antimonium ipſi arriſit; quo de in *Igne Secreto ſuo, p. m.* 20. exſertis verbis: Eſſe Mundi Spiritum, Antimonium ait, animas mortuorum orco educens: eſſe pariter Alkaheſt, ex quo *Pontani Artephiique*

que

que ſecretus ignis confici poſſit. Confer ejuſdem *Glauberi Proſerpinam p. m. 29.*

His ego opinionibus reſpondeo, nihil ineſſe, quod quem poſſit offendere. Imprimis cùm ſibi invicem non repugnent. Nam, quod ad iſtam attinet, Spiritum Mundi metallicum latere in antimonio, non me fallit, unde Menſtruum univerſale metallicum poſſit erui, quod ad illam autem: equidem Mercurii Philoſophorum conficiendi ex nitro modum ignoraſſe *Glauberum*, in confeſſo eſt, ex *p. 91. Mirac. Mund.* cæterùm, non id materia eſſe illa propterea definit, ex quâ univerſaliſſimum menſtruum extrahi, cujusque poſteà beneficio, præparari Menſtruum univerſale metallicum queat. Extra ea, conſtanter aſſerimus adhuc, à noſtro opere excludendum Argentum vulgi vivum cum Antimonio eſſe, nec id injuriâ quidem: Hoc propter impotentiam, illud autem, quod jam in corpus metallicum à ſulphure ſuo interno ſit coagulatum. Corpora autem in corpora non agere, notum eſt. Pauci, ſcio, verbis meis fidem habebunt: Sed ſi æquè ac Philoſophi experientiâ edocti, ſcirent, quomodò ejuſmodi Sal petræ in omnibus reperiretur, ex iiſdemque omnibus artificioſè extrahi poſſet: tum & ſibi ipſis tanquam teſtibus oculatis, fidem ſine dubio non derogarent, & tàm pretioſum Salem, qui ab ignorantibus tantùm vilipenditur, (vilis propterea à Philoſophis dictus,) non tam leviter cum ſordibus, quisquiliis & fimo abjicerent, ſed ex omnibus potiùs mundi anguliscollectum, haberent ſanctiſſimè. Quanquam obſervari juxta *Raim. Lullii de Quint. Eſſ. diſt. 3. p. m. 95.* & hoc velim: Licet, omni in elementato, quem dixi, Mercurius reperiatur, tamen in aliquibus tam longè, ut vita hominis, anticiparet, antequam Artiſta hujus artis ipſum, prout expedit, à ſe abſtractum poſſideret. Immò dicitur in omnibus eſſe ratione primi moventis in rebus naturalibus, qui ſpiritus vegetabilis nuncupatur, quô noſtra materia præ cæteris abundat. *Bern. Penot. à Portu Præf. Apolog. in tract. Ariſlai. p. m. 92. Sendivog. in Tract. de Sulphure p. m. 185. & D. Job. Tack. in Chryſog. de Quintâ Eſſ. vini p. m. 32.*

Interim non mirari non poſſumus vim ac virtutem illam, quâ omninò ſtupendâ, divina bonitas Mundi Spiritum ſalemque aëri inhærentem iſtum donavit. Tot enim in mundo millibus, quibus aut jungitur attrahiturve magneticô more, exiſtentibus ſubjectis, non illa mutat tamen efficitque, ut, quod non eſſent, jam ſint aliud: ſed, ut idem cum ipſis fiat, id verò unicè agat. Quod profectò unum eſt tanti, ut, qui

penetrarent, nondum viderim ego, nec, qui penetrabunt, videre forſan unquam contigerit. Unam itaque, eamque Univerſalem, ab *Hermete* ſtantes, materiam ut concludimus eſſe: *Sic, ab hâc unâ re natas, omnes fieri.*

Ac utut hujus loci ac inſtituti non ſit autoritates Philoſophorum veterum cumulare roborandis iſtis, quæ diximus. Credere enim id cuivis integrum ſit. Non poſſum nunc facere tamen, quin *Baſilium Valentinum* accerſam, & unum hunc quidem: ſic autem ille, *libr. de Reb. Natur. c.ult.* abundè interioris radicis materiem oculis exponens: Quæ materia, inquit, manifeſta eſt coram oculis omnium hominum. Verùm, quia virtus ejus, potentia atque vis in profundo valdè ſepulta eſt, adeoque plerisque incognita, eò fit, ut materia hæc pro nihilo etiam & inidonea ex ignorantia cenſeatur ac reputetur. Nomen ejus vocatur *Hermes*, qui ſerpentem volantem pro inſigni geſtat, & pro uxore habet, quæ dicitur Aphrodita, quæ omnium mortalium corda novit: & tamen omnia, unum, & una res unicè, & unica eſſentia eſt, quæ communis eſt in omnibus oris & cognita in omnibus locis. Quivis eam prehendit manibus, & uſurpat ad res viles. Vile exiſtimat pretioſum & pretioſum rejicit. In ſumma, nihil eſt aliud (dicit) præterquam aqua & ignis, undè terra cum additamento aëris eſt orta & etiamnum conſervatur. Cum quo paria facit *Ejuſd. de Magno Philoſophorum Lapide, Tractatus*, ubi ſub finem, omne in omnibus, quid ſit, explicat.

At enim: quis me, inquis, iſta docebit; *Hermetis* vocabulo voluiſſe nitrum innuere *Valentinum*? ego verò, cui nihil unquam factu fuit facilius; Imò mecum *Schrœderus*. Date mihi parumper, &, ne tantillæ te operæ, Lector, pigeat, adi mecum Ejusdem *Schrœderi D. Pharmacopœiam Medico-Chymicam, lib. 3. c. 23.* tibique inter nomina illa, quibus nitrum mactarunt Veteres, *Hermetis* quoque oſtendam vocabulum. Hæc materia eſt Virgo illa, cui nomen *Uranogæa*, aut cœli terrificati, tribuitur, quia licet terra (i. e. Sal) exiſtat, virtutes tamen cœlorum continet & indiſſolubili vinculo connexas ſibi habet, quarum admirabiles operationes exhibet videndas.

Quod ſi autem adhuc Genealogia ejusdem te anxium habet, deſiderio tuo, eſt, qui iterum ſatisfaciat, *P. Kircherus Tom. I. Mundi ſubterr. L. 6. ſect. 2. c. 3.* Cui *Quercetanum* addas licet, in *Pharmac. Spagyr. p. 578. ſeqq. & L'Hiſtorie de la Societé Royále des Londres, p. 2. poſt. Sect. 18. p. m. 319. Wilhelm. Clarkius in Hiſtoria Naturali Nitri Lond. 1670. Joh.*

Rud.

Rud. Glauber in Mirac. Mundi de Menſtr. Univ. De experimentis verò circa varias atque multiplices partes nitri lege *Tentam. Phyſ. Chym. Dn. Robert. Boyle Nob. Angl. p. m. 18.*

Et quid tàm evidenti ego rei facem accendo? cùm quæ in *Paracelſo* habentur: *reperiſſe in Nitro Alchymiam*: inluſtriora Solis utique radiis ſint, Nec non *Geberi* ita; Petra, quæ non eſt petra, quæ invenitur in fimis, illa eſt Petra Philoſophorum. Quibus ſuccinit *Dominicus Gnoſius Belga in Herm. Triſmeg. cap. 3. p. m. 167.* Lapis noſter Sal petræ eſt, quo ☿ currens in optimum & perfectiſſimum metallum, & ſilex in duriſſimum Adamantem transmutatur. Et *Opus Petri de Silento* dicit: Optimum Sal Nitri eſt Mercurius noſter, vid *Theatr. Chem. Vol. 4. p. m. 1117.*

Equidem novi, quantum nonnulli Sali tribuant Roris majalis, cui & ipſi natales Philoſophici Nitri, credunt, deberi (qui habetur pro aëre coagulato & à fratre *Umano* expreſſè Nihilum Philoſophorum dicitur) cujuſmodi Sal, ab Equite Anglo, *Henshau* ſingulari artificio paratum, cum Microſcopio conſpectum, angulorum numerô & figurâ Nitri æquavit angulos; uti, ex *Ephemerid. Anglicis*, *Gallicæ* referunt, *T. 11. p. m. 23.* Imò rorem dulci ſaccharo eſſe divitem edoctus eſt *Joh. Bapt. van Helmont. de Imag. ferment. p. m. 73.* & ex Sale Roris Majalis (immò aquæ pluvialis) *D. Joh. Dienheimius* medicinam ſuam elaboravit univerſalem; ejuſdemque *Borellus* Spiritu Aurum radicaliter ſolvit. Jungimus his *Detardingium*, cujus *in ſuo, de Auro potabili Tractatu* conſtans aſſertio eſt: Mediante ſe Sale volatili roris majalis diſſolviſſe Aurum, non ſecus ac in aquâ calidâ glacies diſſolvitur.

Verùm, uti, quod res eſt, fatear, fruſtra id quidem in Germaniâ obtinueris ex Rore illo, minùs videlicet Salis Mundi feraci, quàm in cæteris regionibus, *Ægypto* præſertim. Quod teſtabitur *P. Bellon. in Obſ. ſing. & memor. rer. lib. 2. cap. 77.* nec non *Autor de la Chambre in diſſert. ſuâ, de cauſâ inundationis Nili*: in Rore, quem Ægyptii Guttam vocant, vim fermentantem latere, quæ maſſa aëri expoſita, ipſum Nilum, ſeu nitrum, quod in Nilo eſt, fermentet. Sic Ros Braſilianus, teſte *Geographo Varenio*, Europæo tùm pinguior & Nitrô multô imprægnatus, fœcundior, tùm multò penetrantior tenaciorque, præcipuè æſtate exiſtit. Sic eſt in Inſulis Ferroënſibus multa fœcunditas ex nive, quæ Nitrum ſecum vehit, ref. *D. Thom. Bartholin. in Act. Med. & Phil. Hafnienſ. an. 1671. & 1672. p. m. 87.* Ego ſententiam meam interponens, profiteor liberè: nitrum noſtrum, obvium ubivis, utut impurum, tamen cœleſti materiâ refertiſſimum, idemque verum ſubjectum catholicum miraculoſumque

eſſe Sal; è quo liquor non tantùm & diſſolvens univerſale Philoſophicum, ſive Mercurii Spiritus, ſed & propinquiùs Medicina ſapientum antiquorum præparari atque confici poteſt. Notandum interim fuerit; Licet ex ea aqua, forti igne, eliciatur, & Spiritus ejus, ſimul in illá aquâ miſcens ſe & inhabitans: Spiritus tamen ille craſſus & corporalis, ſive terrenus, nondum eſt ſpiritus ille ſecretiſſimus & vivificus cœli, (cujus Pater Sol igneus & Luna humida Mater, juxta *Hermetem* noſtrum) ſed eſt hic elementaris Spiritus habitaculum illius cœleſtis, qui anima & vita omnium Creaturarum eſt & vocatur, atque hic imaginem DEI gerit proximè. Ergò, ſicut DEUS in igneâ habitat eſſentiâ & ignis conſumens eſt: ſic & iſte Spiritus, qui, ut anima vivificans omnia, in igneo ardentiſſimoque Spiritu occultè habitat, & etiam ignis conſumens eſt omnia terreſtria: purgans autem ad ſummum cœleſtia. Et ſic aqua ex Nitro deſtillata, tres habet partes: Corpus, quod eſt aqua: Spiritus ille igneus elementaris craſſus: & tandem anima occulta vivificans, quæ in debito ſubjecto incorporatur.

Modi autem hujus ignari, cœleſti materiâ attractâ ex aëre, ſint contenti norintque: Quantumvis, *D. Nitnero Hoffmannoque* teſtibus, circulata eadem atque in Spiritum deſtillata confortando cum maximè cordi faciat, omniſque generis febres morbosque ex ſcoriis fæculentis ortos, alios curet; fieri tamen haud poſſe, uti ſecretiſſimus ille Spiritus, ſive ex aurâ attractus, ſive Magneſiâ quoque ſuâ erutus, in morbis curandis ea efficiat, quæ cuivis admirationem poſſint injicere: niſi vel ſuô corpore i. e. Sale puriſſimô, vel Aurô Auræ, vel Aurô ipsô metallicô conjunctus idem fixusque. Quâ de re jam, in ſequentibus, ſumus acturi.

CAPUT IV.

De AURO in AURA.

PErſpicuum eſt autem, ex Philoſophiâ adeptâ & Naturæ theſauro, conſtatque inter omnes, qui de Auro memoriæ prodiderunt, omninò tria diſtincta ejus genera dari: aſtrale primùm, deinde elementale, tandemque metallicum. Conf. hanc in rem *D. Job. Tackii Trip. Phaſ. 1. Med. de Auro p. m.* 11. Nos ſepoſitis iſtis, de Aſtrali nunc tantùm loquimur. Miraberis autem non injuriâ, ſcio, quare 1. in Aurâ, ſive ſuperiore id aëre quæram? & unde inventum modusque iſte attrahen-

hendi, de quô ne verbulo quidem ullus, quod ſciam, Autorum, expoſuit, hactenus innotuerit mihi: ſed non longæ ambages ſunt. Adverte, brevibus docebo.

(I.) Conſiderabam, quòd Creator altiſſimus præcipuè in Sole, qui eſt tanquam Cor cœli, collocaverit virtutem multiplicis poteſtatis, quæ ignis eſt inviſibilis & calor vivificus, omnes res creatas permeans, in quo omnia tàm cœleſtia, quàm terreſtria, vegetantur & in ſuo eſſe conſervantur: imò quòd Sol ſit Pater Spiritus mundi, ſeu materiæ cœleſtis, imò & Sulphuris univerſalis. Nam per radios ſuos agit in aquam ſol, quam attenuat atq; attenuando in aërem vertit. Nec hoc in opere quidem ſubſiſtit, ſed pergit, vertitque vapores aëreos in ignem, fovendo eos coquendoq; continuò indeque in ſubtiliſſimam convertendo naturam, ita ut ſi deinceps Sulphur nativum, (calorem intellige,) in aquâ Sulphure ſeu calore Solis incendatur, ex iſtius materiæ coagmentatione ignes varii generis prodeant. Sic Sulphur commune priùs fuit aqua, cujus natura erat frigida, quæ poſteà circulando per calorem Solis vertitur in aërem, cujus natura eſt calida & ſicca, cum quô poſteà ſe temperat terra; & ſic efficitur Sulphur: *Egid. de Vadis in Dial. Natur. & Fil. Piloſ. c. V.*

(II.) Sciebam: Aurum naturale Solis eſſe Filium, ſiquidem illud eſt cum ætheriâ materiâ ejuſdem naturæ, aut potiùs nihil aliud, quàm cœleſtis materia, quæ priùs puro quodam in loco naturam corporis induit, quàm in perfectam fixionem reduceretur. Cujus *Raimundus Lullius, in Tractatu ſuo, de Intentione Operantium*, elegantiſſimè Genealogiam contexuit. Vide nunc *D. Joh. Chriſtoph.* Steeb *Elix. Solis & vitæ* *§. 7.* quibus, de generatione Solis, nihil docti.

(III.) Incideram in *Dni. Kenelmi Digbæi Demonſtr. Immortal. Anim. ration. c. 7. p. m. 62.* locum iſtum: Vaſorum vitreorum ope, peculiari quodam modô factorum & artificioſè diſpoſitorum, collectos Solis radios in pulverem fuſci coloris, aut purpurei in rubrum vergentis præcipitatos fuiſſe. Quibus poſtmodò ſubjungit: Fraus nulla huic operationi ſubeſſe potuit; nil enim in vaſe, antequam diſponerentur, continebatur; peragi etiam debet in calidiori anni tempeſtate, ut effectus iſte ſequatur. Hac porrò operatione aliquibus diebus duæ ferè unciæ colligi potuerunt &c. Ex his omnibus ego cœpi conjicere; licet vero ſit alienum, quod apud eundem *Digbæum, Theatr. Sympath. p. m. 27.* proditum legimus: Eſſe ſubſtantiam Lucem materialem atque corpoream: (cui ſententiæ, *Operæ, de Medic. Ort. & Progr. §. Magnum, n. 35.*

non

non invitus accedit *Helmontius*, lucentiſque exemplo eam ſilicis probat. Quæ, quòd lucet, à ſole utique habet; demumque addit: eſſe lumen reverà ens extra lucem.) Quæ ſi, inquam, à vero abeſſent longiùs, Solis tamen calori, fieri non poſſe, quin ſulphur præſtantiſſimum inſit, ad nos per aëra devectum. Statuere enim *Tackium, de Genealogiâ Auri, Tractatu*; Spiritum illum, quem quotidiè unà cum aëre, maximo noſtro bono, haurimus imbibimuſque, rubra illa Tinctura refertiſſimum eſſe. Nam eſt in Sole Balſamum omnium præſtantiſſimum, expers omnis corruptionis, quod ſi è Sole eruere ſciveris atque humano didiceris balſamo applicare, nobiliſſimam tibi omnium medicinam acquires: *Henr. Noll. in Prod. Phyſ. Herm. 6. Cap. p. 37.* cum quô tandem cœpi concludere: Calor Solis ſeu Balſamum ejus, beneficiò radiorum, inferioribus corporibus impertitur. Quòd ſi Magnete creato illud comprehendere atque ex eo prolicere poteris, theſaurum, millies auro & argento precioſiorem, tibi comparabis, cujus robori omnes cedere morbi coguntur. In quam ſententiam *Oſvvaldus* & ipſe *Crollius in Præfat. Admonit. ſuæ Baſil. Chym. præfix.* Volentibus, inquit, vitam hominis ad ſummam ſanitatem adducere, opus erit, quærere Solem non Elementalem, ſed calorem illum cœleſtem Solis & Lunæ, habitantem in incorruptibiliori ſubſtantia ſub Lunæ globo reperibili: hunc calori vel ſpiritui noſtro ſimilem reddere, quod fit, cùm in medicinam & cibum ſuaviſſimum præparatus fuerit.

Quæ cùm ſic præcepiſſem mecum atque antè animo peregiſſem; cœpi porrò in eam deſcendere cogitationem: Annon

(IV.) Quem dixi, Magnetiſmus, qui, in aëre poſitus, tempore æquinoctiorum imprimis, (quô aër atomis ætheriis balſamiciſque quaſi redundat,) cœleſtem illam materiem forma humida attrahit, per auram è ſolaribus radiis Sulphur aureum ſicca forma itidem attrahat?

Suppoſitô igitur igne iſti, cujus jam aliquoties mentionem facimus, Magneti, idque, ſereno cœlo, in aëre maximè libero, extemplò ille, quod ſuum erat, agere atque operari cœpit. Tot tantiſque experimentis atq; laboribus Aurum iſtud Auræ ſtetit inveſtiganti.

Hoc igitur voco ſolare Balſamum, ſeu vivificum Sulphur, vi magnetis univerſalis ex aëre attractum, ſanitatem cumprimis conſervans, noſtri corporis cùm partes, tùm humores à corruptione atque putredine vindicans mirè tuenſque.

Nam, quia hoc ſulphur, haud dubiè à ſole cœleſti, (Lucis ac vigoris vitalis fonte illo aureo;) emanat juxtà ac influit, Aurum auſus ſum appellaſ-

laſſe, præferente facem, *Hortulanô*, Philoſopho; qui in Tabulam *Hermetis* Commentaria ſcripſit & per Solem Aurum intelligit Philoſophicum, quod lapidis Parentem, & verè quidem nominat.

Nec 2. in inferiore coagulataque hâc Aurâ, i. e. nitro noſtro, Hermeticum Aurum quærentis tuus hîc quidem fruſtrà erit conatus. Gaudet enim ſubjectum id univerſale internâ ſuâ rubedine, (quam illi vitam eſſe dixeris,) tractâ ex aëre. Imò ſal nitri eſt Aurum ſpirituale & Philoſophicum, & ipſe Rex, unde Regis, i.e. Auri vulgaris dependet fortitudo, fortuna & ſanitas, ut philoſophatur *Baſilius*. Hoc Aurum Auræ, ſ. ſulphur Philoſoph. eſt calidum innatum Mercurii Philoſ. ab eo nunquam ſeparabile, quo ſolo Mercurius maturitatem & perfectionem acquirit. Illa autem duo corporificantur à Sale ipſo puriſſimo, in quo concluſa & captiva fuerunt, figunturque in verum Aurum Hermeticum, i. e. Sulphur rubeum atque permanens; quod verò demùm perfectum & numeris ſuis omnibus abſolutum opus eſt.

CAPUT V.

De Magnete univerſali, Aurum ex Aurâ attrahente.

MUlti multos modos excogitarunt, quibus Spiritum, ſive, (cujus c. 3. meminimus,) Mundi Sal i. ex aëre ſuperiori ſibi acquirerent. Superſtitiosè quidem, quantum ego judicare poſſum, diligentes nonnulli; à contrario mediâ viâ incedentibus cæteris, quos ſequi tutiùs liceat.

Eſt penes me vetus liber MSC. Germanicus quidam, à *Ludovico Gottfrido Otthmaro* quondam mihi communicatus. Exiſtimat, quiſquis eſt, ille inter alia Autor, poſſe, ſi fuerit ſudum, materiam iſtam cœleſtem, per commendatiſſimæ venuſtatis puerum aliquem, duodecim, aut ad ſummum ſedecim annorum, in planis iiſdemque ſuavitate odorum refertis ſitiſque adversùs Solem orientem locis colligi, ore aërem attrahendo, emittendoque ſubinde in ampliſſimum aliquod vitrum, quantum ſatis eſt, animam ſive Spiritum illum, quem *Baſilius Valentinus* modum, *in Imagine ſuâ Clavis 5.* optimè innuit.

Quàm mirum autem rarumque inſtrumentum iſtud eſt, cujus, Cucurbitæ inſtar, è poroſo balenæ oſſe, rationem conficiendi, in *Phœ-*

nice Philoſophicâ,(præſcripſit J. R. H. *Joh. Riſtius* ex communicatione *D. Joach. Morſi Bibliothec.*) attracturum haud dubiè ſpiritum magneticâ vi, ſi chalybis ſcobe ſilicibus in pulverem redactis, extractoque è gammaris fluvialibus ſucco, antè maceres probè.

Sed ſunt Anonymi iſta alterius, quæ nunc pariter producenda. Includi is vitro, quæ nonnunquam æſtate cadunt cryſtallinæ, miſtas Ammoniaco Sale, grandines jubet: Futurum enim, uti materies, utpote Magnetica, hæc, ex aëre Salem eruat, extrinſecus vitro circumcircà adhæreſcentem. Injiciatur hic eliquato argento; fiatque ex, impragnato eodem, metallo concavus cum epiſtomio globus. Quòd ſi incluſum iſti jam ore extraxeris aëra, habiturum te idoneum, ait, quô, aquæ formâ, Mundi Spiritum prolicias, Inſtrumentum.

Advocandus nunc quoque in partes *Orthelius* eſt; qui, in *Mich. Sendivogii Lumen Chymicum p. m. 43.* vidiſſe ſe, ait, ex auro, argento, ære, orichalco, elaboratos variæ magnitudinis globos hydraulicos; quibus ſine morâ, in hypocauſto licet calefacto, frigidiſſimæ naturæ raræq; admodum virtutis atque indolis aquam attrahere reddereque è veſtigio in proclivi fuerit.

Succedat *Barnerus*, cujus modus hic eſt: Vitrum pyriforme in cuſpide clauſum, in baſi autem aperto foramine non largo, glacie minutim confractâ vel nive adimpletum, radiis ſolaribus magis ferientibus ſub caniculâ præcipuè, ubi ſolis calor intenſior, expone ſic ſal nitroſum lateribus per ἀντιπερίστασιν, adhæreſcit. Referente *D. J. Dav. Portz, in Anatom. Chym. Vin. Rhen. p. m. 5.* Fera illa quibusdam Hermetis Avicula ſpeculô Parabolico expoſitô ſolaribus radiis, capta & ipſa cicuratur. Nonnullis ſpeculi item concavi margo magneticâ materiâ aliquâ illinitur. Cui porrò aëri per noctem libero ſiccoque commiſſo, pennâ manè abradi Naturæ Sal, nullô negotiô, potuit.

Peculiaris quoque conficiendi ahenei vaſis, flammæ in modum, ratio eſt. Quô præſertim ſi impoſueris cum marmore ſpongiam, hauriri & ipſum poſſe *Staricius* aërem putat. Prolixiora ſunt quàm quæ hic repeti debeant. Adeundus ergò, in *Heroum*, quem vocat, *Theſauro* conſulenduſque auctor ipſemet eſt.

Notiſſimus per Germaniam *Burrus*, equeſtris Vir, aquam ex aëre ſequenti modô piſcatus fertur: Accepit vitrum in ſummitate patulum

inſtar

inſtar pateræ, infrà verò pedetentim acuminatum & clauſum. Vitro iſti magnam Argenti vivi indidit copiam ſive glaciem, ref. *D. Frid. Hoffman. in Op. de Method. Med. lib. 1. cap. 19.* inferiori autem cacumini ſupponens vitrum aliud pro excipulo, in æſtate ſummâ in terræ caverna profundiori id collocavit; quo facto ex frigiditate Argenti vivi (vel glaciei) calidus aër, reſolutus in aquam, exteriùs, per vitri latera, defluere in ſubjectam phialam cœpit.

Quid porrò? ſilices calcinatos nigros, dum adhuc calent, aëri committe & humiditatem repagulis ſolutis abundantiſſimè attrahent, quam per Retortam deſtilla & caput denuò aëri committe ad attrahendam humiditatem, in quâ ſi Sal Nitrum ſolvas & coagules, coagulatum tantas acquiret vires, ut duplo vel triplo plus fulminet, quàm ante impragnationem, quæ tamen ſæpius repeti debet. *D. Frid. Hoffmann. in Diſſert. de Method. Medend. p. m. 267.* Memorantem *Londini* Anno à N.C. 1658. & *Kifflerum*, D. duos, accepimus, fuiſſe, qui, ſpeculi cauſtici operâ, Solis radiis ſic ſilices calcinarent; quas cùm in edito ſive monte ſive turre aëri pariter libero, infundibulo contentas, expoſuiſſent, & ipſas copioſiſſimam, virtute magneticâ, aquam attraxiſſe ex aëre, rubeam illam quidem, ante ſolem exortum; ortô, albam. Quod experimenti *Doct. Frider. Clodio* literis communicavit *Johann. Morian Arnheimenſis*, ſcriptis d. 20. April. 1658. quarum, præcipuam partem excerptarum, facta nobis copia eſt.

Invenit *Fabricius Bartholetti* Pneumatolabium, (cujus & ipſam oſtendere effigiem habeo) Hujus inſtrumenti vitrei inferior tubulus è vitri medio propendens in nivis acervo eſt ſepeliendus. Poſtmodùm ex ore hominis ſani & benè nutriti per alterutrum roſtrum, ceu per vitream arteriam, intromittendus non expirando, aut efflando ſed ſimplici thoracis contractione ſpiritus eſt. Igitur per vitreos circulos intruſus halitus circulatuſque, frigidô magiſterio in aquam deſtillatur. Hanc in Urinali vitreo aperto concluſam ſub dio reponimus, quæ lentè evaporans in cryſtallos albicantes, capillorum modô diſpertitos, concreſcit, vid. dict. *Bartholetti libr. de Diſpnœa.*

De Camerâ Martiali ignitâ attrahente lege dict. *Joh. Chriſt. Steeb D. Elixir. Solis & vitæ §. 42.*

Aliter autem multò *Eglinus*. Qui ingentem è Vitro Retortam fervido ſabulo imponens ac folle aſſiduè inflans, id conſecutus demùm eſt, ut conſita velut undique guttulis videretur. Obſtructa iſta arctiſſimè os, ac diu noctuque, in Balneo Mariæ, per integram ſeptimanam conſtituta, tenue dedit hydrargyrum.

Fertur & noſtrâ memoriâ fuiſſe, qui, citante *Wilh. Chriſtoph. Kriegsmanno in Taaut p. m. 73.* Machinâ animatâ Mercurium ſibi compararet.

Non indignaberis, Lector, quod de globô ſulphureô, proximô à me annô, ex præſcripto *Dn. Ottonis Gerickii, Patrit. & Conſ. Magdeb.* confectô, paucis hic moneam.

Non is unâ tantùm virtute præditus eſt. Præterquam enim, quòd impulſivâ & conſervativâ, expulſivâ item ſonanteque atque calefaciente, nec non lucente denique polleat, peculiare id quoque habet, ut, cœlo frigido, humente aurâ attractâ, ambabus manibus prehenſus, maximum, velut è veſtigio rupturus, edat fragorem.

Ex his igitur, quos non unos jam allegavimus, modis, uter utri præferendus, Lector æquus judicet velim. Neque enim ſic comparati ſinguli ſunt, ut ſe omnibus probent juxtà atque commendent. Ego, ſi, quod ſentiam, expromendum nunc liberè fatendum quod abſque ullius præjudicio ſit, quantum quidem ad verum Magnetem univerſalem, non repugnaverim, ſi quis *Polon. Nobili, Sendivogio*, tulerit primas, ſive *Sethonio* verius, cui omninò aſſerendum videtur *Novum Chymicum Lumen*: cui & ipſe fidem non derogo, in Ænigmate, ſcribenti, quod annexuit: *Aër eſt veterum Philoſophorum materia. Hic eſt aqua roris noſtri, ex qua retrahitur ſal petræ Philoſophorum, quô omnes res creſcunt & nutriuntur. Eſtque Magnes noſter, quem in præcedentibus, Chalybem eſſe dixi: N. B. Aër generat Magnetem. Magnes verò generat vel apparere facit aërem noſtrum.*

Nam ſcimus Chymica doctrina, Salem produci in omnibus mundi partibus calore ipſius mundi naturali; qui dum agit in ipſum ſuum humidum, eum depaſcendo, ut nutriatur eô, humidum ipſum deſiccat; quod autem in ipſo naturali humido deſiccatum eſt, ſal eſt naturale & naturale rei cujuscunque; cum in id reſolvi nihil non poſſit. Hâc expertus ratione modoque ſum, quòd in Sale, quaſi ſpiritu univerſali corrificato, incombuſtibile quoddam, ſive ſecretum ignis ſit elementum, qui eaſdem cum primitivo igne actiones habet.

Hinc

Hinc non impoſſibilis utique Vegetabilium in Mineralia transmutatio ſtatuenda; ſicut neque jam Vegetabilium, jam Mineralium ab uno eodemque fermentali principio, pro diverſâ tantùm diſpoſitione, productio. Quam *Dn. Phil. Talducci à Domo, Generalis Architecturæ militaris per Regnum Bohemiæ præfectus, in Obſervatione Phyſico-Metallurgicâ*, & demonſtrat neceſſariisque confirmat experimentis, referente *D. Phil. Sachs à Lewenheim in Schol. ad Obſerv.* 113. *Miſcell. Curioſ. Ann.* 2. Neque enim Vegetabilia à Mineralibus differunt, niſi quòd illa ſunt volatilia, hæc fixiora & fixiſſima, ut Sol & Luna. *Georg. Horn. in Arca Moſ. pag. m.* 29.

Ex his jam omnibus concluſi: quòd, ſi cujusvis corporis quælibet externa forma mortificetur, & deinde ad univerſalitatis formam, quæ ſalina eſt, reducatur, Magnes fiet, qui nihil eſt aliud, quàm Sal fixum, ſeu Alcali, ſummè purificatum.

Quemadmodùm autem Salia omnia, per ignem & auram, in Nitrum ardens convertere licet: immò ipſum Nitrum ardentem vitam ſuam, ſublatam igne, perpetuò ex aëre conſequitur: ita, ac quùm Regia velut idem Solis progenies, ſive etiam Solis Ales Ægyptius ſit, omnium optimum, ſi ſit mei arbitrii res, ſubjectum id cenſeo, unde, ope carbonum pulveris, vel per ſe, figi Nitrum in igne, parariq́ue univerſalis ille Magnes facillimè queat. Quanquam ſi non præferendos, certè neque ſecundos illi exiſtimem cineres clavellatos, quorum & vis manifeſta, fixosque eſſe igne jam, omnium teſtimoniô, conſtat. Poſſunt hi enim, poſt fuſionem & depurationem, in puriſſimum nitidiſſimumque Salem converti, imò, quô de ipſe teſtari habeo, non ſemel expertus, non multô tempore, naturale in Nitrum, aëris beneficiô mutari. Videntur enim Alcalia omnia quodammodo typum repræſentare Philoſophorum Chaos, in quô, ajunt, reviviſcere eorum Mercurium; quod de Tartari Alcali habet *Tachenius, ad Hippocr. Chym. p. m.* 60.

Quæ & hujusmodi Salia Magnetica, ad univerſalitatis formam redacta, non ex aëre tantùm ſuaviſſimi ſaporis aquam attrahunt, in qua Spiritus & Sal mundi; ſed ex Minera quoque illa, quam ſuprà Haſſiacam memoravi. Magneſia Piemontana, Antimonio, Sulphure communi, carbonibus cùm vulgaribus, tùm bituminoſis &c. Tincturam puriſſimam ac, non alienum iſtud cum maximè illi, quem intendimus, ſcopo, ſive Aurum, ſeu Sulphur, quod quotidiè, beneficio ſolarium radiorum, ad nos defertur.

Sed neque 2. inferior Aura, i. e. Nitrum, non inferius tantum Aurum; ſed & noſter inſimul univerſaliſſimus Magnes eſt, ex aëre cùm (1) ſuperiore, tùm (2) inferiore, i. e. ex ſe ipſo, Aurum attrahens occultum Hermeticum, cujus cauſa Aureus idem Magnes *Baſilio* audit; quod (3) uni omnium Metallorum reſolutio, coagulatio item fixatioque, & prætereà nulli alii, adſcribenda. Equidem plerorumque, quos quidem ſcimus, involucris ſuis tecta parumque obvia ea de re commentatio eſt. Studebimus nos perſpicuitati, quantum licet, nihilque, quod ad nos, Lectorem morabimur, dignum quidem; de indigno ſoliciti parùm, quem, ut vindex DEUS eſt, aut, confidimus planè, non intellecturum, quæ legat, aut ſi intellecta quæ fuerint adhibere jam velit, minùs felicitate eſſe uſurum.


Igitur, (*primùm*) Nitro in genere inſignis ineſt ac notabilis aliqua vis, quæ res efficit, ut non Magneſia tantùm, (*4. Tractatu*,) *Sendivogio*, ſed & jam Magnes, jam Chalybs eidem dicatur, nullô habito diſcrimine (*Tract. 9. & in Epilogo.*) Oritur enim initio è ſaxeo quodam ſive foſſili Sale, qui Magnes ipſi, ſive attrahens: naſcitur & ex aërio atque igneo ſale: qui comparatè ferrum & chalybs atque attractum ipſi eſt. Teſtes non fodinæ tantùm, unde Nitrum eruitur, ſed, ubi & ipſum gignitur, inſuper loca quædam ſaxea ſunt. Poſſum & ego meam, ſi ſit opus, interponere fidem, qui, nuper admodùm eſt, cum ex martiali quodam lapide, eruto & ipſo *Haynæ*, ardens quoddam Nitrum, idque copioſiſſimum, extraxi, quod ſolutum coagulatumque in aëre fluxit, flavo oleo non abſimile. Cujusmodi, ſpontè in rupibus lapidibusque quibuſdam efflореſcens, Aphronitrum vocitari, *Encelius*, notat, *l. 2. de re metall. c. 15.* nec *Andreas* tacuit *Cæſalpinus lib. 1. de Metall. c. 20.*

Inventus & è Spiritu Nitri, in forma Salis non corroſivi, volatilis mihi Magnes, cui conficiundo peculiaris terra adhibita fuit. Non, in attrahendo ex aëre Mundi Spiritum, alterius præſentior fides, nec, quod idem exhibuit, intueri Phœnomenon aliàs licuit. Contigit hoc A. Æ. CIↃ DC LXXIII. d. 15. Sept. quem excipiebat, hora 11. noctis plenilunium. Effuſus, quô dixi, poſt meridiem, die, Magnes meus; aëri committebatur, cùm effluxis omninò tribus horis, exactiſſimè reſpondens Circulo, margine & ipſo orbiculari albo notabilis, ſe figura exeruit. Duriſſimum corpus, colore luteo, ſtellam referens, radiis intùs diſtinguebatur. Comitatæ pòſt paulò iſtam aliæ tres, quibus indoles, forma, color, omnia eadem, niſi eſſent minores. Duæ, ſed quæ & ipſæ magnitudine

BRITISH
NATURAL HISTORY.

Pag 135

Phoenomenon Magnetis Universalis



(D. 15 Septembr: Anno 1673.

gnitudine impares his, elapſo tot horarum ſpatio ferè, conſpiciebantur. Secuta tandem minima eſt, prioribus, formam ſi ſpectes, ſimillima. Objectum inter hæc diſcrimen & molle erat atque ſubflavum. Noctu, ſeptem hæc corpora ſtellarum, in unum aliquod ingens coëuntia, induruerant, ita tamen, ut diſtinctas nempè, cum ſuis radiis, figuras in his quatuor majores, utut circuli expertes, notare eſſet. Aggreſſus poſt hæc Mundi Spiritum attrahere Magnes, fermè biduo, in ſubflavum converſus totus Oleum eſt. Quale autem hîc vides, Phœnomenon fuit. Extat ibi duplici circulo (digno utroque, cui, quod Schemati ſuo, de Magno Lapide, Tractatui præmiſſo, inſerendum curavit *Baſilius Valentinus*, pari jure inſcriberetur: MIRABILITAS NATURÆ!) Extat, inquam, hoc duplici Circulo ⦶ri, notata antiquitùs tantùm ſimplici, Signatura.

Sed jam *alterum* etiam, quod propoſuimus nobis, videamus; Nempè attrahit univerſaliſſimus Magnes hic & ex ſe ipſo, in ſe latens, Hermeticum Aurum, efficiturque cum ipſo ſulphur rubeum, permanens Conjuncta enim in ipſo inſeparabili tria, ⊖. 🜍 & ☿ Philoſ. fœdere ſunt, quæ ſola Coctione perenni figuntur coagulata. Quin imò ⊖ centrale principium eſt, 🜍 & ☿ attrahens, quibus perficiatur.

Tertiò: Univerſaliſſimus hic Magnes & materia audit, unde Liquor ille *Alkabeſt Paracelſi Helmontiiq;* confici queat; qui eſt purus putus Naturæ ignis, non elementaris, ſed cœleſtis penitus & centralis ac incorruptibilis, omnia reducens, ſine diminuta ſui actione, in materiam rerum primam, & nullis verè fæcibus relictis; verè diſſolvens. Diverſam à nobis viam inſiſtunt, qui *Alkabeſt* præparaturi, ex minerali juxtà ac animali, vegetabili quoque regno conquirunt auxilia; fixis volatilibus horum ſalibus, (e. g. ♀. ✻ &c.) cum Acido minerali noſtro ⦶ conjunctis inque liquorem deſtillatis. At quid infinitis opus ambagibus eſt, tendere, quò rectà poſſis: laboribusque te fatigare, quibus queas ſuperſedere? Habes, ſi cupias, minerale, vegetabile atque animale, imò in omnibus iſtis regnis latè dominans ſubjectum catholicum noſtrum, quanquàm, ſi verum volumus fateri, tale non ſit, ſed Meteororum veriùs Mineraliumque Materia, quoddamque Vegetabilium Animaliumque omnium fomentum. Quæ cauſa eſt, cur confecturi noſtrum Menſtruum, τῶν ἀμφοῖν idem, quod dicitur, amplectamur. Eſt hoc una res ſive Monas illa *Hermetis*; Spiritus Vini *Arnoldi*; Lunariæ *Lullij* Spiritus; Liquor immortalis, Univerſale ſolvens, Arcanum ignis, Ignis

Aqua

Aqua *Helmontii*; Aqua-Ignis Mercurialis *Rovillaſci*; Draconis *Alberti* ſanguis; Aqua Saturnina & ſpiritus Mercurialis *Baſilii*; Acetum acerrimum, Virginis Lac; Pontica Aqua, ſicca *Sendivogii* aqua; Aqua Paradiſi *Iſaaci Hollandi*; Alkaheſt *Martin. Ruland. Mich. Toxitis & Paracelſi*; Latex ætherius (i. e. ein geiſtfeuriges Waſſer) *Kunradi a Khunrad*; Aqua vitæ non vitis, *Dom. de Nuyſement*, Ens primum *Flamelli* ex Abrahamo, Judæo; & ſine dubio Oleum Salis Mercuriale putrefactum alembicatumque in *Tumbâ Semiramidis Hermeticè ſigillatâ*. Cujus Libri, quicunque is fuerit, in hunc uſque latere diem maluit Autor. Sacrum hunc tamen Naturæ Curioſorum inclutæ eſſe Academiæ volens, cùm Collegas omnes, celeberrimos Viros, tum me ſibi ipſum mirè devinxit. Quô & nomine publicè, maxima gratia eſt, Illi quam habeam, conſecutusque mihi videbor voti ſummam, ſi, (quod auguror eſſe J. H. C. D.) denique & Nomen noſſe contigerit.

Equidem rejicit ille, (cap. 1.) Mineralia media ac Nitrum imprimis; fieri tamen potuit, uti, æquior iſti, crudum ac commune intelligeret: Cœterum, cùm ipſemet fateatur (c. 9.) Aquam noſtram fuiſſe in potentiâ Minerale, eſſe non ea aliud poteſt, niſi primum Ens ſalium, Sal nempe Naturæ, unde Nitrum minerale, utpote catholicum Sal incunabula habet, Nitrum mihi, ſuprà Virgineum dictum, nec invitô *Helmontiô*; cui & ipſi *Alkaheſt* primum conſtituit Salium Ens, *Tract. de Medic. m. p. 322.* ſummum item atque feliciſſimum Salium: *§. poteſtas.* Liquorem, porrò, ſuum Anonymus Autor ignem vocitat Philoſophicum, c. 6. qui, c. 7. Menſtruum ipſi igneum, & , meô animô; recte quidem quùm & ipſe *Helmontius* ſit, qui (d. l. p. 481.) Gehennæ ignem indigitet. Sal autem, ſecundum *Alphidium*, non eſt, niſi ignis, nec ignis, niſi ſulphur, nec ſulphur, niſi Mercurius. Et ſpecialiter in Nitro noſtro eſt ſumma caliditas, i. e. Spiritus infernalis, quô non datur in totâ rerum natura calidior: teſte *Baſilio*. Quòd ſi verò, quem laudamus jam totiens, nobiliſſimus Autor, præter ſpem, intellectum quid aliud velit, ac ✻ fortaſſe, (quod à multis Sal Mercuriale dicitur,) nil equidem de ſubjectoiſto, quod defendendum ſuſcepi, in poſterum muto: Cœterum (pace tanti Viri quod dixerim,) ſcire aveo: utrum ex materiâ illâ ſuâ elaboravit ipſemet *Alkaheſt*, hujusque ope confecerit, quæ de virtutibus ejus commemorat: (ſilentio enim præterire iſta omnia maluit.) Quod ſi ſic: tantis auſis gratulor meritò, in felicitatis aliqua parte numerans, contigiſſe mihi, quem hic ſequi liceat, Præceptorem: ſin, non minimam mihi conſecutus laudem videbor, ſi è noſtris fructum in Ipſum hac in re

aliquem,

aliquem, intellexero, redundaſſe. Eundem autem, maximè miror, tacuiſſe omninò, quô præparari modô nobiliſſimum ſuccum illum oporteat. Quâ in re ne inſtitiſſe quidem veſtigiis Veterum, nonnullis videbitur, quibus (quod ille diſcipulos ſuos jubebat aſſiduè) τὸ σκόπισον quidem cordi curæque, ſed non nimiùm, fuit. E quorum numero inpræſentiarum occurrit *Baſilius Valentinus*; quem unum iſta apertiſſimè proſecutum eſſe, negare nec poſſum, nec debeo certè. Sic enim quem dixi, in *Clave 5.* Materia, inquit, prima in principio operis noſtri optimè & perfectiſſimè eſt purificanda, deindè absque ulla additione ſeu admixtione ſolvenda, deſtruenda, in cinerem & pulverem redigenda, undè poſtmodùm expellendus eſt Spiritus volatilis, albus uti nix, & adhuc alius Spiritus volatilis rubeus, inſtar ſanguinis, qui duo tertium in ſe continent, & ſunt tantùm unicus ſpiritus, qui largitur vires & vitam &c. Cui comitem *Sendivogium* addam, qui & ipſe in *Tract. de Sulphure.* Vidit, inquit, Alchymiſta fontem aquæ plenum, circa quem deambulabant ⊖ cum 🜍 inter ſe altercando, donec ultimò cœperunt pugnare; & intulit Sal Sulphuri vulnus incurabile, ex quo vulnere locô ſanguinis aquâ quaſi lac candidiſſimum effluxit &c. Quorum cur me exempli pigeat, cauſa non eſt. Nonnulla igitur, eam in rem, ſequenti ſum capiti annexurus.

CAPUT VI.

De Modo attrahendi Aurum ex Aurâ.

PHiloſophis Metallorum Regem, Aurum, Solem appellare placuit, eò quòd Solis radii viſibili ac modô infinitô diſperſi, in uno Auri corpore inviſibiliter coadunati eſſent. Hoc Solis effluvium Scriptura Sacra appellare videtur מגד תבואת שמש pinguedinem ſeu florem ſtillantem Solis Deut. XXXIII, 14.

Equidem extant, ſuper Sulphure Solis terreſtris, diverſa autorum ſcripta; ſed, qui de attrahendi id modô ex primo fonte, aurâ ſcilicet, Solis radiis repletâ, verbulum ullum fecerit, non memini quenquam ſive id ignorantiâ forſan, ſeu, quod ſuſpicari & ipſum liceat, invidia factum. Et quanquam, ſeparatis & ipſos temporibus, de acquirendô ex aëre, Magnetum operâ, quos nonnulli ſibi peculiares excogitarunt, docuiſſe, nulli imus negatum, nondum vidimus tamen, qui

de Sulphure univerſali, quâque indipiſcendum id ratione commentatus hactenùs aliquid ſit, aut cum literato communicaverit, Orbe. Præter unum *D. Fabrum Monſpelienſem*, cujus iſta, ex *Hydrograph. Spagyr.c.XIV.* legi hîc volumus; in quibus videlicet ſuam apertè ille ſententiam prodit; dum: *In fonte*, ait, *Chymicorum eſſe partem fixam rubeam & albam in duplici differentiâ, rubea quæ ſit, Aurum Philoſophorum, & quæ alba ſit Argentum eorundem.* Cæterùm videtur hic, fontem ſuum de duabus ſubſtantiis, Salis habentibus naturam, ex unâ tamen eâdemque radice ortis, velle elicere. (*vid. c. XIII.*) quonomine non poſſumus nos facere cum ipſo, & rejicimus meritò, quam ille fovit, opinionem; nihil quicquam in *Nollianâ* deſiderantes quod calor & Balſamum Solis Magnete creatô comprehendi poſſit: (*in Prodr. Phyſ. Herm.*) Quibus enim quid apertiùs, procul omni obſcuritate, dici poterat? Sed aut magnetem ille modumque attrahendi penitùs ignoravit, aut, ut ſolent plerumque iſti arcanorum ſuorum retinentiſſimi eſſe, in vulgus noluit propalare.

Quod & ipſemet factitare continereque intra ſcrinia adeoque ſupprimere omninò poteram inventum hoc meum; ſed non id, inſerviendi aliis, proprium ac ſolenne mihi, tum ardor quoque, atque, ad idem illos ſtudium excitandi, contentio ſanè improba à me impetrari permiſerunt; ut qui ſubindè in animo verſabar *Gellianum* ſcitè admodùm dictum: qui Qui loqui vult, quod nemo intelligat, magnam rem præſtat, ſi taceat.

Age itaque 1. ad attrahendum Aurum Auræ Hermeticum ex aurâ ſuperiore, compara tibi ſis magnetem, album illum eundemque puriſſimum; quo de præcedens tibi caput, ſi voles, loquetur. Sint deindè decocti lateres quatuor, quos intra crucibulum, cui continetur ille, ſuppoſito igne, cœlo ſereno, ne corruat, coherceatur. Quo facto, iſtum, quem dixi, magnetem, brevi admodùm tempore, reviviſcere velut moverique atque minutorum quaſi centum ſpatio, Sulphur aureum, Aurum Auræ mihi dictum, ex Aura videbis attrahere: intùs & extra magnete colorem herbeum, eumque ſummum, poſteaquam autem fuerit refrigeratus, cœruleum, qualisque eſſe Erani ſolet, aſſumente. Quod non ſine ſummo viſentium ſtupore fieri conſuevit.

Cæterùm, experiri volentibus non inutile fuerit, uti mediis quibusdam, cùm magnete maximè diſponendo, tùm regendo cumprimis igni idoneis, quæ ſanè operoſiùs deſcribuntur, quàm exhibentur. Quòd ſi manum tamen ipſe admoveris, ſecutus velut indicem, illa, quibus te

in-

inſtruximus ſatis hactenus, cogniturum te media, perventurumque illuc via multò faciliori, quam nos in ipſam modi velut arcem penetravimus, nulli dubitamus.

2. Quantum, deindè, ad attractionem ex Aurâ inferiore, noſtro ſcilicet Nitro, Auri inferioris Hermetici: non id tantùm ſubjectum in ſe eſſe Magnetem; ſed & in ſe ipſum etiam Hermeticum Aurum continere, ſuprà meminimus. Quæ cum ita ſint, non jam utique deeſt Magneti, ſive corpori ſalis puriſſimo, ſpiritum ſuum, in quo Aurum Hermeticum latet, attrahendi, retinendique, ſua vis: unumque cum his fieri volatile, ac demum, repetitâ conjunctione atque attractione, verus Liquor *Alkaheſt* deſtillari non nequit. Quod ipſum, ſubjecturi quæ ſumus, *Triſmegiſtus* verbis his docet: *In hoc à terra aſcendit in cælum, hoc à terra & à cælo rursùs in terrã deſcendit, &c. quod omnia ſubtilia craſſa penetrare & ſubigere poteſt.* Ac in partes hîc iterum aſciſcendus nobis *Baſilius* eſt. Quid aliud enim volatilis ille albusque, nivis inſtar, Spiritus ipſi, *Clave* 5. niſi ſublimatus quidam Sal? quidve Spiritus volatilis rubeus, niſi ipſiſſimus Nitri ſpiritus? (qui dum deſtillatur, vapori puniceo ſimilis, tranſcendit.)

Nec in Experimentis, *Lullius* contradicit, ubi, ſub velamine Salis Tartari volatilis, pleniſſimè tradidit hunc laborem. Unô verbô: *In noſtro magiſterio primò facimus de groſſô gracilè, i. e. de corpore Spiritum, de humido ſiccum, de aquâ terram, ſic naturas convertimus & facimus ſuperius inferius: quod fit, quùm Spiritus efficitur corpus & è converſo corpus fit Spiritus.*

Ita igitur habeo, itaque animum induco meum, Liquorem *Alkaheſt* præparari ritiſſimè, ſi Nitrum, (vel materia illa noſtra, ſummô ſtudîo purificata,) peculiari modô regeneratum, cum iterum iterumque rectificato ſpiritu ſuo, certâ quantitate unitum putrefactumque in balneo, deſtilletur, cohobetur ac ſublimetur: cum novo deinde Spiritu cohobetur, iteratisque ſubindè cohobationibus, dum butyri inſtar, coagulabilis frigido, aqua lactea fiat, deſtilletur tandemque rectificetur.

Non hæc autem factu facilia ſunt, & expertum artificem inſignemque Philoſophum ſibi volunt. Quam in rem *Dn. Joh. Baptiſtæ van Helmont in Tract. de Ortu Med. p.m. 52.* hæc verba apprimè tenenda: *Cùm Liquor Alkaheſt ſit tædioſiſſimæ præparationis, nemo, & ſi artis gnarus fuerit, ad ejus conſecutionem perveniet, quem Altiſſimus ſpeciali donô non eò deduxerit.*

Poteſt & , imprimis hôc nomine, Menſtruum noſtrum vocari Univerſaliſſimus Magnes, quòd cum ☉, tum cætera Metalla omnia attrahendo, ea radicaliter, nullâque vi ſolvat; cæterum perfectis cum metallis conjunctionem unicè amet.

CAPUT VII.

De Tempore attrahendi Aurum Auræ.

Auctor in libris ſuis *de triplici vitâ*, *Marſilius Ficinus Canonicus Florentinus*, (qui ſolius Platonis imaginē in cubiculo habebat & ante eandem dies noctesque lampadem ardentem perpetuô ſuſpendebat: referente *Hatting. in Dryad. Eccleſ. c. 12. p. 75.*) in eoque multus maximè eſt: *in conciliandis cæleſtibus Gratiis ſive pro materia metallorum, ſive herbarum &c. ante omnia Lunam eſſe conſiderandam, ut ſit in manſione ſuâ, operi optato, convenienti, nec non in ſigno & aſpectu ad illam gratiam, quam tibi contendis expetisque. Deindè, ut Sol ſit benigno aſpectu copulatus Lunæ, & in domo iſtius Planetæ & in benigno aſpectu iſtius gratiæ, cujus influxum procuras.* Et quæ ſequuntur.

Quid? quod *P. Schottus* (*in TechnicâCurioſ. l. 9. propoſ. 26.*) Chronometricis inſtrumentis applicaturus Indicem Spagyricum eſt, materiæ Hermeticæ eligendæ tempora determinaturum.

Neque tacendum h. l. & iſtud videtur, haud ita multò antè, Ænigma communicatum mihi ſecretò fuiſſe, in quo eſt hæc ſententia: *Quær. Quale Animal? In cæli plagâ Septentrionali conſpicitur Animal ſeptem lucidis ſtellis inter alias ſignatum, quod habet correſpondentiam cum terreſtri ejuſdem naturæ. Sumatur, Marte exiſtente in domo Solis, cujus filia cibetur ſanguine fratrum ſuorum: unoquôque exiſtente in proprio domicilio, ut creſcat: hocque Sole exiſtente in domo Martis. Hæc juvencula ſubmergitur à ſorore ſua habitante in propriâ manſione per numerum maternæ cæleſtis ſignaturæ.* Sed religioni ducimus, ſcrupum iſtum tàm dignorum, quàm indignorum pariter, auribus exponere, profanareque, quam tectam eſſe, cumprimis, quiſquis eſt Autor hîc ille, voluit, Arcani profectò non vulgaris & momenti maximi rem.

Non poſſum non tamen cum *Galil. Galilæi Nob. Florent. in ſuis Nov-Antiquis Sanctiſſ. Patrum p. m. 56.* iſtud dicere: Non credo, che ſara lontano dal ben' filoſofare, il dire, Che egli, come Miniſtro maſſimo della Natura, & in certo modo, Anima è cuore del Mondo, infonde agl altri corpi,

corpi,che lo circondano, non ſolo la Luce, ma il Moto ancora, &c. Nam ſolo lumine & motu cœlum influere, multis rationibus probavit *Alexand. de Vincentinis, de Cœli influxu in ſublunaria. c. V.* Imprimis mirandam vim & energiam ſolis deſcripſit latius *Dionyſ. Areop. in libr. de Divin. Nominibus.*

Itaque Sphæra Solis duplici ratione vivificum excitat calorem, primò quidem & principaliter Sole, Aſtrorum maximo, ſuis radiis illuſtrante omnia; deindè perenni ac continuâ motione corpora intercluſa diſtrahente.

Quantumvis autem 1. Aura vel aër ſuperior à Sole quotidiè accendatur, undè Lux diem faciens, ortum ducit, multò ſubtilior, quàm quæ ex aquâ vitæ accenſa *Petr. Borell. Obſ. Medico-Phyſ. 3.* quum tamen temporis calor non eôdem modô & ſemper vigeat (nam Autumno & Hieme ferè languet, extinguiturque; Vere autem æſtateque creſcit ille ac intenditur;) adhæc natura non tam ſigni cœleſtis, quàm propinquitas & rectitudo Solis ſuprà noſtros vertices, cauſa eſſe caliditatis non hodiè demum credita ſit, copioſiſſimè rectiſſimèque ſolare Sulphur, ſive Aurum Auræ, Sole Cancrum, ſive Virginem, ſive omnium optimè, Leonem ingrediente, quovis, ſeu matutinô: ſeu meridianô quoque tempore, attrahitur. Quod meômet probatum exemplo ire hîc poſſum iterum, ſi ſic poſtulet res. Die enim X. Martii anni 1673. Sole Arietem ingreſſo, meum uſitatò ponens Magnetem, vix volam, quod ajunt, vel veſtigium Leonis viridis reperi, ac vix de colore ſuo, quem album ab initio habuerat, quicquam ille mutavit. Utut, per duas ferè horas igni fuerat domitus. Die XXIX ejuſd. Menſis experimentum idem iterum cepi, majoremque Auri Auræ conſecutus ſum vim. Undè quis non advertit, quantum momenti ad eam rem cum apricitas diei, tum calidior anni pars afferant?

2. Sed de Tempore quoque attrahendi Aurum Auræ inferioris tenendum hoc fuerit, momenti rem eſſe, quô puriſſimum corpus ſalinum Nitri Spiritum attrahit. Ne quid autem, quò minùs conjungantur, impediat, ſeparandæ ſunt fæces. Quod non, niſi putrefactionis ſublimationisque, Veris tempore, i. e. calore modicô, ſuſceptæ operâ, rectiùs obtinebis. Tempus enim vernale convenit ſublimationi: *Platon. Quartorum Comment. l. 3. §. nunc erit.* Cui rei bimeſtre minimùm, aut plus etiam temporis, tribuendum.

Quô

Quô verô tempore coctionis Liquoris vel Magnetis noſtri Aurum Argentumve addenda ſunt illi? Placet, conducereque non parùm exiſtimatur concoctionis principium. Quia in his Metallis perfectis ſunt radii tingentes & 🜍 rubeum & album, quæ reperiuntur & ſunt in ☿ noſtro. Unum enim alterius ſemper Magnes exiſtit, manetque ſolvens cum ſoluto, propter ſubſtantiæ ſimilitudinem. Et quemadmodum antiquiſſimi Philoſophorum, in initio & medio, univerſalitatis ſemper rationem habentes, in fine tantum Univerſale ſcopo particulari deſtinatum determinarunt: Sic, ex ſolo liquore *Alkabeſt*, Lapidem Philoſophicum confici poſſe, curandis ut morbis faciat, conſtanter aſſerimus; *qui ultimô cum Auro vulgi, adſcopum transformatorium connectitur & permiſcetur, non ut perficiatur ab Auro, ſed ut Aurum perficiatur ab ipſo Lapide noſtro, fœcundum & vivum reddatur, ita ut procreet ſibi ſimile & propaget progeniem ſuam in infinitum.* Quam in rem *Petri Joh. Fabri, Conſil. & Medic. Reg. Gall.* in non utiliter legi poteſt *Tractatus*, (quem FRIDERICO, Holſatiæ DUCI, gratificaturus d. 15. Maji A. O.R. cIↃ IↃc LIII. confecerit:) *c.* 12. & 30. Utut dubium mihi fiat, utrum ſcriptum hoc, cujus ſimile forſan non extat & ob id rariſſimum, lucem unquam adſpexerit.

CAPUT VIII.

De Coloribus Auri Auræ.

VOcârunt &, inter cætera, Leonem Philoſophi viridem, Materiem univerſaliſſimam ſuam. Quô plerique Chymicorum moti, ſubjectum, quod ad externum colorum & ipſum viride quæſiverunt. Arripuerunt nonnulli avidis oculis manibusq; hìc ſpumam viridem illam, primo vere aquis non fluentibus innatantem. Hanc aviculam (Waſſer-Vogel) terramque Adamicam nuncupare placuit. Spiritum indè volatilem, ⊖ volatile, fœtorisque-malè oleum, Materiam Lapidis videlicet Philoſophici, præparârunt.

Communicavit jam mecum *Dn. D. Chriſtoph. Bauzmannus, Regiminis Suec. apud Bremenſ. Medicus Ord.* Situlæ cujuſdam in ſummo opertæ pluviâq; refertæ, effigiem. Follibus, qui omninò, appoſiti ſunt duo, meridianô, fervidiſſimô diei tempore, Sole Leonem ingreſsô, puriſſima quædam pinguisq;, eademq; materia viridis, quam & ipſe *Bauzmannus* Aurum Auræ exiſtimat, plurimumq; in eâ momenti poſitum habet,) ex aëre attrahitur. Cujus autem cùm periculum nondum fecerim, neq; judicium hìc meum interponere audeo: Servans interim inſtar operis illius, quod dixi, cum proceſſu; quem, non ita pridem VIR ſummus mihi munus dedit habendum.

Si

Si quicquam, credimus *Henrico Khunrado*, offendiſſe ſe ille, *in Theatr. Æternæ Sapientiæ, p. m. 147.* apud quendam. Leonem viridem, univerſalis qui eſſet, ejuſdemque ſanginem, h. e. non vulgare Aurum, memorat, ſed vidiſſe ſe ſuis oculis ait; contrectâſſe etiam manibus, linguâ porrò guſtâſſe atque ad extremum Sapientum Aurum percepiſſe odore. Idem etiam de iſthoc, quod jure meo mihi vendico, Auro Auræ ſuperioris, ſeu Leone viridi affirmare habeo profectò. O benedicta Viriditas, gyrans per univerſum, cujus centrum ubique, peripheria verò diffuſa per omnes naturæ abyſſos!

Quod nec ipſum diffitebitur, opinor, *Joh. Agricola, in Popp. Commentario*, ſic ſcribens. *p. m. 15.* Vertitur hæc ritiſſimè in Aurum noſtrum Viriditas. Sed non abs re ignoraſſe mihi ille videtur, quonam præparari iſtud debeat modô. At enim experimento verba hæc noſtro apprimè conveniunt.

Nam & primò ille viriditatem; colorem deindè cœruleum, ad ultimum autem purpureum induit. Ubi notes velim: ſi viridi in Magnete Leoni paulò fortiorem ignem ſuppoſueris, repetere eundem chaos ſuum, linquereque, quem occupaturus alias fuerat, nidum, i. e. Magnetem vacuum prorſùs, qualisque antè erat, quod non parùm mireris, album. Maturè igitur & dum calet adhuc, imbutum Leone viridi Magnetem, mortario infuſum, contunde. Quod ſi ſolvi fontanâ hunc aquâ patiare, viridis fiet, ſic tamen, uti mox in pulverem Leo ille purpureum præcipitetur, qui abluitur. Pari ratione, ſi redactô in pulverem Magnete vini Spiritum infuderis, digerique iſta permiſeris leniter, viridis, quem jam aliquoties nominamus, Leonis hic ſanguinem, ſive Sulphur aureum formâ rubrâ extrahet; præparando Auræ Auro potabili, aſſervandum probè; de quo ſermo jam in ſequentibus nobis inſtituetur.

2. Habet & colorem ſuum Aurum Auræ inferioris, i. e. Nitrum noſtrum. Ac albô quidem roſeoque Antiquorum ac *Dioſcoridis* illud fuit, in Ægypto quod naſcitur, plerumque rubrum fertur *Proſpero Alpin. de Medicin. Ægypt. l. 4. p. m. 148. a.* Nobis in uſu quod eſt, ſeſe albô commendat, animâ intus purpureâ, (Aurô Auræ Hermeticô, latitante; ſed quæ Vulcani artificio expelli poteſt, nec, niſi ipſiſſimus Draconis aureus Cruor, in Salamandram, igne vivacem, mutabilis, quicquam aliud eſt. Quicquid *Robertus Boyle, in Tentam. Phyſiol. p. m. 199.* obſcurando iſti, afferat. Et quid opus eſt verbis? Nonne Sal Nitri (*Lexic. Chemic. Guilielm. Johnſonii.* Londini, A. C. CIↃ IↃC LII. excuſum typis,) Sanguinea

guinea illa? Nonne ſuffragiô nitimur *D. Johann. Becheri*? qui, *Phyſ. ſubterr. l. 1. ſ. 5. c. 2. n. 109.* Sulphur Nitro tingens adſcribit. Ne aurifabros accerſamus, quibus certius nihil, quàm crudum etiam Nitrum Tincturam, Auroque familiariſſimum & gratiſſimum in ſe Spiritum continere, eò, quòd Auro pallido cum aquâ illitum, in parvo igne illud amicabili tincturâ ſanguineôque rubore profundere poteſt.

Sic &, quando *Alkaheſt* noſter per ſe coquitur, tùm & colores perfectos acquirit, inter quos eſt albedo & ultimò rubedo: ut clariſſimum eſt per omnes Autores, qui Lapidem noſtrum noverunt; ejusque confectionem perfecerunt, ratione & arte Chymicâ conducti.

CAPUT IX.

De AURO AURÆ, POTABILI.

DUplicem *Hornius (Dedic. in Bernh. innov.)* Medicinam Philoſophorum ſtatuit: Materiam verè & ſimpliciter univerſalem alteram, (vulgò, Lapidem catholicum magnum univerſaliſſimumque:) alteram ferè & ſecundum quid univerſalem, aliô nomine Lapidem catholicum parvum & Tincturam metallicam; hujusque, ex quibus præparetur, diverſas materias eſſe: Illius inventorem *Hermetem* Ægyptium: hujus *Geberem* Arabem celebrari. Materiam illius Solem cœleſtem; terreſtrem hujus, ſive Aurum gaudere utramque ſuo Magnete, cujus illa auxiliis, de potentiâ, uti loquuntur, in actum vimq; multiplicativam reducatur.

Non faciunt hæc ad palatum *Johanni Reſchio in experiment. Oſiandr. de Sole p. m. 119.* eoqúe illam ille ſententiam reſpuit. Verùm enim verò, qui ſuô quodam reſpectu, fundamento careat, ſanè ego non video. Nam Mercurio noſtro cum Auro arcta adeò cognatio intercedit, ut magni nominis Philoſophus de eo ſcriptum reliquerit, *Aurum nihil aliud eſſe, quàm Mercurium iſtum æthereum, in puro quodam loco ſummè coagulatum & ad perfectam fixationem redactum, vid. præf. D. Joel. Langellott. in D. Johann. Tilemanni Experimenta*: & ſi nondum horum oblitus, Lector optime, es, quæ, de attractione prodita hactenus; nec dum excidere iſta animo potuiſſe, credibile eſt.

1 Solis Sulphur & Aurum Auræ ſuperioris ſponte ſequi Magnetem. Indè igitur paraturus potabile Aurum, præcipitatum Sulphur aureum adhibens, ablue, ſociatumque cum Mundi Spiritu, ex præſcripto artis, ſuſtine figere. Aut, ſi rudis horum ignarusque omnium es, deſtilla

tinctum Auræ Auro vini Spiritum, quoad ejus quarta quidem ſuperfuerit pars, habebiſque reſiduum Aurum videlicet potabile gratiſſimi ob rubedinem aſpectûs. Quod quamvis initiô ſalſedinem aliquam præferat, quam, qui guſtarit, linguâ percepturus facilè eſt, ſidit tamen, interpoſitis diebus aliquot, limpidæ inſtar, Magnes, tincturâ innatante, quam, depletam, à Solis radiis in vitro munieris probè. Ad Solem enim expoſitum Aurum iſtud, paucos intra dies, decolor redditur. Unde, Solem Aurum hoc Auræ retrahere, Sole clariùs patet meridianô.

Ac veluti *Cap. 3.* aquâ, deſtillatâ ex Nitro, Animam aſtruxi eſſe vivificantem, quæ in debito ſubjecto incorporetur: ita cum eâdem Aurum Auræ, meum, quod dixi, conjungi figique, atque ex utroque, præſtantius, efficaciusque quod ſit, Aurum effici potabile queat.

2. Pari ratione Aurum ex Aurâ inferiore, ſeu Nitro noſtro, fieri potabile poteſt: ſi ſcil. *Alkabeſt* in ſummam rubedinem per ſe figas, aut, initiô ſtatim, cum metallico Auro purgato conjungas, inque perficias lapidem: quod in omnibus liquoribus, Medicinæ in uſum, ſolvi poſſe, non hodiè demùm credi cœpit. Nam *Alkabeſt*, in quo, (uti dictum ſuperiùs,) illa anima Nitri latitat, quæ etiam appellatur Sol & Luna abſcondita Spiritualis, Sulphur naturæ inviſibile, & aurum Philoſophorum vivum, reſolvit potenter Aurum corporale metallicum, & tunc Aurum, cum Auro mixtum, in naturâ ſubjecti, Aurum illud ſpirituale corporale hoc vivificat; & Aurum hoc corporale illud ſpirituale ingroſſat & ſic fit Spiritus Corpus, & Corpus fit Spiritus, & ambo ſimùl unum Spirituale & inſeparabile &c.

Quæ ſi verô videntur abeſſe: num &; Nitri nimirùm crudi purgati, (vel veriùs peculiari modô regenerati,) ope, Sulphura ex Metallicô Aurô, horæ unius morulâ, nulloque penè negotio extrahi poſſe; num, inquam, & iſtud, Lector, tale videbitur? Multò magis, opinor. Nihilominùs res, uti dixi, ſe habet: neque enim hodiè demùm iſtud, aut heri; expertus multoties ſum. Et vix ſeptimana una aut altera labitur, cùm, præſentibus nonnullis Amicis meis, metalla ex ordine ſingula ſic probo, efficioque, uti, extractis ex uno quolibet, injecto ſeorſim crucibulo patulo, ſulphuribus ſuis, interpoſito horarum aliquot ſpatio, potabilia jam eſſent; iiſdemque, inter alia, Lunæ purpureum quoque exhibeo Sulphur ac tale prorſus, quale vel Solis unquam ſive Veneris porrò, ſeu & ipſum Martis denique queat deprehendi ut ſic rectè ſcripſerit, qui ſe *Philalethæ* nomine Orbi commendare literario voluit: In omnibus Metallis vulgi Solem noſtrum; at in Auro Argentoque propinquiùs contineri,

Ergò ô felix terque felix ille Artifex, qui conſequitur à clementiſſimâ ſummi Jehovæ benedictione artem conficiendi præparandique SAL iſtud quaſi divinum, cujus efficaci operatione corpus metallicum ſive minerale corrumpitur, deſtruitur, demoritur: anima tamen ipſius interim revivificatur ad glorioſam corporisPhiloſophici reſurrectionem! uti exclamat *D. Job. Frid. Helvetius in Vitulo Aur. p. m. 15.*

CAPUT X.

De Virtutibus Auri Auræ in Regno Animali.

QUibus vitalem in juvenibus Spiritum (qui eſt humidum & calidum radicale, mumia innata, & ſedem in medio hominis corde habet, tanquam ſuſtentaculum omnis vitæ noſtræ) conſervare, in ſenibus verò languentem reſtaurare & eos velut ad juventutem reducere, quoad vires, ſicque vitam hominis in ſummam adducere ſanitatem volentibus eſt, opus his erit, quærere non elementalem, ſed calorem illum cœleſtem Solis & Lunæ, habitantẽ in incorruptibiliori ſubſtantiâ, ſub Lunæ globo reperibili, hunc calori vel Spiritui noſtro ſimilem reddere, quod fit, cùm in medicinam & cibum ſuaviſſimum præparatus fuerit; ita ut per os aſſumtus ſtatim in humanum penetret corpus, rem omnem, maximè carnem, ſibi unitam teneat incorruptam, virtutem & ſpiritum vitæ nutriat, augeat & reſtauret, omne crudum digerat, omnem exceſſum cujuscunque qualitatis amputet, humidum naturale faciat abundare, & calorem vel ignem naturalem debilem, confortandum inflammandumque atque augmentandum procuret. *Vid. Oſw. Croll. in Præfat. Admon. ſuæ Baſilicæ Chymicæ præfix. p. m. 101.*

Hujusmodi Medicinæ *Petr. Poterius* meminit, *Conſil. & Medic. Regis Chriſtian. in Pharm. Spagyr. l. 3. append. p. m. 602.* Hoc ſi univerſale, inquit, deſideras (medicamentum,) fac ut Solis ſplendore illuſtretur, cujus influentiâ non tantùm ejus tenebræ removentur, verùm & ejus beneficio calore illius compacta materia attenuatur & verè fermentatur.

Quemadmodùm ergò Aurum Auræ hoc meum Solis calori natales velut ortumque debet: ita ſi cum Spiritu vel Sale Mundi, non ex Magneſiâ tantùm ſuâ, ſed ex radiis quoque Lunæ erutum, atque ob id Lunaria à Philoſophis cognominatum, conjungendum figendumque id ſit, quis dubitet verò, omnium, quotquot ſunt eruntve præſtantiſſimam Mundo Medicinam promitti reque ipsâ fieri poſſe? Conf. *Robert. de Fluctibus*

cap.

cap.5.l.1.de Uromantiâ, & Minſichtium, in deſcriptâ Unicornu mineralis præparatione, cui imprimis Sal aërium nitroſum adhibet.

Annus jam non ampliùs unus præterlabitur, ex quo, conſervantis cujuſdam ſaporis dulciſſimi Salis ope, ex ſanguine meo confeci Thermometrum. In quo hodieq; nihil ille ſanguis meus fuit mutatus, ſive naturam ſeu colorem etiam ſpectes, duraturusque ad ultimum uſque vitæ meæ halitum eſt. Ecquid verò tibi videtur? Mihi hîc quidem nullum dubium fit, ſi, tantô extra corpus temporis intervallo, ſanguis poteſt humanus ſervari, in ipſo præſtari id corpore potiùs, unito cumprimis cum Sale, ut ſuperiùs dicebamus, Mundi univerſali, Auræ Auro ſive ſulphure aureo.

Sed jam contemplabimur mentis acie 1. Auri Auræ ſuperioris in Regno Animali virtutes, quibuſque præſertim fugandis morbis faciat id. Invento enim non à me tantum Auro Auræ potabili; ſed & Spiritu Mundi: Mundique cumprimis, deniqúe; Balſamum præparandi viâ cognita, cum publicè facere Medicinam, perſona, quam gererem, alienum noviſſem; commodè animo meo occurrit Excellentiſſimus VIR, *Dn. Melchior* Griebe/ *Præfecturæ Elect. Sax.* (*mihi demandatæ*) *Medicus juratus, Collega Honoratiſſimus meus*, cui & darem iſta rectius, quæ paraſſem, medicamenta, quique, in deſperatiſſimis quibusque morbis, referret, quem præcipue fructum eorum cognoviſſet. Quod, cùm annuum intra ſpatium, diligentiſſimè & cum curâ præſtitit hactenus, tùm non pauca etiam conſignavit. E quibus, indiſcriminatim & nullô ordine, Lector, haud indignaberis, quòd nonnulla, ipſius Medici verbis, legi hîc velim:

Uxor Electoralis Præfecti Zabeltizenſis, *Dn. Chriſtiani Pölingii*, Menſe Aprilis, ſexto poſt partum die, febre acutâ, lochiis indebitè fluentibus, corrumpitur, cum horrore inſigni, quem excepit calor intenſiſſimus, ſitis, lipothymia, capitis dolor, cordis anguſtia, mammillarum inflammatio, tibiæ utriusque pungens dolor & vomitus. Morbi periculum tùm ex ſymptomatum cumulo, tùm themate Geomantico eum in finem erecto cùm cernerem, ſtatim venam ſaphænam dextri, altero die ſiniſtri tali ſecandam curavi, propter lochia ſuppreſſa & indè ſubſecuta ſymptomata. Dolor pungens tibiarum, eductô ſanguine, ſtatim remiſit, reliqui affectus perdurarunt. Recruduit omne malum horis pomeridianis ad delirium uſque. Adhibebantur Bezoardica, Julapia & varia ad rem pertinentia, tandem

etiam Spiritus Mundi, cujus beneficio pectoris anguſtia, difficultasque reſpirandi & reliqua ſymptomata ità benigniora apparebant, ut jam optimâ fruatur valetudine.

Menſe Junio hunc Spiritum prægnanti in reſpirationis difficultate ex uteri aſcenſu ortâ, cum calore præternaturali, adhibui, ſumptô eô, reſpiratio mox erat facilior & calor remiſſior.

In febre Hecticâ phthiſi conjunctâ cum difficultate reſpirandi, reſpirationem facilitaſſe Spiritum Mundi, Menſe Julio, adhuc profitetur vidua hujus urbis paupercula.

Filiæ trium annorum, *Matthæi Hermanni*, Civis hujus urbis, diuturnam tuſſim expertæ, quater de die, & quidem ſingulis vicibus octo guttulas tincturæ Auri Auræ, in paucâ dedimus cereviſiâ, quia alia medicamenta reſpuebat, eâ nocte, à tuſſi immani non amplius adeò vehementer divexata, dormiebat. Nec ſequentibus diebus uſum tincturæ hujus omiſimus cum meliori ſucceſſu.

In febre tertianâ nonnullis, finito nempè horrore, & calore jam invadente, dedi Cochl. dimid. Spiritus Mundi, ut experimentum facerem, quid valeret. Mox ſumptô eô calor remiſit intenſior ad multas aliàs perdurans horas.

Nobiliſſimi & Strenui *Dni à Milkauvv, Hæreditarii* in Merʒdorff Filia ſedecim annorum, Menſe Auguſto incidit in itinere in febrim acutam, cum ſiti vehementiſſimâ, linguæ intumeſcentiâ, ardore faucium intolerabili, anhelitûs difficultate, delirio & omnium virium jacturâ. Sexies adhibitô Spiritu Mundi cum Tinctura Auri Auræ, non neglectis inſuper Julapiis, pulveribusque bezoardicis, omnia remiſerunt ſymptomata periculoſiſſima. Et fatebatur poſt reſtitutionem nobiliſſima Virgo, Spiritum Mundi optimum fuiſſe medicamentum ad debellandum morbum.

Illuſtris Baroniſſa merè ſcorbutica & ab hujus mali ſymptomatibus, capitis nimirum & oculorum dolore, ruboreque, cordis palpitatione, hypochondriorum tenſione & indè enato anxio volarum manus utriusque madore ſæpius divexata, quotiescunque Spiritus Mundi cochlear ſemis, etiam gravida, delibaret, non ſolùm prædicta ſymptomata, & ſomnia phantaſtica, ceſſabant, verùm etiam noctes, quas aliàs inquietè conſumſit, nunc placidè tranſigat. Huic tertio poſt partum die lochia ſubſiſtebant, inde calor & ſitis, intenſiùs, vigiliæ nocturnæ & lipothymiæ ſæpius recurrentes, vires frangebant. Reliquis prius parùm

rùm juvantibus, tandem Spiritui huic locum conceſſimus & magnum dictorum ſymptomatum levamen percepimus, ità ut ſeptimo die lochia debitè iterum fluerent.

In ſerpigine, impetigine ſeu lichene Spiritus Mundi extra adhibitus, ſuum illinendo facit officium, exſiccat enim, calorem præſentem tollit, dolorificum lenit pruritum, & ita hoc agendo, omne opus perficit. Quod verum deprehendit *Dn. Gablerus* Pharmacopœus & Senator Haynenſis, in digito.

Honeſta vidua in labiorum ſerpigine ex ſæpiùs reiteratâ illinitione effectum, multis aliis aliàs expertis, ſed hîc in caſſum adhibitis, vidit mirabilem.

Et quod in hiſce præſtitit, id & in ſcabie poſſe, ipſe ſum expertus. Quotiescunque enim diu noctuque manum ſcabioſam aliquoties illinivi, toties etiam deprehendi, puſtulas ita ſubſequentibus diebus fuiſſe exſiccatas, ut ſine damno deſcalpere potuerim.

Civis nunc temporis primarius Haynenſis, in bello Hungarico miles, febre Hungaricâ laboravit, finitô bellô rediit in patriam nondum integrè reſtitutus. Pro incolumi, poſt medicamentorum uſum, habebatur: Sed inito conjugio podagra & chiragra laborare cœpit. Per varios annos varia adhibuit medicamenta. In caſſum. Ad Spiritum tandem Mundi & Tincturam Auri Auræ refugium, noſtrô conſiliô, ſumſit. Uſus hujus cottidianus non ſolùm dolorem coërcuit immanem, tempore paroxyſmi, & calorem aliàs intenſiorem lenivit; ſed & arenulas, rubras ab initio, poſteà calculos croceos & materiam albam Tartaream, viſcoſamque cottidiè per urinam excrevit, ſæpius copioſiusque, quod aliàs in tanta copia non factum, minxit. Inde Spiritum hunc cum Tinctura, pro diuretico lithontriptico habeo non contemnendo. Et ab eo tempore, quo hôc Spiritu utitur, peſſimum malum, quamvis menſtruatim, uti aliàs ingruere ſolebat, pulſaret fores leviter, vires intolerabiles exſerere nunquam valuit. Mira narrabo, quæ Spiritum Mundi ſudoriferum eſſe affirmabunt. Quodam tempore inſeſſum calidæ ſuadebam, ante ejus ingreſſum ſumſit ſuprà dictam quantitatem Spiritus Mundi cum Tinctura Auri Auræ, poſt egreſſum apparebant per totius corporis ambitum puſtulæ albæ granorum milii magnitudine, aqua plenæ levique ſcalptu ruptibiles. Ex indiciis hiſce conjunctim ſumtis magna reſtitutionis ſpes effulget. Continuabimus

uſum Spiritûs Mundi cottidiè, ut,quid poſſit,videamus, quæ omnia ſeculo & noſtro & futuris candidè, DEO volente, obſervationibus curioſis inſerendis, fideliter communicabimus.

Vidua noſtræ civitatis, nimiô præ mœrore, d. 5. Febr. in febrem hecticæ conſimilemincidit, cum horrore & ſubſecuta phlogoſi ſæpiùs de die redeuntibus. Vigiliæ nocturnæ diurnæque; ita per 5. dies defatigaverant eam, ut nulla ad ſomnum, multò minùs dejectiones, adeſſet pronitas. Appetitus erat proſtratus, ſitiebat ſemper. Die ſexto morbi, malum increbuit, maximè circa veſperam, ob nuncium valdè moleſtum. Summum virium decrementum cordiſque ſequebatur languor. Recuſabat medicamenta, mortis cupida: die verò morbi octavo, horam circa decimam antemeridianam, animi deliquium, oculorum obtenebratio, auditûs, ratiocinationis & loquelæ eam moleſtabat imminutio, cum capitis dolore acerbiſſimo. Motus convulſivi, ſtrangulatio uteri, dolorque manuum ac pedum, morti vicinam eam oſtentabant. Expergefacta paululùm, per pulveres Bezoardicos cum Caſtoreo, reliquaque medicamenta ad debellandum morbum neceſſaria, ſumſit Clyſterem uterinum, nocte inſequente paulò melius habere cœpit, ut & die nono. Die decimô horam circa decimam inſultus rediere citati. Ad exſtirpandos hos adhibui ab initio Spiritum C. C. cum eſſentia caſtorei, in vini potiuncula, remiſit leviter, mox rediit vehementiùs omne malum. Quid Spiritus Mundi cum Balſamo Mundi in tam deſperato poſſet caſu, tentavi. Præbui pro doſi cochlear. 1. Spiritus, cum guttis ſex Balſami prædicti, ceſſaruntque ſymptomata. Repetii qualibet hora dictam medicinæ doſin, ſummo cum patientis levamine & adſtantium admiratione. Circa decimam undecimi diei, hoſtis mœnia ſanitatis iterùm invadebat furori ſuperiori: Spiritus verò & Balſamum, ut defenſores hoſte fortiores è veſtigio eum profligarunt, excepta cordis debilitate. Die 12. circa tertiam pomeridianam rediit, ſed poſt hujus medicinæ delibationem mox abiit. Die 13. typum obſervabat matutinum, uti & ſequentibus quatuor diebus, debellatus verò, ut anteà dictum, terga dedit.

Spiritus & BalſamiMundi efficaciam ſequens commendabit caſus. Puerpera, Diaconi hujus loci optimè meriti uxor, nono poſt partum die, in febrem incidit acutam, cum horrore inſigni & ſubſecuto calore intenſiſſimo, capitis dolore; difficili reſpiratione aliisq; ſymptomatibus. Dedi hujus Spiritus unciam unam cum triginta guttis Balſami Mundi, pro

qua-

tuor præbiis, ſpacio duarum horarum ſumendis: mox reſtitutam, DEO ſit laus, eam vidimus.

Ancillam in pago Waldâ, (quam rumor imprægnatam dixit) febris acuta lecto affigebat d. 6. Martii. Nil niſi Balſami Mundi drachmam unam, ad ſcrupulos quatuor transmiſi omni nimirum horæ ſpacio duodecim guttas in cochleari cereviſiæ calidæ ut ſumeret. Ad majorem effectus fidem conciliandam, ipſiſſima Electoriſſæ Saxoniæ Præfecti, Dn. Johannis Martini Richteri, verba apponere placuit: Ancillam noſtram primò morbus cum horrore & ſubſequente calore inſigni invaſit, ſymptomata fuerunt capitis dolor, cardialgia, reſpiratio difficilis, hypochondriorum dolores punctorii. Poſt uſum Balſami Mundi, ſucceſſivè omnia ita remiſerunt, ut tertio die ad conſueta munia ſe conferre potuerit.

Spiritus Mundi, præprimis cum Balſamo ejus conjunctus, in morbis deſperatis, febribus acutis, aut ejuſmodi aliis, reſpirationem impedientibus & calorem præternaturalem inducentibus, ſi non momentaneo, repurgato priùs corpore & ab omni fæculentia craſſitieque ſuperfluâ liberato, doſi infra datâ, delibatus, levamen pariat, reſpirationem facilitet, flammam ſeu incendium mitiget, viresque deperditas aliquô modô reſtauret, mortem in propinquo eſſe judico, quod in multis hactenus ſum expertus. In quibus autem ſpes reconvaleſcentiæ eſt, illis è veſtigio opitulatur, quod heri horâ nonâ veſpertinâ adhuc factum vidi: Dn. Johann. David. Fiſcheri uxorem repentina pectoris anguſtia, reſpiratio difficilis & ſuffocativa infeſtabat, pedes & brachia præprimis ſiniſtri lateris erant rigida & frigida, ita ut pro apoplecticâ haberetur. Dedi Spiritus Mundi drachmas ſex cum guttis triginta Balſami Mundi, pro quatuor doſibus. Delibatâ primâ doſi levamen percepit liberalioremque reſpirationem, paulò pòſt & ſecundam hauſit, ſequebatur ſudor, hunc excepit ſomnus, manè reſtitutam inveni. Die 28. Auguſti 1674. hucuſque experimenta prælaudati *Dn. D. Fribii.*

Fecit idem, ammonitu meô, complexusque ſcripto eſt *Clariſſimus Dn. Johann. Engelhardus, Medicinæ Cand. amicus per multos mihi probatiſſimus annos*, quæ obſervârat. Ea & ipſa, rem me facturum non inutilem duxi, ſi hûc notarem:

Die 2. Septembr. ann. 1673. horis pomeridianis *Dn. Emanuel* Cent-graff / Præfecturæ Haynenſis à re Actuariâ, ex improviſo, intolerabilibus affligitur alvi torminibus, per 3. integras horas, non ſine horrore,

urinæ

urinæ item ſuppreſſione vomituque. Exhibeo ipſi in Spiritu Mundi, ſex guttas Tincturæ Auri Auræ, ſuaviſſima inde capit eum ſomni appetentia, quô dum per ſemihoram circiter fruitur quietô; evigilans dolorum ſentit remiſſionem, cibum capit, optimeque ſe habet. Surgens manè urinam contemplaturus, maximè dilutam turbidamque eam deprehendit, ſedimenta verò ſeorſim effuſa, ipſum colorem ſanguineum referunt, luculentumque virtutis, medicinæ hujus antinephriticæ teſtimonium exhibent.

Idem 22. Auguſt. anni currentis, repentinô obruebatur, ex frigore febrili, horrore, quem ſumma ſtatim membrorum delaſſatio viriumque defectus excipiebat, undè lectum petere coactus, *Nobiliſſimum Dn. C. A. Balduinum, Patronum ac Evergetam meum maximum*, de medicamentis ſuis ut impertiret ſibi, ſollicitabat, quô, ejus petito locum haud gravatè concedente, duas ipſi doſes Spiritûs Mundi, inſtillatis aliquot Auri Auræ Balſamique Mundi guttulis, transmittebam, quarum alterâ ſumtâ, ſomnum è veſtigio capiens, per tres integras horas placidè quieſcebat, his tranſactis, expergiſcens, enormes capitis dolores ſentiebat, idque haud dubiè ex operatione ipſius medicamenti, quod circa camarinæ, quâ corpus oppletum quam maximè, commotionem ejectionemque erat occupatum, teſte eventu; viginti namque & ultrà, ſedibus, alvus ſeſe exoneravit. Unde fractæ non parùm vires, ſomnô, quô ſubſequentem diem patiens penè integrum confecit, recolligere ſeſe evidenter allaborarunt, ſucceſſu haut ſecundô: die quippe unô alterove elapsô, ad officii priſtinam functionem ſanus incolumisque rediit: Alterius doſeos ſumptionem, ex metu, ne, uti priùs, alvum laceſſendo, ipſum enervaret, in quartum uſque diem differre, ei viſum eſt, aſt nihil, quod metuit, evenit, quin meliùs ex eo habere indies cœpit.

Ejuſdem Dn. Parens, calculô veſicæ, ipſo menſe Martiô afflictus miſerrimè, laudati Dn. Autoris opem anxiè implorabat; hic vicem ejus dolens, de Spiritu Mundi, intermiſtô ejuſdem Balſamô; ipſi offerri concedebat, cujus exhibitâ unicâ doſi, elapſis duabus vel tribus horis, calculum, fabæ magnitudinem aliquantùm excedentem, excernebat, ſequentibus paulò pòſt nonnullis minoris quantitatis, quibus excluſis, priſtinæ ſanitati per DEI gratiam reſtitutus eſt.

Eôdem Martio menſe, vidua paupercula, fermè ſeptuagenaria, *Urſula*, præternaturalem patiebatur narium hæmorrhagiam, quæ ipſam, viribus jamdum, ob decrepitam ſenectutem, exhauſtam, adeò enervabat,

bat, ut in caſſum nobiliſſimis etiam adhibitis medicamentis de vita ejus deſperaretur: In tertium, & ultrà, diem fluxus is dum perdurabat, conveniebat fortè *Nob. Dn. Balduinum*, aniculæ hujus Hoſpes, *Dn. Andreas Uſchnerus Haynenſi Senatui ab Actis & epiſtolis*, de ſtatu ejus deſperato, inter reliqua, mentionem faciens, nil niſi præſentaneam mortem ſupereſſe & jamjam imminere aſſerebat. Ego, qui tùm colloquio huic intereram, hæc audiens, quid, ajo, ſi de Balſamô Mundi, detrimenti parùm, ſi non levamenti quid allaturô, ipſi propinetur? annuens *Dn. Balduinus*, aliquot illi doſes exhiberi jubet: quibus per vices à me propinatis, Hæmorrhagia remiſſam facere cœpit, & licet non ſemel rediret malum hoc, vires tamen, quas antè exerere haudquaquam valuit, tandemque nobiliſſimo huic medicamento palmam relinquens, cedere omninò coactum fuit, ſalva jamdum ac ſana, DEO clementer benedicente præter omnium expectationem, fœminâ ſuprà dictâ ſuperſtite.

Quàm inſignis denique, & laudibus nunquam ſatis deprædicandæ virtutis, in odontalgiâ Balſamus Mundi ſit, in ſemet ipſo experimentum capere voluit *Nobiliſſ. Dn. Balduin.* Is cùm præteritâ hyeme ex dentibus graviſſimè laboraret, in Balſamum Mundi fortè incidit, periculum facturus, in hoc affectu numquid valeret, ex eôdem gargariſmum ſibi paravit, quem parti affectæ applicans, præſentaneum ſenſit levamen, dolores namque, utut vehementiores primùm, poſt horæ unius decurſum, præter omnem ſpem evanuére penitùs, nec rediere hactenus. Finis Obſervationum Engelhardian.

Obſerves hic velim; tàm Auri Auræ, quàm & Balſami Mundi ortum & incunabula velut Mundi Spiritum eſſe. Itaque, ut ad Medicinam præparatus, Mundi Spiritus hic nihil aliud eſt, quàm ſimplex & ſubtilis eſſentia quinta à corpore ☽ tanquam à materia craſſa & groſſa, ſive à quatuor Elementorum ſuperfluitatibus ſeparata: ſic, quid impedit, quô minùs, è *Tractatu, de verô Sale ſecretô, Philoſ. Dn. Nuyſement, 4. cap.* vocitem eum generalem Lapidem Phyſicum & Elixir à natura compoſitum, quô mediante omnia ſua miracula facit; atque multò magis admiratione dignum eſſe, quàm Chemicorum Lapidem, cui ſolummodò per hunc ipſum Spiritum conceſſum eſt, ut, ad introducendum id, quod deeſt, in ſuum ſimile agat.

Eſt memoratus mihi totiens Mundi Spiritus hic eſſentia penetrabilis omninò atque volatilis odore ſuaviſſimo, guſtumque amygdalarum præ ſe dulcium ferens. Vel pauculæ guttulæ, dici vix poteſt, ſi hauſeris,

ris, quàm cor recreent, reſpirandique vias recludant, uti Spirituum nutrimentum alimentumque pulmonum æſtimare non injuria poſſis. Poteſtque tantum iſtius, quantum cochlear capit, abſque vehiculo, aut, ſi morbus pertinacior ſit, Auro Auræ potabili, vel, ſi placet, Mundi Balſamô miſtum, præſervandæ conſervandæque immò & reſtaurandæ ad extremum valetudini adhiberi: Quòd ſi medicamentis tribus iſtis crudis, ut ſic dicam, adhuc, nec dum perfectionem eam, quam adſpirante DEO propitio! conſecutis, tantum licet: nihil non profectò ex

(2.) Auro Auræ inferioris Hermetico perfectiſſimo, i. e. ipſo lapide medicinali, ex *Alkabeſt* (eô, quô commemoravimus, modô præparando) pollicitura ſibi Natura humana impoſterum eſt! Eò enim omnis labor hic tendit, ut & refocilletur ea tueaturque in multos annos, quantumque poteſt, vindicetur à morbis. Cæterùm cùm in manu id ejus poſitum ſit, qui ſuper nos negotium curat, exorandus calidiſſimis nobis precibus ille: acquieſcendumque interim eſt in univerſaliſſimæ Materiæ noſtræ medicamentis. Pro quibus & ipſis, Glorioſiſſimum Numen, nunquam, faxit, ingrati ut ſimus!

CAPUT XI.

De Virtutibus Auri Auræ, in Regno Minerali.

NOn interturbanda vitæ officia, nec imponenda imbecilli puerorum ætati, quæ adultorum illorumque propria ſunt, quos firmata Viros jam fecerit ætas; ut de ſuo Poëta Princeps mihi iſtud hîc largiatur. Hujus ego præcepti memor,

1. Auro Auræ ſuperioris huic, velut partui meo, non tribuo, quæ robuſtos, eoſque decent, qui plus pueris poſſunt. Nondum enim iſtud infantiæ velut annos exceſſit. Quòd ſi viribus ultrà procurrerit, tùm de eo demùm & benè ſperare, & confidere optimè licebit. Quandoquidem autem Solare id Sulphur; Tincturaſque jam eſſe Sulphura omnia, apud Philoſophos in confeſſo, opinor, eſt, fixa ſcilicet aliisque metallis unita, nullum jam iterum mihi dubium ſurgit; plus utique, in cætera, imperfecta utpote metalla, liciturum Auræ huic Auro, poſtquàm de perfectione fermentationeq; cum Auro metallico ſua ipſi conſtiterit, quàm vegetabilia Mineraliaque illa ſulphura poſſunt. Tenendum iſtud tamen etiam atque etiam eſt, in ſtupendo hoc opere primas omninò Sali univerſaliſſimo volatili tribuendas deferendasque eſſe.

Quod

Quod ex Nitro uti facillimè obtinueris, ſi, quæ ſuperiùs ſunt prodita, ea hîc recorderis: ſic te, exemplo, quô volatile Tartarum redditur, maximè obſervare præparandi modum etiam velim. Qui ut non parùm paucos torſerit; in his *Joh. Baptiſt. Helmontium, lib. de Febr. Ludovvicum de Comitibus, in diſcept. 6. p. m. 38. Danielem Ludovvici, in Diſſert. de Volatil. Tart. Diſcept. 9. p. m. 66.* è contrario extitere tamen, qui nihil quicquam ferè laborandum ſibi hîc ducerent. Adeas, ſodes, *D. Joel. Langelott. in Epiſtola ad præcell. Naturæ Curioſos p. m. 5. & 10. D. Dav.* von der Becke / *in Epiſt. ad Langelott. D. Georg. Wolfg. Wedel. in Specim. Exper. Chym. p. m.* 55. Alios. *Idem* von der Becke *in Experim. & Meditat. circa Re. natur. Princ. p. m. 130. & ſeqq.*

Cæterùm, paucis abhinc ſeptimanis, multò ego faciliorem inveni viam, quâ non tartarum modò atque vitriolum & ſal commune, atque alia hujuſmodi: ſed & Nitrum ipſum, paucis admodùm horis, in Mundi Spiritum, ſeu gratiſſimi planè ſaporis aquam, alembici vitrei beneficio, deſtillare & ſic porrò in volatile Sal album transformare liceat. Unde verum *Alkaheſt* (beneficio Spir. concentrati ⦶, de quo ſuprà) prodit. Quid? quòd in ſe ipſum etiam præſentiſſimi eſſe inſtar remedii queat, ardentibus febribus pellendis. Sed de eo hîc obiter tantùm.

Sic 2. Inferius Auræ inferioris Hermeticum Aurum regno in minerali plus, confidimus, poſſe. Neque enim tantùm *D. Petr. Job. Faber in Panchymico ſuo c. 40. l. 4.* vix dicenda ſcripſit de Nitro: nempè, *in intimis naturæ viſceribus ignem vitæ clauſum contineri, quem ſi quis coagulare & fixum facere, eique tincturam dare auream vel argenteam poſſit, eum poſſidere Arcanum*; ſed & per Nitrum *Ganſandus* opus ſuum & incepit pariter, manumque ei feliciter ultimam impoſuit.

Quemadmodum igitur dubitamus nulli, Lapidem, è nitroſo liquore *Alkaheſt* (per ſe vel cum Auro vulgi conjuncto) præparari; ſic metalla imperfecta transformaturus, eô uti ſi velis, projiciendum tibi fuerit Elixir ſuper Aurum in tigillo liquatum; ac ita Sal demum iſtud, ☉ ingreſſum, in Sal frangibile mutatur, ſolubile tamen & liquabile, leviſſimo calore. Quod quidem (ut ego puto,) dum eſt Auro impрægnatum, projectum ſuper metalla imperfecta, ipſum in Aurum transmutat.

Equidem jam olim ſuſpecta, nec ſine causâ, Metallorum illa in Aurum pleriſque transmutatio fuit; oſtentantibus, fucum ut facerent nonnullis, nummos, eosq; in aurum verſos, dimidiatos, aciculas item &

 ipſas

ipſas factas aureas. Traditur hic modus *Glaubero*, (*in Purgat. Philoſ. p. m. 38.*) quem, ſi animus ſit, conſulas licet. Hinc etſi *Bartholinus in Phyſic. ſpec. p. 4. c. 2. Florentiæ*, vidiſſe ſe, inter res pretioſas *Hetruriæ Ducis* clavum continuum teſtetur, cujus media pars aurum eſſet, media ferrum; aurum, quouſque tincturæ immerſus erat; transmutatusque olim diceretur à Thurneuſſero; ſunt viciſſim alii tamen, qui pro adulterino habentes poſt id tempus viſum, rejiciunt planè atque evertunt.

Nobiliſſimus *Dn. Auguſtus* Heyland / non ita pridem eſt, quòd ad me viſeret. Sermo varius nobis, nec, quòd ille has terras non obiter inſpexiſſet, de Gallicis tantùm, Italicisque atque Anglicis rebus, ſed & aliis erat. Tandem, ut eſt in omni Naturæ opere curioſus, in Chymiam incidimus commodè; cùm Enſiculus, quô ſcripturi pennas temperare ſolemus, ipſi quoque memoraretur; Servare ſe eum, inquit, magni nominis Chymici donum, dum Venetiis eſſet. Cætera, aciem & nucleum ferri; cuſpidem auream eſſe, tincturæ cujusdam vi atque efficaciâ opinantibus, qui vidiſſent, mutatum in Aurum. Statim inceſſit in animum tàm rari muneris, fateor, viſendi cupido, petereq; ex eo adeò cœpi, ut ne mittere gravaretur. Annuere ille hâc conditione tamen, uti, mihi quid videretur, literis ſignificarem ſi remitterem, quod me facturum, etiam compromiſi. Igitur quamprimùm illius mihi facta copia eſt, ne mirari illum quidem poteram ſatis. Cuſpis dimidium digiti articulum longitudine æquans: Aurum quale Coronati aurei eſſe ſolet, et ad Lydium lapidem revocatum, reſpondebat exactè. Ad extremum, ne indicium quidem ullum ſolidaturæ, ut nec affirmare planè de Tincturâ liceret, nec de arte & combinatione conjicere tamen. Cæterùm erat, cur iſthuc inclinarem potiſſimùm. Nec mora: Cultellô, mucronem fractô, ex auro & ipſe ferruminandum alium curavi. Cui cùm lima ab aurifabro (ei enim iſtud negotii dederam) acceſſiſſet, aut inſigniter fallor, aut ornatius nitidiusque haud paulò prodiit opus. Certè Venetiano illi minimum par videbatur: Ei omninò labor erat quinq; horarum. Nec me fingere quicquam hic credas. Amat enim ferrum aut chalybs, imò juſto calore cupidè attrahit Aurum. (Quô experimentô refellitur opinio *Otton. Tachenii in clave antiq. Hippoc. Medic. c. 8. quod Aurum ferro conglutinari nequeat, priusquam cupream induat naturam.*) Sic perpetuò arte vincitur Ars, nec tàm ingenioſa fuit fraus, quam ſi laborarit, non ingenium aperuerit pariter ac detexerit.

Manet interim hoc, Chalybem, quem diximus hactenus aliaque im-

imperfecta Metalla, Lapidis Philoſophici beneficiô (dummodò obtineri is poſſit,) transmutari in Aurum veriſſimè poſſe.

Qui autem *cum D. Thom. Moreſino Aberdonato Scoto de Metall. Cauſ. & transſubſt. D. Nicol. Guiberto. Lotharing.* nec non *P. Athanaſ. Kirchero in Mundi ſui ſubterr. Tom. II. lib. 11. ſect. II. c. XI.* rotundè negat, poſſibilem eſſe arte purè naturali confectionem Tincturæ Philoſophorum, quæ omnia metalla in Aurum Argentumque ſubſtantialiter tingat, ac projectione ſuâ finitè in infinitum multiplicet; ille legat *Lancem Peripateticam Valeriani Bonvicini Profeſſoris Paduæ; Interpellat. brev. Salomonis de* Blauenſtein; imprimis verò *Mantiſſam Spagyr. Pharmac. Reg. D. Johann. Zwelferi p. 1. c. 1.* & quæ ibi contra dictum *Kircherum*, pro Chryſopœiæ veritate & poſſibilitate, adſtruxit; nec non *Albertum in libro ſuo 30. de Mineralibus. M. Petri Boni Lombardi de Ferrariâ Tract. ann. 1330. compoſitum. Heinr. Salmuth. lib. 2. tit. 2. p. 340. Joann. Fr. Mirandul. de Auro lib. 3. cap. 2. Marſil. Ficin. lib. 2. de vitâ cœl. comp. c. 3. D. Adam à* Bodenſtein *Iſagog. in Arnold. de Villa nova Roſar. Epiſt. præfix. ad Fuggeros ex Baſilea p. m. 46. Bernard. Penot, à Portu Præfat. Apolog. contra Guibertum in Tract. Ariſlai de L. P. p. m. 91.* qui ſuô tempore ab *Edoardo Kellæo* Pragæ in ædibus *D. Thaddæi* libram integram argenti vivi in puriſſimum Aurum converſam, guttulâ unicâ liquoris rubicundiſſimi vidit. *Fernel. de abditis rerum cauſis lib. 2. c. 18. D. Joh. Wolfg. Dienheim de Medic. Univerſ. cap. 24. & 25. Matth. Unzer. Anatom. Mercur. Spag. lib. 1. cap. 18. M. Georg. Froberg. Hiſtor. de Alchym. pag. 78. D. Mich. Mayer. in Symb. aur. Menſ. p. 219. 471. 480. 523. & 557. J. B. Helmontium*, qui in ſcriptis ſuis ter publicè fatetur, ſe projectionem feciſſe, *p. m. 743. 793. & 671. §. 58. Miſcell. Curioſ. Med. Phyſ. Acad. Nat. Curios. Ann. 1. Obſ. 16. D. Johann. Tackii Chryſogoniam animalem & mineralem p. m. 3. & D. G. Morhof. de Metall. Transmut. ad D. Langelott. Epiſtolam. p. m. 87. & ſeqq.* Quam Tincturam licèt perpauci obtineant, è rerum tamen naturâ proſcribere minimè decet. Habet enim & illa quemadmodum arbor ſcientiæ boni & mali ProtoParentum noſtrorum, ſuum de cœlo genium, qui rhomphæa bis acutâ eam protegat & curioſos ac indignos arceat; cùm pauci ſint, qui virtutem & divitias affluentes jungere novére.

De hac Medicina apud antiquum *Autorem Gallicum* ipſa natura, in Querela ſua, ita introducitur:

Qui guairit toute maladie,
Et qui l' a jamais ne mendie:
Qui en a une once & un ſeul grain; X 3 *Tou-*

Toujours eſt riche & toujours ſain:
En fin ſe meurt la creature
De Dieu contente & de Nature.

CAPUT XII.

De virtutibus Auri Auræ, in Regno Vegetabili.

Autor *Sendivogius* eſt, in *Epil. Tract. Quò radii Solares copioſius feriunt, eò major Salis Nitri quantitas fit & per conſequens major frumenti copia creſcit.* Veriſſimè, ſi quicquam aliud. Nam, non à terra tantùm, aut ab aqua: & à certo quodam, eoque nitroſo ſale nutrimentum plantis eſt. Experientiam, age, quâ unà omnium optimè docebimur, accerſamus. Nonne, quò plus ſalis habent, hòc feracioribus agris utimur? quos, (exemplum ut demus,) quòd in animalium excrementis plurimum Nitri inſit, fimus hinc lætos efficit pinguesque. Imò ipſa hominis urina nihil eſt aliud, quàm merum Nitrum, (ſed non animatum) *doc. Theophraſt. Paracelſ. Tract. 1. de Peſtilitate p. m. 376.* ſic ex terra, ubi pecudes mingunt, fit & coquitur Sal Nitri. *Id. in Fragm. Tract. p. m. 449.* Et ſanè, multiplicandarum frugum, peculiari è Nitro lixivia, nonnullorum indè eſſe Secretum, inducimur facilè, ut credamus. Vid. *Recueils de Memoires & conferences ſurs les Arts & les ſciences preſentées à Monſeigneur Le Dauphin pendant l' Année MDCLXXII. par Jean Baptiſte Denis Conſeiller & Medicin Ordinaire du Roy. Premerie Conference Touchant la Vegetation de Plantes. p. m. 216.*

Nimirùm tenet & communis Philoſophorum ſententia, poſſe materiâ ipſorum univerſaliſſimâ, arborum ſteriles fœcundari, herbas, floresque atque radices mediâ hyeme produci, quamlibet arborem, quater & amplius annô, maturos ex ſe fructus edere, ex areſactâ etiam tenerum inſtitui ſurculum, amaroſque quantumvis fructus omnes dulceſcere. *Joh. Walchio, in Tract. Philoſ. & Chym. Germ. p. m. 252. referente.*

Obtinebat ex eo Magi nomen *Albertus Magnus*, quòd in ipſa frigidiſſima Brumâ omnia genera fructuum, ope hujus ætherei Balſami, ad plenam & perfectam maturitatem producere poſſet, *Dn. Kenelm. Dygb. diſſert. de Plant. Veget. p. m. 72.*

Equidem non evertimus nos fidem horum verborum; neque, qui ambigat, facile eſt: Mercurium univerſalem flori cuivis plantiſque augmentum aliquod odoremque conciliare: quin tamen, unitus 1. cum

Auro

Auro Auræ ſuperioris noſtro fixusque in lapidem, majores ſibi vires acquirat, dubium & ipſum eſſe mihi non poteſt.

Sed quid aurum 2. Auræ inferioris perfectiſſimum, i. e. Lapidem ipſum Philoſoph. ex Nitroſo *Alkabeſt* præparatum? Nonne, ante fermentationem Auri, in Regno Vegetabili plus poſſe fatebimur? Quis neget? Nam, ſi *Walchium* iterum audimus (p. 253.) Tinctura ex hoc Lapide fit, ſi, quantum granum milii eſt, diſſolvas in aqua qua in ipſum poſtea vitis velut cor ſive medium infuſâ, non illa è veſtigio virgam tantùm foliaque atque flores, contra communem naturæ curſum; ſed, quod omnibus admirabile videatur, fructus etiam maturos nobilesque protrudet, vide *Paracelſ. in Apocalypſ. Herm. de Elix. vitæ.*

Revocat hoc mihi in memoriam Arcanum iſtud plantarum reſuſcitatarum, quo plantas jam cinefactas & demortuas quaſi, calore, velut divinâ Mercurii virgulâ, animatas in vitam revocari, novaque veſtiri forma adſerunt. Primus, quod ſciam, *Quercetanus* in ſcenam publicam hoc Secretum produxit, à Polono Medico ſibi monſtratum, non communicatum id tamen: Exinde plures ejus rei mentionem fecére; ſed qui deſcriptionem eam publico daret, præter *Roſenbergium, in Rhodologiâ*, qui tamen obſcurô verborum velô omne texit: & *Spontonum*, Italum quendam, *Tractatu de Vipera*; ſed eôdem, imò obſcuriore modô, quô *Roſenbergius*, non memini ullum. Crediderim ſanè, ejus rei experientiam nunquam cepiſſe, ſed vel ex proprio conceptu, vel aliorum malefidâ communicatione retuliſſe, quæ ſcriberent; Adducti inde *Billichius & Georgius Kirſtenius*; hic quidem *in Adverſariis Germanicis*, contra *Joh. Agricolam, in Theſſalo* ille, omnem toti negotio fidem atque aſſenſum derogarunt.

Cæterùm, conſpexit *Petrus Servius Rom. Med.* Roſam ex cineribus uſtis ſolerti & ingenioſô artificiô excultis elaboratisque XXIV. horis natam, adultam perfectamque. *Tract. de Nat. & Art. Mir.*

Ex oratione *Dn. Comitis Digbæi*, Angli, *de Vegetatione Plantarum* habemus, *P. Athanaſium Kircherum* miraculum reſtitutionis feciſſe, modumque operandi communicaſſe eidem *Digbæo*. At non è cineribus ipſis *Kircherus*, ſed è ſemine plantarum reſuſcitationem eam inchoaſſe videtur, quippe quem de *Regerminatione Plantarum*, proceſſum ſuum, deſcribere è cujuslibet ſemine comperimus. Require, quæ idem *Mundi ſubterr. L. 2. ſect. 4. c. 5. p. m. 413. & 414.* Quæ &, quæ *P. Caſpar Schott. in Mechanicâ Hydraulico Pneumatica part. 2. claſſ. 1. Mach. 8.* Etſi itaque *Dn.*

Petrus

Petrus Borellus in Hiſtor. & Obſerv. Medico-Phyſ. Obſ. 62. ſcribit: Crederem, hæc fieri poſſe, ſi calcinentur plantæ in vaſe clauſo, ne ſal volatile, in quo latet vis reſurrectiva, evaporetur, deinde illud colligendum eſſe cenſeo & fixo ſali miſcendum, ope aquæ vitæ optimæ, vel roris majalis, & vaſe ſigillato, calore mediocri hæc circulari debere per aliquod tempus, ut probè uniantur, principia purificata: non tentata tamen unquam mihi iſta ſunt, fateor; Utut loco roris majalis, convenientiorem huic operi efficacioremque Mundi Spiritum putem. Cauſas dixi ſuperiùs.

Obſervationem merentur & iſta *D. Petr. Joh. Fabri, in Palladio Spagyrico c.* 1. Per humidum radicale mundi luce impregnatum in phialis vitreis poſſe flores, poſſe plantas plantari & nutriri, creſcere & germinare, poſſe & arbores & plantas è longinquis terræ plagis impunè & incorruptè deportari, poſſe & quater in anno germinare, florere, ferreque fructus, modò ne frigus ambientis aëris externum pepaſmum fructus impediat & retardet, poſſe ſemimortuos reſuſcitari ſeu potius renovari. Sed ſunt, qui Autoris experientiæ hîc diffidunt, imò eam planè volunt ſublatam. Suſtinui tamen annô proximè elapſô, nec refugi eum ego laborem, interim neque juſta laude debitaque *Borellum* hic fraudans, qui, quà eundum, digito velut monſtravit, *Hiſtor. & Obſerv. Medico-Phyſ.* Ita enim is, *Obſ. 37.* Aqua ſola, inquit, nutriri & augeri poſſe plantas, vix credidiſſem, ni, per ſex menſes, in phiala aquæ plena Ocymi & Baſilici plantæ ſurculum vidiſſem & ſervaviſſem, ubi radices multas, imò innumeras egit, ſurculos & flores; ſed aqua renovanda ſæpe eſt. Obſervavi etiam arbores magnas ſatis, imò tibiæ craſſitiem æquantes, in terrea parva olla vegetaſſe, ſola irroratione, terra ejusdem ponderis remanente. Quare credendum eſt, ab aëre & aqua nutrimentum capere.

Quod idem *Petr. Poter.* cum Nobiliſſimo *Boyleo* obſervavit, dum in Oxonienſi Anglorum Academiâ degeret; ſummitates menthæ; pulegii & meliſſæ, probe immiſſas in vitreas phialeas aquâ fontanâ, quæ nunquam mutabatur, repletas, explicaſſe ſe in radices numeroſas & luxuriantia folia. Vid. Ejuſd. *Præf. Oper. Medic. & Chym. p. m. 9.* Quod Autores laudati ſine dubio ex *Theophr. Paracelſ. Metamorph. L. 3. de Conſerv. p. m.* 17. petierunt.

Hiſtoriam plantæ, ſub ipſa aqua germinantis in vitro, ex alterius Medici relatione, recenſet *Libavius in Syntagm. Arcan. Chym. lib. 1. c. 22.* cujus figuram ibidem depictam habet. Idem narrat apud *Roſenbergium in Rhodologia* D. *Frey*, qui idem in tulipa ſe vidiſſe adſerit; nec non *Dn. Jacob.*

NATURAL HISTORY

pag 161
o

PHOENOMENON MAGNETIS UNIVERSALIS.



Jacob. Dobrzenski de Nigroponte, in amœniori Philoſophia, de Fontibus Part. 1. pr. 1. Sed longè admirabilius *Autor* memorat *Gallus* in Tract. Gallico *La petite Chirurgie*, dicto, *cap. 22.* qui totum mundum arboribus plantis, floribus, pratis, fluminibus, montibus, aquis, animalibus &c. exornatum, parvô vitrô ſpectandum proponit. Cæterum, id ego tantùm Phœnomenon credo cujusmodi repræſentaſſe ſe aliquando Excell. *Tackius* prodit, *Myſteriô Reſurr. Rer. p. m. 65. ſeqq.*

Obſervatum & à me idem vegetabile eſt in Magnete, quem, de quo indicium feci, ipsô hoc annô, Univerſalem poſuiſſem. Cùm enim, decimô nonô Martii die, rotundis ſe ille circulis oſtendiſſet, ſicciore ob ſolares radios circa meridiem aëre, equidem Magnes hic meus nonnihil in oleum demutatus conſpiciebatur. Quòd id autem ſpiſſiſſimum eſſet, concreſcere mox, arbuſcularumque atque fruticum formas, (jucundiſſimum oculis ſpectaculum) induere cœpit.

Quùm igitur ex me ſatis noſſem non tantùm, Spiritum copioſum eſſe in aëris elemento & aquæ pariter; immò plus vigere, quàm in aliis elementis; ſed & ex Mechanicis percepiſſem abundè: Salem in aëre & aquâ cryſtallinum fixum & volatilem contineri, immò flores, v. g. tulipas, anemones, lilia &c. lixivio, ex iisdem, ſi effloruerint, combuſtis in cinerem, ſcapis & caulibus facto, affuſo ſingularum plantarum appropriatarum radicibus, mirâ fœcunditate & nitore propullulare: in ipſam rem cogitatione deſcendens altiùs, concluſi; ſi fieri poſſet, ut aqua, quam *D. Philipp. Sachs à Levvenheim* (*in Oceano Macro-microcoſm. p. m. 26.*) mundi menſtruum vocat, cum Catholico Sale, ſeu terrificato Mundi Spiritu augeatur, conſervandi ipſius vim potiorem multò eſſe futuram. Univerſale enim Sal aquæ balſamum eſt. Et ſi aqua non eſt ſuo igne imbuta, plantas non multùm reddet fructiferas; aliquid igitur, cui aqua tantùm vehiculi loco ſervit, intùs neceſſariò continetur, nihilque aliud eſt, quàm omnibus rebus fœcunditatem tribuens Sal. Huic Sali (rectè cognito vel intellecto;) non tantùm omnia vegetabilia, ſed etiam omnia mineralia ſuam originem debere, docet *Dn. Kenelm. Dygb. de Plantar. Veget. p. m. 62.* imò *Dn. Panorol. Arcan. faſcic. II. p. 218.* omnia ex aquâ & igne, velut ex ſulphure & Mercurio oriri, adeoq; ſemen eſſe vim illam vivificantẽ, conflatã ex igne & aquâ, in ſpermate reſidentẽ, oſtendere ſatagit.

His innixus fundamentis, rem ipſam aggreſſus feliciter ſum, Balſamique naturæ univerſalis fixi, cum 🜄 vegetabili, beneficio, conſervare flores herbasque didici. Quod ne putes me thraſonicè magis profiteri, quàm veriùs, ecce tibi (variæ magnitudinis, eoſque

innixos columinibus, globos vitreos, quos, quocunque libuerit tempore, multiplici florum varietate, à me, anno ſuperiore, refertos, non ſine inſigni oculorum animarumque delectamento, apud me cernere eſt. Quod ſi vires vitamque DEUS Opt. Max. conceſſerit, vitreum Muſeo noſtro viridarium annus futurus ſiſtet, exhibiturum & ipſum rerum iſtarum Studioſis violas, roſas, narciſſos, tulipas, caryophylla, aliasque id genus herbas, cum rariſſimi uſus, tùm præſtantiâ colorum ſecundas nullis. Idque quacunque anni tempeſtate. Quibus qui paria fecerit, nondum vidi. Immò viſurus vix aut ne vix quidem etiam ſum, præſtiturus qui ſit: niſi FLORA noſtra inſpecta, quæ rogatu non obſcuri nominis complurium amicorum, SEMPER-VIVA lucem publicam viſura forſan propediem eſt.

Equidem, injici nonnullas mihi remoras, video; at enim differre iſta uti poſſunt, ita auferre promiſſa non poſſunt.

Tu verò, quisquis es, benevole *Lector*, cuicunque aliquid in hoc meo Tractatu non perſpectum intellectumve eſt primô intuitu; quæſo, ſuſpende in his, de quibus tibi non liquet, judicium tuum; & de iis, quæ tibi videntur ſatis liquere, ne quid pronuncia temerè. Nec alium ferto in re arcanâ calculum, quàm de tua famâ à bono Viro velis apponi.

Interim Majeſtatem Naturæ naturantis nondum adoravit, neque naturæ naturatæ deceſſit ſatis, qui divini operis Hermetici poſſibilitatem non credit, realitatem ignorat vel contemnit. *Hurin. à Parmâ Pariſ.*

Veriſſimè enim à *Senecâ* iſtud proditum olim eſt: Multum egerunt, qui ante nos fuerunt, ſed non peregerunt: multum adhuc reſtat operæ, multumque reſtabit; neque ulli nato poſt multa ſecula præcidetur occaſio aliquid adhuc adjiciendi.

Quærit in abſtruſo, diviſa Cupido, meatu
Aurum, & vel ſcorias, vel niſi grana legit.
Infima plebs ſapiat: ſapiens quid abundet in Auris,
Novit, & hoc Auri nomine jure vocat.
En Tibi ceu duplâ, monſtrantes, lampade Soles,
Quam calcant alii, non ſine mole, viam!
Ut mira virtute trahat Cœleſtia Magnes.
Conſpirant Salia & Sulphura Sulphuribus.
Sic jam Magnes amat non ferrum; Veſcitur Aurâ:
Depluit in Danaës Jupiter igne ſinum.

Aurea

Aurea nunc etiam comitari ferrea dicas
  Secula. Vix pretiô grande venit pretium.
Nil melius poſſet votis impunè precari
  Tangere & Aſcadici Regis iniqua Fames!

EPILOGUS

ad Lectorem Benevolum.

Multi homines animos facilè, in proprias cupidines inclinatos, arcere nequeunt, & vel ipſa bona damnant, ut vel ita deterriti, periclitari deſiſtant, & eò minus in deteriora labantur. Quæ intuenti nullum dubium fit, fore utut non multos, aliquos tamen, qui non malo forſan animo noſtram, de Materia Lapidis univerſaliſſima, impugnent opinionem. Cum maximè hi, quibus ſubjectum aliud, Antimonium puta, Biſmuthum, Cinnab. nativ. Rothgülden Ertz/ vel quodcunque id tandem, arridet quique id (quod ajunt) mordicitùs tenent. Moti forſan ſcriptorum modernorum autoritatibus exemploque; ingenioſiſſimi in his *Philalethæ*, curioſiſſimique *Becheri*, quibus Mercurius Antimonii animatus utramque facit paginam. Quid? ſi nobiliſſimus & ipſe *Tumbæ Semiramidis Author*, ſali mercuriali alembicato primas deferens, ipſos excitet? utut ſit, ſit, nulli noſtram obtrudimus ſententiam. Nec pro articulo fidei eſſe volumus. Credant, per nos, ſentiantque, quod volunt, integrum eſto. Tantum obſervent & habeant, petimus, penſi, ſubjecti lapidis illas conditiones, quas in antiquiſſimorum Philoſophorum libris ſparſim legere licet, num ſive Mercurio currenti cuidam Antimonii, ſive materiis id genus ſpecificis applicari aliis poſſent. Non ero prolixus in recenſendis talibus, olim mihi notatis.
„ Dabo pauca: (1.) eſt res una, uniuſvis individui, ſui ſimile non ha-
„ bens. (2.) naturalis, ſimplex. (3.) Primaterialis. (4.) Catholica, nondum
„ vegetabilis, nec animalis, nec mineralis. (5.) Vegetabilis, animalis, mi-
„ neralis ſimul, ☿ & 🜍 & 🜔 ſufficienter referta. (6.) Chaoſa vel chaotica,
„ (7.) Corporea tamen, & proinde (8.) viſibilis, (9.) Adamica, (10.)
„ ſuo modo vivens. (11.) in ſe perfecta. (12.) omnia in ſe habens, nec
„ alieno indigens. (13.) Antiquiſſima, vel verè Saturnina, adrop, vel
„ Plumbum ſapientum. (14.) Cujus, juxta tabulam Hermetis, pater eſt
„ ⊙, mater ☽ & nutrix eſt terra. (15.) Semper & ubique repertibilis, ſed

„ non ubique artifici idonea. (16.) adſpectu vilis vulgò, at in conſpe-
„ ctu Sapientum pretioſa. (17.) Omnibus nota, pauciſſimis cognita.
„ (18.) Gratis & pro nihilo à Deo & natura liberaliter vendita. (19.) for-
„ titer ſigillata. (20.) ponderoſa. (21.) aqua compoſita, congelata,
„ repugnans igni, non madefaciens manûs, permanens, glacies ſopho-
„ rum (22.) Lapis, non-Lapis, (23.) ☿ Phil. crudus. (24.) in tenebris
„ lucens. (25.) Microcoſmus noſter Macrocoſmicus. (26.) De ſemine
„ Mundi Majoris, Filius ὁμοούσιος parenti ſuo, in quo omnis plenitudo
Naturæ, h. e. EL-I-X EIR magnum &c.

Multi hinc veri omnes, excludunt Philoſophi mineras, corporaque metallica omnia, omnia genera ſalium, excepto (Lullii verbis) Lunariæ noſtræ ſale, omnia vegetabilia & omnia animalia. Quemadmodum autem diſcrimen non parvum inter Univerſale majus datur & minus, inter Lapidem Philoſophicum & Tincturas Philoſophicas, e. g. ſolis, lunæ &c. (licet uno ſemine, unâque matre generatas) ut eſt apud *Baſilium* aliosque: ſed Tincturam tantum, rectè te facere, non repugnem, ſi ſubjectum iſtud, Mercuriô ad Metallorum Tincturas ſpecifico concentratô non deſtitutum ſeligas; cujusmodi quidem antimonium eſt. (quo de ſuprà ipſemet, Cap. III.) Et habeo adducere pleroſque Philoſophos adeptos, qui eandem Tincturæ conficiendæ viam iniére, planam illam proximamque nec quod Antimonii adhiberent Mercurium, per ſulphur martis (ignem Metallorum,) animatum cumque Auro fixatum, quicquam aberrarunt hîc quidem illi. Et hinc neglectus materiæ ille univerſaliſſimæ fluxiſſe videtur, rejectumque è contrario, cum ſpecificatis Materiis omnibus, Antimonium eſſe ab his, qui Catholicum non ignorarent, ſubjectum. Equidem non eo inficias, metalla omnia unam tantum eandemque formam eſſentialem materiamque habere, in Argenti vivi, tanquam Metallorum materiæ proximæ, coctione & perfectione conſiſtentem, unde ipſam etiam de ſubſtantia argenti vivi, i. e, Metallicam debere eſſe tincturam colligi poteſt. Neque enim alias in metalla ingreſſum haberet. Cæterum materia hæc Metallorum ſpecificata, ſive ſecunda, unde, niſi ex primâ, aquoſo ſcilicet fumo (einem Waſſerſchwaden) oritur? qui Sali mundi univerſali unitus, nutritusque aſtris, ab elementis demum conſequitur, ut ſit forma viſibilis. At enim non capio (inquis,) Nitri veſtri, (illius univerſaliſſimæ materiæ copioſiſſimi ſubjecti) cum metallis miſtionem fixationemque. Non capis? Ergò impoſſibilis eſt? Credis, Mundi ſpiritum, (quem negatum nunquam, ſcio, ibis,) in ventre terræ corpus

ræ corpus ſibi aptare omnesque tàm animales, quàm vegetabiles mineralesque, ad inſtar ceræ alicujus, formarum omnium capacis, facultates recipere? Nec hoc grave ſit credere, corporeum illum mundi ſpiritum, univerſale nempe ſal, cum metallis, productis à ſe, certô modô miſceri, illorumque Accidentia (ſoliditatem, opacitatem, colorem, fuſionemque à formâ quæ ſunt,) in tenuitatem, ſemidiaphanitatem, intenſum calorem, fuſionemque ceræ inſtar, ab eodem poſſe mutari. Quid prohibet autem, quò minus adhuc longius progrediamur? Quùm tanti Mercurius tibi antimonii ſit, in quo ſal reſolutivum, ſeu radicale metallorum humidum excellenti quodam gradu ineſt, num, ſine reſuscitativorum tibi ſalium ope in proclivi foret, ex antimonio, cæterisve mineralibus aut metallis, currentem extrahere Mercurium quendam? Non poſſe te, hic fateberis, ſcio. Sequitur iſtud igitur, ſalium horum Mercurialem eſſe naturam, dum in ſibi ſimile operantur. Quid? quod & ſulphuribus ſalium analogia quædam ac ſympathia cum metallis intercedat. Siquidem id certum, Nitrum, ſuo quodam modo præparatum, antimonii Regulo aureum planè colorem poſſe inducere, quantumvis non fixum illum quidem. Cujus Clariſſ. Krafftium, amicum meum non è multis, Dreſdæ tempus jam extrahentem, experimenti teſtem laudo. Imò non ſalia ſolùm, dixerim, mercurificari metalla, ſed & eadem ſalia ſubtiliſſimi entis ſalium mercurialis, in ipſo latentis aëre, beneficio, currentem in Mercurium mutari: immò, quod amplius, conjuncta cum metallis, juxtà cum his, in Mercurium transformari; quem, quod ad formam materiemque, ab iisdem, non receſſurum, ſpes & fiducia eſt. I. enim memoratum mihi ſuprà V. capite, eſt: peculiari inſtrumento uſum *Eglinum*: Argentum ex aëre vivum traxiſſe. II. Vidi ipſemet, quam monſtraret mihi *Metallorum Magiſter Eybenſtockenſis*, *Antonius Hermannus*, currentem Mercurium, circa medium Maji 1672. delapſum in nebula & ab ipſo collectum. III. Novi, quô, absque deſtillatione aut ſublimatione, per aërem, ſive ejus potiùs ſpiritum, ſeu Mundi ſal, ex vitriolo verus Mercurius vivus præparari modo debeat. IV. Nec proceſſu deſtituor, quî ex Sale communi, immò tartaro etiam, non multùm diverſa ratione, talem exhibere me Mercurium doceat. V. Teſtatur Curioſiſſ. *Becherus, in ſuppl. 1. Phyſ. ſubterr.* vidiſſe ſe metalla attractiva facta & aëri expoſita noctu temporis in Mercurium verti. Qualem VI. Vir Rever. David. Rebentroſt / Drebacenſium Paſtor, Fautor meus dilectus ante aliquot annos, ex Saturno, ope roris Majalis exhibuit:

Et Mercurium VII. Dn. *Pölerus*, Chymicâ ſcientiâ clarus, ipſemet quoque Dresdæ, in argento, ſalibus aliquot miſto, diuque aëri expoſito, invenit. Immò VIII. omnes hinc corporum Mercurii evaporantes, rubram in argento maculam relinquunt, immortalem nempe Nitri animam atteſtantes.

E quibus, quoniam, ut confido, ſatis liquet, illum Univerſi Spiritum, cùm pro ſe, in Univerſali majori tùm per productos à ſeſe Mercurios Corporum, totum in Univerſali minori abſolvere negotium, ſpiritum autem hunc Mundi in Nitro terræ copioſiſſimè occurrere corporificatum, ſubjectum etiam Lapidis Philoſophici ſine dubio Mundi, quod jam dicimus totius, habebimus ſal: excluſo Mercurio Corporum, quem ſubjectum nihilominus conſtituimus Tincturarum, maximo tamen cum diſcrimine virium; de quibus jam pluribus referre, non tempus, nec conditio fert.

Felix itaque ter & amplius, cui noſtrum ab impuritatibus ſalibusque omnibus alienis perpurgare Nitrum contigerit! Poſſidet ille magni miraculi receptaculum, quin imò Spiritus domum, in quâ ſua volatilibus omnibus quies. Latet enim hic verus Philoſophorum, non corporalis quidem vel materialis ille, ſpiritualis ſeu formalis tamen ignis. Unde Philoſophorum lapis ille (concentratus fixatusque ignis aſtricus ſcilicet) naſcitur. Sed de tabula manum. Practicè itaque in magno hoc opere obſervationibusque efficacibus potius, quam ſpeculativè, ac rationibus meris, decertemus, qùùm ridiculum fuerit, fingere aliquid credendumque orbi obtrudere, cujus experimentum ipſemet nullum habeas. Interim ſignans totam rem *Hermetis*, Patris noſtri, præcepto, è *Libro Radicum*: *Sapientia Autoris major debet eſſe ſuô libro*: Tuumque favorem mihi pollicitus, oppidò quàm belliſſimè valere Te, quisquis es, jubeo, humaniſſime Lector.

PHOS-

PHOSPHORUS *Hermeticus*, ſive MAGNES *LUMINARIS* CHRISTIANI ADOLPHI BALDUINI,

S. R. Imp. Academ. Naturæ - Curioſorum Collegæ cognom. Hermetis.

Madrigal.

Es wer die neue Welt
Noch hinter ihrem Meer verſtecket/
Wann nicht ein kluger Held /
Der **Flavius** von Coſen /
Die Kräffte deß Magneten = Steins
Und ihren Nutz entdecket.
Es fehlet nur noch eins /
Dadurch die ſchwere Fahrten
Nach **Colchos** beſſer Arthen.
Das iſt / o **Hermes** = Sohn/
Dein feuriger Magneten = Stein/

Dein ſelbſterfundner Phoſphorus,
Der mit verklährten Schein
Des Jaſons Schiff regiren muß.
Hier glänzt ein neuer Stern: wir fahren hell und
ſchnell
Und ſehens ſchon von fern: dort hängt das güldne Fell!

Dieſes ſchrieb auß erheiſchender Schuldigkeit / zu ſtetswehrenden Andencken / ſeinem hochwertheſten Freunde

Johann Engelhart /
Medic. C.

C. D.

LUce nihil pulchrius, nihil ſuavius, nihil admirabilius. Abſque hâc ſi eſſet, mundus ipſe pulcher non eſſet. Hinc iidem lucis natales, qui univerſi. Primus mundi ornatus, prima perfectio lux fuit.

Eſt autem quædam ſcintillans, ſi non in omnibus, tamen plurimis corporibus naturalibus, & ex iis quaſi effluens: uti in ſcolopendra, inſecto illo, (Naſſel /) quod in tenebris lucet, vid. *P. Athan. Kircher. lib. 1. part. 5. Art. Magn. c. 6. §. 1.* in leone, equis, tauris, lupis, agnis, canibus, vulpibus, fele, hyænâ, avibus, piſcibus, muribus, ſerpentibus &c. *D. Tho. Barthol. lib. II. c. 2. & ſeqq.* ex quibus præ reliquis lampyrides conſpicuæ, *D. Petr. Joh. Faber in Pallad. Spag. cap. 17. p. m. 165.* & cicindelæ, *d. Kircher. in de Luce & Umbra L. I. c. 6.* in plantis, ut in fungo ſtellato & baara, nec non in lignis putridis, imò in carne vervecina, nocte inſtar multarum lampyridum lucente, ref. *Dn. Petr. Borell. Hiſt. & Obſ. Medico-Phyſ. Cent. 1. Obſ. 3.* in nobili puella gratioſiſſimæ formæ, quæ dum capillos, pectine implicatos, diſſolveret, flammas velut ardentes cœlo ſtellas è capite in ſinum excuſſit. *Joh. Nierenberg. l. 1. c. 7. Hiſt. Nat. peregr.* in ventrali mulieris ſcintill. quod vidit *Baco Verulamius de naturali & univerſali Philoſophia*, in aqua marina, quæ multum ejicit lumen. *Dn. Nicol. Papin. in tract. Gallico, de la Lumiere de Mer. & Dn. Monconys in T. I. Itin. Luſit. p. 13.* in gemmis & lapidibus, e. g. in carbunculo, qui omnium ardentium gemmarum principatum habet. *Iſid. lib. 16.*

cap.

cap. 13. Plin. lib. 2. c. 8. Anſelm. Boët. Gemm. hiſt. lib. 2. c. 8. licet ſint perdo-cti Viri, qui (ſatis ſpecioſè) ullos dari carbunculos lucentesve gemmas pernegant: *Böet. de Boot. Gemm. & Lap. Hiſt. l. 2. c. 8. Joh. de Laet. in Capite ſuo de Carbunculis & Rubinis. Muſeum Wormian. cap. 17. p. 103.* Sed lege *Benevenuto Cellini nel' Arte del Gioiellare lib. 1. p. 10.* in adamante Dn. Clayton. *Dn. Rob. Boyl. Nob. Angl. Enarrat. quar. Obſerv. de dicto Lapide p. m. 433.* & in ſimili Adamante, quem ope aquæ paulò plus quam tepidæ eò reduxit, ut luceret in obſcuro, dict. *Autor in ſpecim. de Orig. & Virt. Gemm. p. m. 124.* in Lapide *Bononienſi*, qui, certâ ratione præparatus lucique expoſitus, eam ita imbibit, ita tenaciter eam ſibi incorporat, loco tenebroſo ex theca depromptus exponatur, conceptam lucem conſervatamque non ſecus, ac vivos carbones, non ſine intuentium admiratione, diffundat. vid. *Dn. Olaum Worm. in Muſeo cap. 5. p. m. 46. & Dn. Fortunium Licetum*, qui ex profeſſo hoc egit, Item *Mazetta* P. Borm. in Philoſ. tribuit. Invenitur ejus Minera apud *Toloſam*, ubi lapides Aluminis, vulgò Alume de Rocca, fodere ſolent, doc. *P. Kirch. in Arte Magnet. Lib. 3. part. 4. quæſt. 2. p. m. 463. 464. & 469.*

Hinc ſtatuit *Dn. Joh. Bapt. Helmont. in Tract. Magnum Oportet. fol. m. 97. n. 35.* Lumen eſſe reverà ens extra lucem. *Nam*, ſcribit, *penes me aſſervo ſilicem, quem ſi ad aërem, Sole exiſtente ſupra horizontem, expoſuero, ad ſpatium trium vel quatuor ſaltem pauſarum, ac inde ad obſcurum locum detulero, ſervat conceptum Solis lumen, ad aliquod ſimile fortaſſis ſpatium.*

Quæ dum mecum aliquotiens ponderarem, cœpi eâdem operâ & de Lapide luminari cogitare, & annon idem ex materiâ noſtrâ Univerſaliſſimâ poſſit parari. Quò quidem me paſſus rationes iſtas adducere ſum: quòd eidem Philoſophicum ignem ſcirem ineſſe: nec, qui impoſſibile id ſtatuerent, meminiſſem: quodque pes, ut ſic dicam, caputque eſt, ſcripſiſſe de N. legeram Dn. D. B. (cujus penes me MSC. aſſervo:) ſolutô in Menſtruô Phil. à ſe ☉, Menſtruum nihil quicquam de colore mutaſſe: noctu autem, ſpeciem ardentiſſimi aut lucidiſſimi luminis præbuiſſe, ita, ut ad fulgorem ejus, non videri tantùm omnia diſtinguiq; clariſſimè, ſed & minutiſſimi characteres legi poſſent ac ſcribi, non aliter, ac ſi cādelas, hinc indè diſpoſitas, quis accenderit.

Itaque ante paucos admodùm dies, cùm in conficiendo *Alkaheſt* ſtudium atque operam poſuiſſem, deſtillatione peractâ, Retortam vitream, frigefactam, intùs deprehendi lucere: candentis ferri in modum, effectamque Lapidem Luminarem. Credibile erat, præſtitiſſe, quod

vide-

videram, meum *Alkaheſt*; qui penetraſſet. Mirabilitatem verò Naturæ! Unde magis idoneum, iſti partui, non occurrit, in præſens quod imponerem, nomen, quàm quod fronti præſcripſi, PHOSPHORUS HERMETICUS, ſivè MAGNES LUMINARIS. Inde enim mihi videor obſervaſſe.

(1.) Phoſphorum iſtum interdiu ex luce Solis (parùm intereſt, nubilum diei ſit, an ſerenum,) intra pauca horæ unius minuta ſplendorem adeò attraxiſſe, uti igneus planè atque ſcintillans, non ſine maxima omnium admiratione, adpareret. Unde colligere licet, & Lunam eôdem modô Solis ſplendorem continere. Ut in mentem poſſit venire, Philoſophos veteres ſubjectum ſuum catholicum, ex quo Phoſphorus hic conficitur, eâ cauſâ *Lunariam* nuncupaſſe. Eſt hic ille ignis cœleſtis, quem *Japeti* filius, *Prometheos*, Minervæ conſilio, clàm è cœlis ſuſtulit. Ignis ille inviſibilis *Zoroaſtris* & *Heracliti*, de quo *Calcidius*. Hinc Spiritus igneus *Mercurii Triſmegiſti* & aliorum Veterum.

(2.) Quantula lux candelæ accenſæ? Et reconditus tamen in iſthoc *Phoſphoro* meo ignis attrahit lumen, vel atomos igneas, efficiturque, ipſe ut luceat, etiamſi non admoveatur candelæ proprius. Quô experimentô doctrinam de atomis ſtabiliri liceat.

(3.) Quùm non ignorarem, Magneticam acum in vitro, etiam evacuato,) à Magnete communi extra applicato cieri: & ipſe, avidus cognoſcendi, Luminarem meum Magnetem vitro incluſi: qui nihilominus, ex luce ſolis & candelæ accenſæ, id quod debuit facere, lumen attraxit. Unde meridiano Sole clariùs patet, vitrum poros habere; quòd non furtivè tantùm ingredi ſubtiliſſimus aër, egredique; ſed & materiale lumen penetrare valeat. *P. Gaſp. Schotto* autore, *in Techn. Curioſ. l. 4. c. 5. Scrut. 1. §. 2.* vide & *Obſ. 62. Dn. Olai Borrichii in Actis Medic. & Phyſ. Dn. Bartholin. ann. 1671. & 1672.*

(4.) Non hic, albo parieti admotus, meus *Phoſphorus* tantùm in tenebris ſplendet; ſed & illuſtrat & lumen ſpargit; Lunæ exemplô, quæ & ipſa mutuatitium à Sole lumen orbi impertit.

(5.) Equidem repoſitus in abdito aliquandiu *Phoſphorus*, lumen adſcititium ſuum velut deponit: quod, veriſimile eſt, ad Solem videl. Mare igneum illud, (quem *Dn. Seb.* Wirdig *in Nov. Medic. Spir. l. 1. c. 27. §. 4.* vocat,) aut ad aërem interim remigrare. Cæterùm redditus luci publicæ, aut Candelæ ſaltim accenſæ, repetit, quem depoſuerit antè, ſuum

ſuum ſplendorem. Quod, quotiens libuerit, præſtiturus ſanè hic tibi, ac in perpetuum quidem, eſt.

(6.) Immiſi, cùm ſe inluſtrem ille maximè præbuiſſet, in vitrum, ſpiritu ⊕ plenum, *Phoſphorum* meum. Cæterum tantum abeſt, ut de ſplendore ſuo demitteret quicquam, uti potiùs idem iſti, velut anteà, duraret.

Extraxi autem (7) ſiccatumque in occulto ſive latere, ut amitteret, quod ſibi luminis peperiſſet, quô factô, incluſi ipſum eô, quô dixi, modô, denuò vitro, frigida pleno, de lumine certior futurus; quod, exiſtimabam, ex ſereno aëre attracturum iterùm eſſe. Nec ſpes fefellit. Continuò enim fulgorem igneum, qualis, cùm ſummus eſt, eſſe ſolet, aſſumere ille, ut ſic liquidò indè, putem, conſtare, neque incluſum ei Philoſophicum ignem, neque attractum ſplendorem, tantum virium frigidæ eſſe, quæ extinguat impediatque.

(8.) At enim iterùm ille *Phoſphorus* meus, poſt id factum, ad priora rediens, poſuit lumen, de quo totiens nobis hactenus ſermo. Igitur calidæ fornaci impoſitus, experiri volui, repetiturus, num eſſet. Et ſanè repetiit, cœpitque, velut anteà, radiare, ūtut, ubi ſtatuiſſem, expers lucis eſſet conclave.

Venit hinc in opinionem, (9.) Luminarem iſtum Magnetem, quòd non alieno tantùm lumine gaudeat, proprio ſed & ipſum igne lucere. At non, niſi externô aliquô excitaveris priùs. Eâ ferè ratione, quâ candens ferrum inſito ſibi lumine fulget, ſed quod ab igne accenſum ſit. Sicut etiam illuſtratio Lunæ non reflexione aliquâ, ſed accenſione fieri amat.

Uti igitur genuina hujus luminis detur ratio, ſuppono (10.) aërem à Sole, vel igne, illuminatum vapore quodam ſubtiliſſimo & luci concipiendæ aptiſſimo refertiſſimum eſſe. Nam lux in lucido manet, lumen à luce egreditur. Lux in Sole, lumen in aëre. Lucidus Sol, illuminatus aër eſt; vel ſecundum *Paradoxon 7. Dn. Wirdig. lib. 1. c. 7.* Ignem, lucem, lumen eſſe ſpiritus; igitur

(11.) Quod in *Phoſphoro* meo Philoſophicus ſine dubio ignis centri vicem impleat induatque, quæ magnetis indolem, eſt: non hinc fieri nequit etiam, quin, ob mutuum ille conſenſum, ignem eum, ſive ſplendorem, quem radians Sol ac ignis item jacit, ſpirat & ſpargit, rapiat & ex inopinato ſumat.

Quemadmodum ergò (12.) plurima, *Phoſphori* hujus *Hermetici* beneficio, mirabilia poſſe exhiberi, (quæ excogitare, cuivis, pro eâ, quâ eſt

eſt ingenii ſagacitate, integrum ſit, ego habeo ſic, prorſusque animum meum induco: ita cumprimis tentandum

(13.) iſtud fuerit: Annon ex ejuſdem principio, puta, *Alkaheſt*, (quem in centrum redactum ignem, opinor, rectè dixero,) ignis antiquorum perpetuus (quô de deſperaſſe *Kircherum* dubitare non ſinunt, quæ *Mundo ſubterr. l. 8. ſect. 3. p. m. 71.* prodita ab eodem legimus:) reſtitui poſſit commodè; quem in rerum olim extitiſſe natura, tot opinatiſſimorum Autorum loca teſtantur. Vid. inter cætera *Petr. Appian. Barthol. Amantium, Cœlium Rhodiginum, Dn. Fortun. Licet: de lucern. antiquor. lib. 1. c. 1. Dn. Erneſt. Burggrav. in Biolychn. Dn. Daniel Sennert. capite de longâ inedia. Alexand. Taſſon. in quæſitis lib. 1. q. 26. Hermolaus Barbarus l. 5. in Corollar. M. Zuer. Boxhorn. in Quæſt. Rom. p. m 49. Panciroll. Rer. Memor. deperdit. part. 1. Tit. XXXV. p. 124.*

Quid? quòd perſuaſiſſimum nobis (14.) eſt: Lapidem Philoſophicum, (qualem quidem proditurum è materia univerſaliſſimâ ſperamus,) cùm ſit, præter incluſum centro ignem, nihil, pari modo, & indeſinenter quidem, emiſſurum lumen neceſſariò eſſe. Quanquam in omnibus Philoſophorum libris, quos quidem videre mihi contigerit, nec vola ejus, nec veſtigium extet, præterquam in eo, quod, de itinere ſuo quem dedit, *Fridericus Gallus*, manu exaratum; legi nuper. Conveniſſe ſe, ait, quem, quòd à reliquo cœtu viventium religio ſua hominem abduxiſſet, Anachoretam vocamus. *P. Michaël* dicebatur: Et erat aliàs nobili *Trautmansdorffiorum* genere oriundus. Monaſterium quatuor milliarium ſpatio diſtans *Landsberg*. Hîc verò ſe vidiſſe imprimis mirificam rem! oſtendiſſe enim hunc ſibi ſecretò *Tincturam*, magnitudinem ſi ſpectes, non multùm fabam excedentem, eamque majuſculam. Colorem autem eum fuiſſe, qui & *Granati* lapidis eſſe ſolet, quales è Bohemiâ adferuntur non pauci. Præcipua ipſi dos ſplendor. Lampadem credidiſſes, in vitro ardentem.

Digniſſima certè res, in quâ inveſtigandâ & exponendâ ponamus ſtudium & operam. Χαλεπὰ τὰ καλά: Exerceant ingenii ſui vires, in hoc admirabili opere Honoratiſſimi Dnn. *COLLEGÆ* mecum & improbis laboribus negotii difficultatem ſuperent. Utilitatem maximam cum pari gloriâ conjunctam ex opere perfecto roportabunt.

EPI-

EPISTOLA
Viri cujuſdam doctiſſimi
continens
JUDICIUM
De
AURO AURÆ
nuper edito.
ANNO M DC LXXIV.

EXCELLENTISSIME VIR;

OPportunâ hâc occaſione TUÆ EXCELLENTIÆ præſentium Lator diſſertationem, quam ad perluſtrandum mihi tranſmiſit ante dies non ita multos, DE AURO AURÆ Dn. INVENTORIS anagrammaticè explicandi, honorifica cum gratiarum actione meo redhibebit nomine. Et cum jamdum multorum inter non adſpernandæ ſanè eruditionis curioſi cæteroquin Nobiliſſimorum virorum verſetur manus, atq; hoc ille, alius aliud pro captus diverſitate ſuper hâc ferat judicium. TUA EXCELLENTIA non ex nihilo eſſe putavit, quæ ſibi alias me ſemper habet devinctum, meum etiam deſiderare animi judicium. Non potui, nec debui honorificentiſſimo tuo deſiderio deeſſe, hâc certiſſimâ fretus fiduciâ, fore, ut hunc paupertini ingenii ſtylum æquo & benevolo ſit ſuſceptura animo voluntatem æſtimans pro facto. Quanta mortalium ſit curioſitas, & quantoperè iſti inventis nova addendo inventa poſteritati ſeſe commendantes non intermorituram nominis famam anhelent, præter alia præſens etiam exemplum, de quo TUA EXCELLENTIA mihi diſcurrendi anſam præbuit, evincit.

 Eſt

Eſt equidem hujus diſſertationis AUTHOR, quiſquis fuerit, uti ex ungue leonem, vir pereruditus, multæ lectionis Authorum tam veterum quam recentium Philoſophorum, non ſine candore acutiſſimi ingenii & judicii, Ejusque ſcriptum ob dextrè ac exquiſitè tradita nonnulla experimenta ad Naturam explicandam per Naturam ſuâ non defraudandum eſt laude; unum tamen vel alterum ſcrupulum mihi objicit, liquidiore explanatione indigentem. Non adeò Naturæ accommodata mihi videtur diſtinctio à veteribus jam olim etiam tradita, quam DNUS AUTHOR DE AURO AURÆ repetit cap. IV. p. 29. 30. & ſeq. in Aurum Aſtrale, Elementare, & Metallicum. Nam in rerum nativarum productione SOL ſeſe habet, ut cauſa efficiens univerſalis & indifferens, non ut ſpecialis ac ſpecifica, quam cujusvis concreti naturalis largitur forma ſpecifica, non univerſalis, qualis uti dictum, SOL eſt: quæ cauſa etiam, quod ipſum poſtmodùm cauſatum non de eſſentiâ cauſæ efficientis univerſalis participet, niſi omnia etiam ex triplici Mundi regno petita, vegetabilia, animalia & cœtera mineralia aſtralia & elementaria &c. ſtatuere velimus, quæ omnia æque SOL permeat, vegetat, & in ſuo eſſe conſervat, ſed non niſi univerſaliter ac indifferenter pro cujusque ſpeciei reſpectu & ratione. Ecqui igitur AURUM ſit naturalis SOLIS filius? Nec allata ratio deſumpta à pulvere fuſci coloris aut purpurei in rubrum vergentis beneficio vaſis vitrei artificioſè diſpoſita ex radiis ſolaribus collecto aliquid probare videtur, dum hic pulvis non ex radiis ſolaribus, ſed ex Sale aëris per concentrationem & reverberationem caloris irradiantis ſolaris forſan collectus fuit pag. 30. Circumvolvuntur enim in Aurâ diverſi generis Salia, quæ ignium ſubterraneorum ope & ſolis operatione meteoriſata æthera petunt, prout ſoli ſubjacentis ſuppeditat genius, nitroſa, vitriolica, aluminoſa, vel alterius naturæ vel ſeorſim vel inter ſe miſta. Sic conſtat, veri ac genuini vitrioli, Nitri item ſed impuri non exiguam quantitatem diverſis anni temporibus ex aëre Amſtelodamenſi multis aquarum ſalſarum & ſoli paludoſi miaſmaſi imprægnato artificioſi cujusdam vitri beneficio fuiſſe collectam, teſte Cl. Morhoffio in epiſtol. de Metallor. transmutat. quid? quod & Anni temporum diverſitas diverſa in aëre ſubminiſtret ſalium genera, ex quibus æſtas aut hyems, æſtivum ſcil. ſalia aëris alkaliſata, hyemale acida vitriolica excludit, vel ſeparatim vel invicem miſta, prout aëris fert mutatio. Ea autem univerſalitatem aut panurgiam vel panſpermiam affectare ego non ſtatuerim. Salia equidem naturæ architectonicæ, prout

& i-

& ignis inſtrumenta eſſe, facilè largimur, ſed non unius modi, verum varia prout varia ſunt corpora & diverſæ corporum miſtiones, quorum ope pro ſubjectorum ratione Natura in eorum compoſitione ac reſolutione utitur. Miras etiam in corporibus regni mineralis, vegetabilis & animalis ſalium adminiculoNatura perficit operationes,quæ pyrophylacia ſubterranea per omnes telluris tranſitus, omnesque venas & fodinas metallorum diſpergunt. Ecqui autem hæc ut inſtrumenta externa ad cauſam efficientem pertinentia influant in ESSE alterius ab alio proxime cauſati? vel quis ad ejus ſubſtantiam conſtituendam pertinere dixerit? in ſal omnia reſolvi poſſe & ex eo etiam conſtare inquit Dn. INVENTOR AURI AURÆ p. 43. 44. &c. Chymicâ ſcimus doctrinâ, inquiens, ſalem produci in omnibus Mundi partibus calore ipſius Mundi naturali, qui dum agit in ipſum ſuum humidum cum depaſcendo, ut nutriatur eo, humidum ipſum deſiccat, quod autem in ipſo naturali humido deſiccatum eſt, Sal eſt naturale, & naturale rei cujuscunque cum in id reſolvi nihil non poſſit, ex quibus patet, DNUM modo laudatum Authorem ſtatuere, rem nullam eſſe, quæ Salis prorſus expers ſit, imo conſtitutionem rerum naturalium primitus ex Sale dependere & in illud etiam reſolvi. Verum magnum hoc petitum eſt, multa ſunt concreta naturalia Salis expertia, ex quibus ne gry quidem Salis elici poteſt, veluti ex lactuca, endiviâ, cucurbitâ &c. ecquis ex Sole, Luna, talco, margaritis &c. eruat? quæ ignis intenſus non in calcem, ſed fuſionem reducit. Nam quod ad SAL AURI attinet, inquit Nobil. Anglus Robertus à Boyle in chemiſtâ Sceptio p. m. 100. nunquam illud mihi conſpicere datum, vel ex ullius fide digni autoptæ teſtimonio coargui, tale quid unquam ſeparatum in naturâ fuiſſe. Si verò ſolaris alicujus ſalis extractio in chymicorum proceſſibus, præſcripto per corroſiva menſtrua aut aliorum corporum Salinorum interventum ſit præſtanda, dubium homini curioſo ac cauto reſtabit, emergere SAL illud ex ipſo AURO, an ex corporibus aut Spiritibus Salinis ad id præparandum adhibitis. Utrum autem SALIA rebus naturalibus concretis, ex quibus eliciuntur inſiet, an verò ex iis fiant, videbimus; Beatus D. D. SENNERTUS priorem cum Chemicis defendit ſententiam, qui reverè SALIA rebus ineſſe formaliter, eâque arte chemicâ tantum ſeparari ſtatuunt, ex quorum numero & DNUS INVENTOR AURI AURÆ eſſe videtur. Verum ſalia & potiſſimum alkalia neque ante corporum compoſitionem exiſtunt, nec ad miſtionem faciendam confluunt, neque tandem per naturalem corporum

corporum reſolutionem unquam in naturâ apparuerunt, ſed tantum per artem ignis ope educuntur & quidem effectivè inde procedunt, ita ut materialiter quidem & potentiâ paſſivâ, ut Dn. Scholaſtici loquuntur, Salia iſta alkalia in concreto ante conflagrationem, non verò formaliter in alkali ſchemate præextiterint. Unde ſubtiliſſimè & acutiſſimè CL. HELMONTIUS in tr. Blas humanum, alkali, inquit, non generatur in cinere ab igne efficienter, quanquam effective inde procedat, nam officium ignis quidem eſt accendere, conſumere & ſeparare, non tamen quippiam producere, ſed dum alkali fixum fit ex ſale antea volatili, non eſt productio rei nova, ſed rei alteratio ſaltem. Alkali enim materialiter quidem erat in concreto ante cremationem, veruntamen dum ignis tollit mercurium & ſulphur, Sal tanquam principium magis ſubſiſtens in liquatione concremationis arripit ſibi vicinam ſulphuris, ſive pinguedinis partem, eamque dum ab ignis torturâ non ſat valet tueri, partim ſub larvâ Gas ſimul evolat atque empyrevmatis odorem acquirit, partimque incorporatur, ut verus carbo fiat. Quapropter Sulphur conjugio Salis jam fixus non celeriter è carbone in fuliginem tendit, ſed ſenſim ac non niſi aperto vaſe, adeoque cum ſulphure priore, (nam hinc ſulphur rei plerumque acutum Salis volatilis ſaporem retinet) ac tandem cum ſulphure carbonitio juſtum ſui ſalis volatilis pondus evolat; Et §. 43. Didici nempe, quod omne corpus cremabile in ſe habeat Sal volatile, quod arreptione ſui ſulphuris fixatur in alkali. Et § 41. huc quadrat, quod ligna carioſa & putrida vix Salem in ſuis cineribus relinquant. Quippe Sal volatile abſceſſit cum ſulphure per fermentum putredinis. Hæc HELMONT. idem repetit TACHENIUS ex dicto HELMONTIO in ſuo Hipp. chemico cap. 21. Nullum vegetabile habere SAL fixum, cujuſcunque ſit generis, niſi actuali comburatur igne, ita ut acidum uſtulando in alkali, & viciſſim alkali in acidum agere & apprehendere queat, &c. Verùm, quamvis hoc κειμένον, nullum ſcilicet vegetabile actu in ſe habere alkali, minus veritati repugnet; Attamen an hoc modo, quo HELMONTIUS cum TACHENIO explicat, per Vulcani artem in hanc mundanam ſcenam producatur, offerunt ſe adverſæ dubitationum procellæ. Enim verò nullum SAL ſive volatile, ſive fixum alkali fuerit actu & formaliter vegetabilibus in eſt concretis, ſed in nonnullis, non in omnibus, ut Author vult, niſi potentiâ & materialiter aliis principiis ſulphureis & ſpirituoſis congenitis adhuc immerſum; jam ſi

ſi ignis violentiam ſuam in ejusmodi capax ſubjectum exercet, illico ut ſibi ſymbolicas aggreditur partes oleoſas ſulphureas, in quibus materialiter & potentiâ latet ſal volatile ſalſum, hoc ſibi fugâ volens conſulere partim abit in fuliginem, partim à ſpiritu acido, non ſine partium terreſtrium adhæſu, grato connubio arripitur, & alkali Naturam adſumit. Adſerti hujus fundamentum ex ipſa natura petitur, & mechanicâ chemicâ. Ligna putrida ſummo licet ſtudio in cineres redegeris, quocunque ignis gradu Sal exinde non elicies, ratio quia ligna putrida ſine violentâ combuſtione per corruptionẽ internam â ſale in aëre exiſtente ſunt reſoluta, antequam violenta reſolutio per ignem inſtituta fuit per principiorum ſeparationem: Sicque antequam Sal, qui potentiâ ineſt vegetabilibus in actu fuerit redactus, aliis principiis ſulphureis & ſpirituoſis nativis adhuc maritatus unà etiam cum iis evaneſcit, adeoque etiam unà cum aliis dictis principiis naturali lege & neceſſitate volatiliſatus in Gas tranſiit. In vegetabilibus ſpiritum acidum manifeſtat illorum per retortam deſtillatio nunquam non oleis Sale volatili turgidis ſtipatum empireumaticum, uti ex tartari, ligni guajaci, buxi & aliorum deſtillatione manifeſtum eſt. Fuliginis deſtillatio quantum Salis volatilis & olei fœtidi craſſi cum ſummâ phlegmatis acidi copiâ conjuncti ſuppeditet, encheriſi chemica habemus notiſſimum. Salia demum volatilia quod concernit, quæ etiam regnum vegetabile, v. g. tartarus, feces vini, olea deſtill. vegetabilium &c. non ſolum animale regnum ſuppeditat, hæc etiam formaliter non inſunt ſuis concretis, ſed materialiter ita immerſa ſunt, ut non niſi ſummâ ac violentâ ignis torturâ deſtructa concreti textura & particularum figura inde demum cum oleo fœtido ac craſſo in fine deſtillationis per retortam igni aperto expoſitam eliciantur, nullo ante deſtillationem ſapore in concreto naturali perceptibilia.

Quod MAGNETISMUM, quo AURUM illud AURÆ ASTRALE ſcilicet compedibus quaſi ligat, nitrum eſt pag. 20. 22. item 46. 47. & 51. Quem ſeq. modo elaborandum proponit.

REC. Nitri albiſſ. puriſſ. q. v. ſint decocti lateres quatuor, intra quos crucibulum, in quo Nitrum continetur, ſuppoſito igne per duas horas, cœlo ſereno, Sole vel cancrum vel leonem, ſive virginem ingrediente tempore matutino, coërcentur. Quo facto iſtud Nitrum *ſeu* magnetiſmum brevi tempore veluti reviviſcere, moveri & minutarum quaſi centum ſpatio Sulphur aureum, AURUM AURÆ dictum IN-

VENTORI, ex AURA videbis attraxiſſe intus & extrà magnetiſmo colorem herbaceum, eumque ſummum, poſteaquam autem fuerit refrigeratus, cœruleum, qualis eſſe Eranii ſolet, aſſumente. In cujus elaboratione hæ cautelæ obſervandæ ſunt, ſi viridi in magnetiſmo leoni paulò fortiorem ignem ſuppoſueris, repetere eundem chaos ſuum, & linquere magnetiſmum ſeu nitrum prorſus vacuum & fieri, quale anteà fuit, album; maturè igitur & dum calet adhuc imbutum leone viridi magnetiſmum mortario infuſum contunde. Quod ſi hunc ſolvas aquâ fontanâ, viridis fiet, & in pulverem purpureum præcipitabitur, qui abluendus eſt. Sic pari ratione, ſi redacto in pulverem hoc magnetiſmo Spiritum vini infuderis, & digeri permiſeris iſta, leniter viridis leonis ſanguinem ſive Sulphur aureum formâ rubra extrahet, præparando AURÆ AURO potabili: Si vis indè præparare AURUM potabile, hoc præcipitatum Sulphur aureum adhibe, ablue, & ſociatum cum mundi Spiritu ſ. a. fige. Aut ſi horum ignarus fueris, deſtilla tinctum AURÆ AURO Spiritum vini, usque dum quarta ejus pars ſuperfuerit, habebis reſiduum Aurum potabile, gratiſſimi ad rubedinem aſpectus. Hoc quamvis initio aliquam præferat ſalſedinem, ſidit tamen interpoſitis aliquot diebus inſtar limpidæ, Magnetiſmus, tincturâ innatante, quam depletam à ſolis radiis in vitro munias, ad ſolem enim expoſitum AURUM iſtud brevi decolor redditur. Hæc DNUS INVENTOR DE AURO AURÆ.

Verum facilè hic aſſurgerem genio INVENTORIS noſtri, modò experimentali animaretur certitudine. Dubium enim in animo relinquit meo hâc ſuâ magnetiſmi præparatione, utrum Sulphur illud aureum ſeu AURUM AURÆ ex Aurâ magnetiſmo ſeu nitro fixo attractum ab Aura, an vero à flammâ ignis acidum in ſe continente; qui enim novit, quomodo flamma ignis inſignes ſæpè alterationes in partium corporum diſpoſitione pro variâ texturæ & figurarum mutatione producere poſſit, licet nullum Sulphur aureum vel Aurum Auræ ex Aura acceſſerit, hic in traditâ Magnetiſmi præparatione ſuſpenſas habebit rationes & in incertum ſemper fluctuabit. Tincturam Salis Tartari, ex Sale Tartari ignis beneficio ad cœrulitatem calcinato, cum ſpiritu vini extractam quis hac ratione etiam non haberet pro genuina Tinctura Solari? Quid chalybem in prunis ardentibus excandefactum tam variis ornat coloribus admodum aſpectu jucundis? quid plumbo Vulcani flammis expoſito tantam largitur colorum mutationem? vid. ſuprà laudatus Robertus à Boyle in tr. de coloribus. Hæc tanti ponderis ſunt, ut quis de

attra-

attractione Auri ex AURA mediante magnetiſmo peractâ non immerito, ambigens in hanc devenire poſſit ſententiam & ſtatuere, hunc Magnetiſmum ſive nitrum à flammâ ignis nativâ ſuâ humiditate privatum acido flammæ vice verſâ non tamen ſine partium terreſtrium adhæſu imprægnatum eſſe, quod aëri poſtmodum humido concreditum, in quo Sal aëris procul dubio abſconditum eſt, varias ſubeat texturæ ſuæ & partium tam ſuperficialium quam internarum mutationes, diverſorum colorum cauſas, exemplo ſalis tartaris, chalybis, plumbi &c. ſupra adducto. Unde accidit, ut ſpiritu vini nitro tincturâ Eraneâ imprægnato affuſo acidum hoc flammæ in eo concentratum pro texturæ & partium figuræ alteratione & mutatione illud in Aurum potabile inventoris degeneret, pulverem, qui ſubſidit, pro ſcoriis terreſtribus acido flammæ adhærentibus & à ſale aquæ fontanæ nitroſo præcipitatis agnoſco; Reliqua experimenta DN. INVENTORIS AURI AURÆ in triplici naturæ regno patefacta, ipſius committimus fidei, iis tantum à me in medium prolatis, quæ mihi injecerunt ſcrupulum, & de quibus meum deſideraſti judicium. Hæc ut æqui bonique conſulas, eſt quod opto. Quibus Te cum totâ familiâ honoratiſſimâ divinæ commendo tutelæ, me autem amicabili Tuæ benevolentiæ. Vale.

TUÆ EXCELLENTIÆ

addictiſſimus

FRIDERICUS HOFFMANNUS D.

LAPIS BONONIENSIS

In obſcuro lucens, collatus

Cum

PHOSPHORO

Hermetico,

CLARISS.

CHRISTIANI ADOLPHI BALDUINI, cognomine Hermetis, &c. nuper edito,

Et cunctis

Naturæ Indagatoribus

Ulterioris ſcrutinii ergò exhibitus

à

CHRISTIANO MENTZELIO, D.
SERENISS. ELECT. BRANDENB. Conſil. & Archiatro
S. R. Imp. Academ. Naturæ - Curioſorum
Collega.

S. R. Imp. Academiæ, Naturæ-Curioſorum,

Dn. PRÆSIDI,

VIRO MAGNIFICO, EXCELLENTISSIMO ATQUE EXPERIMENTISSIMO,

Dno. JOHANNI MICHAELI FEHRIO,

Cognomine

ARGONAUTÆ,

Dn. Fautori, Amico & Affini Honoratiſſimo,

S. P. D.

CHRISTIANUS MENTZELIUS, D.

Sereniſſ. Elect. Brandenb. Conſil. & Archiater, S. R. Imp. Academ. Naturæ-Curioſorum Collega.

ARcana rerum naturæ, dum Myſtæ illius, noſtro hoc ſeculo, curioſè perſcrutantur, divina prorſus in mortalium conſpectum videntur prodire. Atque hæc quidem, non ſine Altiſſimi nutu, ideò lucem aſpiciunt ac divulgantur, ut ipſius gloria, æternusque honor exinde refulgere, ac inter nos propagari meritò debeat. Ultimus enim hic arcanorum, rerumque omnium, eſt finis: quem, perverſo penitus hoc ſeculo, Satanas, divinarum pariter atque humanarum rerum infenſiſſimus hoſtis, bello ac regnorum everſionibus rurſum videtur impugnare, mox eruditiſſimum noſtrum ſeculum, in meram barbariem; (nî DEUS prohibeat) commutaturus. Sed cum nihil ſine voluntate divina accidat, acquieſcendum in ea erit nobis, pa-

 riterq;

riterq; ferenda, quæ mutari nequeunt & perſiſtendum nihilominus aſſiduis precibus ac ſtudiis in iis, quæ laudes,honores ac gloriam omnipotentis ſpectant. Inter naturæ verò abdita atque intima,jure mihi eminere videtur admirandus ille Phoſphorus Hermeticus, *Clariſſ.* Dn. Chriſtiani Adolphi Balduini, *S. R. Imp. Naturæ Curioſor. Collegæ*, *cognomine Hermetis*, quem ſuo Auro Auræ Hermetico, appendicis loco, adjunxit. Hic libellus Auro Hermetico totus inauratus, immò aureus eſt. Sicut autem ramus aureus, quem tegit omne nemus, non niſi columbarum volatu *Æneæ* pateſcebat: ita hoc *Aurum Auræ*, *Avicula Hermetis*, ingenuo non innoteſcet Philoſopho,niſi Spiritus Sancti ductu. Talia enim abſcondita ſunt intra reconditum naturæ ſinum, ut non niſi paucis recludantur; contemtoribus autem DEI & operum ejus mirabilium, æternum occluſa ſint, ne margaritæ porcis, ſed furfures, terræque ſordes(divitiæ mundi) quibus eorum roſtra penitus immerſa ſunt, projiciantur. Et licet Phoſphorus Hermeticus, Veneris inſtar, ſeu Phoſphori vulgaris, qui clariſſima ſua luce Apollinem præcedit, diei prodromus, cunctis mortalibus nunc illuceſcat, diemque myſterii (univerſalis medicinæ) inſtare indicet, fæx tamen plebis, ignorantiæ tenebris ſepulta, tantum abeſt, ut luce hac exorta beatè fruatur, ut potius hepiolorum inſtar, ad ellychnii flammam noctu ſeſe comburentium, damnum ex ea nacturа ſit.

Hunc PhoſphorumHermeticum, *Amicorum Optime ac Certiſſime*, ſimulac, intra ædes tuas Svvinfurti, paucis abhinc hebdomadibus, ipſe mihi perlegendum tradideras, ſtatim vidi, dixique convenire eum in multis, ratione qualitatis luciferæ, cum lapide Bononienſi, in obſcuro quoque illuſtri ac lucente, quod lapis ille penitus mihi perſpectus & cognitus eſſet. Eo temporis momento promiſi,me breviter aliquid de illo editurum, ſimulatque occaſio tuliſſet. Et quamvis de hoc lapide Bononienſi ſcripſerint olim Clariſſimi V. V. *Poterius*,*Montalbanus*, *&c.* & præ reliquis *Fortunius Licetus* Genuenſis,*Promotor quondam meus in Facultate Medica* mihi ſemper vel poſt fata venerandus, qui ſingularem & integrum librum de hoc lapide Anno 1640.edidit;Ego tamen,cùm mihi contigerit olim Bononiæ ſtuduiſſe,ac Medicinæ nec non cognoſcendo huic lapidi operam per annum & ultra, curioſe navaſſe, attingam ſaltem ea, (quantum hoc ætatis meæ decurſu memoriâ adhuc valeo, atque anteactorum,annis præterlapſis multis, recordari poſſum) quæ videntur propriâ potiùs mihi conſtare experientiâ, quàm aliorum ſcripta recudere, librum-

librumque ex libris, (quod hodie frequenter fieri amat) conficere. Quæ verò ex aliis teſtimonii loco adducere, eorumque verbis uti viſum fuit, id palam profiteri, ſuiſque literarum characteribus exprimere; non erubeſcam. Quamdiu Bononiæ vixi, acceſſi locum plus vice ſimplici ab incolis edoctus natalem lapidis, atque ibi quamplurimos lapides ipſemet collegi, colligendosque ab aliis curavi, ut eos mitterem partim *Venetias, ad Clariſſ. Dn. D. Tackenium*, qui ejus quoque lapidis exactiſſimam habet cognitionem, partim ut ipſemet eos domi calcinarem, ejusque naturam multis laboribus mihi perſpectam redderem. Ut igitur promiſſis ſtem, leviter ſaltem (ut dixi) attingam ea, quæ mihi cognita ſunt de hoc lapide, uberiora relinquens præfatis Clariſſ. V. V. ne crambem (quod ajunt) bis coctam afferam, ſed ut, quod ſelectius in hoc olere reperi, apponam, *lapidemque hunc luciferum* in medium producam, cum *Hermetico Phoſphoro, in plurimis quidem, non tamen in omnibus comparandum.* Accedit & præcipua cauſa, quod in hac materia perbrevis ſim, nempe *officii ratio*, qua *Sereniſſimi Electoris Brandenburgici, Domini mei Clementiſſimi* caſtra, nunc *per ſeptendecim annos* ſecutus, ob varias itinerum ambages per *Germaniam*, omnis mihi occaſio ſcribendi hactenus in itineribus præciſa fuit; donec tandem, juſſu Sereniſſimi Electoris, hîc in caſtro ejus Sparenberg dicto, quod in edito monte ſitum Urbi Bilefeldienſi imminet, apud *Conjugem Ejus Sereniſſimam*, quæ ob partum inſtantem hîc ſubſiſtere cogebatur, commorari pauliſper, ut ejus curæ præeſſem, mihi contingeret. Unde per paucos aliquot dies paulò quietior mihi redditus, atque ſic occaſionem ſcribendi nactus, paucula hæc, ſtylô magis Philoſophico, terminis chemicis aliisq; technologicis aſperſo, nec claſſicis Romanis Auctoribus per omnia conformi, de lapide Bononienſi lucifero in lucem edere tentavi. Et quamvis ſatius duxerim, latere potius, ac meo me metiri modulo, quam gloriolam aliquam, ex aliquo ſcripturæ genere, apud nonnullos captare; tu tamen, *Excellentiſſime Vir*, voluntati huic meæ reſtitiſti, & tua exuberante humanitate atque amicitiâ (quâ arctiore, ex parte uxoris, affinitatis vinculo adſtricta forte fortunâ comperiebatur) adeò mentem immutâſti meam, ut fractis propoſiti repagulis, ex obſcuro, nunc in lucem, cum lapide meo Bononienſi progredi non dubitem: calcaria hôc imprimis addente, *Illuſtrium atque Excellentiſſimorum Dnn. Collegarum S. R. Imp. Academiæ Naturæ Curioſorum Album mihi exhibueris, cui nomen meum inſerere, fidemque dare jubebas.*

Cui ergo potiùs, quàm *Tibi*, *Virorum Ampliſſime*, hunc qualemcunque libellum dedicatum irem, qui, tot & tantis amicitiæ nexibus, me *tibi* devinctum reddidiſti?

Accipe igitur, *Amicorum maximè*, qualem qualem ingenii mei hunc paucorum dierum partum, *Lapidem Bononienſem luciferum*, humanitatis ac benevolentiæ tuæ ulnis, quo ſub ſcuti tui umbra, concepta priùs Apollinis luce, clariùs eluceſcat, protegatur, ac nunquam non amore ſincero foveatur. Vale. Dabam in caſtro Sparenberg / Pridie Non. Jul. Anno 1675.

CHRISTIANO MENTZELIO,

Philoſ. atque Medic. D. Conſil. & Archiatro Electorali

Prænobil. Excell. Clariſſ.

Cum de Lapide Phoſphoro, in Monte Sparenbergenſi ſcriberet.

Dicitur admotâ faculâ, radiante *Prometheus*
Ignem de Solis ſurripuiſſe rota.
Ipſum Caucaſei juvarunt culmina montis,
Queis cœlo proprio, ſideribusque fuit.
Ecce Promethides etiam MENTZELIUS altum
Felici montem ſidere nuper adit:
Cogit ibi in Lapidem flagrantis lumina Phœbi,
Ut tenebris clarè *Phoſphorus* inde micet.
Incola nunc montis, ſic inclareſcere perge,
MENTZELI! æternas flat tibi fama tubas.

Collegæ & Amico Honoratiſſ. L. M. Q. Berolini

F.

JOH. SIG. ELSHOLZ.

Luciferum Lapidem, quem clara *Bononia* monſtrat,
Hoc libro oſtenſum *Teutonis ora* videt.
Hîc Tibi præcipuæ debetur adorea laudis,
Mentzel, qui doni nos novitate beas.

Pan-

Pandere naturæ Myſtes myſteria perge,
    Per Lapidem poterit creſcere fama Tibi.
Non ingratus erit *Lapis hic*, ſed præmia reddet
    Luminis Auctori, lumen & ipſe *novum*.
Marmoribus poſitis multorum *nomina clarent*,
    Unde Tibi creſcat fama, *libellus* erit.
Quo *certi* ſcitè *Lapidis Myſteria* pandis,
    Ars facit, ut poſſis *luminis* eſſe *capax*.
Marmora tempus edit, non ſunt ea fata librorum:
    Namque *libris doctis ſtat ſine morte decus*.

Sic benè huic libello ominabar
Johannes Manzius, Scholæ Bilefeldienſis Rect.

VIr perſpicaci mente, qui *Chironiæ*
Non nuperus, novusque, ſed longo potens
Uſu, probatus *artis* audis *arbiter*,
Morum lepore & comitatis gloriâ
Secunde nulli. Ceu per *Africæ* ſinum,
Calore ſolis æſtuantem fervidi,
Qualis lubido prælii, aut crudæ dapis,
Interritæ rapit Leænæ maſculum,
Seu mugientes inter adſtitit greges,
Taurumque luctantem premit mordaciùs,
Oviliumve pervagator omnium,
Mox unguibus fert molle balantum pecus:
Sagaciori pectori ſe ſic Tuo
Immenſus ardor curioſitatis, &
Talis ſciendi fervor, atque audax calor
Transfudit. *Haud unius* es *Phœbi* decus!
Parum eſt, per herbas & medendi munia,
Machaonis celebriora reddere
Decora, mortem ſiſtere, & moram dare
Lintri, genus mortale quæ raptum vehit:
Felicitate curioſâ nî petas,
Divæ parentis, alta *Naturæ* ſacra,
Cauſasque noviſſe & modos, BONONIÆ
Queîs LUCIFER ſe det LAPIS Collegio,

Auctoritate CÆSARIS ter Maximo,
Natura, cuî ſolertiâ non futili,
Indagine & ſublimiore panditur.
Felix laborum! Sic bono periculo,
Domosque Naturæ impetu laudabili,
Perquiris ardens & remota viſitas.
Tua iſta laus, *Vir Erudite*, qui ſimul
Facem extuliſti mentis altæ, protinùs
Fugêre nubes, priſcus & *Lapidis* nitor
Bononienſis inſtitit redire mox,
Ceu nocte pulsâ clarior dies redit,
Ceu vere ſudo ſolis emicat jubar.
Quapropter eſto macte, MENTZELI, Tuâ
Virtute; *Non* Te *lucis indigum* premet
Gens poſterorum, donec aut *Muſis* honos
Extabit, aut ſuum labori præmium.

Exiguum hoc officioſæ Cliûs ſuæ monumentum
Nobiliſſ. Dni. Auctoris honori poſuit

Johannes Lohmeyer/Scholæ Bilefeldienſis Pro-Rector.

VIrtutes *Lapidis*, radianti luce coruſci,
Quem nobis rudibus *peramœna BONONIA* mittit,
MENZELI, in menſa jam Solis, *Lucifer ipſe*,
Exponis, *Spareberga* tuo applauditque labori,
Et meritò: Hinc etenim *Monti* quæ gloria ſurgit?
Quas memorare tibi poterit *Bilefeldia* grates?
Luce tuæ mentis, MENZELI *maxime*, quod jam
Per *Lapidem, Urbsque* ſuo *cum Monte* coruſca ferantur,
Hactenus in tenebris & denſa nocte ſepulta,
Fructiferi Autumni ceu tempore ſæpe videmus,
Urbem Turrigeram nebularum mole gravatam,
Cynthius Heſperiis cum nondum ſoſpes ab undis,
Sed ſimul in roſeis ac fulget lutea bigis,
Quæ ſurrecturos ſurgendo prævenit *Eos*,

Ac

Ac radiante ſuo ſplendore coruſcat *Apollo*,
Diſpereunt nebulæ denſantis opercula cuncta,
Et genuinus adeſt rebus color omnibus; Ecce,
Haud aliter nobiſcum agitur, *VIR MAXIME*, dum jam
Phoſphorus illuxit mentis *præfulgidus* illi
Prædicto *Lapidi Tuus*, hinc ſplendore perenni
Eximius *lapis*, *Urbsque* ſuo cum *monte* coruſcant:
Quas memorare tibi poterunt, *VIR MAXIME*, grates?

Paucula hæc Excellentiſſimi Dni. Auctoris opuſculo gratulabundus præfigere voluit
Johan. Crummel, Con-Rector.

SYLLABUS CONTENTORUM.

PROŒMIUM.
Sect. I. C. I. De virtute lucifera lapidis Bonon. cum Phosphoro Hermetico Cl. Bald. communi.
C. II. De Phoſphori Hermetici excellentiore virtute lucifera, quâ lapidem Bonon. ſuperare videtur.
C. III. De qualitate lucifera lapidis Bon. quoad colores ſibi propriâ & quam Phosphorus Hermeticus non videtur poſſidere.
C. IV. De cauſis colorum luminis in Lapide Bonon. & Phosphoro Hermetico.
C. V. De cauſis Coloris Candidi luminis in Lapide Bonon. & aliis rebus.
C. VI. De proprietate Sulphuris & fœtoris in Lapide Bonon. differente à Phosphoro Hermetico.
Sect. II. C. I. De loco natali L. B. & an nusquam reperiatur lapis lucifer, niſi in tractu Bononienſi.
C. II. De aliis rebus, quæ in loco Natali lapidis Bon. reperiuntur.
C. III. De Marcaſithis & aliis rebus, quæ in loco Natali Lapidis Bonon, inveniuntur.
C. IV. De figura & magnitudine Lapidis Bononienſis luciferi.
C. V. De differentiis & notis optimi Lapidis Bononienſis luciferi, & vilioris ſeu non lucentis.
C. VI. De præparatione Lapidis Bononienſis luciferi.

C. VII. De Quidditate & Cauſis proximis Lapidis Bononienſis.
C. VIII. De Cauſis lucis in lapide Bononienſi & Uſu ejus medico; Epilogus.

PROOEMIUM.

ANalogiam cœli & terræ, rerumque omnium, ſapiens antiquitas non invalidis viſa eſt ſtabiliiſſe fundamentis, cum Macrocoſmo, ſupremaque infimis reſpondere ſtatuit. De qua analogia, Harmonia cœli & terræ, aureaque catena, quâ omnes res naturales ſibi invicem cohærent, alii alibi. Ego brevitati ſtudens, hîc analogicum aliquem ignem, in Lapide Bononienſi, rite per ignem præparato, exhibeo, ac per modum compendii id ſaltem in medium profero, quod memoriæ meæ poſt tot annorum intercapedinem adhuc inhæret: quatenus ille Lapis ratione luminis, quod ex aëre, radiis ſolaribus illuſtrato, concipit, cum Phosphoro Hermetico *Clariſſ. Viri Chriſtiani Adolphi Balduini, cognomine Hermetis*, partim convenit, partim diſcrepat. Hic Phosphorus Hermeticus, quem non ſine admiratione ſumma quilibet Naturæ Curioſus mecum intuetur, quique hactenus noſtra ætate inſtar ſolis rurſum exoritur, nec absque ſole per orbem Lumen ſuum diffundit, eundemque perluſtrat, anſam præbuit, quare hîc de *Lapide Bononienſi Lucifero* ſcripſerim. Hinc factum, ut relicta methodo vulgari (qua res quælibet pertractatur ſuo nomine, definitione, genere, differentia, cauſis & ſimilibus locis communibus) *Phosphorum hunc Hermeticum Cl. Balduini*, præmiſſum cupiam inſtar alicujus textus, qui comparatione inſtituta cum re altera, pertractari paucis debeat. Ita enim cum de proprietatibus *Lapidis noſtri Bononienſis Luciferi*, quas obtinet communes *cum Phosphoro Hermetico*, egero, B. Lectori lectio fiet magis perſpicua; Immo & futurum ſpero, ut factâ collatione inter duo hæc luminaria, ſedulus naturæ ſtudioſus, ulteriùs inquirere, ac tandem veritatem indagare poſſit: id quod primarius cujuscunque rei ſcopus ac finis eſſe debet. Quapropter ſtatim comparationem Lapidis Bonon. luciferi cum Phosphoro Hermetico aggrediar, & facta partitione libelli mei, agam *in prima ſectione* de proprietatibus luciferis, quibus noſtri duo Phosphori ad invicem congruant, aut differant, & quid peculiare Phosphorus Hermeticus poſſideat diverſum à lapide Bononienſi, & viciſſim hic ab altero. *In ſectione altera* agetur de ipſo Lapide Bononienſi, & in genere, & in ſpecie: nempe de ejus Inventore, loco natali, de aliis rebus,

bus, quæ in dicto loco reperiuntur, de differentiis Lapidis, cauſis & quidquid breviter diſſeri de Lapide Bononienſi per modum Enchiridii poterit, relinquendo *Clar. Liceto* & aliis ſua, quæ de Lapide hoc, ejusque cauſis, more Peripateticorum, fuſius pertractarunt.

SECTIO PRIMA.

CAPUT I.

De Virtute Lucifera Lapidis Bononienſis cum Phosphoro Hermetico Cl. Balduini *communi.*

PRima *Clariſſ. Balduini* Obſervatio de Phosphoro ſuo Hermetico eſt hæc: *quod interdiu ex luce ſolis ſplendorem attrahat:* uti pluribus in præfixo Phosphoro legi poterit.

Hæc qualitas cum Lapide Bononienſi noſtro penitus eſt communis. Poſtquam enim lapis noſter legitimè eſt calcinatus, aërique diurno expoſitus, ſive aër ſit nubibus obſcurus, ſive earum expers & radiis ſolaribus pervius, brevi temporis momento is lumen à Sole mutuatur, attrahit, atque in obſcuro illud oſtentat. Unde lapis noſter quodammodo Nomen *Lunariæ* quoque promereri videtur, cum æquè ac luna ſuum lumen â Sole adſciſcat. Præſtat autem noſter lapis Bononienſ. hanc vim luciferam ſolùm à Sole, exiſtente eo ſupra Horizontem, ſive dies ſit ſerenus, ſive obnubilatus, quemadmodum ego quidem expertus ſum. Clariſſimus autem *Poterius* lib. 2. Pharmac. Spagyr. c. 27. & ex eo *Fort. Licetus*, Lith. c. 5. &c. aſſerunt, lapidem hunc à Luna quoque ſuum recipere lumen, unde â quibusdam dicatur Lapis Lunaris.

Ego verò, etſi tantis Viris reclamare nolim, cum multum in modo præparandi ſeu calcinandi lapidem ſitum ſit, alterque lapis alterum virtute Lucifera ſuperet, ut hac ratione poſſibile ſit, aliquos lapides Bononienſes etiam à Lunæ aſcititia luce lumen acquirere, atq; in tenebris illud repræſentare; ſæpius tamen experimentum cepi ex meis lapidibus calcinatis, quos noctu, ſereniſſima exiſtente tempeſtate, ad lucem Lunæ mutuatitiam expoſui, cum jam Luna penitus eſſet plena, ut explorarem, utrum tunc quoque lumen imbiberent è Luna; verùm lapides iſti optimè præparati & luciferi tunc temporis nihil quidquam ſplendoris aut lucis retulerunt in obſcuro, etſi fruſtra per totam noctem ad pleni-

lunium clarum experimenta feciſſem. Mane vero ſummo, ſimul ac Apollo relicta aurora Horizontem attigerat, lapides iſti ſub dio collocati, rurſum in obſcuro lucere incipiebant, ſatis clarè, inſtar ferri candentis, aut carbonis, colore miniaceo rubro: argumento non invalido, Solem eſſe ſcaturiginem ignis ac lucis: ſicuti hoc ipſum aliis conſtat argumentis.

2. Secunda Obſervatio Clariſſ. Balduini eſt, *quod ejus Phoſphorus Hermeticus vel ad parvulam candelæ flammam lucere deprehenſus fuerit.* Tantus lapidis Bononienſ. Magnetiſmus tam facile lucem ab imbelli candelæ flamma concipiendi, à me non fuit obſervatus, cum illum ad ellychnii flammam nunquam admoverim. Hoc autem experimento deprehendi, cum locaſſem illum prope ignem focalem, ubi erat multa flamma cum prunis igneis: ſic repoſitum, poſt moram aliquam in pileum, vel locum obſcurum, reddidiſſe parvum lumen, vix ſenſibile. Vnde poſſibile eſt, eum quoque à candelæ flamma lucem mutuari & tanquam accendi poſſe. Idem hoc *Clar. Licetus* in ſuo Lith. c. 4. approbare videtur, inquiens: *lapidem Bononienſem etiam à flamma facis ardentis lucem concipere*, & hinc quibusdam *lunam terreſtrem* dici.

Colligitur hinc, lapidem Bononienſ. æque ac Phoſphorum Hermeticum lucem poſſe concipere ab igne focali & terreſtri, & ideo hæc duo luminaria etiam hac in parte quodammodo convenire; differre tamen inter ſe virtute concipiendi: quod lapis Bononienſis difficiliùs: Phoſphorus autem Hermeticus faciliùs lumen ab igne hauriat.

3. Tertia Clariſſ. Auctoris Obſervatio hæc eſt, *quod ejus Phoſphorus Hermeticus, vel vitro incluſus, nihilo ſecius lumen ex luce Solis & candelæ accenſæ, attraxerit.* Idem experimentum feci & ego in lapide Bononienſi, qui à me in vitrum poſitus, & ita clauſus radiis ſolaribus expoſitus, lumen de ſe ſparſit in loco tenebricoſo. Unde Auctor noſter poroſitatẽ vitri probare nititur. Conveniunt igitur hac in re quoq; noſtri duo Phoſphori.

4. Quarta obſervatio prætati Dn. Auctoris eſt, *quod ejus Phoſphorus, non tantùm albo parieti admotus, in tenebris ſplendeat: ſed etiam parietem illuſtret, & inſtar lunæ, terram illuminantis; lumen quoque de ſe reddat.* Noſter lapis Bononienſis, etſi ſubjectum tenebricoſum, in quo ille lumine plenus collocatur, non valde illuſtret, uti Phoſphorus Herm. album parietem; in pileo tamen repoſitus, ubi chartam albam quoque locavi, lumen quamvis debile & vix ſenſibile circum ſeſe effudit, adeo ut ſubjectum ſive fuerit pileus, ſive charta, exactè potuerit dignoſci. In albo autem pariete non inſtitui experimentum.

Con-

Conveniunt igitur quodammodo & in hac re Phoſphorus Hermeticus & lapis Bononienſis, quod nempe ambo de ſeſe, indiſtans, poſſint effundere lumen, quamvis hic remiſſiùs, ille autem fortiùs.

5. Quinta Obſervatio *Cl. Balduini* de ſuo Phoſphoro Hermet. eſt, *quod ille aſcititium ſuum lumen per morulam interjectam iterum deponat.* Idem hoc in lapide contingit Bononienſi, cujus lumen, ab aëre ambiente claro conceptum, non diù in ſubjecto ſuo permanet, ſed iterùm poſt aliquam moram tenues evaneſcit in auras, reditque eò, unde venerat: repetit autem lumen, quoties iterum luci exponitur publicæ, non tamen perpetuo retinet. Sic ambo Phoſphori conveniunt prædictis quinque modis, quibus comparari inter ſeſe poſſunt. Denique ſunt alia, quibus conveniunt, de quibus ſuo loco.

CAPUT II.

De Phoſphori Hermet. excellentiori virtute lucifera, quâ Lapid. Bonon. ſuperare videtur.

AT incomparabilia, nec quicquam communia, inter Lapidem Bononienſem & Phoſphorum Hermet. ratione virtutis luciferæ, videntur ea, quæ *Clariſſ. Balduinus Obſerv. 6. 7. & 8.* habet, nempe: *quod Phoſphorus ejus Hermet. lumine ſolari prægnans, in vitrum ſpiritu nitri plenum conjectus, nihilominus lumen in obſcuro de ſe ſparſerit.* Deinde *quod ex iſto liquore extractus, iterumque exſiccatus in occulto, ut lumen amitteret, rurſumque poſitus in vitro frigidâ pleno & expoſitus luci diei, fulgorem igneum nihilo ſecius iterum attraxerit vel in ipſâ frigidâ.* Deniq; & *quod exemtus rurſum ex frigida exſiccatusque & in occulto orbatus ſuo lumine, calidaque fornaci impoſitus, lumen ſuum repetierit quoque in ipſâ fornaci, licet camera fuerit obſcura & lumine penitus orbata.* Forſan vim luciferam à calore fornacis recepit Phoſphorus ille, qui ab aëre ambiente obſcuro cameræ non poterat eam acquirere.

Admiranda ſane talia, nempe: quod lumen clariſſimum alicui ſubjecto inhærens, & quod non tantum ſummâ ignis vi, ſeu calcinatione, & calorem & lumen abſconditum retinuerit: verùm etiam ab externâ ignis, ſive ſolaris, ſive terreſtris, luce, tanquam de integro, & calore & lumine accenſum & exaltatum, ejus calor & lumen frigida, vel alio liquore, non extinguatur, ſed ſuum vigorem, calorem, lumenque retineat illæſum, ſalvum & integrum. *In hiſce omnibus, inquam, Phoſphorus*

Her-

Hermeticus ſuperare videtur noſtrum Lapidem Bononienſem. Quamvis fatear, me talia, experiundi gratia, nunquam aggreſſum fuiſſe, aut de iis, experimento indagandis, ullas ſuſcepiſſe cogitationes. Arbitror tamen, lapidem noſtrum, in liquore, aut frigidâ, ſubmerſum, ideò non lucere, quod noverim illum, vel calcinatum, facilè aquam rurſum imbibere, quoniam ante ſui præparationem & calcinationem, in pulverem ſubtilem teritur, & aquâ miſcetur. Utrum verò Phoſphorus Hermeticus, aquâ ſubmerſus, eam quoque in ſe abſorbeat, vel minus, *Clar. noſter Auctor* declarabit. Itemque experientia, rerum magiſtra olim nos erudiet, utrum talia Lapis noſter Bononienſis præſtare quoque poſſit, nec ne. Interim tamen, quia nihil hujus admirandæ qualitatis luciferæ, de Lapide Bononienſi, poſſum affirmare aut prædicare, quam hoc loco *Cl. Balduinus* de ſuo Phosphoro Hermetico protulit: ideoque brabeum auferat jam Phosphorus ille, cedatque ei noſter Lapis Bononienſis, quem olim tantopere admiratus fuit, & cui ſimillimum, quoad virtutem luciferam, in natura dari *Clariſſ. Licetus Lith. c. 24. & paſſim*, pernegat. Verùm dies diem docet, & ſicuti almus Sol, ſingulis diebus, ſingula producit, aufert, redintegrat; ita definitis ſuis ſeculis, abditas naturæ artes, ex ignorantiæ abyſſo producunt, ablatasque reducunt Apollinis Filii, Hermetisque nepotes, queîs

de meliore luto finxit præcordia Titan.

Cæterùm quæ *Clariſſ. noſter Auctor* loco *9. 10. 11. 12. 13. & 14.* ponit, ea, ad vim Magnetis univerſalis luciferam, non ſpectant, ſed vel ejus cauſas, vel alias res beneficio ejus Phosphori Hermetici, inveniendas.

CAPUT III.

De Qualitate Lucifera Lapidis Bonon. quoad colores ſibi propriâ & quam Phosphorus Hermet. non videtur poſſidere.

PLures igitur proprietates, ratione Virtutis luciferæ, communes habet Lapis noſter Bononienſis, cum Phosphoro Hermetico *Clariſſ. Balduini*, non tamen præcipuas & excellentiores. *Ratione* autem *colorum lucis videtur ſibi aliquid peculiare & proprium vindicare Lapis noſter.* Nam licet ordinarius color luminis in utrisque luminaribus ſit, inſtar ferri candentis, aut carbonis ignei, nimirum ruber, uti minium; obſervavi tamen quoque Lumen in eo cœrulei coloris, inſtar viridis æris, aut cicindelæ, vel ſulphuris ardentis, candelæve jam jam ardere

dere incipientis. Hoc ipſum quoque obſervaſſe *Clariſſ. Montalbanum Prof. Bononienſ.* (quem ex Cathedra olim diſſerentem audivi, magnâ *Viri eruditiſſimi* familiaritate uſus) *Clariſſ. noſter Licetus in ſuo Lith. c. 27.* oſtendit, inquiens: *Clariſſ. Montalbanus quoad colores, tres obſervavit differentias, tùm vividi luminis, in rubro ſaturo veluti carbone, ferrove candente: tum ſubcœruleam, vix Sulphuris levem flammam; tum rariſſimas igneas quaſi favillas.* Eſt autem color ille cœruleus vel ſecundum *Montalbanum* ſub-cœruleus, viriditate aliqua mixtus, qualis in viridi ære, ♀ & vitriolo Veneris &c. eſſe ſolet. Deinde ſemel tantum mihi contigit videre. in Lapide quodam Bononienſi calcinato, lumen ex rubro obſcurè candicans. Hunc arbitror eſſe, quem *Clar. Montalbanus*, deſcripſit ita, quod rariſſimas referat igneas quaſi favillas. Hi duo colores, nempe cœruleo viridis, nec non candicans, ut favillæ, non ſunt *à Clariſſ. Balduino* annotati *in ſuo Phoſphor. Herm.* Unde præſumitur, illius Phoſphorum his carere coloribus. Etſi negare nolim, quod Clar. Auctor, *Aurum Auræ* ſuum hiſce coloribus aliquando (ſi ſtudium in hac re & operam velit locare) tingere poſſit, ut ejus lumen de ſe tales, in obſcuro, reddat colores.

Caput IV.

De Cauſis Colorum Luminis in Lap. Bononienſi & Phoſphoro Hermetico.

Cauſas igitur colorum proximas in lumine Lapidis Bononienſis ut leviter inquiramus, ſervabimus ordinem colorum triplicem, in noſtro Lapide Bonon. *à Clariſſ. Montalbano* obſervatum.

Primus igitur ordinarius & præcipuus *color* luminis in Lapide noſtro, cum Phoſphoro Hermetico communis, eſt *ruber ſatur*, qualis in carbone & ferro candente ſolet eſſe: hunc ſi *ſubſtantialem*, juxta uſuales pictorum colores nominare velis, quo ignem vulgarem, carbones aut ferrum candens in tabula repræſentare nituntur, minium, vel ex cinnabari & auripigmento vel plumbagine lutea mixtum colorem, minio ſimilem, nomines neceſſum erit. Unde igitur hic in igne vulgari color ruber-aureus? A fonte, reſpondeo, omnis ignis, caloris & coloris, *almo* ſcilicet *Sole*, ſiderum rege, auricomo Apolline. Hic ſuo fovente calore, aureoque colore cuncta penetrans & permeans, Sulphuris ſui aurei rubri qualitatem rebus cunctis, ad tale Sulphur ſuſcipiendum

aptis, impertit: unde ex iis flamma iterum excitata tali reſultat colore, qualis ingeneratus illis atque impreſſus antea fuerat: in flamma quidem aureus lucens, in carbonibus autem cineribusque, miniaceus & ruber. Veriorem qui producere poteſt cauſam hujus in luce & igne coloris, ejus veſtigia lubens ſequar.

Secundus color in lumine lapidis noſtri mihi *cæruleo-viridis*; *Clariſſ.* autem *Montalbano* ſubcœruleus eſt. Hunc à Sulphure & Vitriolo Veneris provenire ſtatuo. *Alma Venus*; antiquorum Phosphorus, Heſperusque: Apollinem nunc præcedens, nunc ſequens: Diei nuncia noctisque. Si ab hac ornatus noſtræ terrenæ Veneris profluere debeat, veſtiri ac indui eam habitu cœruleo-viridi (uti in ea deprehenditur) neceſſe erit. Hæc ſua obtinet ſubjecta, quæ tali colore inficit, nunc magis, nunc minus. In noſtra Venere eſt Sulph. & Vitriolum cœruleum exuberans: & in Sulph. & Vitriolo cœruleo eſt quoq; Venus. Hæc ignis aërisque lucidi amantiſſima eſt, adeò, ut nullus ferè ignis accendatur, qui ante multam flammam, ſtatim in ſui exordio, colorem cœruleo-viridem, Sulphuris accenſi in modum, non referat. Imò baſis cujuscunque flammæ, ſive ſit ellychnium, ſive lignum, ad latera ſua hunc exhibet colorem. Inficit ♀ omnes liquores ſuo æruginoſo ſapore & colore: imò ipſum replet aërem odore & colore. Sal armoniacum factitium noſtrum, in ignem conjectum, flammam exhibet cœruleo-viridem, quem colorem, ex vaſe cupreo, in quo Sal armoniacum erat confectum, contraxerat. Sic in officinis ferrariis vel laboratoriis Chemicis, ubi vel tantillum Veneris, aut Sulphuris aut Vitrioli fuit carbonibus immixtum, flamma ſubinde eminet ſubcœrulea. Ipſum cuprum in igne patente flammam hoc colore ditat. Et quod admirandum eſt, ſi flammam candelæ per ſiphunculum, quo aurifabri argentea ſua Opera, beneficio borracis vel alterius medii, ad invicem conſolidare ſolent, in rem cupream, Sulphure aut Vitriolo ♀ conſtantem, inſuffles, ipſo momenti puncto, quo candelæ flamma iſtud cupreum objectum attingit, tota inficietur flamma colore cœruleo-viridi, ad ellychnium usque, nihil obſtante impetu halitûs impulſi, quo effluvia Vitriolo-Sulphurea ♀, vel cuprea, vi flammæ impulſæ, abarceri potius præſumerentur, quàm ut tanto flammæ ictui contraniti, imò ſeſe per totam flammam ingerere poſſent. Adeò rapidiſſimè flamma cupreas abſorbet partes, ut nulla aëris vis nec ullus impetus obſtare poſſit. Unde probabile eſt, Venerem noſtram igneis & Sulphureis partibus totam conſtare,

aërem-

aëremque talibus & omnium rerum effluviis eſſe refertiſſimum. Quod ſi cauſam *lucis cœruleæ*, in cicindelis vel lampyridibus vulgò dictis inſectis, *noctu ſplendentis*, aliquis in materiam Sulphuream aut vitriolo-cupream, eorum luci, à ſummo creatore, ab initio rerum, implantatam & admixtam, referre voluerit, ei non contrarius obviam irem. Sed de hiſce inſectis, eorumque generibus, differentiis, & qua parte corporis & quo tempore luceant, experimenta mea in aliud differam tempus. Cum itaque in loco natali Lapidis Bonon. vitriolum ♀ & ♀ in marchaſitis aureis ubertim ibi jacentibus, copioſè reperiatur, & Lapides quidam hoc Sulphure & Vitriolo prægnantes ſint; An igitur aliunde color luminis cœruleo-viridis, quandoque in lapidibus noſtris, quam à Sulphure & Vitriolo ♀?

Caput V.

De Cauſis Coloris Candidi in lumine Lapidis Bonon. & aliarum rerum.

Tertius & ultimus color luminis in noſtro Lapide Bonon. obſervatus *à Clariſſ. Montalbano* eſt, quod lumen in eo quandoque rariſſimas referat *igneas quaſi favillas*. Cum autem favilla omnis ſupra cineres, ſub qua ignis latitans adhuc rubet, colore candido niteat, ideoque color luminis in Lapide Bononienſ. quandoque erit candidus: quod mihi ſemel tantùm, licet obſcurè, videre contigit. Cauſas hujus rei perquirenti, mixtura Sulphuris albi, argentei, ſtanneique, nec non particulæ ſalino-nitroſæ mihi videntur. Diana noſtra cum cygnis ſuis albicat, multumque candoris cum Jove rebus ſuis impertit, in quas incidit: ipſamque Venerem albedine illuſtrat & ſuperat, præſertim humiditatem nacta. Confer te in altum, noctuque cœlo ſerenante (cum navis tua, tranquilliore aëris motu, mare altiſſimum, ut eſt Atlanticum, ſulcat,) injice vel leviſſima quæque in mare, etiam minimas ſputi tui guttulas, roris in modum, ex ore tuo ſparſas, & videbis argenteas in ipſo mari ſcintillulas relucentes, quotquot, roris inſtar, guttulæ ſputi tui in mare inciderint. Lignum putridum, Argenteum ſuum ſplendorem noctu non exhibet, humiditate ſua privatum: cum enim Sulphuris rubri partibus ſit orbatum, albumque adhuc cum nitroſis particulis inhære-

at, neceſſum eſt in humido, lignum relucere noctu colorem candidum.

Calcinabam olim Studioſus antimonium cum nitro, more vulgari, in tigillo, ut haberem diaphoreticum vulgò dictum: cumque materiam ſpatulâ agitâſſem in crucibulo, ignemque ſubtus occultâſſem lateribus, ne eſſet conſpicuus, in loco tenebricoſo & veſpertino tempore, apparuit mihi materia agitata, præſertim ad latera tigilli, tota argentea, luce perquam candida, paucula tamen viriditate intermixta.

Cauſam in Sulphur aliquod album, quod contineret antimonium cum nitro permixtum, transtuli: quamvis hoc Phœnomenum poſt hæc mihi nunquam affulſit vel aliquoties inquirenti: *Saccharum albiſſimum*, quod optimum habetur, durumque eſt, ſi in obſcuro, ab illo aliquid cultro abradas, lucem candidam, ſcintillarum inſtar, exhibebit, ob partes ſalino-nitroſas cum ſulphure albo permixtas.

Has particulas, effluvii lucentis in modum, egredi quoque ex *cati* pilis & *cato* exiſtimo, cùm in tenebris pellis cati adverſum pilos, ſeu à cauda verſus caput, crebrò manu fricatur. Quod *Johan. Nierenberg. lib. 1. cap. 7. Hiſt. Nat. peregr.* & ex eo *Clariſſ. noſter Balduinus* in ſuo Phosphoro hîc præfixo, refert, de puella nobili, quæ pectine, ex capillis ſuis flammas, veluti ardentes cœlo ſtellas, in ſinum excuſſit. Illud mihi ipſi accidiſſe juveni adhuc, ſanctè affirmare poſſum. In ædibus paternis cum aliquando ſummo mane ſurgerem, ut concioni ſacræ in templo intereſſem, contuli me ex cubiculo in hypocauſtum calefactum (menſe Februario ferè finito) atque ibi aſſidens fornaci, ac me veſtiens, cœpi capillos pectine, ex ſetis quidem ſuillis confecto, comere. Et ecce ſimulac pecten à capite & capillis deorſum detruſiſſem, innumeræ ſcintillulæ clarè lucentes, omnes quidem colore albo, à capillis excutiebantur. Perterritus primùm hoc ſpectaculo, intuebar pectinem, fornacem, & quidquid ante & retro caput eſſet. At cum nihil ſeſe vultui offerret capillos rurſum pexui: & quotis vicibus actum pectendi repetiveram, toties excidebant ſcintillulæ ex capillis. Actutùm me ad feneſtram contuli, (erat ſaltem unica, per quam diluculum matutinum incidere poterat in cameram 50. pedes longam, nec ultra 12. latam) ut ſpectaculum ad lumen exorientis diei quoque videre poſſem, quod tamen non adeò exacte ſeſe oculis præſentabat, quam in loco obſcuriore, poſt fornacem. Hoc mane plus temporis dabatur pectinationi, quam aliàs ſerioribus rebus, ob ſpectaculum hoc. Altero mane &

poſt-

poſthac nihil quidquam tale in me expertus ſum. Vir. Cl. *Joh. Mantzius.* Scholæ Bilefeldienſis Rector, dum hæc typis exſcribenda Bilef. curo, mihi narravit, ſibi adoleſcenti olim, dum ex graviore morbo jam convaleſceret, & in tenebris lectum petiturus, thoracis nodos ſolveret, plurimas ignis ſcintillas ſubitò è ſinu excidiſſe. Idem in tenebris capillum pectens, in ipſo ætatis flore, aliquoties ſcintillulas obſervavit.

Etſi autem cauſam hujus rei in talia effluvia capitis & capillorum, quæ 🜍 album cum admixtione nitroſi ſalis continent, referre poſſem; tamen quia ſcintillæ iſtæ capitis tantum unius erant diluculi matutini, vereor ne alia latens ſimul adfuerit hujus rei cauſa. Ex his liquet cauſam luminis candidi in obſcuro, conſiſtere præcipuè in Sulphure albo (quali ☽ & Jupp. ſcatent) mixta cum particulis ſalino-nitroſis, ſæpius cum humiditate quâdam junctis. Sic ubi Lapis noſter Apollinis auro, Lunæque argento, nutu Jovis, mixturam ſalſam adeptus eſt, fit lumen in obſcuro, juxta *Clariſſ. Montalbanum* rariſſimas igneas quaſi favillas exhibens.

Caput VI.

De Proprietate Sulphuris & fœtoris in Lap. Bonon. differente à Phosphoro Herm. Cl. Bald.

Licet de Sulphure triplici, quod in Lapide Bonon. ratione Luminis reperitur, in præcedente capitulo egerim, cum tamen ob fœtorem ingentem Sulphuris, quod in Lapid. Bononienſ. eſt, differentiam ſortiatur Lapis noſter à Phosphoro Hermetico, quem ſine ullo fœtore eſſe tanquam puriſſimum ens præſumo, placet paucis de Sulphure & fœtore Lapid. Bononienſis hîc diſſerere. Igitur in Lapid. Bononienſ. Luciferis, præſertim qui qualitatem lucentem non habebant, deprehendi fœtidiſſimum olens Sulphur. Nam dum calcinare illos in igne vehementi tentâram, conſpexi in ipſo ignis ardore maximo Sulphur quoddam lutei coloris, quale eſt commune noſtrum Sulphur, ex fiſſuris lapidum excoqui, quod igne non depaſcebatur, ſed in ipſo perdurâbat, bullulas tantum excitans. Nullam autem flammam ex lapidibus egredientem ab initio calcinationis usq; ad finem ſenſi, quamvis fœtor à Sulphure aërem impleret. Extracti igitur Lapid. (quos non comminutos, ſed integros in ignem poſueram) ſpargebât fœtorem putridum, inſtar Sulph. Stibii, quando illud cum ſale

 tarta-

tartari, vel cineribus fagi exuſtis calcinatur, ejusqueSulphur calidâ extrahitur. Talem fœtorem quandoque ferrum ſpargit cum Sulphure elaboratum: Item Arſenicum. Hos Lapides calcinatos recondideram fortuitò juxta monetam argenteam cupreamque, quàm Lapides ſuis exhalationibus Sulphureis adeò nigredine infecerant, ut vix Julios meos argenteos, cupreosque (Italis dictos) bezones cognoſcerem ac nigredinem ab iis lotione quadam iterum tollere poſſem. Argumento, de quodSulphur in Lapis Bonon. ſit groſſum, fixumque aliquo modo, cum non flammigeret in igne, ſed diu admodum in eo perſiſtat, bullasque tantum emittat vi ignis, tanquam ſale quopiam fixo foret permixtum, quod Sulphur itidem fixum redderet. Hinc quoniam poſt validam ignitionem & calcinationem Lapis nihilominus effluvia ſpirat Sulphurea, quæ metalla obfuſcant, neceſſe eſt Sulphur in eo non eſſe in totum fixum, ſed ex parte duntaxat. Quod enim fixum omninò eſt, illud ignis torturam ſuſtinet, atque in eo perſtat intemeratum, nulla effluvia emittendo, quale aurum eſt. Groſſum verò & terrenum in eo Sulph. eſſe, arguitur ex fœtore ejus, poſt ignitionem. Si enim Sulphur in eo eſſet purum atque omnis terreſtreitatis expers, nullum ederet fœtorem, ſed cum ſua puritate perſiſteret quoque fixum in igne. Vnde colligo, *Clar. Balduini* Phoſphorum Hermer. Sulphure puriore & fixiore conſtare, quoniam ei ex Aura ſimpliciore Aurum iſtud, ſive Sulphur ſolare, purum advenit, unde procul dubio omnis quoque fœtoris erit expers. Hinc etiam Lapides noſtri Bonon. quantò minus ſunt Sulphure prægnantes, tanto pellucidiores, puriores atque aptiores ſunt ad lumen concipiendum, quando ſuſtinuerunt calcinationis ignem. Fœtidum Sulphur quoque lapidibus noſtris ineſſe indicavit olim *Poterius* lib. 2. Pharm. Spag. cap. 27.

Addit etiam, eos ſalem acerrimum, mordacem & verè arſenicalem poſſidere. Id quod verum deprehenditur, quoniam vi cauſticâ pollent, poſt ignitionem, & Pſilothra ex iis facilè parantur. Porrò inquit *Poterius* loco citato, ejus Sulphur non eſſe ita fugax, ut arſenici, imo fixum manere in igne, fortemque ſuſtinere calcinationem. Neceſſum igitur eſt, Sulphur in lapidibus noſtris eſſe ſale quodam fixo permixtum, quod illud in igne illæſum conſervet, nec tam citò abſumi patiatur.

SECT.

SECTIO SECUNDA.

CAPUT. I.

De Loco Natali Lapidis Luciferi & an nuſquam is reperiatur, niſi in tractu Bononienſi.

ANtequam ad cauſas naturales Lapidis Bonon. progrediar, viſum eſt prius de Loco Natali ejus, & quid rerum naturalium foſſilium ulteriùs in dicto loco reperiatur, paucis diſſerere, ut illis cognitis, eò melius in naturam & cauſam Lapidis noſtri poſſimus inquirere. Cum autem *lapis* nobis dicatur *Bononienſis*, indicatur hoc epitheto ejus locus natalis, *Bononia* nempe *Italorum*, *alma ſtudiorum mater* abſolutè dicta, *& nomine & ipſa re commendabilis.* Hæc Bononienſis tellus produxit hunc lapidem luciferum ante annos circiter ſeptuaginta, dum hæc ſcribo. Anno enim 1604. quidam civis Bononienſis (ut refert *Clar. Licetus Lith. c. 2.*) *nomine* Vincentius Caſciorolus *Chemiæ deditus, ad Chryſopœiam à ſutrina translatus, cum inveniret lapidem hunc Sulphure ponderoſo prægnantem* Solarem *vocavit, eumque aptum ad Chryſopœiam judicavit. Hic vir Lapidem hunc multis laboribus antea ſubactum, non qui de ſe promeret aurum, ſed qui ſorberet in ſe Solis aureum lumen; cæleſtemque theſaurum velut notus furaretur è cœlo Prometheus; (ut ipſis utar verbis* Cl. Liceti.) *præparavit.* Plura de inventoris occaſione legantur apud *Poterium l. 2. Phar. Spag. c. 27.* Fuit igitur Chemiæ deditus inventor. O divinam artem! quæ nobis mortalibus divina prorſus aperuit. Quid enim ſublimius illa arte, quæ tot invidiæ dentibus mordetur? Vti enim Sacroſancta Theologia infinitis modis à Satana infeſtatur: Ita hæc ars, quæ abditos NATURÆ *Dei Filiæ*, receſſus perſcrutatur, à Satanæ membris oppugnatur. Sed veras Chemiæ laudes pertractet, eamque vindicet contra ejus adverſarios *Clariſſ. Olaus Borrichius*, & alii. Meum non eſt, hic longius digredi, ſed è ſutrina transfugam *Caſciorolum* ſuo quoque encomio exornare, quod artis hujus divinæ cupidus, ſuis Chemicis laboribus luciferum hunc Lapidem *Bononiæ* prodiderit: etſi aurum quærens, ſibi & ſuo Domino inaniter aurum (teſte *Poterio*) profuderit. Id quod certiſſimè accidit aurum hac arte ſolùm quærentibus, avideque illi inhiantibus. Cæterum locus natalis ſpecialis

Lapidis

Lapidis *circa Bononiam Mons* eſt *Paternus* (vulgò *monte Baderno*) dictus, ad quem me ſæpius contuli, cum *Bononiæ* Medicinæ operam navarem, ut Lapidem noſtrum in ſuo natali conquirerem ſolo. Locum hunc natalem, quâ via ad eum eatur ex urbe, exquiſitiſſimè deſcripſit *Poterius*, loco ſæpius citato, adeo, ut illum vel Pictorum gloria *Apelles* artificioſo penicillo ſuo melius obtutui noſtro proponere non poſſet. In dicto monte Paterno, poſt pluvias ingentes, ab illo, torrentis in modum, decurrentes, eluitur in montis rimis & ſciſſuris patentibus, atque invenitur Lapis Bononienſis.

Etſi autem Lapis hic lucifer hactenus tantum *in comitatu Bononienſi* fuerit inventus: attamen non auſim aſſerere, illum nusquam alibi, præterquam in comitatu Bonon. exiſtere. Nam ſi *Thuani* Hiſtoria *lib. 6.* fidem non ſuperat, de admirando quodam Lapide lucifero, qui anno 1550. ex Indiis, à quopiam viro, qui fuit *Bononiæ Belgarum*, allatus, Bononia Italorum non tantùm erit fertilis lapidum luciferorum, ſed aliquis Indiarum quoque locus, Sic *Athanaſ. Kircherus in arte Magn. l. 3. p. 4. quæſt. 2.* hujus Lapidis lucif. mineram apud *Toloſam* inveniri ſcribit. Ita ſilex ille lucifer *Joh. Bapt. Helmontii*, de quo in ſuo tractatu *Magnum. Oport.* ex alia patria, quàm Bononia erit oriundus, cum Lapis noſter Bonon. non ſit ex genere ſilicum. Imò ipſe noſter Lapis non tantum, circa Bononiam, Montem *Paternum* dictum, pro loco natali agnoſcit, ſed agros quoque *Roncharia* & *Pradalbino* dictos, uti calculum meis aſſertis addit *Clariſſ. Poterius.*

CAPUT II.

De aliis rebus, quæ in Loco natali Lapidis Bononienſis reperiuntur.

AD radicem *Apennini montis* totam Italiam ferè per medium ſecantis, Clariſſima Urbs *Bononia* ſita eſt. Simulatque enim extra Urbis portam, *S. Mammolo* dictam, pedem ponas, moveasve, ut conferre te ad montem *Paternum* cupias, aſcendere *Apenninum* cogeris. In hoc tractu ingentes ſunt montes ex mero gypſario Lapide conſtantes, quibus incolæ ignem ſubſtruunt, ut gypſum in calcem exurant, ad ædificia conſtruenda & dealbanda. *Gypſum*, ſeu Lapis gypſarius ex genere calcarii Lapidis eſt: diaphanum, nunc ſtriatum, nunc ſquamatum & ſciſſile inſtar *talci*, lapidiſve ſpecularis. Differt autem gypſum à Lapide ſpeculari & talco, quod hæc non adeò facilè poſſint igne-

igne ſuperari & in calcem exuri, quàm gypſum, aut communis Lapis calcarius. Eſt enim *talci* quoddam *genus*, quod ferè nequit igne perdomari, quale eſt *Moſcoviticum* & quidam *Lapis ſpecularis*, præſertim qui vices vitri in lucernis habet & flexilis eſt, non facilè igne vincitur. Gypſum autem vel ad ellychnij flammam, ſuam perdit transparentiam & conſiſtentiam, abitque facile in albam calcem. Æmulatur autem valde Gypſum Bononienſe Lapidem ſpecularem, cum diaphanum penitus ſit, & in foliola tenuiſſima quoque ſeparari poſſit, quemadmodum Lapis ſpecularis: at Gypſum hoc tantæ magnitudinis non eſt, quantæ eſt ſpecularis Lapis, neque, ut innui, reſiſtit igni, ſed facillimè calcinatur. Talci autem genera, lapidemque ſpecularem in Loco dicto & circa *Bononiam* non inveni, ut ut *Clar. Licetus c.* 1. *Lith.* affirmet, ea ibidem reperiri. Idem quoque ſcribit loco citato, *Achatem in loco natali lapidis fuiſſe effoſſum: Adamantem, Bohemico ſimilem, Jaſpides, omnis generis marcaſithas, Salem ammoniacum, Vitriolum, Antimonium, lapidem Judaicum & rariores plantas ibidem exiſtere.*

Achatem, Jaſpidesque non offendi, quamvis non velim negare omnia, quæ ego non vidi. Silices verò transparentes, ex quibus adamantes Europæi expoliuntur, collegi ibidem. Nam mihi olim illi innotuerant, cum in Boruſſia viverem, Studioſus medicinæ. Contigerat mihi aliquando, *Ciconiam*, ex nido deſumtam, cultello anatomico diſſecuiſſe, in cujus ventriculo inter reliquos calculos ſilicem quoque Adamantéum exemi optimæ notæ; qui deinde expolitus Bohemicum præſtantiâ longè ſuperabat. Reperiuntur tales ſilices, ex quibus hodie vaſa cryſtallina optimi generis conflantur, ubique ferè locorum, ubi præſertim rivuli, fonteſque vivaces è terra ſcaturiunt, puriorque arena à natura eluitur: quemadmodum *in comitatu Clivenſi* conſtat. Nec mihi videre ibidem accidit Antimonium & lapidem Iudaicum; quamvis forſan adſint. Ex fœtore enim antimoniali & arſenicali, quem noſtri lapides calcinati exhalant (uti inferius dicetur) facilè conſtat, mineram Antimonii quoque ibidem latere. *Lapis Judaicus* in *Boruſſiæ* agris quondam mihi repertus eſt, aliàs nuſquam alibi. In monte *Paterno* circa Bononiam, contigit mihi quoque videre lapidem prægrandem, plusquam centum librarum. Hic inſtar ſtatuæ, figuram hominis dimidii adeò exactè æmulabatur, ut arte ex lapide exciſus in talem formam videretur. Referebat enim ſpecie, caput, collum, brachia & ventrem. Ut igitur exploratum haberem, num ab arte, an verò naturæ induſtriâ, in

talem formam eſſet redactus, comminui lapidem, qui ictibus aliorum præduriorum lapidum non reſiſtebat. Quo facto, inveni intus ſubſtantiam limoſam, ſiccam tamen, æqualem, coloris cineritii, ſubtili arenâ permixtam, ſic ut exteriori vi non admodum pertinaciter reſiſtere potuerit. Tota autem ejus ſuperficies erat obducta materiâ quadam ſubluteâ, ad lucem transparente, inſtar cornu: qualis apparet minera argentea, quæ ob ſuam diaphaneitatem metallurgicis noſtris Germanis dicitur Hornſtein (quaſi diceres) *lapis corneus*: At marcaſithas ſuſtuli multas in monte *Paterno*: de quarum ut & Lapidum Bononienſium ſingulari & rara figura diſſertationem exhibui olim Patavii *Clar. Liceto*, ut ſuo libro de hoc Lapide, iterum prælo (uti animus erat) ſubjiciendo, adjungeret: quod & juxta pollicitationes ejus factum fuiſſet, niſi fata Virũ prævenisſent. Sed de Marcaſithis aliquid fuſius, in ſequenti capitulo.

CAPUT III.

De Marcaſithis & aliis rebus, quæ in loco natali Lapidis Bononienſis inveniuntur.

M*Arcaſithæ ſunt duplicis generis*: aliæ dicuntur *aureæ*, aliæ vero *argenteæ*. Hæ ad naturam metalli propius accedunt. Nam, ex monte *Bructero*, & aliis locis, exciditur, ut alia ſolent metalla ſaxis ſuis & glebis inhærentia. Ejus minera circa dictum montem conſtat ex ſiliceo Lapide, rarò Sulphure, potiſſimum verò ſplendore plumbeo argenteoque intermixta. Ex hac minera contuſa liquatur Marcaſitha argentea ad nonnullos uſus deſtinata. Illa verò, quæ aurea dicitur Marcaſitha, videtur mihi tota alterius naturæ & diverſa à Marcaſitha argentea. Auream vulgus nominat, quod aureo colore, maximam partem verò, cupreo ſeu æreo, conſtet. In his Marcaſithis plurimum deprehenditur Sulphuris, eluiturque ex eis Vitriolum ♀: Poſtquam enim 🜍 omne, ignis vi & flammâ, fuit conſumtum, terra remanet rubra, ex qua ♀ parari poteſt, Vulcani arte. Hæc Marcaſitha, in loco Lapidis noſtri natalitio, reperitur. Sunt hæ Marcaſithæ Bononienſes *Pyritæ lapides*, ex eorum genere, quos Equites noſtri Germani hactenus, ſuis ſclopetis ephippiariis adaptare conſueverunt, quales etiam circa *Bononiam* reperiuntur. At rectius, meâ ſententiâ, poſſem has Marcaſithas, *Sulphuris mineram*, nominare, quæ cuprum ferrumve contineat: quemadmodum variæ ejusmodi Sulphuris mineræ ex terra eruuntur, ſcopulisque metalliferis inſtar cryſtallorum concretorum, & aureo ſplendore

dore bellè coruſcantium, inhærent, ex quibus ſulphur, chalchantum ſeu vitriolum, & deniq́ue ♀ vel Mars, vel utrumq́ue artificiis metallurgicis paratur. Magnitudo harum Marcaſitharum Bononienſium non eſt ingens: fruſtillatim enim hinc inde *in monte* dicto *Paterno* colliguntur, nec uncias tres pondere ſuperant. Figura earum incerta eſt: ſpeciem autem ſæpius habent compagis, ex meris cryſtallulis cupreis conſtantis: quamvis non rarò eas collegerim figurâ globulorum rotundorum, quorum diameter unciam non ſuperat: inter has quædam, globulos, quos tunicis noſtris præfigere ſolemus, cum ſuis pediculis adeò exactè repræſentant, ut dubius fuerim, caſune principium tale metallicum iſtæ habuerint Marcaſithæ, an vero ſolâ naturæ operâ in talem formam productæ fuerint. Eſt ergo diverſa ſatis Marcaſitha hæc aurea, ab altera, quæ argentea vulgo vocatur; quoniam hæc multo conſtat Mercurio parùm fixiore, & pauco Sulphure: Illa vero, multo ♀ & Vitriolo, nullo autem Mercur. niſi velis corpora metallica, quæ in iis deliteſcunt, vocare Mercurium parum coagulatum, quoniam Merc. in metallis eſt. Hoc videtur etiam innuere GEBER NOSTER ARABS, *Vir in laboribus Chemicis induſtrius ac ingenuus l. 2. part. 1. c. 60.* ſummæ ſuæ perfectionis de Natura Marcaſithæ, cum inquit: *Marcaſitha duplicem habet in ſui creatione ſubſtantiam. Argenti vivi ſcilicet mortificati & ad fixionem approximantis, & Sulphuris adurentis.*

Quaſi velit dicere *Auctor hic*: Marcaſitha duplex eſt: Altera, quæ argento vivo mortificato &c. altera autem, quæ Sulphure adurente conſtat. Porrò ſalem quoq́ue ammoniacum reperiri ibidem, *Auctor noſter Clar. Licetus* ait. Verum de iis rebus, quæ mihi non fuerunt viſæ, non auſim abſolutè pronunciare. Lapidis autem Bononienſis luciferi quoddam genus, perquam valdè ſpeciem ſalis armeniaci, nobis vulgariter dicti, repræſentantis, in agro *Bononienſi* (vulgò *la Roncheria* vocato,) inveni. De quo in ſubſequentibus, ubi de forma, differentiis, & notis Lapidis noſtri, in ſpecie agam, tractare animus eſt. Placet hic interſerere paucis, quid de conchyliis marinis, in editis montibus, & circa Bononiam & alibi viderim, & quæ ſit mea de illis ſententia.

Non procul monti huic *Paterno* dicto, lapidis noſtri *Patriæ*, unico forte milliari Italico diſtanti, (loci nomen excidit memoriâ) ingens Mons imminet præruptus, à violentia torrentium aquarum, quas imbres frequentes, ex vicinis montibus confluentes, efficiunt, atq́ue inſignes terrarum moles ab iſto monte proſternunt ac dejiciunt. In hac

 mon-


montis ruina, ſuperiore in parte, viſuntur multæ ſtrages ſeriesve, ex teſtis conchyliorum marinorum omnis generis, plurimâ arenâ interjectâ inſtar ſtrati ſuperſtrati, (uti Chemicorum vulgus loquitur.) Eſt enim inter haſce teſtarum conchyliorum ſtragesſeriesvè, arena ad craſſitiem ulnæ & ultra interpoſita. Erant autem teſtæ conchyliorum variorum, omnes ab invicem diſtinctæ, nec cuiquam lapidi impactæ, adeò ut ſeparatim omnia manibus tractari, & dignoſci potuerint. Effecerat hoc arena pura, nullo limo lutove intermixta, quæ conchyliorum teſtas conſervaverat, per multa ſecula, integras. Interea verò diuturnitate temporum omnes iſtæ teſtæ erant in albiſſimam calcem facilè reſolubiles, tanquam vehementiâ ignis calcinatæ. Talia cum admiratione contemplatus, nullam poteram invenire aliam cauſam, unde tales oceani partus, in montium cacumina, fuerint delati, niſi univerſale terrarum diluvium ac cataclyſmum, cujus littora tandem altiſſimorum montium cacumina fuerunt, in quæ æſtus univerſalis oceani tunc talia marina impulit, depoſuitque, ut eſſent & nobis & noſtris, ad ultimum usque judicium, poſteris, divinæ ultionis teſtimonium: quemadmodum plurimi eruditorum mecum fatentur Abſurdum enim eſt ſtatuere, terram ex ſe & ſua natura ejuſmodi marina absq; ullo fine & uſu fingere ac progignere, cum nihil fruſtra & ſupervacaneum à natura & ejus Creatore ſummo productum ſit. Partes enim animalium duriores, quales ſunt oſſa & teſtacea omnia, in multa poſſunt perdurare ſecula, ſine aliqua corruptela: Tandem temporis diuturnitas, quod omnium rerum velut ignis eſt edax, ejusmodi partes ſpermaticas duriores, in calces vertit: unde etiam vim acquirunt medicinalem, poſſuntque intra corpus humanum contra morbos uſurpari, tanquam arte Chemica per ignem fuiſſent præparatæ ac calcinatæ. Spectacula ejusmodi univerſalis inundationis viſuntur in plurimis orbis noſtri terreni partibus. In hujus Caſtri Sparenbergs ſcopulo, & in vicinia, exciduntur ſaxa ingentia, ex meris conchyliorum omnis generis teſtis compacta. Inhærent autem ſcopulo, imò ad ſe invicem adhærent, adeò arctè, ut diceres lapides eſſe homogeneos, ita limus teſtas occuparat ab initio, ut unica jam videatur Lapidis materia. Atq; ubi limus fuerat ruber, is jam immixtus & cum teſtis albiſſimis induratus, marmoris elegantiam nunc præbet. Circa *Colmariam*, *Alſatiæ ſuperioris emporium*, ex ejusmodi ſaxis conchyliferis, in pollinem contuſis, (ſunt enim minus durioris conſiſtentiæ) & cum paucula tenaciori argilla miſtis, vidi ejus loci figulos confeciſſe optima tigilla, ad metalla fundenda. In ipſis denique

ſilici-

BRITISH NATURAL HISTORY

LAP: BONONIENS.


F1 N. 1




F1 N. 2



F2



F 2



pag 205 AD APPEND pag 208

ſilicibus fractis, ad littora maris Baltici, reperi conchyliorum teſtas. Sed de his alibi forſan fuſiùs. Denique *rariorum plantarum catalogum*, quæ circa montem dictum, & in tractu Bononienſi creſcunt, poſſem conficere, inter quas *lini Sylveſtris* ſpecies *& cyclaminum* primas tenent. Verùm cum non ſint ea noſtri propoſiti, ab iis deſiſtendum arbitror.

Caput IV.

De Figura & Magnitudine Lapidis Bononienſis Luciferi.

EXternam Lapidis noſtri figuram nullam certam & regularem dari *Clar. Licetus c. 19. Lith.* ſtatuit, quoniam plerique lapides in genere, rarò determinatam figuram obtinent. De hac re autem olim mihi in Italia dubium oboriebatur, cum lapidem hunc, maximam partem, invenirem ellipticâ figurâ. Aliquos colligebam, qui pruni exſiccati formam, & ſpeciem adeò exactè mentiebantur, ut, ſi inter vera pruna exſiccata reponerentur, externâ formâ à reliquis minimè diſcerni poſſent. *Hac de ſingulari lapidis forma, ut & de Marcaſithis exhibui peculiarem diſſertatiunculam*, Clariſſ. FORT. LICETO *adhuc ſuperſtiti*, ut ſuperius cap. 2. in fine dixi. Placet igitur paucis attingere externas aliquot Lapidis figuras, ejusque *magnitudinem* quadantenus determinatam, quæ ſæpius pugnum, ovumque gallinaceum plùs minusve adæquat. *Figura ei eſt* oblonga, teres, plana, rotunda, depreſſa: nunc craſſior, nunc figuræ mixtæ. *Videatur ſchema adjunctum.* Agnoverunt tales quoque figuras mecum *Clar. V. V. Poterius*, *Montalbanus*, *Licetus &c.* Accidit tamen, ut aliquando *in agro Bononienſi, vulgò la Roncheria dicto*, cum ex monte *Paterno* urbem repeterem, in Lapidem ingentis molis offenderem. Erat Lapis albus, aliquot centum librarum pondere: Ex quo cum fruſtum aliquod excusſiſſem aliô duriore lapide, fruſtumque illud domi, mediante igne examinaſſem, expertus ſum, hunc lapidem tanquam optimæ notæ, lucere quoque in tenebris ſatis clarè. Lapis autem hic aliam intus habebat ſtructuram, quàm cœteri minores. Namque obtinebat intus oblongas ſtrias, rectas, parallelas, ad nullum centrum determinabiles, qualis ſubſtantia interna ſalis armeniaci apparere ſolet, cui per-ſimilis erat hic Lapis, uti *imago ejus* utcunque adumbrata *Num. 1. Fig. 2.* monſtrat. Hoſce Lapides vidit quoque mecum olim *Cl. Poterius.* Inquit enim loco ſæpius dicto; *Ad ejus*

(ſcil. viæ, quâ itur ad montem Paternum) *dextram, in agro, qui dicitur vulgò Roncheria, magna copia lapidis cujusdam albi, prima facie ſalem ammoniacum repræſentantis, reperitur.* Hic dubium incidit, num *Cl. Licetus* vel alii Auctores hunc lapidem pro ſale ammoniaco intuiti ſint, cum ſalem hunc in tractu Bonon. non repererim. Quamvis prorſus illud negare nolim, quod ego oculis non perluſtravi, cum nobis non viſa quærentibus non omnia ſeſe offerant. Eſt autem hic Lapis ex genere calcarii gypſi, vel lapidis gypſarii, etſi non ſit pellucidus, ut gypſum, ſed opacus & albus, & qui in calcem uritur *Bononiæ*, more gypſi, ad ædes conſtruendas. Ejusmodi lapides vidi à noſtris Auricuſoribus Germanis (quos illi Spaat vocant) adhibitos, ad aurifolia cuſa, quibus interſpergunt hujus lapidis pollinem, ne ad invicem auri cohæreſcere folia, ſed facilè ſeparari ab invicem poſſint. Salis ammoniaci natura eſt volatilis, nec tam facilè igni reſiſtit, ut figi poſſit. Incidit hîc locus *Clar. BOCCONIS Nobilis Siculi, & Botanici, Magni Ducis Hetruriæ*, in libro Epiſtolarum ſuarum ad Amicos *Epiſt. 7. p. m. 47.* de ſale Armeniaco, poſt nuperum in Sicilia, montis Ætnæ horribile incendium, ſuper ſcorias ferrugineas, vi ignis quaſi infernalis, ejectas reperto. Hoc, ut Auctor refert, omnes habuiſſe ſalis Armeniaci notas, præſertim quoad colores, citrinum, croceum, æruginoſum & alios: ſed fuiſſe paullo fixius. *Res ſanè admiratione digna*, quod *ſal Armeniacum*, olim *Ammoniacum*, & quod hodiè Europæis nobis non à ſola natura productum, ſed merè venditur factitium, & ſummè volatilis naturæ eſt, adeò quidem, ut beneficio hujus, Chemiæ periti, fixa reddant volatilia, tàm incredibile incendium (quo vel ipſa terra, & quidquid igne fuit eructatum, ut *Cl. Auctor* refert, plumbi ad inſtar liquidi manavit) potuerit ſuſtinere & ſuper ſcorias relictas integrum perſiſtere. Unde nobis hujus ſalis naturam paullo uberiùs memoratus *Cl. Auctor* declarabit, mentemque noſtram de hoc ſale, an lapide quodam gypſario, vel alterius fixioris naturæ, fuerit permixtum, ulteriùs illuſtrabit. Etſi autem Anno 1650. montem *Ætnam*, Siciliæ nivibus, nubibus, fumoque tectum & obſcuratum, nec non inſulam *Strongylen*, altiſſimâ flammâ in apice montis coruſcantem, itemque Inſulas *Vulcani*, Liparæas, ad radices, tanquam ex ipſo mari, flammas & fumos eructantes, navi prætervectus viderim & poſtea *Veſuvium* (Italis *monte di Soma* dictum) conſcenderim, nihil tamen de ſale quopiam Ammoniaco videre contigit. In *Veſuvii* quidem theatriformi cacumine, qua parte mare ſpectat, vidi ſupra cineres tan-

tanquam nive tectos, albiſſimam quandam materiam ſalis ad inſtar, quæ primo intuitu mihi videbatur eſſe ſal; verùm linguæ guſtanti nullum ſaporem exhibebat, ſed inſtar calcis irreſolubile aur illiqueſcibile manebat contra ſalium naturam. Unde naturale Sal Ammoniacum nunquam fateor me vidiſſe, quod tamen optarem videre. Hactenus incidenter de ſale Armeniaco vel Ammoniaco, quatenus in loco natali Lapidis Bononienſis, vel alibi, inveniri dicatur, & exactam referat formam cujusdam Lapidis Bononienſis luciferi, cujus ab initio capituli hujus facta eſt mentio.

Caput V.

De Differentiis & Notis optimi Lapidis Bononienſ. luciferi, & vilioris ſeu non lucentis.

POſtquam differentias Lapidis noſtri ſpecificas attigimus, paucis progrediamur ad notas optimi lapidis; & minus probati ad lucem reddendam in obſcuro. Differentias lapidis *Clar. Licetus, c. 21.* Lith. ex mente *Clariſſ. Montalbani & Poterii* recenſet. Quarum hic tres: ille verò quatuor habet. Ego *Cl. Montalbini* ſententiam ſecutus, ejus 4. amplectar differentias & *quintam* lapidis lucentis addam.

Prima differentia eſt: quod *primus* lapis ſit oblongus, rotundus, depreſſus, lenticularis figuræ, latiusculas in lamellas ſciſſilis, non ſtriatus, cortice pallido, durus, ponderoſus, pellucidus cum atro-cœrulea perſpicuitate nitens, in quo ſit plurimum gypſeæ ſubſtantiæ purioris: addo, qui in dorſi ſui medio habeat parvam quandam foveam, qualis Num. 1. Fig. 1. depictus eſt. Hic lapis ab omnibus omnium optimus eſt judicatus. *2. Secundus Lapis* priori non abſimilis, partim in bracteas ſciſſilis, partim Stibii inſtar ſtriatus, cortice quoque levi palleſcente præditus. Eſt & hic luminaris, ſed bonitate ſuperiori cedit. *3. Tertius lapis* oblongus, craſſusque inſtar ovi, cortice cinereo, nunc levi, nunc aſpero: per medium fractus, ſtrias radiosque oſtendit à circumferentiæ ſuperficie, ad medium, tanquam ad centrum aliquod tendentes. Et hoc centrum ab uno lapidis extremo, ad alterum, inſtar axis eſt elongatum, & (quod probè notandum) continet non tantum ſulphur groſſum, minus fixum, ſed aliquid etiam metallici. Et cum totus lapis ſit gypſeæ naturæ, apparent ſtriæ iſtæ, tanquam cryſtalluli gypſeæ, ſuper

centrum

centrum metallicum accretæ. Hic Lapis, quò purior & pellucidior, eò eſt luminoſior lucidiorque in tenebris. 4. *Quartus* cum præcedenti tertio convenit figurâ & magnitudine. Eſt enim illi, quoad externam & internam faciem planè ſimilis: niſi quod ſit obſcurior & nigrior intus & extrà, latumque habeat centrum, multo inſuper ſulphure fœtente abundet. Unde etiam impurior eſt, minusque probandus, quoniam licet diutiſſimè calcinetur, lucem tamen in obſcuro minimè reddit. Jucunda mihi fuit conſideratio, quod hoc quartum & tertium genus lapidis, cujus interna facies, cum per medium frangitur, ſtrias oſtentat ad centrum ſuum radiantes, *Cl. Balduini*, Phœnomena ſui Magnetismi univerſalis. *p. m. 41.* magna ex parte radiis ſuis ad centrum directis, nec non cortice quodam circumferentiam ambiente æmuletur. Unde hac in re convenire & comparari quoque poteſt Lapis noſter Bonon. cum Phosph. Hermet. ſeu magnete univerſali *Cl. Balduini*. Pictura lapidis hujus 4ti & 3tii adumbrata eſt num. 2. fig. 1. & 2. 5. *Quintus lapis*, ferme merum eſt gypſum, pauco ſulphure, eoque puro conſtans, cortice albido, intus ſtrias lineasque rectas, parallelas oſtendens, ſubſtantiâ penitus albâ, non diaphanus, ſali armeniaco factitio perſimilis, quoad formam. Vid. Fig. 2. num. 1. De hoc lapide & incidenter de ſale Armeniaco, ſupra in præcedenti capitulo fuſiùs egi. Inter has quinque differentias lapidum, ille tantum minus eſt aptus ad lucem concipiendam, cujus loco 4to facta fuit mentio: & quidem ob ſulphur impurum, fœtens. Hoc 🜍 naturæ eſt martialis & arſenicalis, ſaleque abundat acerrimo, quod iſtud Sulphur. quodammodo fixum reddit, quo minus poſſit igne abſumi: de quo c. 4to. ſect. 1. Ubi de Sulph. fœtido lapidis noſtri, quatenus à Phosph. Hermet. differat, pertractatum fuit. Reliquæ quatuor lapidis differentiæ, veluti prima, ſecunda, tertia & quinta, optimas exhibent lapidis notas ratione qualitatis luciferæ, quam contrahit lapis ex aëre ambiente, lumine imprægnato, eumque in obſcuro reddit. Jam, qua ratione lapides hi per ignem legitimè præparentur, ut qualitatem hanc acquirant, paucis dicendum.

CAPUT VI.

De Præparatione Lapidis Bonon. ut in tenebris luceat.

INter omnes præparationis modos, qui à multis mihi fuerunt cõmunicati, tanquam inter arcana locandi, *Cl. Poterii* deſcriptio, dicto ſæpius

loco,

loco, omnium optima mihi viſa eſt. Verba ejus hîc apponere lubet: *Et quidem,* inquit, *pro facultate lucifera, in eo potiſſimum exoptata, calcinatur duobus modis. Primò lapis in tenuiſſimum pollinem redactus, fortiſſimo igne, in crucibulo calcinatur. Secundò, idem in pollinem redactus, in placentulas thaleri inſtar compingitur, vel ſola aqua communi, vel albumine ovi. Hæ per ſe exſiccatæ in furno venti cum carbonibus ſtratificantur & dato igne validiſſimo per 4. vel 5. horas calcinantur. Furno per ſe refrigerato placentulas exime. Quod ſi prima vice non ſint ſatis coctæ, quod cognoſcitur, ſi parum lucis receperint, tunc eodem modo calcinationem reitera, dictas placentulas eodem modo ſtratificando, ut prius. Ter nonnunquam reiteratur dicta calcinatio. Optima ea eſt, quæ fit ex ſelectiſſimis lapidibus nitidis, puris & diaphanis. Sic lapis ſubtiliſſimè tritus in furno reverberii, tam diu excoquitur, quoad lucem facilè excipiat. Ex eo pulvere varia in pyxidiculis efformantur animalcula, quæ in tenebris mirificè lucent.* Cl. Licetus *ait in ſuo Lith. c. 33. lapidem hunc per ſe calcinari, vimque luciferam acquirere. Cl. Montalbanus* Bononiæ olim mihi exhibuit modum calcinandi, quem typis mandârat atque ediderat. Hunc, quod non ad manus ſit, inſerere huic libello non poſſum. Ego verò, etſi olim multos carbones Bononiæ combuſſerim & conſumſerim in calcinatione hujus lapidis, tamen ex integris lapidibus non potui parare luciferos lapides; ſed neceſſum habui, juxta mentem *Poterii*, eos in pollinem redigere. Quare ſelegi optimæ notæ lapides, nempe ſplendidos, diaphanos, nullis impuritatibus inquinatos, graves, ponderoſos, intus in bracteas ſeu laminas ſciſſiles, vel quadratas rectangulas cryſtallulos, dum franguntur, exhibentes. Vel fruſtum ex iſto genere lapidis gypſarii, qui ingentis erat molis, intus ſtrias lineasve rectas parallelas, ad nullum centrum directas, continebat. Hos lapides contudi in mortario mundo, inque pollinem redactis, aquam puram affudi, pulveremque aliquoties ab omnibus ſordibus elui, atque ex pulvere humectato placentulas magnas vel parvas formavi, ſuperq; chartam bibulam exſiccavi. Exſiccatas itaque hoc modo placentulas collocavi in furnulum, ex meris lateribus bene coctis efformatum, ſub dio tempeſtate exiſtente ſerenâ. Sic facto, cum carbonibus bene exuſtis, mediocris magnitudinis *ſtrato* (ut dicitur chemicè) *ſuper ſtrato* cum placentulis dictis rem feliciter peregi, ad modum *Poterii*, ſupra indicatum. Furnulo per ſe refrigeratæ exemi placentulas, & quæ hac prima calcinatione fuerant redditæ Phosphoræ, ſelegi ad uſum: Reliquas calcinationi denuo ſubmiſi.

Notandum probè, quod furnulus tuus, quem ad hoc opus tibi ſtruis, nec non carbones, lapidesque & omnia, quæ ad hoc negotium requiruntur, ſint pura, omnisque heterogenei expertia: aliàs incaſſum & fruſtra laborabis. Ut enim hi lapides clariſſimo & puriſſimo Auræ gaudent lumine: ſic pravitate alterius impuri admixti facillimè inquinantur, nec illuſtres ac clari redduntur. Quare puritatis hac in re, & non minùs alibi, ſis ſtudioſiſſimus, moneo.

CAPUT VII.

De quidditate & cauſis proximis Lapidis Bononien. luciferi.

Quemadmodum morbi latentis eſſentia non ſemper ex uno eruitur ſigno diagnoſtico, ſed ex pluribus, iisque aliquando diverſis: ita lapidis Bononienſis quidditas ex pluribus, quæ circa illum inveniuntur, rebus, tanquam ejus mixturam ingredientibus, non immeritò indagatur. Eſt enim in regno minerali ita comparatum, ut non quodvis ex ſe ipſo naſci: ſed ex variis, quæ circa ejus productionem reperiuntur, rebus naturalibus progigni videatur.

Sic Lapis noſter Bonon. cum ſit corpus mixtum, ex ſuis elementis principiisque naturalibus, aliisque corporibus heterogeneis, ut reliqui lapides viliores & pleraque corpora naturalia mixta imperfecta: ideoque neceſſe erat conſiderare locum ejus natalem, quid in eo potiſſimum reperiatur, quod ejus ſubſtantiam ingrediatur & cum ea quidquam commune habeat; unde lapis noſter ſui compoſitionem & miſturam, materiamque proximam acquirat. Quia verò Lapidis materia ferè tota eſt gypſea, lapisque gypſarius, in loco natali circa Bononiam, in maxima crescat quantitate: ideoque materia noſtri Lapidis proxima, eaque prædominans, lapis erit gypſarius, de quo ſuperius Sect. II. c. 2. paucis actum fuit. Porro quoniam in lapide Bononienſi 🜍 eſt fœtens, quadantenus fixum, locusque natalis plurimos lapides Sulphureos marcaſithasque Sulphure & Vitriolo plenas ſuppeditet: ideoq; ſulph. quoq; & Vitriolum ad lapidis noſtri compoſitionem concurrant neceſſe eſt. Denique vis cauſtica, linguamque mordicans, indicat ſalis cujusdam acerrimi & arſenicalis naturam ineſſe lapidi. Hic ſal etſi non inveniatur per ſe ſincerus, ſine admixtione rei alterius: Erit ille nihilominus glebæ terræque admixtus, more nitri & cujuscunque ſalis. Nitrum

enim

enim, ſal ammoniacum, arſenicum, ſandaracha &c. juxta *Cl. Licetum*, inibi reperiuntur. Quapropter quidditas ac *definitio Lapidis Bonon. luciferi* erit, quod is ſit *corpus naturale, foſſile, mixtum, imperfectum, ex materia proxima abundantiore gypſea, pauciore verò ſulphurea, arſenicali, interdum vitriolacea & ſalina acri conſtans: Vim luciferam ab ambiente aëre diurno præſertim & igne, nec non alios in medicina uſus, poſt vehementem ſui calcinationem, acquirens.* Poſita ſic lapidis noſtri definitione, quam ex cauſa ejus materiali proxima elicuimus, perluſtranda erit paucis cauſa ejus efficiens & forma. Miſſa autem cauſa efficiente remotâ, proximam ſaltem attingam. Et cum lapidis cujuscunque cauſa proxima efficiens, quæ diſpoſitæ materiei formam ſubſtantialem largitur, videatur eſſe lapis vetus vel pars ejus, in materiem illam incidens, atque in eadem formâ ſuâ ſubſtantiali conſimilem formam producens: ideoque *cauſa efficiens proxima lapidis noſtri* videtur lapis vetus, vel ejus fruſtum proximæ ſibi materiei ab aliis cauſis exterioribus, communes diſpoſitiones habenti, conſimilem temperamento ſuo temperiem largiri, atque in eo temperamento formam eſſentialem ejusdem ſpeciei producere. Ut enim quodlibet vegetabile, cum ad ſummam incrementi ſui ætatem pervenit, & nunc effœtum decreſcere atque interire incipit, ſeminalem ſuam vim in terram ad ſui regenerationem aptam deponit: Ita lapidum ſeminalis poteſtas in ætate vetuſtioribus lapidibus, jamjam ſeneſcentibus, reſidere videtur, quæ in materiam proximam aptam, conſimile temperamentum, tanquam ſeminalem aliquam poteſtatem, collocat, ut inde forma eſſentialis ejusdem ſpeciei reſultet.

Forma itaque *ſubſtantialis* erit *proprium temperamentum eſſentiale miſti perfecti, cum prædominio terræ purioris.*

Finis denique *lapidis noſtri, etſi conceptio ſit lucis in tenebris reddendæ; tamen alius, præter iſtum, dari poterit*, nempe *uſus in re medica, in Chemia, &c.*

Caput VIII.

De cauſis lucis in Lapide Bonon. & de uſu ipſius medico.

Ardua ſanè res, cauſas virtutis luciferæ in Lapide noſtro Bononienſi, aliisque rebus, noctu ſine flamma aliqua lucentibus, determinare, cum ignis, lux & lumen, videantur divinum

quoddam ſapere. Nam vel ipſi Creatori cœli & terræ, igne ſeſe induere, ac per eum loqui, Angelosque ſuos per flammas repræſentari aliquando placuit. Paucis itaque de re tam excelſa loquendum arbitror, quò Dædali exemplo, rationum noſtrarum alis volantes, in media permaneamus aura, nec Icari inſtar, propiùs elevemur ad Univerſi Aurum, atque hoc Sulphureo igne combuſti, inde funeſtiſſimo deturbemur caſu, in ignorantiæ Oceanum. Hæc enim erat cauſa, ut Ovidius l. 3. Triſt. Eleg. 4. canit.

Nempe quod hic altè, demiſſiùs ille volabat:
Nam pennas ambo non habuere ſuas.

Clar. Fortunius Licetus à c. 41. usque ad 43. Lith. Cl. V. V. Lagellæ & Montalbani, ſententiis de hâc re, contrarius obviam ire, ac illas refutare nititur; quorum *ille* ſtatuit: quod lumen in lapide noſtro ſit qualitas cœleſtis & igneæ ſubſtantiæ, quæ participetur ab omnibus, in obſcuro effulgentibus. *Hic* autem; quod lapis calcinatus accendatur à lumine ambiente, ſecundum effluvia ſua ſulphurea & ignea, quæ ex lapide calcinato egrediuntur, & ob cognatam cum igne & lumine naturam, facilè accenſionem ac lucem, ab ambiente lumine, concipiunt. Denique ſuam ſententiam affert *Cl. Licetus*, quod ſcilicet, cauſa prima Phyſica lucis, in lapide noſtro, ſit vaporoſus aër, illuminatus intra poros calcinati lapidis. Ego, veritatis inquiſitor, cuilibet opinioni nec ſubſcribam, nec in Præceptoris ullius verba jurabo. Neque tamen cuilibet me opponam, cum ſæpiùs, non de rebus ipſis, ſed tantummodo de verbis fiant litigia. Dico autem breviter: *Quod Lux absque igneo ſubjecto atque aëre, ab oculis nunquam poſſit percipi.*

Tria igitur neceſſum eſt concurrere ad lucem, tanquam cauſas ad effectum. Quorum primum eſt ſubjectum igneum, vel calor in ſubjecto latitans, tanquam cauſa eſſentialis lucis, ſubjecto inhærens. Secundum eſt, aura calori in ſubjecto proportionata, tanquam cauſa concurrens & excitans lucem in ſubjecto. Tertium eſt, oculus luci jam exſiſtenti conformis, tanquam cauſa inſtrumentalis, & ſine qua non lumen percipi poteſt. Calor autem juxta ſubjecti qualitatem, vel humidus eſt, vel ſiccus. Hic partibus igneis & ſulphureis: Ille ſalino-nitroſis particulis, ex ſuo effluit ſubjecto. Cum calor, putredine quadam exſiſtente, in ſalino - nitroſis particulis, ex ſubjecto evaporat humido, accenditur is ab aëre vaporoſo & ſalino nitroſis in eo particulis & fit lux in obſcuro candida, ſicuti in lignis putri-

dis & ſudoribus animalium apparet. Cum autem calor ſiccus exhalat è ſubjecto ſuo ſicco, ſulphureo, igneo, accenditur is ab aëre ſicco & ſulphureis particulis in aëre exſiſtentibus, & fit lumen coloratum, juxta ſulphur, ſubjecto ſuo inhæſivum, ſicuti in lapidibus noſtris Bonon. relucet. De cauſis colorum luminis videatur ſuperius caput 4. & 5. Sect. I. Eſt, *juxta Cl. Balduinum*, Aurum in Aura, Sulphur. in ☽ in igne lux, in aëre lux. Hæc in igne ab aëre progenita: in aëre autem videtur primigenia & ſeminalis. Eſt hic aër inſtar puriſſimi cryſtalli aut ſpeculi, omnes rerum formas, tanquam objecta, recipientis. Neque id adverſari videtur Codici ſacro. Cum enim *Divina Aura* ab initio mundi aquis incumberet ac foveret eas, verbo ſuo, primò lucem produxit, eamque à tenebris ſeparavit. Hæc lux primigenia non erat in ſole, nondum exiſtente: ideoque in aura, vel æthere, ſine quo nulla lux exiſtit, neceſſum eſt eam fuiſſe, atque etiamnum exiſtere. Ex hac luce primigenia, tanquam ſale aliquo vel vitro limpido, puriſſimo, Creator omnipotens, verbo ſuo produxit Aurum Auræ, ſolem noſtrum, calore ſuo terram foventem ac fœcundantem. Quare ſol, non absque æthere, neque lux, ſine ambobus. Lux igitur ut affulgeat nobis, ſolem atque ætherem, ignem & aërem convenire oportet. Hæc de luce & ejus cauſis in lapide Bonon. breviter. Nunc ſtrictim de uſu ejus in re medicâ. *Cl. Licet. c. 23. Lith.* recenſet, *quod Lap. Bonon. calcinatus ſit pſilothrum per ſe, tum ejus lixivium. Unde cauſticus eſt.* Deinde, *quod vomitum excitet, quocunque modo ſumtus.* Tertiò, *quod ſalſedine ſuâ podagricos juvet.* Idem *c. 22. memorat.* Plura de uſu Lap. Bononienſis Medico, apud prædictum & alios Auctores non recenſentur.

EPILOGUS.

Etiam lapidem *noſtrum* Bononienſem *cum* Phoſphoro Hermetico *comparavimus, eumque convenire cum illo ſequentibus modis probavimus.* 1. *Quod ambo à luce ſolis & aëre diurno lumen attrahant.* 2. *Quod ab igne focali, facisque flammâ ſimiliter ſplendorem mutuentur ambo, atque illum in tenebris lucere faciant.* 3. *Quod ambo incluſi vitro eandem qualitatem luciferam acquirant.* 4. *Quod ambo de ſe exiguum lumen in parvam diſtantiam ſpargant, atque ſuum ſubjectum corpusque adjacens, quadantenus illuſtrent.* 5. *Quod ambo incluſi lumen ſuum acquiſitum, poſt morulam aliquam, iterum amittant: illudque repetant, quoties vel luci publicæ diei, vel privatæ, intra ædes, vel igni noſtro, iterum admoveantur.* 6. *Quod maximam partem inſtar ferri candentis, aut carbonis, co-*

lore aureo-rubro, vel miniaceo, reſplendeant. 7. *Quod Lapis Bonon. quoad internam formam*, uti figura 2. num. 2. monſtrat, *non multum externâ ſpecie abludat à Phœnomeno Magnetis Univerſalis* Cl. Balduini *pag. m.* 41. *ex quo* Phoſphorus *prodiit* Hermet. 8. *Quod Lapis noſter Bonon. lucere minimè poſſit in obſcuro, ſi multo Sulphure impuro ſit inquinatus; ſed quod eò magis illuſtrior ac lucidior reddatur, quò magis ſit naturâ puriori & quod ab adjacente heterogeneo impuro facilè quoque labem acquirat, quò minùs luceat: quemadmodum &* Phoſphorus Hermeticus, *ex pura aura egreſſus, neceſſariò ſummè purus in ſua natura erit, ut tantus ſit Phoſphorus. Habuimus etiam ſermonem brevem de lapide Bononienſi in ſpecie, & adduximus illud, quod neceſſarium magis videbatur, circa ejus generationem, naturam & cauſas.* Medicus *ejus uſus exiguus eſt :* Moralis, *amplus. Hôc enim admonere vel lapis hic, veros Hermetis atque Æſculapii filios, videtur, ne ſint multum prodigi armorum ſuorum in vulgus, citra tamen livorem in ſemet invicem; ſed ut ſint Curioſi Naturæ, atque ſtudeant indies ejus arcanis potius perſcrutandis, quàm profanandis, ne furioſis gladios porrigant. Ita enim ſeipſos medicâ prudentiâ, quâ ſpurios in arte ſuperant, indies erudient, DEique Altiſſimi honorem (qui primarius humanæ vitæ ſcopus eſſe debet) & propriam auctoritatem tuebuntur. At lapis noſter lucens purus ille, ſincerus, candidus, absque ullo heterogeneo fœtente & impuro ſulphure, diaphanus, illuſtris & clarus: itemque Phoſphorus ille Hermet. ferè incomparabilis, luce ſuâ clariſſimâ luculentas nobis mortalibus præbent faces, uſumque præſtant inſignem, nempe: Si velimus divinum in nobis ipſis concipere ignem, quo virtutibus boniſque operibus, erga nos invicem coruſcare in tenebris hiſce poſſimus; ut neceſſariò efficiamur puri, ſinceri, candidi, nullo vitiorum ſordido ſulph. polluti. Etenim ſi lap. noſtri lucentis, & Phoſphori Hermet. qualitates luciferas ita imitemur, ut proximo noſtro omni amore præluceamus, nos in luce Divina viſuros lucem, nec non ſtellarum inſtar radiaturos, inter pias mentes candidasque animas, ſincerè & candidè dixi.*

GEOR-

GEORGII WOLFF-GANGI WEDELII D.

Medici Ducalis Saxo-Gothani, Acad. Carioſ.

SPECIMEN

EXPERIMENTI CHIMICI NOVI,

De

SALE VOLATILI PLANTARUM,

quo demonſtratur,

Poſſe ex plantis modo peculiari parari Sal volatile verum & genuinum.

Excellentiſſimo

DN. M. JOHANNI PRÆTORIO,

Facult. Philoſoph. Jenenſ. Adjuncto, & Gymnaſii Suſatenſis Directori celeberrimo,

Benè agere!

FRequentium ac diuturnorum erga me tum magnitudo, tum memoria officiorum Tuorum adeo me hactenus obſtrictum tenuére, ut ingratum me oſtenderem, ſi non publico id conteſtarer monumento. Neque enim tantarum ſplendor virtutum, quibus TE mihi reddidiſti admirabilem, cum merita recompenſari nequirent, laudibus carere debitis ſuſtinebat; neque tam inſignis amicitiæ noſtræ vis excitare me deſtitit, donec inter tot tantosque tractus ingeniorum neutiquam id fraudi mihi futurum autumarem, ſi non mihi, ſed Tibi aliquod famæ ſpatium conſtituerem.

Utinam reſciſcat poſteritas non leviſſimi fœtûs mei, ſed cum nominis Tui, tum amicitiæ noſtræ inculpatæ memoriam, quæ primitùs ex affecti corporis Tui occaſione orta, tàm ſanctè inter nos culta fuit, ut nunquam redierimus in gratiam.

Inſurgerem hîc in laudes Tuas, enumerarem publica merita & privata, Te Theologum, Te Philoſophum & Mathematicum excellentiſſimum prædicarem, Te propriâ virtute eò emicuiſſe adjicerem, ut in penetralia ipſa medicinæ admiſſus virtutes herbarum, morborumque

rumque tyrannidem accurate ſcrutatus ſis; Sed neque ſatis eloquentiæ ad animum meum declarandum mihi ſuppetit, neque humanitas & modeſtia Tua ſingularis permittunt, ut contaminari à me amicitiæ leges videantur, ſi præter voluntatem Tuam laudes, utut meritiſſimas, proſequerer.

Non igitur pro eo, ut hoc munuſculo parem Tibi gratiam referre poſſe ſperarem, ſed ut teſtimonium ſolùm extaret grati mei animi, ſpecimen hoc inſcribere nomini Tuo volui.

Hoc ſi æqui bonique conſulens non tam ex dignitate ſuâ, quam habet nullam, quàm animi intentione & ſtudio gratioſè æſtimes, gratulabor mihi, & non ingratum id fuiſſe Tibi, & quod voto damnatus meo occaſionem hanc arripuerim, meum Tibi deferendi officioſum animum. Servet TE DEUS! Dabantur è muſeo Gothæ d. 24. Octobr. An. 1671.

Nomini Tuo præclariſſimo deditiſſimus

GEORG. WOLFFG. WEDEL, D.

PRÆFATIO

ad

Benevolum Lectorem.

ELegans ſententia eſt *Philoſophi l. 1. politicor. c. 2.* εἰ δή τις ἐξ ἀρχῆς τὰ πράγματα φυόμενα βλέψειεν, κάλλιστ᾽ ἂν οὕτω θεωρήσειεν. *Si quis ab initio res orientes & naſcentes inſpexerit, optimè ille veritatem perſpiciet.* Liceat nobis addere earundem deſtructionem & interitum. Uti enim ortus ipſius primordia perobſcura ſunt; ita etiam *à priori*, ut loquuntur Philoſophi, ſeu cauſis difficile admodum eſt indagare rerum naturam, qualitates & affectiones, ſed *à poſteriori* & effectibus id ſæpius oportet ut concludatur.

His perſcrutandis occupatam eſſe chimiam, illis noſſe datur, qui ſine præconceptâ opinione atratis manibus & facie ſuſtinuerunt naturæ per ignem pandere myſteria.

Videas hìc duplici peccari nomine. Alii enim thraſonicis & ſeſquipedalibus verbis nil niſi mera crepant arcana, & tanquam adepti ſe non

ut chimicos, ſed ut oracula extolli geſtiunt, utpote quibus liceat nudam ſine veſte cernere Deam, & quibus imperium totum morborum commiſſum ſit, modò non, ut dici aſſolet, pro Junone ſæpe nubem arripiant. Laudes quippe immodicæ medicinarum chimicarum primò inflant hominum ſpes, deinde deſtituunt. Magni viri ſuis natis dant magna nomina pro lubitu, nullo reclamante; ſic & quidam chimici nil niſi *aſtralia* ingeminant, nil niſi quod *ſolare*, *quinta eſſentia*, *primum ens*, *materia prima* &c. audit, ipſis ad palatum eſt, ex ſolo haut rarò nomine metientibus virtutes. Aſt ut non ſequitur: hic dicitur Alexander, Julius Cæſar; Ergò etiam reipſâ heroum iſtorum facta æmulatur, ne dicam, exprimit; ita & hoc loco ſæpe caſſâ non dignum eſt nuce, quod ceu ſacrum Eleuſinium ventoſis decantatur elogiis.

Aliis religio eſt, chimica adſumere medicamina, nedum laudare, minus, proprias manus his polluere, ut vocant, ſordibus.

Hi pro venenis habent producta chimica, aut minimùm admodum periculoſa, quæ non poſſint niſi trepidante propinari manu, ſecuros ſe magis credentes, ſi ampullas & trium ulnarum præſcribant formulas, decocta, pulveres, infuſa, nec obſervant interim, non copiâ æſtimari exercitum, ſed animi & corporis robore, & unicum granum piperis plus in ſe habere acrimoniæ, quam centum papaveris ſemina.

Stat ſua utrisque apud nos laus, & Galenicis & chimicis, ſi ab illis ſelecta & euporiſta, ab his verò benè præparata, utrobique conciſâ & judicioſâ ſpeciali medendi methodo junctâ, mutuemur in humanum ~~ſuum~~ usum remedia.

Fatendum verò eſt, longè feliciorem & phyſicorum & medicorum futuram conditionem, ſi non contenti lectione variorum autorum, non traditionibus, continuatâ ſucceſſione à veteribus ad nos traductis, ſæpe optimis, ſæpe falſis, pro veris tamen habitis, & ut novus liber fiat, invicem exſcriptis; non denique ſubtilibus diſceptationibus & ratiunculis, anatomen inſtitueremus & perficeremus chimicam, verum à falſo ſecernentes, & rationem cum experientiâ jungentes, quid fundamentum habeat in re, quid minus, disquireremus. Adde & illud, ſi liceret ubique & præparare & diſpenſare medicis medicamenta, quod alicubi iidem recuſant, alicubi iiſdem recuſatur. Interim multa obſcuris occultantur & ſepulta jacent tenebris, quorum veritas, ſummo cum ægrotorum & poſterorum commodo, ceu ſol ex puteo emergeret.

Sed tempus eſt, Benevole Lector, ut paucis de præſenti Te moneam opu-

opuſculo. Veriſſimum esſe experimentum, ſal volatile ex herbis conficiendi, tibi perſuadeas interim, quæſo, donec propediem publicè in uſum tuum proponatur.

Illud verò non inventum quidem à me, nec quæſitum affirmo: quis enim inveniet, quod non quæritur? quis autem quærat, quod in rerum naturâ eo modo eſſe nunquam audierit? Nihilominus juxta *Platonicum* illud *l. 10. de republ.* ἐπεὶ πολλά τοι ὀξύτερον βλεπόντων, ἀμβλύτερον ὁρῶντες πρότερον εἶδον, *ſæpe contingit, ut qui hebetiore ſunt acie, nonnulla prius intueantur, quàm qui acutius cernunt.*

Magnum & difficile apparet opus, ſed leviſſimâ conſit operâ, quin, quod de Lapide Philoſophorum ſcribitur, opus eſt muliercularum. Nullam mihi inde quæro laureolam, neque in præjudicium ullius hominis quid à me dictum volo. Stylus ipſe ſi videbitur unà cum rebus negligentior & vacuus, omne id noveris paucis diebus in chartam conjectum, variis, ut fit, negotiis interpolatum, quibus etiam factum eſt, ut ſolicitis non omnia potuerint menſurari unguiculis.

Multæ paſſim nugæ, multa temeritas, multæ ineptiæ, inter quas & noſtræ. Vale, Benevole Lector, & noſtris laboribus fave, ne in medio interrupti opere impediamur in proximè edendo experimento ipſo, aliisque ad prelum deſtinatis.

Q. D. B. V.

CAPUT I.

De virtute herbarum in genere.

IN herbis magna latet virtus. Herbæ medicinæ jecerunt fundamenta, per tot ſecula quamplurimis morbis, humanum genus infeſtantibus, feliciter adhibitæ. Vulnerati enim primitus, vel alio modo læſi, coacti quaſi & impulſi fuerunt, ut ab herbarum applicatione ſibi

Medicin initia ab herbis.

quærerent remedia, unde chirurgia, pars medicinæ antiquiſſima, Machaonem, Podalirium alioſque nobilitavit, paucarum licet ſolùm notitiâ herbarum celebres.

His veteres ſolis uſi, Hinc apud *Plutarchum l. 2. ſympoſiac. pag. m. 646.* Tryphon laudat Veteres πλείστῃ κεχρημένους ἀπὸ φυτῶν ἰατρικῇ, *plurimis plantarum uſos remediis*, Chironem item & Agenoridem, Cadmum, (qui duo primi medicinam tactitaſſe credebantur) ægros ſuos ſolis herbis & radicibus ſanaſſe, *ſubjungit.* Quo ſenſu etiam apud *Scholiaſten Homeri*, ἡ ἀρχαία ἰητρικὴ, ἐν βοτάνοις ἦν. *id eſt*, ut *Seneca* vertit, *medicina quondam paucarum fuit ſcientia herbarum.*

Sufficienter tamen plantarum inde crevit catalogus. Suffecit hæc medicina botanica nihilominus, & uti cognitio plantarum ſuaviſſima non ſolùm eſt, ſed & utiliſſima, ita à levi iſthoc primordio in tantum excrevit indagatione curioſâ illarum catalogus, ut jam ſuo tempore *Pergamenus* plantarum genus & numeroſiſſimum, & virium robore præcellentiſſimum vocaverit, *6. de M. F. cap.* 1. & integris libris pro nominum ſolùm varietate enumerandâ noſtro ſeculo fuerit opus.

dignitas, Eſt ſtirpium erecta ad cœlum natura, noſtræ perfectionis æmula: cœli appetens longè, quàm nos, feliciùs: qui fruſtra ſpectamus ipſum, nec niſi terram ſapimus, dicente *Scaligero.*

& cognitio, neceſſaria medico. Sed non locus hic deſtinatus plantarum elogio, quarum cognitio tamen tàm neceſſaria eſt medico, ὡς, autore *Oribaſio*, οὐχ' οἷόν τε εἶναι χωρὶς ταύτης ἰατρεύειν ὀρθῶς, *ut ſine hâc non liceat rectè medicinam facere*; id ſolùm delibare lubet, quod ſicuti ſtellata hæc tempe oculorum panegyri gemmas ſuas & virtutes, ubere & fœcundo admodum proventu offerunt; ita has virtutes & dotes non ſolùm admirari, ſed etiam ſcrutari & rimari diligenter fas eſt.

Ἐν πᾶσι φυσικοῖς θαυμαστόν τι, cenſente *Ariſtotele.* Hoc mirandum utique inquirendum eſt, cum ob admirationem philoſophari inceperint homines, ſcribente *eodem.*

Chimia harum dotes pandit. Chimia eſt alma iſta mater, quæ naturæ obſtetricantes præſtat manus, ut quas dotes oſtendit oculis, & tanquam in ſpeculo videnda exhibuit, eadem in uſum humani generis feliciter parturiat.

Hæc Vulcani cultro in ipſa ſimplicium ſcrutatur viſcera, ac quid utilis, quidve noxii in ſinu gerant, & exhibeant tam delicata macrocoſmi corpora, pandit. Licet hîc detecto conopéo videre theſauros & cimelia, quibus regnum vegetabile abundè ſuperbit; datur hîc ad omni-

genos

Unde & meliora & ſuaviora medicamenta.

genos morbos officina inſtructiſſima. Corticem, quo antiquis ſolùm frui conceſſum fuit, removet, & nucleũ ipſum exhibet pyrotechnia. Adeò crevit hodiè medicinæ armamentarium, ut pro decoctis, pulveribus, ſuccis herbarum, liceat jam aquas, ſpiritus, olea, ſalia, elixiria, in humanum vertere uſum.

Vegetabilium cum mineralibus & animalibus comparatio.

Sed cum juxtà quosdam, pygmæa hactenus ſolum à plantis procedant remedia, illis jam pro ſeculi luxu non amplius paribus ſanandis ægrotis, heroica verò & generoſiora ex animali & minerali regno, feliciori longè ſucceſſu, quærant morborum artifices, nolumus quidem præferre & anteponere vegetabilium hunc ordinem digniori, nihilominus & ipſa plura habere in receſſu, quàm quæ vulgò innotuerunt hactenus, illis conſtat, quibus hæc indagare lubido eſt.

CAPUT II.

De analyſi plantarum hactenus uſitatâ.

Principiorum Chimicorum diviſio.

MIſſo dubio iſto, an ignis ſit verus corporum analyſta, notum eſt, conſtitutiva vegetabilium principia eſſe tria utilia: ſal, ſulphur & mercurium, & duo inutilia: phlegma & caput mortuum ſeu terram inſipidam. Quo de videri poteſt præter alios 1
illuſtris *D. D. Rolfincius chim. in art. form. redact. l. 1. cap. 16. p. 38. Febure traitte de la chymie l. 1. c. 2. p. 9. ſeqq. Glaſer. traitte de la chymie l. 1. c. 3. pag. 6.* Hæc, reſpectu inter ſe habito, iterum dividi poſſunt vel *in fixa,* 2.
ut ſal & terram; & *volatilia*, ut phlegma, ſulphur & mercurium. Vel, ſi accuratius ea conſiderentur, in *fixum*, ut terra; *volatilia*, ut 🜍 ☿; & *media*, ut ▽ & ⊖.

His tertia diviſio in *activa* & *paſſiva* principia jungi meretur, cu- 3.
jus infra *cap. 8.* facimus mentionem.

Phlegma, ſeu aqua ♌æ,

PHLEGMA, quemadmodum eſt inutile principium, ſic & aquæ phlegmaticæ, vulgò deſtillatæ, plerumque parum de virtutibus ſuorum ſimplicium participant, niſi quæ ſal volatile copioſius cum ſulphure remixtum habent, ut aqua cinamomi, roſarum, &c. Hinc chimiatrorum iſta aſſerta, aquas deſtillatas non eſſe reverà niſi herbarum ſudores, non autem ſanguinem illarum, item, eſſe quaſi aquas pluvias viridium & recentium. Imò ab aliis cadavera officinarum appellantur, niſi ſint fermentatione paratæ & ſpirituoſæ, nam quò pauciores habent ſpiritus aquæ deſtillatæ, eò ſunt ignobiliores.

 Ali-

Habent in ſe aliquid de ſale volatili. Aliquotam verò partem ⊖lis volatilis, nimio calore ignis, præſertim veſicæ, cujus gradus longè intenſior eſt igne arenæ, cum aquâ deliquatam, ſimul ex parte ſublimari, argumento eſt, quod aquæ deſtillatæ minus putreſcunt, aëreæ volatilitatis naturæ quaſi participes factæ.

Spiritus, SPIRITUS vegetabilium, ſub ☿ii nomine vulgò venientes, medio loco inter aquas & olea poſiti, particulis ſapidis, volatilibus, & naturæ fermenteſcibilis gaudentes, unà cum oleis ♌tis habentur à nonnullis inter chimicè præparata remedia omnium optima, & ut aquæ ſub ſpecie roris guttatim deſcendunt, ita ſpiritus ſtriatim per alembicum prodeunt.

An omnes ſint ejusdem naturæ. Omnes ſunt ſubtilium partium & egregiæ activitatis, omnes etiam calidi, unde ob has communes affectiones ſunt, qui non differre ſpiritus ab invicem, & univerſos potius ejusdem naturæ eſſe contendunt, quod tamen, ſi odorem & ſaporem attendamus, vix locum habere poteſt.

Olea, OLEA ab aliis herbis copioſiùs, ab aliis parciùs procedunt, particulis rotundis, ramoſis tamen & in ſe implicatis, balſamicis, ſuavibus & inflammabilibus conſpicua, calorem in nobis intendunt, omniaque ſubtilitate ſuâ pervadunt, ut doſes non tam guttulis, quàm guttas doſibus metiri in quamplurimis jubeamur.

An vires ſimplicium ſuorum obtineant. Hæc an plantarum ſuarum ſpecificas obtineant dotes, ut oleum caryophyllorum ſtomacho, aniſi pectori, citri cordi &c. dicata ſint, à Chimicis quibusdam dubitatur, judicantibus, gradibus ſolùm ea leviter differre, & in qualitate calefaciendi, digerendi, diſcutiendi convenire, cùm tamen ab affectionibus communiſſimis, odore, & ſapore, idem facilè ſenſuum judicio poſſit decidi.

Oleum lignorum. Ex lignis ipſis non minimâ proveniunt quantitate olea, licet contrà experientiam chimicam & autopſiam oleum ligni ſancti dari neget *Walæus meth. medend. pagina 68.*

Salia alkalia. SALIA alkalia, per incinerationem & elixiviationem parata, proprietatem obtinent ſaponariam, (unde & ſaponaria & lixiva audiunt) & reſolutivam, quæ cum per inteſtina & lotium recedant, interim reſolvunt ſordes in illis meatibus, &, ut cum *Highmoro* loquamur, in corpore adhibita, ſuccos figunt & præcipitant acidos, fermentationem tollunt, atque ſic ſine tumultu & turbatione cibi in ventriculo diſſolvuntur, & ſanguis per totum pacatius circulatur microcoſmum.

Terra ſeu caput mortuum. TERRA inſipida, primum in compoſitione mixtorum fundamentum, & ultimum in reſolutione, aſtringendi & ſiccandi qualitatibus prædi-

prædita, rarius in medicum cedit uſum, mechanicorum attamen operationibus variis non leve præſtat commodum.

Hæc principia uti ſe invicem ligant & ſuſtinent, ita in ſe invicem mutari, magnamque inter ſe habere convenientiam ab effectis concludere licet, in ſpecie ſali convenit cum terrâ, quâcum reliqua principia in mixto quaſi ligat; cum oleis, quæ facilè adſumit, & ſulphura rerum evocat; cum aquâ, in quâ promptiſſimè ſolvitur; cum ſpiritu, cui per digeſtionem ex parte etiam combinatur. *Principiorum chimicorum convenientia.*

Ita ex aquâ fieri poſſe olea, experimento demonſtrat *Helmontius de trib. princip. chim.* ex oleis Sal volatile elici poteſt, ex Sale terra &c.

Cum verò Salia, ſi nomen conſideres, ſint duplicia, *fixa* ſeu *alcalia*, & *volatilia*; illa quidem, ut dictum, per incinerationem, vel ſuccorum expreſſorum exſiccationem hactenus parata in officinis locum adepta ſunt ſplendidum, cryſtalliſatis fulgentia ſpiculis, nitore oculis grata, ſapore non ingrata, viribus non inefficacia. Salia verò volatilia herbarum adhuc dum per ſe, ſolitaria, non exſtiterunt, ſed ſub oleis occultata, quæ Sale volatili pollere & notiſſimum eſt, & infrà probabitur magis; ſpiritibus etiam ex parte mixta, & ſub alcalium velo quaſi ſepulta, quamvis hoc poſterius ex eo dubium videri poſſet, quod fixa ſalia reſiſtunt igni, volatilia jugum illius ferre imparia, flammæ, licet acidæ putatæ, cedunt & in auras evolant, item quod lixivis eadem propelluntur. *Salium diviſio communis, in fixa, ſeu lixiva, & volatilia.*

Sed mirè ludunt hæc principia, ita, ut quando exhauſta creduntur omnia, lateat nihilominus unum vel alterum illorum etiam in fecibus. Hoc vel vulgatiſſimo exemplo vini manifeſtum eſt, quod, ſeparatione partium impurarum à puris factâ, clareſcit, &, quod antea in muſto nil niſi aquam quandam inſipidam deſtillando præbebat, exſerentibus ſe partibus ſpirituoſis, fit paulò poſt generoſum vinum, & ſpirituoſus liquor, ut vel in bibentium vitris ſtrias pingat. Attamen in abjectis fecibus latet adhuc vini ſpiritûs, communiter dicti, non minimus apparatus, & Sal volatile copioſum, quod ex ſiccatis ritè fecibus igne retortæ elicitur, unde axioma: optimi vini, optimæ feces, quo de elegantiſſimè differentem vid. *Nobiliſſ. D. Daniel. Ludovici Tr. de volatilitate Salis* ♀*ri pag. 14.* *Principiorum chimicorum luſus.*

Neque dubium eſt, in fimo mandandis fecibus herbarum, à deſtillatione reſiduis, latere adhuc tum ſpiritum, ſi rem rectè accipias, tum ⊖ volatile. Ita enim ſi ignis herbam tractet, ut recens deſtillationi ſubjiciatur, uti communiter fit, nil niſi aqua inſipida ferè prodit, odore ſæpe rei *Ignis variat producta chimica.*

rei exhauſtæ, proportionaliter conſideratæ, vix ad amuſſim reſpondens. Eandem ſi aliter tractes, mediante fermentatione egregium nanciſceris ſpiritum: ſin iterum aliter, oleum magis redundabit, & ſic porrò. Imò & gradus ignis,& modus ipſum applicandi ejus effectum variat, quo de vid. *Carteſ. princip. philoſ. part. 4. §. 122. & 123.*

CAPUT III.

In animalibus dari Sal volatile, diſſerit.

Salium volatilium etymon, ANimalia & ipſorum partes examini ignis ſubjectæ inventionem Salis volatilis primitus ſubminiſtraſſe videntur chimicis. Volatile verò dicitur, tum reſpectu fixi, tum quia facilè avolat & aufugit, uti v. g. Sal volatile Cornu cervi, licet benè illud munias, non æquè ſemper retinetur, ſed auras petit, rubellum poſt ſe relinquens liquorem. *fixatio, cum C. C. uſto. cum acidis,* Unde fixationes inſtitutæ ſunt variæ, partim cum C.C. uſto aliquoties illud ſublimando, partim, qui optimus & legitimus modus eſt, cum ſpiritibus acidis. Acida enim compedes injiciunt mercuriali huic Proteo, eumque ligant tantiſper, donec reſolutis per lixiva poris iterum ſibi reſtituatur volatilitas.

Spiritus eſſentificati. Alii ſpiritus proprio ſale ſuo volatili quaſi eſſentificant, quo modo optimè & adſervandi & adſumendi ⊖ volatile inventus eſt modus.

⊖ volat. animalium perfectorum, 1. hominis, Neque verò animalia majora & perfecta ſolùm copioſiſſimo gaudent ſale volatili, ut homo, cujus cranium hexagonâ figurâ ſal fundit volatile, ſanguis, urina, fortaſſis etiam ſecundina, & oſſa ejusdem igni ſubjecta idem emittunt.

2. Cervi, *Cervi* cerebrum eſt quaſi portorium quoddam, quò delatæ merces per id aliò transferuntur, non tanquam in apothecam, in quâ debent reponi, ſed ulterius provehuntur, & in cornua abeunt, humanis uſibus ſingulis annis decidua, & ſpecie quâdam vegetationis renaſcentia. Hæc cum ſpiritu fundunt Sal volatile copioſum, quod tamen ulterius in oleo ultimo fœtido quoque abundare nemo fortean negaverit. Ejusdem ſanguis ſal præbet volatile.

Imperfectorum, 1. Cantharidum, 2. Formicarum; Sed etiam uti formicæ ſua bilis eſt, ita & Sal ſuum volatile, & vel minima animalcula & inſecta idem liberali obtinent munere.

Cantharides gaudent ⊖le quodam volatili acerrimo, in urinam liquabili, quâ veſica ſolùm afficitur. *Formicæ*, vel manu percuſſæ, na-

res

res mirum in modum feriunt. Animalculum ob id eſt valdè calidum, ita ſentit *Eraſtus epiſt. 6.* & humorem in ſe tenuiſſimum habet, igneum ferè. Liquet hoc ex earum morſu & perfuſione. Perfundunt enim humore quodam cutem, iratæ cum ſunt, tenuiſſimo & egregiè mordaci & calido, quod permingere vocant Germani. Vidimus ex illis paratum Sal volatile penetrantiſſimum, in cerebri affectibus nobiliſſimum, quod vel odore ſolo partium nervoſarum dolores & lancinationes lenit. *Quarum odor & liquor eſt penetrans, valdè.*

Lumbrici, licet frigidiores, terramque velut inteſtina perreptent, ſale tamen volatili in tantum abundant, ut & externè applicati ſolùm membris dolentibus ſolamen adferant, & in ſal volatile reſoluti. Fit hoc, ſi vel longâ prius digeſtione in putrilaginem fatiſcentes dehinc deſtillentur, quâ ratione tamen fœtidum & ingratum evadit medicamentum. Vel, quod melius eſt, ſi per retortam deſtillatio fiat ex recentibus & vivis lumbricis, cum ſ. q. cinerum cribellatorum inſperſis, unde ſpiritus conſurgit ſale volatili refertus, multarum virium, quod, præter odorem, acidis inſtillatis extemplò probari poteſt. *3. Lumbricorum.* *per longam digeſtionem,* *vel ex vivis cum ſ. q. cinerum.*

Viperæ, delicatum & mundum animalculum, par ratio eſt ſerpentum, olim combuſtione in cineres ſal theriacale veteribus præbuerunt. Illæ, ſi abſciſſo capite & caudâ, (viperas præſertim mares, certis de rationibus, fœminis, contra commune aſſertum, præferimus) cute, pinguedine, jecore & corde peculiaribus uſibus reſervatis, inteſtinis verò exemptis, ſpinæ ipſarum deſtillentur, oleum, ſpiritum & ſal volatile copioſum exhibent, nauſeabundo tamen quodam ex empyreumate cum fœtore, quam ob rem ſpiritus ingratus admodum evadit, ⊖ verò volatile l. a. ſeparatum à quamplurimis pro panaceâ ferè habetur, & ſummo arcano. *4. Viperarum & ſerpentum, præprimis marium,* *cum ſpiritu nauſeabundo.*

Tacemus animalium ungulas, & cornua alia, ipſasque ſpinas, bilem felleam, &c. ne nimis excreſcat hic diſcurſus.

Quin nondum ſeparatum ſal volatile in animalibus operationum quamplurimarum eſt autor tum naturalium, tum præter naturam. Hinc enim reſolutis in ſtomacho cibis chylus albeſcit, idemque à ſalibus volatilibus magis digeſtus in ſanguinem mutatur, quæ genuina eſt purpuræ ſanguineæ origo. *Sal. volat. in animalibus operationes in ſtatu ſ. n. & p. n.*

Coctio enim illa animalis, ſeu in ſpecie elixatio, & calor, inſtrumenta ſunt, quibus natura ſpiritus in cibo potuque latitantes evocat, & in Sal volatile commutat. Sal volatile in ſanguine copioſè jam exiſtens ceu menſtruum genuinum recipit & adſociat ſibi partes homogeneas *in coctione & ſanguificatione.*

neas volatiles, easdemque porro exaltatas purpurâ ſuâ tingit. Sic ſi ſalia volatilia miſceantur cum oleis deſtillatis, accedente digeſtione tinguntur in colorem rubrum. Quid mirum itaque eſt, ſi Salia chyli volatilia & partes oleaginoſæ coctione exaltatæ purpureum nanciſcantur colorem, quæ verba ſunt *B. D. D. Mœbii l. 1. epit. inſtit. medic. c. 11. p. 53.*

Venenorum origo. Eisdem volatilibus ſalibus venena in quamplurimis venenatis animalibus, fortaſſis etiam ab apibus, veſpis &c. inducta punctione ſymptomata deberi, ſuo loco probabimus.

CAPUT IV.
In plantis dari Sal volatile.

Sal metallorum magis fixum. CUm conceſſum ſit, abundare in regno animali potiſſimùm Salium volatilium proventum, metallorum verò & mineralium illis affinium plerumque Sal magis fixum ſit, (quo de ſpecialiter alibi tractabimus) unde difficilis Tincturarum paratio, videndum de vegetabili regno, num & illinc ſalia volatilia in medicum uſum peti poſſint.

Sal volatile plantarum antiſcorbuticarum, Nullum dubium eſt de antiſcorbuticis pleriſque. Ita *cochlearia, arum, naſturtium omne, piperitis, raphanus ruſticanus, ſedum minus* (quod ſi per ſe deſtilletur, miro luſu nil niſi aquam inſipidam præbet) *& alia* eo potiſſimum nomine magnæ famæ & præconii exiſtimata ſunt, quod ſal volatile in illis reſideat, ſpecificum in herculeis morbis, ſcorbuto, affectu hypochondriaco, obſtructionibus pancreatis & meſenterii &c. adeò ut naturæ benignæ matris nutu ibi potiſſimum provenire à quibusdam putata ſint, ubi ſcorbuticum miaſma quaſi endemium & vernaculum malum eſt.

an expreſſo ſucco tam citò avolet, Et adeò quidem increbuit horum ſalis volatilis exiſtimatio, ut creditum ſit, expreſſum cochleariæ ſuccum & recenſitorum reliquorum, ſi per breve ſolùm temporis ſpatium ſteterit, amittere ſtatim volatilitatem ſuam, de quo equidem pace eorum, quibus receptiſſima placet *dubitatur.* ſententia, dubitare hîc allubeſcit. Et ob eandem rationem receptum *In earum adhibitione cautela.* eſt magis verum axioma, quod plantæ hæ antiſcorbuticæ non præſcribantur benè in formâ decocti vel extracti, quia vis h. m. avolet; vel ſi decoctum adeò placeat, illam inſtituendam eſſe in vaſe duplici, & quidem igne leniori.

Abundant ſale volati- His extra dubium poſitis, quod in herbis antiſcorbuticis dictis reperiatur

riatur Sal quoddam volatile,plantæ quoque cephalicæ in numerum volatilitate gaudentium adſcriptæ & receptæ fuerunt,ut *majorana, roſmarinus,ſalvia, ruta*, atque ſimiles. Ac horum volatilia ſalia ſimplicium totam craſin continere,aſſerit Philoſophus per ignem *Helmontius*. *li & plantæ cephalicæ.*

Audeo aſſerere, duplex Sal volatile eſſe in plantis,*aliud patens*, ſeu manifeſtum,*aliud latens*,ſeu occultum.In dictis cephalicis & antiſcorbuticis plantis detegitur Sal volatile odore & ſapore acri,ſubtili,& penetrante. *Diviſio Sal. volatilis herbarum.*

Quis verò neget in medii quaſi generis herbis,ut roſis, liliis, ſcordio, abſinthio, aliiſque idem reperiri & dari, licet,ut apparet,minori quantitate. *An in medii generis herbis quoque detur.*

Aſt de plantis planè inſipidis, vel frigidis,gramine,papavere,lactucâ, endiviâ, acetosâ &c. nemo hactenus, qui vel maximè de proximè delibatis & recenſitis illud conceſſerit,hoc facilè dixerit,ita præſertim,ut demonſtrari illud poſſit,& juxtà vulgatum illud,in quæ quid non reſolvitur,ex iis non conſtat, cum defecerit in eo hucusq; artificium analyticum chimicum,illud tenebris involutum manſit. *An in planè inſipidis vel frigidis?*

Verùm enimverò, cum quis cogitat & perpendit,cervum ſal præbere copioſiſſimum volatile, qui tamen,ut alia bruta animantia, (omnia nihilominus ſale volatili referta)gramine ſolùm veſcitur, herbiſque,quæ nunquam tam felix chimicus potuit in ſal volatile redigere,quàm ſtomachus cervinus: Viperas item vel ex autopſiâ noſtrâ,ali gramine,licet ſæpius,itidem experientiâ noſtrâ oculari,mures deglutiant integros; lumbricos vel terrâ ipsâ paſci; formicas rodere arbores, granaque in futurum alimentum congerere, & ligna; cantharides folia arborum depaſcere; imò in nobis ipſis quotidiè ex inſipidis & non ſalſis manifeſta confici ſalia, lege digeſtionis humanæ,ſubit animum diſcurſus, annon etiam ex illis Sal volatile realiter elici poſſit? *Probatur 1. Inductione ab alimento animalium.*

Neque enim cogitatione apprehendi poteſt,tam multiplicativum eſſe calorem animalium,vel inſiti & innati Salis volatilis fermentum, ut tam copiosè diffundi,dilatari,extendi,& ex herbis etiam, quæ nihil tale in ſe contineant, parari,& quidem in copiâ poſſit.

Conceſſum fuit hactenus chimicis, ipſos ex frigidis etiam plantis ſpiritus elicere poſſe ardentes & confortantes: Cur non etiam dato hoc ex iiſdem Sal volatile prodire poſſit, cum ſpiritus ardentes de Sale volatili participare ſit in confeſſo? *2. à ſimili.*

3. Exemplo fumi & fuliginis, quæ ſale volatili eſt referta,

Fumum accenſarum herbarum & lignorum oculos mordicare admodum, nemo eſt, qui neſciat; jam verò mordicatio hæc aliunde non provenit, quàm à Sale volatili, quod cum aquâ evolat, & illud ipſum eſt, quod oculos, utpote delicatioris ſenſus, ferit. Hoc ὀφθαλμοφανερῶς etiam eluceſcit ex fuligine, à fumo per ſucceſſivum in auras abitum parietibus furnorum appoſitâ. Hæc enim, ex ligno præſertim quercino, (quercus enim Sale volatili copioſius, ut, in animalium genere, cervus, pollet, hinc quod ſalia volatilia rebus durationem præprimis conferant, annoſa quercus, longævus cervus ob ætatem dicuntur) igni ſubjecta Sal volatile præbet copioſum, vel in agone exiſtentibus pro cordiali ſummo & refectivo commendatum, indicio evidenti, latitaſſe hoc prius in lignis.

Licet ex combuſtione plantarum non ita accreſcat.

Quod verò non ex plantis combuſtis omnibus ſimilis fuligo accreſcat fornaci, forſan ſubtiliori adnumerandum eſt volatilitati, quæ ab acidis lignorum ſpiritibus magis ligatur, licet nec illud ex toto concedamus.

4. Exemplo vitis ſeu vini, etiam quo ad feces.

Ex vitis fructu, uvis, paratum vinum, Sale volatili inſigne eſſe, præter alia vel inde ſole meridiano clarius patet, quod, ut ſuprà jam diximus, ex fecibus vini ſolùm ſiccatis, fortaſſis etiam ex fecibus cereviſiæ, l.a. poſſit Sal volatile nobiliſſimum produci, cum tamen nec vitis ipſius folia, nec uvæ ullum habeant ſaporem volatilem.

5. à colore plantarum,

Virere arva & prata ridere ineunte vere, ubi à benigno ſolis calore evocantur Salia, eademque rorem tanquam Sal centrale mundi imbibunt, & per totam ferè æſtatem, oculi nunquam virore & dulcedine iſtâ ſaturandi teſtantur.

Unde colores producantur, & immutentur.

Jam verò Sal colorum eſſe principium, ex ipſo Paracelſo, *tract. de peſtilent. tit. de cabalâ,* & aliis locis pluribus conſtare poteſt. De quo videatur prolixè *Simon Pauli quadripart. Botan. claſſe tertiâ ſub heliotropio,* ubi inprimis *p. 334.* ex *Paracelſo* confirmat ⊖ & ☿ium, non 🜍, colores efficere. Et experientia tinctorum id cuivis neganti demonſtrare ſufficit, cui alia poſſent accenſeri, niſi brevitati jam ſtuderemus. Ita ſi Tincturæ violarum guttas aliquot Spiritus C. C. vel ⊖lis ✳ci inſtilles, color confeſtim mutatur ex purpureo in viridem, ut taceamus alias mutationes, quæ pro diverſis inſtillatis liquoribus diverſimodè viſum & mentem delectant.

In Sale volat. eſt vita plantarum.

Hinc eſt, quod Sal volatile balſamum quaſi & vitam plantarum conſtituit, non minus ac in animantium genere vitalium actionum genuinum &, verum præcipuumque eſt inſtrumentum.

Panis,

Panis, è vegetabilium genere confectus, ſimul ac famelico offertur ventriculo, tamem extemplò abigit, ſpiritus labantes reficit, vires refocillat, antequam vel chylus vel ſanguis exinde poſſit perfici. Quin ipſi furno piſtoris pro coctione adhuc concreditus, ſpiritum de ſe exhalat analepticum, & non infimi ad ventriculi & pulmonum affectus ordinis. *6. Exemplo panis; Ejusſpiritus analepticus.*

Eadem ratio eſt in brutis; vix ingeſto gramine bos egenum & urgentem ſatiat appetitum, quod ſanè non videtur aliunde procedere, quam quia ſtatim ſalia volatilia in tria iſta receptacula, nervos, venas & arterias ſeſe vibrant, & ocyus corpori indigenti ſuccurrunt, quàm balſamicum, melius adhuc digerendum & coquendum, nutrimentum. Quæ omnia latius deduceremus, niſi nos prodromum ſcribere ſpecimen recordaremur. *Cur ingeſto cibo fames ſtatim ſedetur.*

Ex cydoniis, opio & benzoe cryſtallos elegantes aliquoties nobis Vulcanus obtulit, manifeſto indicio, illos ſalino & mercuriali deberi principio, & licet primo obtutu nihil minus ineſſe quàm ſalinum talismodi appareat, ipſi tamen experientiæ ſubſcribendum. De hâc latius agitur in *opiologiâ noſtra curioſâ*, propediem edendâ. *7. Cryſtalli ex cydoniis, opio & benzoe, probant Sal volatile.*

Omne reliquum dubium diſſolvit, & argumentis omnibus in contrarium ſufficiens eſt dicta jam experientia, quâ innotuit nobis ex certâ quâdam herbâ Sal volatile ✳cale elegantiſſimum ſine ullâ additione ſuſpectâ, quæ vel micam de ſale participaſſet, & quod magis eſt, ſine igne productum. Quâ inducti, licet difficile ſit à particulari ad univerſale argumentari, audemus nihilominus aſſerere, eodem modo poſſe, ſi non ex omnibus, multis tamen, aliis plantis idem perfici & ad oculum demonſtrari. *8. Ab experientiâ, quâ innotuit Sal volatile.*

De modo procedendi in ſpecimine altero, ſive Experimento ipſo, ſine ullo fuco aut dolo disſeremus apertè, latè, & candidè. *Cujus proceſſus promittitur.*

CAPUT V.

Modi eliciendi Sal volatile ex plantis.

Dari in plantis omnibus Sal volatile, facilè quis credat, ſed ut demonſtretur, & in apricum ſiſtatur volatile hoc & fugitivum, hoc opus, hic labor eſt. *Prolectio Sal. volat.*

Communiter plantæ antiſcorbuticæ cum Spiritu Vini aquoſiori *1. cum Spi-*

rituVini aquoſiori. ſiori (in aquis quippe lubenter ſolvuntur Salia) deſtillantur, ut is in ſe abſorbeat, quicquid volatile in plantâ hæſit, relictis in vaſis fundo foliis inodoris, & ſapore priſtino omni penitùs exutis. Hic quidem modus percommodus eſt, odoremque herbæ in ſpiritum derivat, indicio & virtutes eſſe communicatas, ſed Sal volatile hoc nihilominus ſuo modo latens eſt, neque acidis inſtillatis ſpiritibus effervеſcit, neque in alembico ſpiculiformes exhibet particulas.

Cur hunc adſumant chimici. Aquoſiorem verò ſpiritum vini requirunt chimici, cum ob dictam jam ſuprà cauſam, tum quia Spiritus Vini rectificatus ſalia, ex ipſorum hypotheſi, non ſolvit, unde in præparatione eſſentiæ ℥ij ex croco metallorum non elutriato, *An conveniat in eſſentiis Salinis extrahendis.* Tinctura item Salis ♀ri, aliorumque ſimilium jubent recipere ſimilem non dephlegmatum Spirit. Vini, ut Sal eò melius ſolvatur, juxta illud: *ἀεὶ τὸ ὅμοιον ὂν ὅμοιον παρακαλεῖ, ſimile ſemper gaudet ſimili.* Notandum autem eſt, accedente digeſtione felicius longè rem ſuccedere & optatius cum Spiritu Vini rectificatiſſimo, omnique aqueo phlegmate ſtudioſè orbato. Rationem jam adducere nolumus, ſolùm ad experientiæ Lydium lapidem provocantes, quâ conſultâ extemplò videre licet Sal phlegmate ſolutum receſſum à ſpiritu reliquo facere. *Cryſtalli Salis Tartari.* Contra ea ex Tincturâ ♀ri cum optimè rectificato Spiritu Vini paratâ, hoc iterum ad tertias circiter abſtracto, & reſiduo ad cryſtalliſandum commodè locato, cryſtalli Salis ♀ri egregiæ utilitatis & ſplendoris conſurgunt. Sed ad rem.

2. Modo Glauberiano. *Glauberianus* modus hactenus uſitatior fuit in nominandis vegetabilium volatilibus Salibus, ubi combuſtione herbarum, in furno peculiari per retortam inſtitutâ, (vid. *D. D. Rolfincius l. 5. chim. in art. form. redact. ſ. 1. c. 1. p. 281.*) cum ſpiritu & oleo recipientia vaſa intrant, rectificatione poſtmodum ſeparanda & reponenda. Sed violenta ea nimis videtur, in plantis recentibus præſertim, mixtorum profugatio, & verum quidem eſt, ob combuſtionem Sal volatile deſtillando abire & poſſe ex parte in excipulum meare, ſed nullum dubium eſt, deſtrui hoc modo violenter totum mixtum, &, tàm tenero plantarum corpore, confuſionem potius fieri, quàm reſolutionem.

3. Et huic ſimili, Eodem modo ex lignis liquor volatilis acquiri poteſt, ſi fumus aliàs evaneſcens, relictis ſolummodò ad furni parietes in fuligine veſtigiis, per debitum inſtrumentum excipiatur in grande receptaculum.

4. Cum acidis ſpiritibus. *Nonnulli*, ut Sal illud volatile demonſtrare queant, cum norint, acida

da figere volatilia, affuſo v. g. *naſturtio aquatico* ∽u Salis rectificato, illudque igni concredentes, Sal volatile expectant, quod iterum ∽u Salis ſolvunt, & pro ſpiritu aperitivo hypochondriaco ſingulari habent. *5. Cum fermento panificum,*

Alii, cum fermentationem ſciant eſſe clavem veram, additâ fermenti vulgaris panificum parte, idem v. g. *naſturtium*, ſine ſpirituoſis aliis commixtis deſtillationi committunt, ut eliciant ſpiritum Sale volatili inebriatum, ſed nec hoc pacto damnatur voto artifex.

Notum eſt & præſuppoſitum certum, propelli ab alcalibus fixis ſalia volatilia, hinc quæſtio oritur, annon illis in conſortium adſcitis, v. g. cineribus, Sale ſarmentorum, vel cujusvis herbæ alcali proprio ſcopus præfixus poſſit adquiri? quod itidem vix conceſſerim. *6. Cum alcalibus.*

Vel an calx viva, ceu illa quoque de Sale participat, propellere Sal volatile herbarum etiam poſſit, veluti urinæ additum ſtatim illud prodit, curioſum eſt, de quo in poſterum diſcurremus latius. *7. Cum calce vivâ.*

Adeſſe verò in calce vivâ Sal quoddam fixum, patet; quia 1. volatilia propellit, per jam dicta de urinâ, quod itidem præſtat in Sale ✳co. 2. extrahit ſulphura, non ſolùm commune, pro lacte 🜍is, dehinc cum acidis præcipitando, ſed etiam antimonii. 3. cum acidis commixta ∽um urinoſum efficit, ut cum ∽u ⊕li philoſophico vel ∽u Salis communi, aut etiam cum alumine, quo de vid. *Dn. Ludov. Diſſert. pharmaceut. 1. p. 445.* 4. aqua ſuperfuſa fit acris. 5. gangrænam tollit. 6. in eryſipelate conducit, præſertim, ſi utrobivis ſe adſociet quid ſcorbutici. 7. oleo ſuperfuſo non ſtrepit, &c. *Dari in calce vivâ Sal fixum.*

Quomodo è ſalibus fixis volatile poſſit fieri, exemplo Salis ♀ri tractatu peculiari elegantiſſime & profundiſſimè diſſerit idem ſæpius laudatus *Dn. Ludovici.* *8. Ex Salibus fixis.*

Modus Helmontianus eſt celeberrimus, quem exemplo Salis cinamomi volatilis demonſtrat. Quando, *ait*, oleum cinamomi ſuo Sali alkali miſcetur, absque omni aquâ, trium menſium artificioſâ occultâque circulatione totum in Salem volatilem commutatum eſt, quod verè eſſentiam ſui ſimplicis, in nobis exprimit, & uſque in prima noſtri conſtitutiva ſeſe ingerit. *l. de trib. pp. chim. §. 84.* Sed hic licet certò procedat, particularis tamen ſolùm eſt, & pretioſior. Neque enim ex omnibus plantis olea deſtillari, præſertim in copiâ, poſſunt, nec Sal æquè alcali promiſcuè parari, cum plantæ aqueæ parcius illud præbeant, &c. *9. Modus Helmontianus primus, Secundus.*

Venit hîc in mentem *alius Helmontianus modus, Tractatu, aura vitalis*

in-

inſcripto, aliquo modo ſuggeſtus, ubi dicit, quod ℔j aquæ vitæ combibita in ſale Tartari ſiccato, vix fiat ſemuncia Salis, cæterum totum corpus fiat aqua elementalis, ut prius erat. Hujus poſſibilitatem *Glaſerus l. 1. traitte de la chimie. c. 20. p. 352.* experientiâ ſuâ ſtabilit & confirmat, qui mediantibus ſpiritibus acidis ſæpius Spiritum Vini in Sal volatile reduxit, modo ſequenti, quem, quia non omnium teritur autor manibus, è gallico in latinum verſum h. l. placet deſcribere. Conſiſtit verò breviter in eo, ut libra una ſpiritus ⊕tri benè rectificati indatur in vitrum amplius longo collo præditum, huic guttatim per vices inſtilletur Spiritus Vini ☿riſatus, hinc apponatur ſtatim alembicus cœcus vel aliud vitrum, quod cum collo alterius convenit, benè clauſis juncturis, idque tamdiu repetendum per integrum diem, donec nulla ſentiatur amplius pugna & activitas. Hoc modo habetur liquor medius inter Spiritum Vini & Spirit. ⊖, nec corroſivus ſc. nec inflammabilis. Qui ſi deſtilletur lento calore per Alembicum, in fundo remanet Sal album & volatile in paucâ quantitate, ſaporis acido-acerbi, qui additione Salis alcali facilè aſcendit & ſublimatur.

(p. m. 337.)

10. Deſtillatione plantarũ per ſe.

Curioſus & ille proceſſus eſt, quo aliqui ſpiritum ſeu aquam veronicæ per ſe deſtillant, contuſam plantam in cucurbitam vitream uſque ad ſuperficiem vaſis replendo & igne ſubdito liquorem volatilem proliciendo.

An fermentatione pereant Salia Volatilia?

Fermentatione perire Salia volatilia, ſolenne & commune eſt effatum in deſtillatione ſpirituum è vegetabilibus tali Sale refertis, quod ſupra jam de ſuccis eorundem tactum fuit. In contrarium autem tot exempla proſtant, ut pauca hîc loci afferre ſufficiat. Obſtat nempe fermentatio illa communiſſima in muſto. Inde enim tantum abeſt, ut pereant ſpiritus volatiles, ut potius in apricum prodeant, & conſpicui fiant, quorum antea nil tale aderat. Sic urina humana, pro Sale volatili inde producendo, communiter ab omnibus digeri jubetur & putrefieri, licet absque digeſtione hâc extemplò poſſit volatilitas proferri.

Fermentatio duplex.

Fermentatio alia eſt *deſtructiva*, quâ mixti forma penitus perit, & hæc ad putredinem tendit: alia *excitativa*, quæ latentia evolvit, in conſpectum ſiſtit, & ſejunctis à ſe invicẽ vinculis ſeu elementis nova producit corpora. Si per fermentationem hanc inſtitutam abitum moliuntur volatiles ſalinæ partes, poſſunt etiam fermentatione acquiri.

11. Salia volatilia

Statuimus ergò, fermentatione quâdam artificiali mediante, ex plantis ſi non omnibus, pluribus ſaltim, ex aliis forſan magis, minus ex

aliis

aliis generari poſſe illud ipſum Sal volatile, quo de generalis interim ſufficiat hæc deſcriptio, quod plantæ debeant contundi, digeri, & juſto tempore Sal volatile colligi. Plura enim hâc vice, donec in pluribus experimenti pateat veritas, non licet. *fiunt mediante fermentatione*

Salia ipſa plurimum ad fermentandum faciunt, &, ſi modò naturæ ductum ſequaris, facilè ſe ipſa evocant. *Semetipſa evocant.*

Plantæ amaricantes, ut Sal fixum copioſum per incinerationem de ſe præbent, ita & copioſum Sal volatile dare perſpicuum eſt, cum illæ utplurimum mercuriali ſimul abundent volatilitate, quod exemplo abſinthii manifeſtum eſt. *Sal volat. ex amaris plantis.*

Hoc modo cum calor plantarum & agendi energia maximam partem dependeat à Sale volatili, perſpicuum fieri poteſt, quàm felix futura ſit medicina, ſi ex illis Sal volatile & quidem copioſum parare poſſumus. *Activitas Salium volatilium.*

Diſtingui poteſt inter plantas. Quædam Sal volatile magis *in ſeminibus* gerunt, ut *hordeum*, *ſiligo*, *triticum*, *fructus leguminoſi*, *aniſum*, *carvum*, *ceraſa* &c. unde eleganter dicuntur ſemina plantarum nihil aliud eſſe, quàm Sal congelatum, coctum & digeſtum, & hæc cauſa eſt, quod vel leviſſimâ ebullitione in aquâ vis hæc ſeminifica pereat, quia ſalia ſolvuntur in aquâ, quamvis duriora nonnulla, ut nuclei ceraſorum, per alvum egeſta fructificare poſſe & germinare ſtatuantur. *Salia volatilia modò in ſeminibus excellunt.*

Aliæ *in herbâ & foliis* Sal volatile magis eminens poſſident, ut *cochlearia*, *naſturtium*, *draco eſculentus*, *ranunculus aquaticus &c.* Quædam denique *in radicibus*, ut *raphanus ruſticanus*, *arum*, *acorus*, &c. *Modò in herbâ & foliis, Modò in radicibus.*

E primis & ultimis Sal volatile quidem produci poſſe non deſperandum cenſemus, cum ex ſeminibus iſtis per fermentationem ſpiritus vini frumentaceus dictus &c. elici poſſit, & virtus potior radicum iſtarum in uſum trahatur, utraque verò ad fermentandum apta nata ſint. Attamen ex herbis ipſis & foliis potiſſimum Sal volatile fieri poſſe, mediante fermentatione peculiari, experientiâ ſuprà citatâ inducti credimus; idque præprimis tempore verno vel æſtivo, cum plantæ adoleſcunt, & Sal volatile, ut ita loquar, adhuc in herba eſt, non penitus digeſtum, cum diffuſius ibi ſit, & facilius manui artifici obſecundet, contra ea in ſeminibus digeſtum jam eſt, ligatumque, & tunc temporis, plantæ ipſæ exarent, cum in ſemina jam perfecta omnis quaſi vis pertranſiit. Hinc, qui Sal volatile ex plantis parare ſuſtinuerit, ex recentibus eadem facere præſumat oportet. Sicut enim ex putrefacto ligno nullum vel pauciſſimum per combuſtionem & incinerationem eluitur Sal fixum; Pari- *An ex binis poſterioribus elici poſſint? fiunt potiſſimum ex herbis ipſis. Maximè vere, & ex recentibus.*

li ratione ex ſponte ſuâ marcidis & deciduis plantis & herbis extrahi Sal volatile nequit.

CAPUT VI.

Uſus Salium volatilium è plantis paratorum generalis.

Secta methodica antiqua. OBſoleta ferè eſt *SECTA METHODICA*, cujus Patroni fuerunt *Themiſon*, *Soranus*, *Trallianus & alii*, qui in omnibus morbis nil niſi laxum, ſtrictum & ex his mixtum attendebant. Statuebant enim morbũ omnẽ conſiſtere vel in adſtrictione, ut quando fluxiones naturales ſunt ſuppreſſæ, qualia ſunt vitia retentorum, ut alvi adſtrictio, ſuppreſſio menſium, hæmorrhoidum, ſudoris, urinæ &c. vel in laxitate ut ſymptomata excretorum, diarrhœa, dyſenteria, hæmorrhagia, & ſimilia, vel medio modo ſe habere, ut ophthalmia cum fluxione &c. unde tria conſurgunt ipſorum axiomata univerſalia:

Axiomata univerſalia.

1. Quicquid adſtrictum eſt, eſſe laxandum.
2. Omne quod p. n. laxum eſt, adſtringendum.
3. In medio caſu illi auxilium ferendũ eſſe, quod magis urget, de quibus videatur latius *Lauremberg. in Portic. Æſculap. c. 5. pag. 26.*

Applicata ad fixum, volatile & medium. Liceat hoc applicare ad fixum, volatile & medium, & tota medicamentorum claſſis in univerſum morborum genus armata ſub hâc diviſione continebitur. Ita medicamenta *CEPHALICA*, & ut magis res exemplo pateat, antepileptica ſunt vel *fixa*, ut *corallia*, *cinnabaris nativa* & alia; vel *volatilia*, ut *plantæ cephalicæ odoratæ*, *ipſarumque olea*, ~ *CC. ol. ſuccini*, *caſtoreum*, ~ *Salis* ✱*ci volatilis* &c. vel *media*, ut *cranium humanũ*, *CC. philoſophicè præparatũ*, *ſuccinũ* in *ſubſtant. ungula alcis*, *pæonia*.

Exemplo cephalicorum,

Cordialium, In *CORDIALIBUS* inter *FIXA* recenſentur *perlæ*, *corallia*, *lapides quinque pretioſi ſuccus citri*; *VOLATILIA*: *moſchus*, *ol. citri*, *camphora*; *MEDIA*: *ambra*, *bezoar*, *mixtura ſimplex* &c.

Stomachicorum, Inter *STOMACHICA FIXA* ſunt: *lapides* ♋, *conchæ præparatæ*, *creta*, *cryſtallus*, ~ ⊕*li*, *Salis*; *VOLATILIA*: ut *aromata*, & inde deſtillata *olea*, *arum*, *balſamum de Peru*; *MEDIA*, ut *pimpinella*, *ebur præparat.* &c.

& aliorum. Et ſic conſequenter *in hyſtericis*, *antiſcorbuticis* & reliquis. Qui itaque noverit hæc pro morborum diverſitate variare, & fixum volatili, volatile fixo debitè opponere, næ ille felix morborum erit artifex & morborum cauſam juxtim & remedia appoſitè cognoſcet, præcipitationis doctrinam plenariè exhauriet, & accuratè ubique aget.

Nullus ferè datur morbus, qui non pro diverſitate circumſtantia- *Uſus volati-*
rum à ſalium volatilium virtute ſibi exoptet ſuppetias. Volatilia ſubtili *lium ſali-*
ſuâ penetrantiâ porulos cerebri obſtructos aperiunt, ſomnum lethargi- *um in mor-*
cum & apoplecticum ſtertorem excutiunt, nervis ceu portitoribus ſpiri- *bis variis,*
tuum liberum meatum pro ſenſu & motu partium concedunt, cor, lipothymiâ & ſyncope dejectum, & motu vix perceptibili vibrans, erigunt, ſuffocationes hypochondriacas & hyſtericas tollunt, ſanguinem attenuant, & multa alia commoda afferunt, quorum hic vel meminiſſe ſolùm ſatis fuiſſet, cum totum hæc ſibi poſcerent tractatum.

Quanti jam æſtimanda erunt Salia volatilia herbarum tot ſeculis *Penetrant*
deſiderata? Eunt hæc in penitiorem culinam viſcerum, acorem abſor- *totum cor-*
bent, quæ penitiori receſſu pertinacius occultiusque reſtitant, remoras *pus,*
tollunt, & quicquid boni à ſimplicibus ſeu mixtis, ex quibus parantur, deſideratur, illud omne largo explebunt modio.

Differt curatio morborum. *οὐ γὰρ πᾶσαι, οὔτε ὅμοιαι, οὔτε ὁμοίως διαπράττονται, ἀλλὰ κατὰ τὴν αὑτῆς δύναμιν ἑκάστη. Non enim omnes aut ſimiles ſunt aut ſimiliter pertractantur, verum ſecundũ vim propriam ſinguli.* Qui *πολυχειρίαν* requirunt, ab heroicis volatilium Salium præſidiis levamen poſcunt. Febrium cohors & morborum herculeorum caterva his terga dare & cedere coguntur, ſubſiſtere neſcia. *Heroicum ſunt præſidium,*

Ut ſpiritus Salis ♀ri in vinum feculentum inſtillatus omnes feces *Sanguinem*
ad fundum detrudit, vinumque ſincerum reddit; ita & in corpore no- *depurant,*
ſtro exturbantur à volatilitate hâc ſubtiliſſimâ impuræ è ſanguine feces, fibræ in ordinem rediguntur, grumi diſcutiuntur &c.

Hinc ſapientum eſt conſilium, ſi eò pertingere nequeamus, ut li- *Unde à chi-*
quorem alkaheſt, & medicinam univerſalem acquiramus & compare- *miatris mi-*
mus, ſaltem diſcamus reddere Sal ♀ri volatile. Quouſque jam prove- *re commen-*
hemur, ſi ex tam ſpecioſis omnis generis plantis Sal proferamus volatile, *dantur.*
non minus realiter, quàm Sal Tartari volatile exiſtens, coagulo, conſiſtentiâ ſimile, viribus nobiliſſimum?

Uſus inferiores præſtat ſicco hoc loco præterire pede; non enim du- *Uſus infe-*
bitamus & ad mechanicas artes inde redundare poſſe ſuum commodum. *riores.*

CAPUT VII.

De Poris Salium volatilium.

Cum pororum doctrina ſit & ſubtilis admodum & utiliſſima, hodiè *Doctrina*
à viris celeberrimis, *Carteſio, D. D. Eraſmo Bartholino* & *Nobiliſſ. D.* *pororum*
D. Schenkio in lucem protracta & novis experimentis nobilitata; è re vi- *nobiliſſima,*

Jam à veteribus

ſum fuit & de poris Salium volatilium breviter deſpicere. Ita enim & Veteres ex *Empedoclis* doctrinâ ἀποῤῥοὰς ſeu *effluvia* rerum neceſſariò poros requirere ſcripſerunt, εἰς οὓς καὶ δι᾽ ὧν αἱ ἀποῤῥοαὶ πορεύονται καὶ τῶν ἀποῤῥοῶν τὰς μὲν ἁρμόττειν ἐνίοις τῶν πόρων, τὰς δὲ ἐλάττους ἢ μείζους εἶναι. *In quos & per quos effluvia hujusmodi emanant; ex effluviis autem quædam poris quibusdam congruere, quædam minora vel majora eſſe.* Vide *Platonem in Menone p. 14.*

Tradita & commendata.

Cui ſuffragatur *Plinius l. 22. Hiſtor. natural. c. 24.* Eſt & ratio ſubtilitatis immenſæ, *inquiens*, à *Platone* deſcendens: Corpuſculis rerum lævibus, ſcabris, anguloſis, rotundis, magis aut minus ad aliorum naturam accedentibus: ideò non eadem omnibus amara aut dulcia eſſe. Unde patet, quantum figurarum doctrina, ab ipſo medicinæ parente *Hippocrate* tantopere celebrata, innitatur his ipſis mixtorum poris.

Pori Salium volatilium ſunt acuti, ſubtiles,

Quoad Salia verò volatilia, ſi, quatenus è mixtis *producta & ſeparata*, conſiderentur, poros ea nacta ſunt *acutos*, hinc linguam feriunt, & nares, hinc obtuſis his ſpiculis cum oleo facillimè nectuntur &c. Deinde *Subtiles*, unde facillimè penetrant, & in corpus aſſumpta celerrimè laborantibus viſceribus vitalibus ferunt ſuppetias, & vel è ſtomacho nondum egreſſa in ſanguineam maſſam vibrant effectus.

Licet nondum ſeparata ſæpe occultentur,

Quatenus verò adhuc *in mixto ſunt* & *ut componentia* in conſiderationem trahuntur, ſubtilitas quidem hæc & acuties pororum per effluvia convenientia, vel potius hæc per illos ſeſe exſerunt, ſed ſub mixturâ reliquorum principiorum modò magis, modò minus, quin ſæpe ita occultantur, ut ad ſenſum tum ſaporis, tum odoris nulla illorum detegi poſſit præſentia, exemplo *oſſium, cornuum, craniorum animalium,* quo de paulò poſt plura.

Aerem facilè admittunt.

Poroſa eſſe Salia volatilia patet exin, quia aerem facilius admittunt, & ab eo reſolvuntur, unde in auras promptiſſimè evolant, & ſi eadem non fixata adſervare animus ſit, id omne in aeris admittendi prohibitione curatiſſimâ conſiſtit. Facillimè quoque parent pori eorum aquæ, & ſpiritibus, oleisque. Ita ſpiritus C. C. omnem ſuam vim mutuatur à Sale volatili, cujus ſi quantitatem ſufficientem ſolverit & quaſi imbiberit, reliquum in fundo vitri cryſtalliſatur.

Parent aquæ, ſpiritibus, oleis,

Salia volatilia ſunt poroſiſſima.

Quin inter omnia principia reliqua ſunt poroſiſſima. Poroſitas enim hæc Salium volatilium neceſſaria erat pro facili cum reliquis principiis nexu. Cum enim inſtar mercurii omnibus ſeſe miſceant, poris tanquam inſtrumento uti voluit natura, qui efficerent, ut ſubire ſe invicem & coadunire poſſint,

A pororum hâc diſpoſitione pendet & colorum diverſitas & variatio, quo de ſuprà egimus, & tàm frequens id eſt experimentum apud Tinctores, ut ejus rei exempla ubivis occurrant. Iisdem varietas Tincturarum chimicarum debetur, id quod vel in ſuprà jam tactâ *Tincturâ violarum* eſt notiſſimum, qnod pro affuſione diverſorum liquorum ſummè illius varient colores. Ita ex ♂te, prout hoc vel alio modo diſponuntur pori, Tincturæ confieri poſſunt, rubræ, flavæ ſeu croceæ, & nigræ. In uſu nobis eſt *Tinctura ♂tis abſinthiaca* elegantiſſima, quæ fit, ſi eſſentiæ abſinthii compoſitæ pauciſſimæ inſtillentur guttæ, de liquore quodam ♁tiali, ubi in momento conſurgit nigricantiſſima Tinctura, quam deſcribimus in *diatribe noſtrâ de Sale ✳co*, propediem edendâ. *Unde colorum diverſitas* *Tinctura Martis abſinthiaca.*

Iisdem poris accepta refertur facilis vel difficilis volatilium ſalium è mixtis prolectio, aliorumque principiorum in Sal volatile commutatio. Si viſcido pori hi quodam detineantur, vel oleoſo occludantur vinculo, diutiſſimè durat, manetque in corporibus, unde oſſa animalium, crania, cornua, ungulæ diutiſſimè illud adſervant, & ex cranio humano etiam in cœmeterio reperto novimus epilepticos non rarò auxilium ſibi quæſiviſſe, ut & ex eodem Sal volatile adhuc deſtillari poteſt, vid. *Quercet. Tetrad. cap. affect. c. 27. p. 329.* *Pori Sal. vol. variant ſuam è mixtis productionem.*

E contrario, ubi rarioris compagis & texturæ, liceat nobis ita loqui, ſunt mixta, eò promptius abitum moliuntur Salia volatilia, unde flores & plantæ odoriferæ fluxæ ſunt & diu non durant, in reſpectu ad illas, quæ odore, niſi cum liquore balſamico, carent. *Prout variant mixta,*

Convenientiam habent pori Salium herbarum volatilium præcipuè cum poris cerebri, cordis, & ſanguinis. Hinc, ipſo *Plutarcho* teſte, ἐνίων ἀνθῶν ὀσμαῖς ἄνω σκιδναμέναις περὶ τὸν ἐγκέφαλον οἱ πόροι τῶν αἰσθητηρίων ἐκκαθαίρονται, *quorundam florum odoribus ſurſum diſſipatis ad cerebrum, fit, ut pori inſtrumentorum ſentiendi, expurgentur, & humores incidantur, ſenſim absque vehementi ictu aut agitatione diſcuſſi, ſimulq; cerebrum naturâ frigidum refocilletur. l. 1. ſympoſ. p. m. 647.* *Conveniunt cum poris cerebri,*

Hinc in virium defectu volatilia tam citò cordi laboranti ſubveniunt, & ut odores quaſi immediatum contactum cum ſpiritibus vitalibus habent, coagulationem fibrarum ſanguinis, adeoque grumeſcentiam impediunt, in lipothymiâ, ſyncope & palpitatione cordis non minimi uſûs, in pulſus etiã intermittentiâ ſæpius nobis feliciter adhibita. *cordis,*

Hinc etiam, ubi concentrato fixoque leviter ſanguine (quod *Hippocrates* ἀπόληψιν τῶν φλεβῶν nominavit) veluti in dictâ modò lipothymiâ, febrium inſultu, cachexiâ, ſcorbuto, febri albâ virginum &c. *& ſanguinis:*

 con-

contingit; videas illicò totum corpus frigeſcere, torpere, & pallore livoreque perfuſum langueſcere: evocato autem rurſus & ſibi reſtituto per volatilia ſanguine, hui! quàm ſubitò omnia calent, denuò florent, vigent, ſplendentque! ut verba *Harvei Exerc. de Gen. animal. 50. p. 193.* huc applicemus.

Item poris nervorum, Conveniunt eadem præcipuè poris nervorum, hinc ſpiritus volatiles & Salia, *ci, *C. C. vipemrum,* quibus jam *herbarum* quoque addimus, volatilia, in paralyſi & apoplexiâ unicè proſunt.

& totius corporis. Imò cum poris ipſis corporis humani mirè conſentiunt pori Salium volatilium, quorum ſordes abſtergunt, inſenſibilem tranſpirationem juvant, & paregoricum dolentibus partibus adferunt ſolatium, &c.

Unde hic pendeat pororum ſitg. Unde autem nactæ ſint hanc configurationem particulæ volatiles, & cui debeatur ulterius hic pororum ſitus & collocatio, placet cum *Rulando Sturmio febrif. cort. Peruv. part. 2. pag. 79.* (ubi accuratiora plura huc ſpectantia reperire licet) ad cauſam primam, ſive ſummum motorem jam recurrere, quàm ulteriori diſcurſu ea pertractare.

Igneus eſt ollis vigor, & cæleſtis origo.

Caput VIII.

Salia volatilia cum Mercurio comparat.

Mercurius. Mirabilis ubique eſt Mercurius. Verus hic eſt Proteus & Vertumnus, variâ ſpecie ludens.

eſt triplex: Triplex datur Mercurius: *1. mineralis. 2. cæleſtis. 3. chimicus.* Admiranda ſingulorum eſt natura. *Mineralis* con- *Mineralis, qui variè ludit,* trectari amat, ſin contrectetur, cedit; modò ſub ſpecie fumi per ignem evolat, modò, igne variè tractatus, album, rubrum, flavum, nigrum & plures colores induit. Cum fixus putatur & mortificatus, vitam reſumit ceu phœnix novus ex cineribus, & novo nitore currit; cum deſtructus videtur, latet, & multiplici facie, figurâ, pondere, aliisque accidentibus chimicis imponit. Nunc arbuſta fingit, nunc ſpiculis apparet horridus, nunc purpuram ſimulat, nunc prata.

Cæleſtis viribus variat, Penultimus in Planetarum ordine cœleſtis mercurius, itidem mirabili variat vultu. Cum beneficis, ♃e & ♀e, junctus, bonus habetur ab Aſtrologis, cum maleficis ♄no & ♂te, malus; quibus enim jungitur, illorum induit naturam, calorem, frigus, humiditatem, ſiccitatem coëfficit, prout cum hoc vel illo communicat ſocio, facitque, ſi ſtatuenda eſt aſtrorum in mores & morbos vis non minima, vertumnos, ardeliones, inconſtantes, omnium horarum homines.

Chi-

Chimici conſiderantes macrocosmum cum microcosmo cum viderent præter inſipidam aquam, terram, ſalem, ſulphur, dari in mixtis adhuc aliud principium, quod de horum omnium qualitatibus participaret, nullas verò tam peculiares, proprias, ſolitarias & diſtinctas, ut reliquæ, haberet affectiones, illi nomen dedere Mercurii. Attributa illi ſunt levitas, ſubtilitas, penetrantia; vegetat & creſcere facit mixta, vitam & motum dat, in perpetuâ interim actione & motu exiſtens, unde ligatur quaſi à fixioribus reliquis.

Chimicus ex horum ſimilitudine dictus.

Ejus affectiones.

Imò deficiunt illis termini proprii, pro exprimendâ ipſius naturâ genuinâ, unde, quod ſit Mercurius, clarum eſſe, quid verò ſit, obſcurum aſſerunt. Quibus motus *Sennertus conſenſ. & diſſenſu cap. 11. pag. 184.* Quid illud ſit, *ſcribit*, quod chimici unanimi ferè conſenſu pro tertio principio ponunt, & Mercurii nomine exprimunt, malo dicere; *non liquet*, & meam ſeu ignorantiam ſeu dubitationem ingenuè confiteri, quàm pro demonſtrationibus & ſolidâ veritate ea venditare, quæ dubitationibus non carere ipſe ſcio.

Vix exprimi queunt.

Hinc alii ſpiritus nomine ipſum indigitarunt, & liquores ſpirituoſos è plantis eductos pro ipſarum Mercurio habuerunt.

Jam verò ipſo chimicorum primicerio, *Paracelſo*, teſte: quicquid ardet, ſulphur eſt, *tom. III. de morb. metallar. c. 3.* Ergò cum ſpiritus hi ſint inflammabiles, & in totum deflagrare apti nati, cuivis dijudicandum relinquimus, an cum ſulphuris, an verò Mercurii naturâ plus habeant commune, cum τὸ φλογιστὸν proprium ſit ſulphuris, non mercurii, &, *Sennerti* verbis, ſulphur non ſemper in formâ oleosâ & pingui apparet, ſed ſæpè etiam in ſpirituoſâ, ut in ſpiritu vini videre eſt. *l. c. p. 183.* Quo nomine non adeò inconcinnè accuratioribus ſub nomine oleorum veniunt.

An ſpiritus plantarum ſint Mercurius, dubitatur.

Accedit, quod ſpiritus ejusmodi ardentes in Sal volatile poſſunt mutari, quod præter alios ſecretiores modos cum Salibus volatilibus, ſi rem rectè aggrediaris, efficitur. Ita ſpiritus urinæ ſi miſceatur cum ſpiritu vini dephlegmato, in momento ſpiritum vini in offam albam, mirè tamen fugacem & ſubtilem coagulat, annotante *Helmontio c. 3. de lithiaſ. t. 5.* Et idem jam annotaverat *Sennertus* laudatus *l. c. p. 166.* cui gemina ſunt, quæ eam in rem ſcribit *B. Mœbius, Epit. inſt. l. c. p. 53. & illuſtris Boylaus Tentam. phyſiol. p. 80.*

Poſſunt in Sal. volat. mutari.

Nec animum exſaturant, quod, eleganter licet, nonnulli ſcribunt, per Mercurium intelligi humidum primigenium, ac ſpiritum, ſeu partem

Mercurii deſcriptiones aliæ. 1.

tem ſpiritalem, quæ nunquam ſine liquore ſeu vehiculo ſuo eſſe poteſt; per 🜁, calidum innatum, per ⊖, ſiccum radicale, ſeu corpus, quod baſis, cui reliqua duo ſuperſtructa.

2. Multò minus aſſentiri illis poſſumus, qui Mercurium ſpiritum illum αἰθερώδη, & οὐσίαν ἀνάλογον τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ dicunt, quippe quòd elementata cum puriſſimis illis corporibus cœleſtibus nil habent commune, ſed interitui ſunt obnoxia, quod circa naturam calidi innati prolixius deduxêre & ſufficienter recentiores philoſophi & medici.

Mercurius nil aliud eſt, quam Sal volat.

Audemus exercitii gratiâ defendere, verum herbarum & animalium Mercurium (de mineralibus & metallis hîc locus non eſt diſputandi, quod ſuo tempore fiet quoque) nihil aliud eſſe, quàm Sal volatile. Hoc facilè perſuaſum ſibi habebunt illi, qui utriusque hujus naturam penitius introſpiciunt.

Locus Paracelſi.

Paracelſi hâc de re ſententia extat libro 1. paramir. cap. 2. ubi volatilitate Mercurium definit, id enim, quod in ligno effumat, Mercurium eſſe, *aſſerit.* Quod, *inquit,* ardet, Sulphur eſt, fumat, Mercurius eſt, quod relinquitur cinereum, Sal eſt. Sulphur ſolum ardet; mercurius ſolus fumat; in cinerem quod vertitur, ſolum ſal eſt.

Quercetani,

Quercetanus de rerum ſignat. extern. mercurium Salem rerum omniũ volatilem admixtum habere, & cum ſulphure præcipuè colorum eſſe autorem, *concedit,* utut *defenſione contra anonymum* aliter paulò eundem definire videatur.

& aliorum.

Neque, ſi autoritatibus certare vellemus, deeſſent plures, quas tamen huc trahere nobis mens non eſt, qui potius re ipsâ id eruere & demonſtrare ſatagimus.

Sal volat. de omnibus reliquis principiis participat,

Sal volatile eſt illud, quod de omnibus chimicorum principiorum qualitatibus participat. Facit hoc ad ſaporem rerum, ad odorem, ad colorem & inflammabilitatem, quod ultimum vel unico exemplo patet Nitri & ⊖lis✳ci invicem mixtorum & calcinatorum, quo de in *Ephemeridibus Germanorum Anni IIdi obſ. 197.* egimus, latius de eo acturi in citatâ *diatribe curioſâ de ⊖le ✳co.*

Eſt volatilius & ſubtilius in mixtis.

Sal volatile, ſeu mercurius hic, eſt volatilius & ſubtilius corpus in mixtis. Subtilius enim eſſe oleis tum propriè tum impropriè ſpiritibus communiter dictis, nemo eſt, qui neget, quod tum ex doſi, tum ex aliis patet.

Nec

Nec eſt, quod quis objiciat, ex ſolâ volatilitate, quod pluribus ea ſit communis, rem decidi non poſſe. Verum enim eſt, ſuo ſenſu & phlegma poſſe dici volatile, quia ignem fugit, & volatilitatem hanc communem eſſe cum oleis. Sed negari non poteſt, tam, quod principaliter volatilitas debeatur mercurio, quàm quod olea ipſa aërea volatilitatem ſuam agnoſcant maximam partem à mercurio ſeu ſale volatili, quod videmus in oleis expreſſis, quæ Alembicum tranſcendere renuunt, & quamvis ex oleoſis, non ſimul aëreis, in quibus ſcilicet oleum cum terreſtreitate quaſi eſt remixtum, v. g. ex ſemine hyoſcyami, lini &c. ſtudioſè tentes deſtillare 🜍ur ſ. oleum, illud tamen ex voto nunquam ſuccedet.

Objectio 1. diluitur, volatilitatem pluribus eſſe communem principiis.

Neque argumentum illud valet, olea ſupernatant aquæ, ergò ſunt volatilia, non enim tàm ob volatilitatem, quàm pororum ramoſitatem & partes aſymbolicas ſupernatant, unde olea caryophyllorum, cinnamomi, aliorumque potius fundum petunt, quam ſuperiora, cum tamen non minus ſint olea & quidem ſubtiliſſima.

Object. 2. quod olea ſupernatent.

Nec denique illam moramur objectionem, quâ ab onomatologiâ ſeu appellatione argumentari aliquis poteſt, dici hactenus & vocari hoc principium Sal volatile, non ☿ium. Si enim in re conveniamus, parum de nomine erimus ſoliciti. Quapropter ſi conferantur ſalia fixa alcalia cum volatilibus, magis ea diſcrepare, quam convenire, certum eſt.

Object. 3. ab onomatologiâ ſeu denominatione.

Solo ferè conveniunt colore & cryſtalliſatione, pugnâ item cum acidis. Differunt verò, quin ſecum invicem pugnant, *ſapore*, alcalium enim ſapor eſt lixivioſus, volatilium urinoſus; *odore*, alcalia ſunt inodora, volatilia penetrantiſſimo gaudent odore. Differunt & diſcrepant inprimis poris, à fixis enim ſalibus propelluntur & fugantur volatilia. Aquæ omnes invicem miſcentur, amicabili nexu omnes maritantur ſpiritus, olea expreſſa & deſtillata ſe ſubeunt, ſola ſalia fixa conjugationis ſunt impatientia.

Conſenſus & diſſenſus ſalium volatilium & fixorum. Differunt ſapore, odore, poris,

Non competunt ſali volatili affectiones ⊖lis fixi; à ſale radicaliter omnis eſt conſtantia, inquiunt Chimici, Sal volatile eſt inconſtantiſſimum, quæ cauſa eſt, quod mercurii dominium certum ſtatuatur indicium, inconſtantiæ in rebus imperfectè digeſtis, ſeu corruptioni obnoxiis, teſte *Nollio, l. 4. phyſ. Hermet. c. 4.* Salia alcalia in humido liqueſcunt & in ſicco coagulantur. Salia volatilia omnis ſuffuratur aër. Fixa ſalia per ſe deſtillari nequeunt, & ſi ignis vi, ab aliis admixtis ſegregata, eò

Affectionibus variis, & deſtillatione, aliisque.

ii adigan-

adigantur, ut fluorem adipiſcantur, vertuntur in liquores acidos. Nihil minus videre eſt in volatilibus, quæ promptè leviſſimo etiam calore alembicum tranſcendunt, ut alia plura diſcordiæ argumenta transeamus.

Object.4. de Sale volatili ex alcalibus parabili,

Speciosius in contrarium argumentum objici poteſt illud, quod ex ſalibus alcalibus deſtillari poſſunt ſpiritus volatili Sale imprægnatiſſimi. Ad hoc verò ſtudiosè reſpondere impræſentiarum ſuis de cauſis dubitamus, cuivis tamen privatim rationem reddituri.

Mercurius ſe omnibus reliquis principiis aſſociat,

Jungitur hic Mercurius omnibus reliquis principiis, participat cum phlegmate, quo cum facilè coit & liquatur, cum ſulphure facillimè combinatur, cum terrâ abſcondi ſe patitur, quod patet Sal volatile C. C. cum C. C. uſto fixo ſublimando. Ubivis ſeſe miſcet, cooperatur, & licet ſepultum videatur, nihilo tamen minus adeſt. Cum ſulphure facit colores & odores, cum ſale ſapores &c.

Eſt principium valdè activum.

Principia chimica ſunt vel *activa* vel *paſſiva*. Paſſiva ſunt ▽a & Terra. Activa ⊖, 🜍, ☿: & inter hæc omnia præcellit activitate Mercurius.

Eſt Sal. volat. in vegetabilibus; animalibus,

Nullus ergò alius Mercurius in vegetabili regno datur, quàm ſunt ⊖lia volatilia. Nullus item in animali, quàm Salia volatilia. Hic eſt Mercurius iſte, qui ſanguinem circulat, & movet, horologii noſtri inquies & æquipondium. Hunc ex omni ſanguine producere eſt facillimum, contrà mercurium mineralem nemo inde, niſi eo per illitionem prius inquinato produxerit.

Reſpondet aëri,

aquæ,

Reſpondet hic ☿, ſcribente *Nollio l. c.* aëri, quod calori admotus nihil ferè eſſe deprehendatur, quàm aër ſeu vapor, qui ſtatim in auras evaneſcat. Aquæ verò comparari poteſt, quod ſit fluidus, nec proprio, ſed alieno termino, dum in ſuâ naturâ eſt, contineatur, quæ eſt humidi apud Ariſtotelem definitio.

CAPUT IX.

An actu inſint mixtis Salia volatilia, an potentiâ, disquiritur.

Variæ ſunt in herbis particulæ, ſub nomine principiorum.

ADeſſe particulas in herbis diverſi generis, aqueas, ſapidas, acres, acidas, balſamicas, ſalinas, terreas, &c. nemo negaverit. Illæ tamen non æquè in omnibus ſub formâ aquæ, olei, ſalis volatilis ſeu ☿ii, Salis fixi, & terræ, actu ſunt & dantur.

Effluit

Effluit quidem ex vite, betulâ, aliiſque præciſis vel perforatis aqua; oleum ex nuce moſchatâ, caryophyllis, aniſo, hyoſcyamo, &c. actu oculis ſeſe offert, & exprimitur, ut de antheris in corylo, junipero, muſco terreſtri, typhâ paluſtri &c. taceamus. Sal volatile in aro & ſinapi manifeſtè & actualiter linguam, ex raphano ruſticano, cepis &c. evaporantia effluvia oculos & linguam feriunt. In ſalibus naturalibus dictis Sal actualiter abundat, & ex arundine ſaccharum de naturâ Salis ſtillat. Ex aliis terrenum quid ſub formâ pulveris excidit, & in ſalicibus aliisque arboribus vetuſtis tale quid collectum vel hortulanis vicem terræ gerit fertilioris. *Actualiter in quibusdam & ad ſenſum.*

In aliis verò potentiam hunc actum præcedere ipſo ſenſuum judicio liquidum eſt. Quis enim v. g. in hyoſcyamo, (hunc enim ceu minus ſale fixo præditum communiter habitum, adducimus, quod nobis Sal alcali exhibuerit, non levi proventu) Sal alcali actuale agnoſcat? Quis in plantis inſipidis, nec acribus, in ſanguine, item, cranio, & cornibus animalium Sal volatile dijudicet? Quis ex ſolo aſpectu aquam in lapidibus, ſaxis & mineris, oleum in Tartaro, papyro & aliis dignoſcat? *In aliis potentialiter,* [vero]

Arida eſt planta capillus ♀is, & videtur prorſus exſucca, nihilominus libra una herbæ parum abeſt, quin expreſſione facta tantundem ſucci fundat, quem ineſſe vix jurato alius credat.

Unde diſtinguendum videtur inter hæc principia. Conſiderantur enim, ut ſupra jam innuimus, vel ut mixtum componentia, vel inde ſeparata. Et videtur coincidere hæc controverſia cum illâ Philoſophorum, quâ diſputant, an elementa actu inſint mixtis, an potentia? *Hinc diſtinctio eſt neceſſaria.*

Dicimus ergò, actu quidem componi mixta ex quinque his principiis, (loquimur cum chimicis) eadem tamen actualiter in omnibus ineſſe, prout inde dantur ſeparata, iisdem figuris, poris, & affectionibus, de eo valdè dubitari poteſt. *Componuntur mixta ex principiis chimicis,*

Quin videtur ſolum luſus eſſe in terminis. Negari enim non poteſt, particulas & poros herbarum igne variè inverti, mutari, deſtrui, & ut *Carteſii* acutiſſimi illa huc applicemus *ex meteor. cap. 3. §. 19. pag. 225.* palam liquet, producti hujus vel illius per ignem è mixto partes easdem eſſe, quæ antea mixtum compoſuêre, ſed illas inter ſe colliſas & vi ignis agitatas, modò ex rigidis & inflexibilibus plicatiles, ex teretibus planas & ſecantes evadere, modò ex flexibilibus & plicatilibus in inflexiles & rigidas, modò ex fixis in volatiles, modò ex his in fixas &c. mutari, *Sed igne mutantur eorum pori & particulæ.*

tari,unde poſtmodum coloris, odoris & ſaporis diverſæ admodum manant differentiæ.

Et idcirco rectè dicuntur ineſſe potentiâ.

Hinc cum unius corruptio ſit alterius generatio, reverà dici poteſt, v.g. Sal per incinerationem plantæ productum potentiâ extitiſſe antea in herbâ, quàm in cineres eadem verteretur, & per aquæ elutriationem prodiret in conſpectum, licet ejuſmodi particulæ Salinæ antea præinexſtiterint actu, verùm ſub aliis poris & figuris, adeoque in objectâ hâc materiâ aliquid fuerit, quod per ignis adminiculum elici per generationem potuit. Vid. *D. Rolfincius loco ſæpe laudata chim. in art. form. red. l. 1. c. 5. p. 58.*

Objectiones diluuntur. 1. Ex nihilo nihil fieri,

Et hinc cadit argumentum ſubtile pariter & frequens: Ex nihilo nihil fieri, unde ſubſumere volunt quidam, ergò principia vel actu adfuiſſe prius in mixtis oportet, vel ex nihilo aliquid fieri, cum ea quæ fiunt, fiant vel ex ente, vel non ente. Huic præter jam dicta unicum illud opponimus *Scaligeri:* Si ex nihilo nihil fit, ergò id, quod aliquid eſt, in nihilum reverti nequit. Par enim ratio creationis & corruptionis. Nam ſi è punctis nullum poteſt confieri corpus, corpus item nullum in puncta reſolvi poterit. Et ſic diviſio ἐγχειρήσεων chimicarum in σύγκρισιν καὶ διάκρισιν *ſolutionem & coagulationem* locum ſuum obtinere poteſt. Eſt enim reverà hæc ſeparatio quædam, licet novâ accedente pororum inverſione è potentiâ in actum deducantur.

2. De diviſione operationum chimicarum, Exemplum adducitur vulgare.

Sic ſi v. g. libra una ſpiritus ſeu olei vini immiſcetur libris decem aut pluribus aquæ, reverà dicere poſſum, Spiritum vini actu ineſſe aquæ, quia manibus meis ipſum infudi, eundem verò inibi adeſſe potentiâ (reſpectu ad novam inde ejus reductionem & productionem) ipſe guſtus aperiet, qui illud non pro Spiritu vini, ſed pro aquâ, utpote prædominante habebit. Sed diutiùs his immoramur præter intentionem, quæ omnia fuſius & accuratius diſcutiet *Magnif. Dn. D. Rolfincius in prælaudatæ chimiæ editione alterâ,* quam habet præ manibus.

Diſtinctio τοῦ ineſſe.

Videtur diſtingui eleganter poſſe inter τὸ ineſſe *materialiter & formaliter.* Materialiter principia chimica mixtis inſunt actu, non verò æquè formaliter, cui fini ignis accedens, & variè partes immutans formam aliam producit, adeoque per transmutationem ejuſmodi ibidem generantur, tanquam nova entia, fitq; quod eâdem formâ non erat ante.

Quæ fiunt, multipliciter fiunt ex Philoſopho,

Illuſtrationis verò gratiâ adducere non incommodum judicamus locum *Ariſtotelicum*, ex *lib. 1. phyſic. cap. 7.* ubi ſcribit *Philoſophus*, fieri aliquid, multipliciter dici, & inter alia: Fiunt, *inquit*, quæ fiunt ſimpliciter

pliciter (id eſt, ſubſtantiæ, vi accidentium) alia quidem *μετασχηματίσει*, *transfiguratione*, ut ſtatua ex ære: *τὰ δὲ προσθέσει*, *alia verò appoſitione*, ut quæ augmentantur: *τὰ δὲ ἀφαιρέσει*, *alia vero ſubtractione*, ut ex lapide Mercurius: *τὰ δὲ συνθέσει*, *compoſitione*, ut domus: *τὰ δὲ ἀλλοιώσει*, *alia verò alteratione*, ut quæ vertuntur ſecundum materiam. Locum habent in productione principiorum chimicorum tum *ἀφαίρεσις ſubtractio*, *ſeparatio*, tum *ἀλλοίωσις ſeu alteratio*. Quæ quidem ex dictis jam patent. *Quis modus h.l. valeat.*

Nec abludit diviſio altera, quâ tribus conſtare naturalia corpora ajunt ſapientes, 1. *ἐκ διεστώτων*, *ex ſeparatis*, ut tritici cumulum, 2. *ἐκ συναπτομένων*, *ex contextis*, ut navem, 3. *ἐξ ἡνωμένων ex coadunitis*, ut animal ex animâ & corpore. Addunt alii 4. *τὸ κατὰ μίξιν*, *ex mixtione*, ut mulſum. *Diviſio alia.*

Quid itaque ſtatuamus de Sale noſtro herbarum volatili, curioſis fortean lubido erit noſſe, præſertim, cum dixerimus, id ſine igne paratum eſſe. Pro præcipuo enim & palmario ferè id adducunt communiter argumento, ut probent, actualiter omnia Salia dari in mixtis, exemplo ſucci acetoſæ, aliorumque ſenſim exſiccati, ubi cum tartaro herbarum Salina concreſcunt ſpicula. Sed ut paucis reſpondeamus, id in ſequenti experimento ipſo, Bono cum Deo, latius promittentes: Si actualiter ineſt, cur hactenus à nemine fuit in apricum productum? *An ergò ſalia volatilia plantarum inſint actu, vel potentiâ,*

Arbitramur idcircò, ut in principio capitis hujus innuimus, adeſſe particulas volatiles in plantis, quas ſi quis per ſupra propoſita mercuriales vocare voluerit, liberum id ei relinquimus. Illæ verò cum ſine deſtructione mixti non poſſint ita aptari, ut ſenſibus occurrant, locum hîc meretur generatio illa tertii modi *Ariſtotelici* ex *lib. 1. de gener. & corrupt. c. 3.* quâ ex inſenſibili fit ſenſile, & ex non manifeſto & latente conſpicua ad ſenſum & apparens ſubſtantia. *Reſpondetur ex principiis Carteſianis & Ariſtotelicis.*

CAPUT X.

Convenientia & diſcrepantia Salium volatilium, ſeu, An omnia Salia volatilia ſint ejusdem generis?

Obiter ſuprà tacta fuit controverſia de ſpirituum oleorumque communi & diſcrepante uſu. Cum verò eadem quæſtio de volatilibus moveri ſalibus poſſit, placuit peculiari de eâ agere capite. Nam ſi fateri volumus, quod res eſt, idem de omnibus

An principia Chimica omnia conveniant,

principiis chimicis quæſitum eſt, cum non modò de oleis & ſpiritibus, uti jam diximus; verùm etiam de Salibus alcalibus controvertatur: an omnia ejusdem ſint naturæ, & in qualitatibus conveniant, adeoque aliud pro alio ſubſtitui poſſit. Idem de phlegmate, ſeu aquis deſtillatis, ut non minus de terrâ, ſeu capite mortuo valet.

Diſtinguitur inter eorum affectiones,

Decidi res poſſe videtur tota diſtinctione. Aliæ nempe affectiones horum principiorum (prout ſeparata ſunt è mixtis) ſunt *communes*, aliæ *propriæ*. Communes ſunt, quæ omnibus conveniunt; propriæ, quæ ſingulis ſunt quaſi privatæ & ſpecificæ.

Communes,

Ita negari non poteſt, in genere ſecum conſentire aquas, quod ſint inſipidæ; ſpiritus, quod ſint ſapidi, ardentes, volatiles; olea, quod ſint *φλογιστὰ*, ut ſimul comprehendamus expreſſa; Salia volatilia, quod facilè auras petant; alcalia, quod fixiora ſint & particulis rigidis & inflexibus & igni renitentioribus conveniant; terra, quod ſit ſicca, ut de ſapore, odoreque ex parte communibus nil dicamus.

Et privatas ſeu proprias,

Præter has verò communes qualitates, uti herbarum, ex principiis his compoſitarum, virtutes, ceu mixtorum ut ſic, mirum quantum variant, ita & differre ab his ſeparata eadem, efficitur. Licet enim ad ſenſum & apparenter ſæpè illa ipſa videantur eſſe planè eadem, in rei tamen veritate diverſitatem inter iſta agnoſcere æquum eſt. Ita in aquis, ob deliquatum Sal volatile, aliumque odorem & ſaporem iisdem concilians, manifeſta eſt differentia; in ſpiritibus & oleis ad idem ſenſuum judicium jam provocavimus, nam ubivis alia aliaque datur mixtura.

In ſpecie exemplo alcalium.

Quoad Salia alcalia, non negamus virtutem ſpecificam, quæ toti conveniebat mixto, maximam partem deſtructam eſſe, utpote ſi id omne poſſent Salia plantarum, quod ipſæ plantæ, ex quibus parata fuerunt, ſequeretur abſurdum, nullam vim plantarum fuiſſe in eâ ſubſtantiâ, quæ per incinerationem & combuſtionem periit. Verùm non omnium virium facta fuit jactura, ſed aliquid de viribus & qualitatibus herbæ, e.g. abſinthii, cardui benedicti ſervatur, à quibus poſtmodum qualitatibus & viribus fit denominatio, ut hoc Sal meritò dicatur Sal abſinthii, non verò miſti alterius. Vid. ſæpe nominatus *D. D. Rolfincius l. c. l. 5 ſ. 1. c. 1. p. 282.*

Virtutes herbarum,

Quod ut penitius indagemus, par eſt, ut fundamentum virtutum herbarum paulò curatius penſitemus. Nil dicemus de qualitatibus ipſarum primis activis vel paſſivis, nec quæ exinde procedunt, & prima-

rum

rum ſunt internunciæ, ſecundis, tertiisve, nec, quæ non paucis malè audiunt, de occultis. Sed cum in chimico verſemur foro, chimicè eadem ſcrutemur. Conſtat nimirum, juxta hæc principia chimica, prout vel phlegmate, vel ſulphure, Sale volatili, fixove magis abundant mixta, ita & variare tum ipſorum, tum inde per artem productorum vires. *Variant ex variatione, principiorum,*

Ita caryophyllorum, nucis moſchatæ, aniſi, fœniculi, carvi, menthæ &c. vires potiſſimum adſcribendæ veniunt ſulphuri, ſeu particulis oleoſis, & Sale volatili remixtis, quod nemo homo diffitebitur. Hinc verò conſectarium eſt, chimicè ex illis prolecta per ignem olea, vel etiam expreſſa, abundè gaudere ſimplicis ſui facultatibus, & adeò ipſorum v. g. aquæ, ſpiritus, ſalia, easdem non tam benè in corpore humano exprimunt, quam illa ipſa olea. *Exemplo oleorum deſtillatorum,*

Sic etiam abſinthii & carduibenedicti aliorumque ſimilium amaricantium vis præter mercuriales volatiles particulas bonam partem debetur Sali fixo, unde ipſorum Spiritus, eſſentiæ & Sal alcali maximè vires illas ſpondent, quas ab ipſis expectare licet. Ita ut & volatilium antiſcorbuticarum plantarum virtus, uti jam ſuperius tetigimus, in Sale conſiſtit volatili, hinc auxilium inde ſperatum non tam in aquâ, ſaleve fixo, quàm in ſpiritu, vel Sale volatili actualiter ex iis prolecto quærenda eſt. Et hoc pacto de aquis quoque idem affirmare poſſemus, niſi ea in aprico eſſent & per ſe paterent. *Alcalium, abſinthii &c. Et volatilium antiſcorbuticarum,*

Fatendum tamen eſt, magnam hîc occurrere latitudinem, magnumque ſe offerre diſſerendi campum, niſi hâc vice hiſce ſolum aliis id melius diſcutiendi anſam præbere animus eſſet. Emicat autem hinc, à potiori quidem hoc modo faciendam eſſe denominationem; ob maximam verò principiorum inter ſe cognationem, & reliqua non omni excludenda ſunt encomio, quæ ſolummodò ſecundariò, non principaliter vires ſui ſimplicis ſuſtinent. *Magnâ tamen cum latitudine,*

Cui & illud jungendum videtur, hæc ipſa per ignem producta corpora & principia chimica non eſſe pura, ſed mixta, quo de in præcedentibus jam diſſeruimus; denominationem tamen fieri ab eo, quod in uno vel altero illorum prævalet & abundat. *Præſertim cum ipſa ſint mixta, non pura.*

Sed de his opinione noſtrâ jam amplius egimus, quare hic TERMINALIA ſunto.

GEOR-

GEORGII WOLFF-GANGI WEDELII D.

Profeſſoris Publici, & Medici Ducalis Saxonici,

EXPERIMENTUM CHIMICUM NOVUM

De

SALE VOLATILI PLANTARUM,

quo latius exponuntur,

ſpecimine ipſo exhibita.

Nobiliſſimo, Excellentisſimo atque Experientisſimo,

DN. DANIELI LUDOVICI,

Archiatro Ducali Saxonico & Chimiatro celeberrimo, Fautori & Compatri obſervando,

Bene agere!

MAximam capio voluptatem, quotiescunque vel merita tua in rempublicam literariam, & chimicam inprimis, animo recolo, vel priſtinum illud conſortium, quo me Tecum frui per ſexennium fata voluêre benigna.

Semper admiratus ſum labores pertinaces, monumenta æternâ memoriâ digna, humanitatem incomparabilem, eruditionem & virtutem ſummam. Quid diſcluſum eſt ab ingenio tuo? quid non tentatum exprompto artificio? in te & omnia & cumulata, quicquid arcanorum venditat chimicus orbis.

De omnibus argutè diſſerere, perfectè judicare, ingenioſè & ex praxi vulcaniâ indefeſsâ dignè decernere non ego ſolùm ſæpiùs, magno cum animi mei gaudio, inter amicos diſcurſus audivi, ſed publica ad poſteritatem loquitur fama.

Converſationem Tuam perpetuò colui, neque deſiſtam illam in exemplum prædicare, donec ſe expleverit animus meus perpetuâ recordatione & hujus ipſius, & Tuorum ergà me ingentium meritorum. Non potui ergò, quin amicum Te tantum inſcriptione opellæ hujus compellam.

 Mirum

Mirum dicam & rarum, quod quantò rarius evenit, tantò miraculo eſt propius. Nullus inter nos ortus fuit rancor, nulla in gratiam reditio, invidia nulla, id verò in fortunæ rarioris numero haut immeritò pono. Eramus unanimes; ſive commune ſtudium expoſceret æger, ſive communicationem amicam deſideraret rei gravitas, nunquam Tuâ humanitate, candore & amicitiâ æſtimavi quicquam præſtantius, vel mihi exoptatius.

Quid? quod nihil mihi reliquum feceris, quin id omne Tibi debeatur; neque disſuadet tamen conſcius imbecillitatis ſuæ animus meus, poſſe in amicitiæ hujus memoriam ſuſpendi hanc tabulam, ſi in mentem revocem, quantum humanitas & benevolentia tua defectum virium mearum ſuppleat. En omne meum ſtudium in eo genere officii, quod ad decus & gloriam Tuam pertinebit.

Sed alterum eſt, quod Te velim, vir Excellentiſſime, amicum enim mihi, quem tot experimentis ſenſi ſincerum, ulterius promittere non dubito. Teſtem Te voco & judicem, neque enim majus ullum monumentum opellæ meæ eſſe poteſt, quàm tanti viri teſtimonium, quod unicè exoſculor.

Tu obveniens hoc arcanum, quod mallem Tuo enatum ingenio, judicio tuo confirmare non dedignatus es; Tu primus ſpectator fuiſti, auſus hujus mei, an fortunæ, & fumantis urinoſi liquoris. Tu, quid tum in aliis, tum inprimis quercûs foliis hunc in finem occupato obvenerit, invidendo ſtudio mecum communicaſti, neque verò ea niſi obiter ſaltim tetigi, colophonem à Te expectantia, & gloriæ partem, ſi non omnem, tamen præcipuam.

Sed quid amplius promittam de Te Lectoribus meis, ſeu orbi potius erudito, quàm quod è limatiſſimis tot operibus Tuis, ſive præfixum gerant nomen, ſive, quæ miranda eſt modeſtia tua, occultent omiſſum, ſibi ſpondent, artis noſtræ lumen, decus atq; ſplendorem immortalem. Servet Te Deus! Dab. è muséo Jenæ 1675. Cal. Jun.

Celeberrimo Nomini Tuo
deditiſſimus
Georg. Wolffg. Wedelius D.

PRÆ-

PRÆFATIO

ad

Benevolum Lectorem.

ÆQuiſſima vox eſt, *redde, quod debes.* Memini me promiſſo dudum debitoris nomen ſubiiſſe, & exſolvere jam debere, quod plurimi à me hactenus ſolicitarunt.

Liberare fidem addecet, licet dilatam, neque enim fruſtrâ ſæpe differre licet, quæ omnium judicio exponere velis, maturè interim in vadimonium teſtes exceptione majores mihi comparavi. Exponere rem eruditis decreveram, ne ſine teſte relinquerer, ore quidem, non literis, quid enim ſcripto aliud reportaſſem, quàm judicia ſiniſtra, aut vilipendium, aut quando ab amicis hæc timenda non erant, alia.

Inter iſtos nomino potiſſimùm Excellentiſſimos viros, (tacebo autem jam domeſticos, & familiares plures) *D. D. Tackium, Meibomium, Barnerum*, aſt quanta nomina!

Vix eloqui poſſum, quàm benevolè exceperit conatus meos ipſe tunc nobis præſens celeberrimus *D. D. Tackius*, quàm ingenuè mentem ſuam expoſuerit, & quàm amicè de me ſentire apud Sereniſſimum meum Principem ſuſtinuerit.

Non perſuadere opus fuit, nec differere, in his enim ſæpe
nec locus ingenio eſt, oculi, Te judice, vincant.

Id unum mihi ſcrupulum movebat, quod accidit ſæpe, ut quæ audientes mirabamur, eadem legentes rideamus, ſeu, quæ *Cyri* apud *Xenophontem* eſt oratio, *μείζονα οἰηθέντας μείονα ἰδεῖν arbitratos majora minora videre*, & quod in proverbio fertur, *ἄνθρακες ὁ θησαυρός* Verbo, non ad palatum omnium fore, minus ad votum eruditiorum, alteri fœtidum, alteri difficile, aliis vile.

Aſt noveram, quàm levis ſcintilla in altæ lucis pyramidem exurgere poſſit, unde licet imperfecta hæc videri poſſent, malui tamen rudia hæc, & in incunabulis ſuis, ſi ita loqui fas eſt, exhibere, quibus ultra ſeculum abſconditum latuerat, quàm diutius premere.

Εἷς ἀνὴρ ȣ̓ πάνθ᾽ ὁρᾷ, ait *Græcus Poëta*, mihi ſatis eſt, multa neſcire, pauca nolle. Aliis quoque relinquenda eſt pars gloriæ, in medio palma omnibus poſita. Gaudebam hinc, prodiiſſe hâc occaſione quædam alia, ad rem facientia.

Noveram enim, quàm ſolerti diſputationum vanitate alter alteri præripere ſæpe conetur inventionis laudem, & quàm immeritò literariis altercationibus conſpurcentur ſæpe, quæ nitore ſuo clarius prodire geſtiebant. Diſpeream, ſi hoc non eſt ſupplicium de ſtudiis ſumere.

Non arrogo mihi laudes tuas, *Lector Benevole*, non ambio vana molimina, liberum penes Te eſto judicium. Natura certè

multa tegit ſacro involucra, nec ullis
fas eſt ſcire quidem mortalibus omnia.

Annitantur mecum alii noſtri, ut ulterius decurramus hoc ſtadium; erit in *Ephemeridibus collectori* locus interpolandi alias obſervationes, quæ ſe offerent, vel conſimiles, vel ex his fluentes.

Sed ne diutius abutar Tuo favore, finem dicendi facio, mutuatus iterum à Cyro verba: εἰ δέ τις ἄλλως πῶς γιγνώσκει ἢ ἀσφαλέστερον εἶναι, ἢ ῥᾷον ἡμῖν, διδασκέτω. *Si quis vel firmius vel facilius aliquid aliâ ratione facturos nos ſentit, doceat.* Vale, *Lector*, & nobis fave.

QUid video miri? *Sal* planta volatile fundit,
progeniemque novam gramina læta ferunt.
Hoc mihi demonſtrant terſiſſima ſcripta WEDELI,
quæ ſupra invidiam jam volitare ſcio.

Collegæ celeberrimo, Amico ſummo lmq; fac.

CASPAR SAGITTARIUS,
Hiſt. Prof. P.

HErculeos in Te miratus Apollo labores
Herculis ex merito nomine penſat onus.
Herculeos in Te ſi porrò viderit auſus,
auguror, in cœlis Herculis inſtar erit.

Levidenſe hoc, ex amore tamen conſcriptum,
bonori Nominis Excell. Dn. Autoris, Amici
à multis annis certiſſimi dicat

M. Joh. Simon Schernhauerus, Eccleſiæ Witebergenſis Diaconus.

Q. D. B. V.

Q. D. B. V.

CAPUT I.

Salia volatilia plantarum dari, extra dubium eſt.

Dies diem docet: non unâ vice inexhauſtus fons arcanorum naturæ æquè & penitus diffluit, reſtant indies novi propullulantes rivi, ne dicam maria; hinc ſæpe fruſtrà negantur dari, quæ ſolers cura in apricum proferre geſtit, imò ſæpe quaſi aliud agendo invenit.

Quæ nota nondum fuêre, non temerè neganda,

Videri poſſet ἄτοπον, τὸ διότι quærere, ſi τὸ ὅτι nondum fuerit dilucidatum, ſed cum non ſolùm ignota fuerit chimicis ⊖ium volatilium è plantis productio, ſed & produci poſſe iisdem impoſſibile viſum, & negatum, operæ pretium æſtimandum eſt, de his quædam præmittere.

Negant *alii* penitùs, ea dari in vegetabilibus. Vegetabilia, *ait Zwelfferus claſſe 15. pharmac. reg. p. m. 688.* pauco, aut nullo, ſale volatili conſtant, ac per conſequens nec in illum reſolvi poſſunt. Ac, licet credi poſſet, illum tantùm de terreſtrioribus loqui, non aromaticis, balſamicis & ſcorbuticis, vero tamen veriùs comprobatum aſſerit, nullum ſubſtantiale exſiſtens ſal volatile ex vegetabilibus, uti ex animalibus indies accidit, arte elici poſſe, niſi ⊖em fixum, & hunc ipſum non, niſi præviâ incineratione.

unde ſal volatile plantarum negantes

Limam hæc ſubiére non immeritò, tùm *D. D. Schrökii noſtri animadverſ. in Zwelff. pag. 525. & 526.* tùm *D. D. Bohnii*, qui *exercit. phyſiol. 7. de ſangviſ. in coroll.* rectè hæc mechanicæ contrariari affirmat, cùm ex frumentis ⊖ volatile copioſiſſimum proliciatur, & ex pipere ipſo ſal volatile penetrantiſſimum acceperit, quod non ſine causâ egregium febrifugum conſtituere ſuſpicatur.

limam ſubeunt,

Alii eadem quidem negârunt itidem; ſed, cùm notabilem copiam ſalis volatilis vidiſſent in urinâ, quin in cervo, quoad hanc ipſam, & inprimis ſanguinem & cornua, credidére eadem nec cibo, nec potui, plantisve inexſtitiſſe, niſi in formâ ſpiritûs acidi, quem ventriculi ſal fermentale in ſal volatile commutet. Videri hanc in rem poteſt *B. Mœbius fundam. medicin. Phyſiol. cap. 10. p. 190. ubi*, plantæ, *inquit*, omnes non facilè ⊖ volatile præbebunt; ſed ſolummodò ſpiritum acidum.

utut effugia etiam in animalibus quærant,

 Invo-

licet involutum ſit,

Involutas eſſe aliis particulis volatiles has ſalinas, & nominatim ab acidis quaſi ſubjugatas, certum eſt; verùm, ut facilè fuerit excutere hoc jugum, & annihilare imperium, ſub quo degebant, ſic promtè eadem menſtruo ſtomachico auſcultant, ſui fiunt juris, & ſangvinis partes conſimiles vegetant & reſtaurant. Altioris verò indaginis eſt, quomodo acida volatilia, exemplo formicarum, penetrantiſſima illa & ſubtiliſſima, reddi poſſint urinoſa, & quo medio ipſa hanc naturam & efficaciam obtineant.

neq; ſapore & odore ſe æquè prodat,

Neque obſtant, quæ *loco citato Zwelfferus* objicit, neceſſe eſſe, ut ſal volatile ſapore, odore, deſtillatarum aquarum, prout in aromaticis, balſamicis & ſcorbuticis aquis, percipiatur: neque ſola elementaris, inſipida, ac inodora aqua prodeat; ſi enim id ſufficeret, pari ratione concludere licebit, nec in ſcorbuticis plantis ſal eſſe volatile, cùm v.g. ∇ Ωlata ſedi minoris, aſt acerrimi, per ſe facta planè inſipida prodeat.

præparatio enim latius patet, quã Ωtio,

Ludit nimirùm ſal volatile inſtar ☿rii, modò hâc, modò illâ facie apparens, prout particularum inverſio & immutatio ipſi accidit. Quin *ipſe*, cum à poſteriori argumentum ducat, arte elici eadem non poſſe, quod alembicum non aſcendant, ſeu mediante Ωtione vulgari aquarum ſe non exhibeant, cogitare debuiſſet, latius patere præparandi modum, neque firmiter ex hoc ipſo concludi poſſe, neque ſal volatile in plantis dari, neque arte elici ex illis poſſe.

vel chimicorum proceſſus noti,

Mitiùs ſi quis ea explicare velit, reſpexiſſe dici poſſent ad ea, quæ communiter proſtant, nondum in libellis chimicis de his exſtitiſſe proceſſus, modò ipſius contextûs conſequentia id permittat.

qui ⊖lia eſſentialia pro his habuerunt.

Alii ſub nomine eſſentialium, ita communiter dictorum, ſalium volatilia venditârunt, ut *Unzerus, Müllerus*, & alii plures; ſed, utut mediæ quaſi naturæ & conſtitutionis ſint hæc ipſa inter fixa alcalia & volatilia; attamen καταχρηστικῶς ſaltim ac impropriè nomen hoc merentur, quæ præſertim terrea magis ſunt, neque requiſita ac conditiones ſalis volatilis obtinent.

Sufficit experientia, in contrarium,

Ex his ergò efficitur, experientiam chimicam hâc in parte altiùs promotam, contra quasvis ſive rationes, ſive hypotheſes, malè fundatas, ſive denique autorum contrarias opiniones, locare poſſe in apricum facili negotio ſalia volatilia, quo uno omnia corruunt argumenta, quæcunque in contrarium adducta ſunt, neque, cùm res tàm clara ſit, eadem vel adduci, vel diſcuti pluribus opus fuerit.

Hoc

Hoc loco meminiſſe lubet, tenerum admodum eſſe plantarum ⊖ volatile, ac delicatum, ut in hoc meritò animali regno, cui major hujus erat neceſſitas, palma cedat; non tàm & tot ramoſis plicis & fruſtulis alembicum pingit vegetabile tenerum ſal, quàm animale. Quin ſæpè ne cryſtallulis quidem ſe videndum offert, ſed ſolùm liquori immerſum guſtui & olfactui ſe offert, cum acidis effervęſcit: qui tamen ſenſus adeſſe nihilominùs id ſufficienter & nemine reclamante probant, ut adeò ſal volatile, ab aſſervandi modo & in quibusdam neceſſitate, poſſit duplici ſub formâ concipi & ſtatui: *liquidum* & *ſolidum:* &, ſicut ſal volatile C.C. viperarum, lumbricorum, &c. matri ſuæ ſeu vehiculo immerſum totâ die diſpenſatur: ſic id longè magis in vegetabilibus concedendum eſt, v.g. ∽ ⊖is ♀ volatili, &c.

⊖ia volatilia plãtarum delicata

Quòd enim ſuccini ſal volatile magis præ reliquis per ſe adſervari poteſt, △ copioſius facit, ejusdem porulos quaſi incruſtans, ne annihilari ab ambiente, & reſolvi tàm facilè poſſit.

Nullum verò tàm promtiſſimè, quàm cervinum, avolat, hinc & viperinum & eboraceum, inde eadem immerſa ſervare, & diſpenſare eſſentificata par eſt; medio modo ſe habent ⊖ volatile ♀ri & ✱ci, ut adeò ⊖ia hæc volatilia meritò audiant, quòd & ignem minimè ſuſtinent, & aëris ſolius admiſſu facillimè in auras avolant, contrà ac fixa facere conſueverunt alcalia.

facilius avolant, ut alia ſimilia,

Idem & vegetabilibus contingere certum eſt, niſi liquori juncta & diſperſa annihilari tàm promtè reſpuerent. Hinc & in ſequentibus, cùm de ſalibus loquemur, eadem non tàm abſtractivè, quàm concretivè, ſeu non ſine ſubjecto ac vehiculo ſuo intelligenda potiſſimùm volumus, ceu id in ſcholis medicis, modò propriè quis non ſolum nomen ſæpè, ſed rem ipſam attendat, in aprico eſt, ut ∽us ⊖ ✱ci nihil aliud eſt, quàm ſal volatile in liquore aqueo ſubſiſtens: ∽us ⊖lis ♀ri volatilis eundem cenſum cum aliis meretur.

niſi liquori juncta ſerventur.

Caput II.

Modi parandi ſalia volatilia ex ſeminibus, extractis, & oleis ∽latis.

Ex Seminibus plantarum ⊖ volatile mediante igne elici poſſe, quæ acrimoniam cum odore, vel alterutrum horum junctum habent, tàm verum eſt, quàm quod veriſſimum, neque de reliquis, quæ minùs

⊖ volatile fieri poteſt ex ſeminibus,

minùs ſapidas offerunt particulas, penitùs dubitare licet, niſi quòd parciſſimum & diffuſiſſimum ea exhibitura ſunt, reſpectu priorum, ⊖ volatile.

ceu ejgdem involucris. In ſemina ductu naturali, & extraneo calore vegetante ſolari, vis & anima quaſi omnis abit, recumbit in his, ceu in centro & puncto ultimo ⊖ volatile, unde effœta tunc eò magis redditur planta, quò matureſcit magis ſemen. Colligitur in his, ceu in receptaculo, ex plantæ cadavere quaſi emigrans & novum germen exſpectans vegetans forma, quæ priùs ſparſa erat in toto herbæ corpore, unde in his ⊖ volatile concentratum videre eſt, quod in reliquis partibus diffuſum priùs palabat.

ſeu ſeorſim ſeu ſub olei tegmine, Patet hinc, quàm promtè ex his educi poſſit ⊖ volatile, ſive ſeorſim, ſive ſub ſulphuris pallio occultatum; &, ceu ex herbis oleum longè difficiliùs elicere datur poteſtas, quod ex ſemine promtè efficitur: ſic par ratio eſt ſalis volatilis, ut mirari ſubeat, luſiſſe multos ea ipſa, & viſum effugiſſe, donec emunctiorum chimicorum naribus ea videnda ſe exhibuére.

tum inſipidis frumentaceis, Inſipidorum ſeminum exemplum ſint frumentacea, quæ copioſiſſimum in ſe continent volatile ſal, idque prolici de ſe lubenter patiuntur. Magis id amicum naturæ eſſe conveniebat, magis pati, quàm agere in corpore, ob nutriendi, quâ pollet, facultatem: hinc minùs ſapori obvium, temperatæ oleoſæ emulſioni merſum, hinc volatile ſal minùs percipitur à priori. Aſt, quàm bellè reficit analepticus panis ſpiritus, in ℞am coraliorum hinc non ſine causâ expetitus: quàm confortat non dicam odor, quod *Democriti* prædicatur exemplo, quàm ipſa ſubſtantia, ut fruſtrà hinc neget *Helmontius*, panem reliquorum omnium ciborum eſſe fundamentum.

non obſtante ∽u acidulo, Neque obſtat ∽us acidulus, quem fundit, quò minus occultetur unà ⊖ volatile. Tacemus alia ſimilia, quæ poſteris temporibus diligentia vulcano vel ſubjecit, vel committet ulteriùs. Ut enim in bonâ causâ vel tria verba ſufficere ſcribit *Pindarus*, ita etiam ſæpe in exemplis id abundè valet.

tum aromaticis, piperis, fraxini, Tetigimus jam hæc priori capite, ubi & ⊖is volatilis piperis mentio facta eſt. Dudum jam nobis *ſal volatile fraxini* elegantiſſimum ex ſemine, quod avis linguam vocitant, prolectum commendavit & oſtendit *Dn. Ludovici* noſter.

Illuſtrabimus exempli loco eadem ulteriùs ſemine rutæ, ſophiæ chirurgorum, aliorumque ſimilium.

℞. *ſem.*

℞. *ſem. dictorum, rutæ, cochleariæ, ſoph. chirurg. &c. benè mundat. & ſicc. q. v.* v. g. ℔ß. vel ℔j. *rutæ & aliorum, ſimili proceſſu gaudentibus,*

inde ∽ vitreæ, ♌la lento igne primò phlegma, hinc ⊖ volatile ſpiritui nuptũ, & ſeorſim quoque pulcherrimis rhombis recipientis ſe affigens parietibus, longè elegantiſſimum, & oleum penetrans, ad καρηβαρίαν usque, copioſiſſimum. Paucis horis re feliciter peractâ, ſeparetur mediante filtro vel tritorio minori oleum à liquore volatili urinoſo, conquaſſato priùs leniter vaſe, ut ⊖ volatile ſolvatur, & liquori immergatur, quo fine etiam 🜈 rectificati modicum pro ablutione majori infundi vaſi poteſt, & ſervetur ad uſum. Eſt verò primum cephalicum, & ſpeciatim antepilepticum, alexipharmacum & penetrans, hyſtericum etiam medicamentum non contemnendum, quod per ſe dari poteſt ad gtt. x. xx. vel cum ∽ *lil. convall.* aliisque accommodis permiſceri. Reliqua matris ſuæ indolem ſequuntur.

Oleum ſeorſim rectificetur cum aquâ copioſâ, vel aliis artificiis ſordes ex oleis ad ſe trahentibus alcalinis, quæ hujus non ſunt loci, ad internum & externum uſum aptetur. *cum 🜄 rectificando;*

Notabile eſt, quòd impetuoſâ vi ſeceſſum faciente ſale volatili ab oleo, ſub finem, vel in medio ♌lationis facilè rumpi ſoleat retortæ corpus, præſertim, ſi paullo major fuerit deſtillationi commiſſa quantitas, licèt ignis ſubditus non ita fortiter urgeat egreſſum.

Tactis his nobilioribus, non opus eſt, aliis pluribus diutiùs immorari.

EXTRACTA plantarum item fundere ⊖ volatile, exemplo eſt *opium*, quod & ⊖ volatile, & ∽um ⊡noſum de ſe fundere, uti certum eſt, ita id *in opiol. noſtrâ l. 1. ſ. 1. cap. 9. p. 33.* pluribus fuit tactum. Sic latere aſſuevit & immerſum eſſe particulis reſinoſis & roſcidis, ut etiam, niſi ſecedere hæ ab invicem cogantur, & dimittere, quod ſecum abſorpſére, vix in conſpectum prodeat. Si enim opium deſtillationi ſubjungatur, non per ſe, ſed addito menſtruo vel aqueo vel ∽uoſo, tantum abeſt, ut dimittat de ſe ⊡noſum volatile ⊖, ut potiùs & anodynam ſervet ſecum vim, & liquor deſtillatus parum vel nihil inde participet, cùm de reſinoſâ parte nihil ſecum evexerit. *Ex extractis v. g. opii,*

Extracta aliorum vegetabilium, non penitùs gummoſa, itidem fovere ſecum ſal volatile, credibile eſt, ſi v. g. *extractum ſcorzoneræ, petaſitidis*, imò vel ipſius *hellebori* ♌lationi eodem modo factæ ſubjiciatur, neque enim æque calor, ad eorundem præparationem antegreſſam ne- *& aliorum ſimilium;*

ceſſarius, propellere eadem eſt ſufficiens, cum irretita viſcoſis & fixioribus particulis magis ſint. Hinc verò fortiori extruduntur vecte. Et in genere ſalia volatilia odore urinoſo non eruuntur, niſi vel propellantur fortius, vel liberâ gaudeant avolandi licentiâ: aliàs enim ſenſim exhalant, aut ſub aliorum velo latent.

Ex oleis aromaticis

Ex oleis *aromaticis* ☊*latis* ſeparare ⊖ volatile, uti artificioſum eſt, ita, cum ex *Helmontio* jam ſuprà de eo diſſeruerimus, & latiùs hæc tradiderit *Excell. Dn. Ludovici tract. de* ⊖ *le* ♀ *ri volat.* ſupervacaneum ducimus, longiùs id hoc loco repetere.

per acida & alcalia,

Duplex hic eſt *modus*, uterque ab *Helmontio* inſinuatus, alter per *acida*, inſinuatus in *ſpecimine* ſeu *parte primâ cap. 5. p. 41.* facilè à callenti ad olea applicandus, alter per *alcalia*: uterque magni momenti.

etiam minoribus ſumptibus,

Sunt, qui ex eodem fundamento alcaheſt venantur, & panacéam, quibus ſua linquenda eſt ſpeculatio, quæ quidem contra mentem autoris manifeſtò eſt, qui tantùm vicem alcaheſt obire poſſe eodem carentibus, ſcribit. Fieri poteſt proceſſus cum quovis ⊖e fixo & oleo aromatico. Minorum ſumtuum & parabilius eſt, ſi ⊖lis ♀ri part. iij. cum ∽*ui terebinth. ætherei* parte j. miſceantur, ſtent in digeſtione usque ad coagulationem, (lapidem vocant,) quò diutiùs ſteterit, eò melius evadit ſal; abſtractione lentâ factâ, ſi opus ſit, ☊latio fit per ∽, adſcendente in ſublime ſale volatili, virtutum admirabilium.

CAPUT III.

Per fermentationem & ſemiputrefactionem ex plantis, floribus & foliis ⊖ia volatilia parari poſſunt.

⊖lia volatilia ex

Ti verò per deflagrationem igne aperto ex ipſis quoque plantis ſiccis in incineratione, licet minori quantitate, æquè, ut ex ſeminibus largiori copiâ, ⊖ volatile colligere licet, (ubi, ſi nempe per ∽ ☊lentur herbæ, olea mutari poſſe in ſal volatile, ſunt, qui aſſeverant;) quod tamen obiter hoc loco ſaltim tangere lubuit, uti ex abſinthio ſal volatile amaricans ſeparatum novimus; ſic ex recentibus jamdudum id tentârunt, per fermentationem & ſemiputrefactionem cum ſucceſſu plures.

recentibus

per fermentationem reſolutis

Dictum jam aliàs à nobis fuit, non perdi tàm facilè ſal volatile per fermentationem, uti communiter creditum fuit; ſed immerſum aqueis & aliis

aliis particulis ſaltim abſconditur, & cæterâ compage ſenſim hoc modo reſolutâ, præcedente leni fermentatione & incaleſcentiâ, ſi præſertim externus ambiens aër id non prohibeat, ſpiritus urinoſus inde prolicitur. Aliis enim calidus, vel ſaltim temperatus, & ſibi relictus convenit, aliis frigidus magis aptus habetur, v. g. in cellâ, vel, qui nonnullorum eſt modus, indita materia vaſi apto aquæ committitur, quæ digeſtio eſt frigida. Sic ℞. *florum liliorum convallium* recentium, rore majali imbutorum, vel etiam *anthos*, &c. ſ. q. inditi vitro apto, ſeu cucurbitæ reponantur in cellam, & decurſu aliquot menſium reſolvantur in liquorem, qui acutiſſimi & fragrantiſſimi odoris erit, hinc ☊tioni ſubjectus urinoſum volatilem ſpiritum fundet. *floribus*

Ipſe hic modus callentioribus chimicis aliis plurimis dudum celebratus fuit, quos nominare ſupervacaneum foret.

Si plantæ ipſæ hoc modo reſolvantur, minùs participans de odore ⊖ volatile eruitur; ſin flores odoratiores, ubi partes 🜍eæ exſuperant cum ſalinis, magis id reſpectu illarum acquiritur. *& plantis fiunt,*

Problema curioſum eſt, ⊖ia obtinere volatilia, quæ retineant odorem, ſeu, quæ teſtentur de odore plantæ, ex quâ parata fuerunt. Hâc tamen analyſi, quæ majoris apparatus eſt, ut in pleriſque quoque aliis, odorum radicale principium, 🜍, vel ſeparatim ſe prodit, ſi id expetatur, vel prædominantibus aqueis & urinoſis partibus confunditur, (ut ita loquar,) & odorem urinoſum præpollentem exhibet. *licet non æque proprio odore,*

Per ſe facta ita ſe habent, ceu innuimus, & curioſâ ἐγχειρήσεις acquiri poſſunt, *per artem* verò ſalia volatilia reddere oleoſa, & finem hunc aſſequi, uti curioſum & paſſim hodie decantatum, ita facillimum eſt, prout inferiùs de eodem dabitur diſſerendi occaſio. *per ſe facta.*

Proceſſum ipſum, quo modo ex plantis hâc viâ elici poſſit ſal volatile, cùm *in transactionibus philoſophicis Anglicanis d. 25. Mart. 1674.* poſuerit & recenſuerit *D. D. Cox*, huc excerpemus: *Proceſſus ex plantis viridibus.*

℞. æſtatis medio, ſeu calidiori tempore, bonam quantitatem plantæ, quam volueris, ſepara inde folia omnia, & ſeorſim caules ſtipitesque abjicias. Hinc indas eadem vaſi firmo & benè clauſo, donec omnimodè fermententur, putrefiant, atque in pultis formam redigantur, quod in quibuſdam tardiùs, in aliis ocyùs fit. Deinde ☊la hanc maſſam igne primùm mediocri, & habebis aquam, qualis ex aliis plantis ordinariè elicitur, hinc ∽us & ⊖ volatile ſuccedet, & circa finem oleum craſſum, nigrum atque fœtidum, quod cum ⊖e volatili jungendum, ſæ-

piuſque rectificandum eſt, & olei maxima pars in ⊖ adhuc faceſſet, unde ⊖ volatile ☐noſum inſtar ⊖is ☐næ, C. C. ſanguinis humani, vel ⊖lis ✳ci emerget.

Ubi notandum,

ubi 1. incaleſcentia, 1. Per fermentationem, dum illa inchoatur, hæc herba valdè incaleſcet, præſertim circa medietatem ſeu centrum, hicque calor adeò fortis erit, ut igni contrà, manum impoſitam lædere ſoleat.

2. immutatio, 2. Poſthæc incipit corruptio, putrefactioque omnes plantarum naturales qualitates immutat, & quidem non ſolum ſenſibiles, ſed & ſpecificas, adeo, ut

3. fætor, 3. Planta, bonum gratumque exhalans odorem, fœtida corruptaque evadat, æquè ac alia, cui hæ qualitates non inſunt, adeoque fœtet, ut odor æquè intolerabilis vix alius detur. Aſt hic fœtor non multùm durat, ſed omnino diſparet, ſimul ac planta 🝫lationi ſubjicitur.

4. præcipuè in humidioribus, 4. plantæ humiditate & pinguedine pollentes duplo citius, quam magis ſiccæ, aromaticæ & teneræ putrefiunt.

5. inſecta, 5. Durante putrefactione interdum in medio vaſis, licet nullus eò patuerit ab extra aditus, magna vermium, muſcarum, aliorumque inſectorum quantitas fuit reperta, quæ verè ex putrefactione orta ſunt.

6. alius liquoris, 6. Vermes hi ⊖ volatile non largiebantur; verùm alium ab hoc multò diverſum liquorem exhibebant, mediante ſcilicet 🝫latione.

7. 🝫tio, (1.) aquæ, 7. In hâc plantarum deſtillatione *1. aqua* apparet adſcendens, ſub guttarum ſatis groſſarum formâ, congregaturque, & in recipiens cadit. *2. ſpiritibus* adſcendentibus, illos ſub nubium ſeu nubecularum ſpecie
(2.) ∽us, evehi cernes, quæ difficiliùs colliquantur, & ſtrias habent diverſificatas atque intortas, quemadmodum in deſtillatione ∽us C. C. accidit.
(3.) ☍ei 3. denique *oleum* apparet, quod non, niſi violentiſſimo, & ad ſummum auctо igne exit, idque omnium fœtidiſſimum.

8. magis vel minùs fætentis, 8. Nunquam aliud, præter hoc, obtinui oleum, poſt putrefactionem, quæ, ſi perfecta non ſit, exit hoc oleum eſſentiale, odorem plantæ referens.

9. majori vel minori quantitate, 9. Plantæ, quæ oleum eſſentiale communiter non præbent, multum olei fœtidi largiuntur; verùm, quæ multum olei eſſentialis dant, plus olei fœtidi emittunt, quàm aliæ.

10. rectificatio. 10. inter ∽us & ☍ea hæcce quædam ſæpiùs, (3.4.5.) rectificari amant.

11. ⊖lis volat. qualitates, 11. hoc ⊖ volatile rectificatum omnes ⊖is ☐noſi qualitates habet, adeò, ut ipſum inter, & ſal volatile ſanguinis humani, C.C. ☐næ, aut ✳ci nulla interſit differentia. Omnes etiam producit effectus, quos hoc, diu-

reticum

reticum & diaphoreticum eſt, acidum deſtruit,cum illo ſe jungit,& inde ⊖ compoſitum reſultat, armoniaco ſimile.

12. quod magis eſt,hæc ⊖ia volatilia à ſe invicem, neque quoad qualitates ſenſibiles,neque quoad effectus differunt. *12. congeneres,*

13. nullam plantam ♌lavi, (quamvis diverſas deſtillaverim,) quæ omnes has partes, de quibus modò diximus, non reddiderit. *13. in omnibus,*

14. poſt ♌lationem in vaſe offert ſe odor moſchum ferè redolens, qui nullo modo tolli poteſt, licèt per aliquot annos aëri expoſitum fuerit. *14. odor vaſis poſt ♌t.*

15. vas, in quo planta fermentatur, ſæpiùs apertum reliqui, & vertente anno pauciſſimum in eo reſtabat ⊖ volatile. *15. quid aperto vaſe fiat,*

16. ☠ nullum ⊖ fixum largitur. *16. ☠.*

Et hoc quidem modo ex animalibus quoque quibusdam deſtillari poteſt ⊖ volatile, ceu ex lumbricis per putrefactionem fit, quibus in vas vitreum ſeu terreum poſitis, accedente ambientis calore ferè eadem obſervantur, ac in plantis à dictâ præparatione, ut & oras vaſis transſcendere, &, niſi porta detur, veſicam disrumpere ſoleat inteſtinus motus. Poſtmodum deſtillationi ſubjecti fundunt liquorem, ⊖e ☐noſo cum 🜂re fœtidô refertum, & rectificatione præviâ depurabilem magis & gratiorem reddendum, quo de jam in ſpecimine noſtro diximus. *modus idem in animalibus valet.*

Si quis verò addere plantis, hunc in finem velit curioſiùs ſal fixum, ſeu proprium, ſeu uſuale aliud obvium, v. g. ⊖ ♀ri, vel calcem vivam quoque, aut ſaltim cineres, illi id ipſum liberum eſt, ſufficit, absque additamento & ſimplici viâ id ſuccedere. *Additio alcalium.*

Adeoque hæc præparatio in vulgus jam innotuit, & poſſibilitatem ſufficienter quoque demonſtravit, proceditque non tantùm in antiſcorbuticis, ut, cochleariâ, naſturtio; ſed etiam in aliis, ipſisque floribus, præcipuè odoriferis, nec adeò ſiccis, ceu ex floribus liliorum convallium, uti modò dicebamus, elegans ⊖ volatile hâc viâ & methodo conſurgit.

CAPUT IV.

Sine igne, & ſine additamento, ſpontaneâ deſtillatione, ex ritè præparatis plantis prodit ⊖ volatile.

VIdebatur jam evulgatus proceſſus, quo de in ſpecimine ſcripſimus, adeoque crambe recoqui. Verùm, uti cuilibet ſuam concedimus luben- *Experimẽtum ⊖lis volatilis plantarum,*

lubenter gloriam, ita in eo quoque non ſine effectu latuit hactenùs experimentum noſtrum, ut ſeu inventionis ſimilis in publicum producerentur ſpecimina, ſeu de noſtro hoc doctiorum judicia. Licitum ſanè fuiſſet nobis, quæ graviſſimis viris & chimiatris dudum oretenus & oculotenùs demonſtraveramus, & commune cum illis feceramus, ſtatim evulgare, & in eo inventionis famam aucupari, cùm, verbis *Dn. Lic. Garmanni* noſtri, multi è philoſophis chimicis de ⊖is volatilis plantarum exſiſtentiâ dubitârint, nullus autem, niſi forſan incidenter & ſuperficialiter, ante nos tractaverit hoc thema.

nec inventum nec quæſitum

Modeſtè verò in hoc maluimus aliis judicium relinquere; ubi ſcripſimus verbis *Mirandulæ*, nec inventum à nobis id eſſe, nec quæſitum. Nunc verò abeat in lucem, ut quæ vel à nobis ſcripta primùm, vel occaſione hujus ab aliis publicata, lucem acquirant majorem.

ultra ſeculum jam innotuit,

Quoad ipſam rem, ne quis impunè gloriari de inventione poſſit, vel litem, uti in rebus nauci ſæpe fit, in hoc movere nobis, quam omnibus modis averſamur, nôſſe æquum eſt, ultra ſeculum, ſeu ultra centum hoſce annos, ne ampliùs progrediamur, evolutionem hanc ⊖is volatilis mille teſtibus notam fuiſſe, ſed non obſervatam: viſam, ſed neglectam; publicè apertam, ſed nec agnitam, nec curatam. Qui probationem hujus deſiderat, cogitet, quæſo, quamdiu in Thuringiâ noſtrâ glaſti præparatio nota & in uſu fuerit, in univerſæ ferè Europæ uſum expetita. Eandem originem etiam ſibi vendicat experimentum noſtrum, ut ex ſequentibus patebit.

ſed neglectum, neque attentum fuit,

Liceat modò nobis mirari hoc loco naturæ abſcondita, latent ſæpè, quæ obvia ſunt, concluſa, quæ nares feriunt, occulta, quæ in oculos occurrunt; quid ſenſibus ipſis certius eſſe queat? Ludit in hoc mortalium ſtuporem, qui, quod non habent, habere ſæpenumerò ſe credunt, quod habent, & ante pedes eſt, negligunt. Neque tamen culpanda anteceſſorum noſtrorum ignavia vel incuria, infelicitas hæc fuit, non ſocordia, poſteris quoque aliquid reſervandum fuit, ceu à nobis quoque plura relinquentur. Non unâ vice pandit arcana ſua, ſed partitis; quæ uno momento nos delectant, facilè negligimus; quæ diſtinctis vicibus, gratiora ſunt, & intimiùs afficiunt. In hoc tantùm delinquitur, ſi in libris ſolùm & penes eruditos quæritur ſapientia. Latet hæc & ſub ſordido pallio, neque, quod *Hippocrates* noſter jubet *in præception. c. 2. v. 24.* pigeat ex plebejis ſciſcitari, ſi quid ad curandi opportunitatem conferre viſum fuerit. Multa apud mechanicos arcana latent, multa

à plebejis.

apud

apud operarios, habitat ſub ingrato ſæpe & inviſo hoſpitio naturæ ſplendor.

Sed, ne gratis hæc dixiſſe videar, à poſteriori quaſi præſupponimus pauca hæc axiomata: *Axiomata, circa id notanda.*

1. Plantæ omnes pollent ⊖le volatili, aliæ quidem magis, aliæ minùs: aliæ obvium magis & explicitũ, aliæ immerſum, & in ſinu implicitũ magis fovent. 1.

2. Plantæ ſibi invicem ſuperimpoſitæ incaleſcunt, quò majori quantitate & denſitate, eò fortiùs, & vice verſâ. Videri id poteſt in quibusvis herbis, abſinthio, carduo benedicto, in faſciculos majores & denſiores collectis, lupulo, imò ipſi etiam farinæ tempore æſtivo idem accidit, & fœni exemplo notiſſimum eſt. Memorat id ipſum de ſeminibus quoq;, & ſtercoribus, etiam ſiccis, *Galenus libro de cauſis morbor. c. 2.* & accenſum etiam ipſum ſtercus columbinum hoc modo ſe vidiſſe addit. Illuſtrare hæcce liceat elogio accuratiſſimo *divini ſenis*, qui, quaſi hæc intimius pervidiſſet, & ipſum proceſſum velut digito innuiſſet, ita *l. de natur. pueri c. 26.* ſcribit: καὶ γὰρ ἡ κόπρος ἡ νενασμένη μὲν εὐθερμοτέρη ἐστὶν, ἢ ἡ ἀραιὴ ἐοῦσα· καὶ ἄλλως, τὰ μὲν ἰκμαλέα καὶ πεπιεσμένα ὑπὸ σφῶν αὐτῶν ἐκθερμαίνεται, καὶ ἐν τάχει κάρτα ὑπὸ τῆς θερμασίης ξυγκαιόμενα σήπεται· οὐ γὰρ δίεισι τὸ πνεῦμα δι' αὐτῶν, ἅτε πυκνῶν ἐόντων. *Nam & fimum denſius accumulatum, intus calidius eſt, quàm quod rarum exiſtit: & aliàs humecta ac compreſſa, à ſeipſis concaleſcunt, & brevi à calore valdè exuſta putreſcunt. Neq; enim permeat ſpiritus per ipſa, nimirum cum denſa exiſtunt.* 2.

3. Plantæ certo modo priùs præparatæ, & ſibi invicem ſuperimpoſitæ de ſe mittunt ⊖ volatile. 3.

4. Poſito ipſo calore, intrinſeco, ſponte facto, non extraneo, poſitâ item aptitudine, 🝞latio fieri poteſt ⊖is volatilis SINE IGNE, per ſe, SINE ADDITAMENTO. 4.


5. Humiditas nimia ſuperaddita, ſeu conjuncta, calorem quidem habet ſuccedaneum, & hinc ⊖ volatile, quod ſecum immerſum geſtat, igne mediante de ſe prodere poteſt; ipſum verò ⊖ volatile minus, quippe præpeditum & detentum, citra torturam hanc ſe offert; 5.

6. hinc exhalare priùs debet leniter; 6.

7. proportionata tamen eſſe, unde, ſi ſiccitas nimia accedat, & conſequenter proruptio ⊖is volatilis moram trahat, affundere licet aquam. 7.

Quid multa? fatemur glaſti præparationem mechanicam obtuliſſe nobis ſal volatile ejusdem: cum enim & curioſè hanc luſtraremus, & in parandi modum inquireremus, fumantes acervos vidimus, urinoſasque parti- *inveniendi occaſio à glaſti præparatione mechanicâ.*

particulas exhalantes percepimus,toto eo,quo continebatur, loco, ne dicam totâ domo,nares vellicantes.Mirati artificium,cogitavimus,quomodo in auras abiens,à nemine curatus,nec in uſus alios cedens urinoſus liquor,vel ſal volatile poſſet excipi,& impoſito inſtrumento hîc depiđo obtinuimus,quod volebamus. Ita ſcilicet ſine ſumtibus,ſine curâ,&, quod maximum eſt, ſine igne colligere licuit notabilem quantitatem ⊖is volatilis,in liquore hoc ſponte prolecto, odore non minùs, quàm ſapore ſe ſiſtens,quod hinc rectificare facilè,& ♌latione leni per XX cum magis aptare licet,ſi pars circiter dimidia vel tertia ſaltem abſtrahatur.



Expli-

Explicatio Figurarum N. I. & II.

a. *Globuli glaſti, priùs in hunc uſum præparati, & jam accumulati in tabulato, ab interno calore ſal volatile effumantes, citra ullum externi ignis acceſſum.* quod in exemplum proponitur.

b. *Inſtrumentum figulinum illis ſuperimpoſitum, ſive uno, ſive pluribus locis, ut colligi & excipi posſit, nec vacuas evolare in auras ſal volatile; ſive rotundius illud fuerit & capax, ut N. 1. ſive quadratum & oblongum, paulloq́ altius, ut N. ij. ita globulis aptandum, ne admiſſu aëris liberi transfugere poßit exhalatio, vel muſcæ etiam copioſæ ſimul poßint ingredi.*

c. *In collum abiens ejusdem pars inſtar cucurbitæ, ut magis jam adſcendere poßit & colligi ſal volatile.*

d. *Alembicus vitreus paullò capacior, collo huic impoſitus, qualem in ♌tione ⁂ti adhibere conſultum eſt. In hoc roſcidæ & aqueæ particulæ, vehicula ⊖lis volatilis, ad receptionem cohibentur & uniuntur.*

e. *Recipiens ſeu cucurbita itidem capacior, in quam deſtillat liquor □noſus volatilis.*

CAPUT V.

Sal volatile ex hoc modo præparatis plantis, factâ jam ſpontaneâ ⚗tione, igne mediante acquiri poteſt.

Sal volatile per ſe quidem ſine igne ⚗lat,

ADeo jam panſa & recluſa ſunt hoc pacto omnia, ut & ſponte abitum parare ⊖ volatile poſſit, & citra ullum aliûs caloris acceſſũ colligi, novo & inuſitato deſtillationis genere, ubi, cum aliàs ſine igne chimici ȣ̓δὲν ἀξιόλογον τῶν χρησίμων κατασκευάζον‿, *nihil quod operæ pretium ſit utilium parare poſſint*, ſpirare cernitur naturæ Veſta æthereos fumos, & ſine furno ipſa ſibi ſufficere, quem ex ipſâ materia ſortitur.

aſt multum adhuc reſtat,

Aſt ne ſic quidem inexhauſtæ ſunt omnes dotes, ipſa partem miniſtrat adjuta tam commodè natura, & quantum interiora poſſint, ſponte deſtillando manifeſtat; partem verò, & quidem non levem, quam abſconderat in globulis quaſi intimius, ignis artifici reſervat, ut præeuntem ipſam ſi ſequatur, abſolvere opus poſſit, & ⊖ volatile reſiduum, copioſum, neque enim omne avolat, igne extorquendo in gloriæ ſe partem vocare.

quod per ☋ igne expelli poteſt,

Facilis res eſt, & ex paſſim obvio, ac venali glaſto, præparato ſcilicet, ſiccoque, pro tinctorum uſu unicè accommodato, parabilis.

℞. *glaſti præparati* q. v. v. g. ℔. ij.

Indito ☋ vitreæ in arenâ, factâ probè luturâ, pellatur primò phlegma, hinc nebularum formâ ſpiritus, ſale volatili potiſſimum ebrius, cui tandem oleum flaveſcens, fœtidum, inſtar olei lumbricorum ferè, minori quantitate ſuccedet. Filtretur liquor volatilis urinoſus & ab oleo ſeparatus, addito etiam, quod cum ▽ ex recipiente elutriatur, rectificetur ſive per ſe, ſive additione cinerum puriorum cribellatorum, & ſic habebis ſpiritum, ſeu ⊖ volatile liquidum πολύχρηστον, antiſcorbuticum, diaphoreticum, antipodagricum &c.

& fixari acidis.

Fixationem ſalis volatilis hujusmodi ⊕li & aliis acidis machinari licet, quamvis longè melius volatili formâ in uſum cedat. Par ratio eſt ſimilium eodem modo prius præparatorum & recluſorum, jam enim hoc præcipuè exemplum ſumpſimus.

CAPUT VI.

Digreditur in glaſti deſcriptionem, & præparationem.

Glaſti mentio parca hodiè,

IN ſcholis medicis *glaſti* nulla vel parca admodũ hodiè occurrit mentio, ut locum & hîc habere videatur *Helmontiana* querela, à *Dioſcoridis* usque tempore paucam vel nullam acceſſionem factam in hoc uſque ſeculum, adeò videas pleraque herbaria tantùm gaudere transſcriptione virtutum, ut, quo ad harũ vim, ſi unũ legeris, omnes legeris in vaſtam nihilominùs molẽ excreſcunt, & præter icones, easque falſas ſæpè & imperfectas, parũ ſolidi tradere, &, quod non dictũ ſit prius, aſſolent.

ſed dudum noti, & præcipuè

Cum *ſativa* ſit alia iſatis, alia *ſilveſtris*, ex *Dioſcoridéo* textu patet, antiquiſſimum eſſe uſum prioris ad tinctorum uſum, ſativam, *ait*, ἧ μὲν βαφεῖς χρῶνται, *quâ lanarum infectores utuntur.* Ex quo colligere non ineptum foret, & præviam ad uſum hunc præparationem, dudum & cognitam, & exercitam fuiſſe.

in Thuringiâ exculti,

Tertium ex eâ accedit Thuringiæ noſtræ vectigal, cùm aliàs & vino & frumento abundet, vid. *Cornarius comm. in Dioſcoridem lib. 2. cap. 169. pag. 210.* Hinc vulgatum eſt proverbium: *Tria fundere Thuringiam cognomina*, Wein / Weitzen / Waid / quibus & *quartum*, Wolle / non immeritò licet addere.

Proventus iſatidis inſtar zizaniæ cujusdam, ceu vulgò eam vocant, facilis eſt, modò in ſolum pinguius incidat.

agris pinguioribus

Inprimis optimè creſcit iis in arvis, quibus priùs linum ſatum fuerat; ſin minùs anteceſſore hoc gaudeat, ſtercorari eadẽ probè poſtulant.

ad id probè

Alterutro horum facto, ſive lini præceſſerit fœtatio, ſive ſtercoratio proba, aut foditur terra ad ſationem, aut aratro ad id aptato, quadrijugali, groſſer Waidpflug / profundiùs aratur. Sin communi aratro præſtare id libuerit, lentè feſtinandum eſt, morâ enim eget; nec tàm alienis, quàm domini oculis, cujus præſentia, elogio *Palladii lib. 1. de re ruſt. t. 6.* profectus eſt agri, id gerendum.

Quod autumno aratro præparatum eſt arvum, hiemalibus feriis ad purificationis Mariæ feſtum relinquitur uberi irrigationi.

aptatis

Semen ipſum, perinde eſt, recenſne an vetuſtum ſit, modò non fumi acceſſione, quod notabile eſt, corruptum fuerit.

Ejusdem ſatio,

Poſt feſtum purificationis, molliori cœlo, ſeritur, & ex voto quidem magis, modicâ nive poſitâ, & eâ quidẽ cautione, ne denſè nimis ſatio fiat.

Elapſo uno alteroq; die, quæ mora non de nihilo eſt, ſtudioſè, mediante occatione, terrâ obtegitur.

Poſt Pentecoſten diligenter repurganda ab aliis herbis.

repurgatio, meſſis prima, Poſt feſtum S. Johannis ad primam meſſem matureſcit; cùm extima folia flavedinem præ ſe ferunt, vel metus eſt, flores ipſum meditari, ferro ad id parato, Stoßeiſen/in terrâ herba detruncatur, in cumulum hinc colligitur, & ad loturam fertur.

lotura, Facta lotione, pabone ad locum aptum mittitur, ſparſim diſpergitur, & vertendo ſiccatur; marcor hic, die Welcke / ſeu colono, ſi minor fiat, & ſuperficiariè, ſeu emtori, ſi juſtus, lucrum fœnerat, illi quidem, aucto globulorum numero, huic meliori præparatione. Sin inconſtans tempeſtas minùs faveat, ut modò ſiccetur, modò imbribus irrigetur, quæ liberari ab extraneo humore debebat, periculum ſubit corruptionis, & teſtis hujus, nigredinis, quod ſæpe unicâ nocte contingit.

congeſtio, Abſumtâ ſuperfluâ humiditate, congeritur, & truſatilibus molis infertur: quarum plures videas in Thuringiâ, tum uſui huic accommodatas adhuc, tùm veſtigia ſaltim exhibentes priſtinæ copiæ & culturæ, ſolos lapides.

tritus, A conquaſſatione ſeu comminutione, & triturâ hâc, qualis quidem ſucculentis adhuc convenit, in acervum obtuſum ſeu rotundum compingitur, ſupernâ parte tectâ pro arcendâ pluviâ, circa latera verò ventilabra fabricantur, ut herbacea ſanies reſidua per noctem excludatur. Modum hunc tangit & deſcribit paucis *Ryffius comment. in Dioſcor. lib. 2. cap. 177. pag. 193.*

conglobatio, Abacto liquore digeritur in magnos globos, wird geballet / & tecto patulo ad id facto, Horden / ad machinam illam vecta imponitur, ut ſiccetur, adeò omni ſtudio ſuperflua humiditas abigitur, ne in putrilaginem fatiſcat, tùm intentioni primariæ, quam colonus habet, tùm ſecundariæ, quæ noſtra jam eſt, ⊖ ſcilicet volatile acquirendi, contrariam. Relinqui hîc loci poteſt, quamdiu id fert occaſio; aut globuli jam leniter exſiccati, propriæ inferri domui, vel ad ulteriorem præparationem mercatoribus vendi poſſunt.

præparatio, ubi ⊖ volatile fudit, unà, Globuli enim hi, quos ſexagenos, Schockweiſe / vendi videas, tabulatis ingeſti & accumulati ſenſim incaleſcunt, & urinoſum ⊖ volatile de ſe exhalant, eò citiùs, quò calor ambientis, æſtivo tempore, & ipſorum copia major, illud verò non ſolùm, quo continentur, ſpatium, ſed totam ſæpe domum, & vicinas, odore ſuo replet. Adhærent tignis, parietibus, & tectis guttulæ roſcidæ, & in auras exſpirat, niſi excipiatur, ⊖ volatile. Tandem aquâ etiam affuſâ magis intenditur calor,

donec

donec non in cineres, ut quidam volunt, ſed pulverem groſſum, tinctorum uſibus aptum, fatiſcat, quod hinc glaſtum *κατ᾽ ἐξοχὴν*, ſeu præparatum, audit.

Sed abſolvemus, quod reſtat circa iſatidis culturam. Secundâ vice propullulans non, uti priùs, ſolicitis ungviculis, ab immixtis aliis herbis repurgatur, ſed oves in agrum mittuntur, ut paſti interſito hoc gramine repurgent iſatidem, neque enim illi vel eſu, niſi ⊖e veſcantur, nocent, vel conculcando in terram, niſi paſtoris negligentiâ diutiùs, ac par eſt, inhæreant agro. *repurgatio.*

Exactis ſex ſeptimanis à primâ meſſe, denuò, ut ſuperiori tempore, detruncatur, & iterùm, elapſis totidem hebdomadibus, ſi cœlum autumnale favet, nec gelu tàm citò ingruit, tertiâ vice, licèt hæc minori bonitatis notâ, ad utrumq; opus polleat, tùm ob caloris ſolaris digerentis inſufficientiam, atque adeò tincturæ paupertatem conſequentem, tùm ob tempus loturæ minùs aptum, frigidiori exſiſtente aquâ, & marcorem operi minùs parem, ut taceam exhauſtas jam ferè vires, & ⊖is volatilis penuriam. *& meſſis altera, itemque tertia,*

Patet & hinc, qui tardiùs, & quadrageſimali demum tempore arva ad iſatidis ſationem arant, binis tantùm gaudere meſſibus, quarum prima cum ſecalis & tritici plerumque coincidit, & ſolent hujus generis glaſtum vocare Jung-Waid. *niſi tardius ſeratur, unde jung Waid/*

Sequenti anno iisdem arvis, quæ priùs iſatidem tulerant, hordeum inſeritur.

Sin ſemina deſiderantur, tertiâ meſſe pars intacta relinquitur, unde vertente anno in ſemen exit, cujus pretium cum avenæ coincidit.

Sunt, qui à tertiâ meſſe, aut alterius ſpeciei, an dem Jung-Waid/ ſecundâ, ſeu, ut uberiori fœnore potiantur, ſeu, ut præpediti tempeſtatis & frigoris obſtaculis, reſpectivè tertiùm aut ſecundùm metere nequeant, non ad hordei novam ſationem agrum ſcindunt; ſed hiemare herbam in hoſpitio ſuo permittunt, donec commodiori tempore, circa quadrageſimam demùm, priùs, quàm hordeum ſeratur, in detruncationem cedat, quod vocant *glaſtum ſecundarium*, Kompes-Waid. Aſt & minùs bonum id eſt, & arva nimis exſugit, ut ipſum hoc poſtmodùm in hordei proventum redundet minorem. *Kompes-Waid/ nomina.*

CAPUT VII.

Ad uſum glaſti digreſſio.

Glaſtum, colorum aliorum fundamentum,

QUantus tinctis colore glaſti lanis honor ſit etiamnum, nôrunt mercatores, & experiuntur, qui pannis hoc modo paratis utuntur. Colorem quidem propriè cœruleum, ob ⊖ volatile eminens, reliquis verò conſtans fundamentum præbet, unde culturâ ſuâ tùm Thuringiæ noſtræ, tùm aliis pluribus regionibus infinita attulit commoda; aſt poſtquam Indicum pigmentum advehi cœpit copioſiùs, utut ob exedentem & corroſivam naturã minùs commodè his uſibus ſerviens, licet colore, & quoad extrinſeca alia ad ſpeciem ejusdem notæ & durationis tincti eodem panni videantur. Hanc ob rem jamdum præterito ſeculo, an. 1577. Francofurti, communi imperii nomine & decreto ejusmodi fraudibus & noxis proſpectum fuit, & hocce noſtro, anno 1654. Ratisbonæ d. 21. Aprilis *à D. FERDINANDO III.* ſub pœnâ confiſcationis cautum fuit, ne indigo, ob copiam tingendi uſui vulgò inſerviens, ampliùs adhibeatur, in detrimentum Thuringiæ, Germaniæ & emtorum. Eò tamen jam res devenit, ut ad paucos redierit glaſto ſolo utentium tinctorum, atque adeò molarum truſatilium, hinc inde apud nos veſtigia priſtini mercimoniorum floris exhibentium, numerus.

Indico melius,

licet ejusdem origo,

Non noſtrum jam eſt, latiùs disquirere, quî floridi colores, ceu extractum, ex iſatide conſurgere poſſint, & adhibeantur quoque à quibusdam, neque in tinctoriâ ipsâ arte occupari: ad notitiam ſimplicium, & noſtrum hunc in finem medicum, nôſſe ſufficit, quod indigo & glaſtum ex eâdem propullulent proſapiâ, neque niſi præparatione differant, unde tùm alii, tùm inprimis *Amatus Luſitanus, comment. in lib. 5. Dioſc. enarrat. 67. p. 509.* Indicum, *ſcribit*, eſſe ſuccum defecatiſſimum iſatidis herbæ, concretum & inſpiſſatum.

uti tum ex aliis, tum hujusdem præparatione patet, quæ deſcribitur.

Placet in communem notitiam præparationis hiſtoriam huc transferre ex autore *anonymo de l' hiſtorie des joyaux*, qui creditur *Dn. de Chapizeau cap. 6. pag. 92.* Indigo, *ait*, quo ad floridiores vividioresque colores utimur, ab arbore, *(rectiùs plantâ;)* deſumitur, quam quotannis poſt pluviarum exceſſum plantant, &, quando ad altitudinem duorum triumve circiter pedum excrevit, reſcindunt dimidii pedis à terrâ diſtantiâ. Partem reſciſſam ſumunt, in repoſitorio cum calce reponunt, quæ

adeò

adeò indureſcit, ut hæc repoſitoria marmorea videantur. Hæc ſtagna ſeu repoſitoria in circuitu communiter 80. pedes habent; ad medietatem, (vel paullò plùs,) aquâ replentur, dein ad ſummum usque virentibus arboris hujus frondibus complentur, quotidiè omne hoc movendo, donec immergatur penitùs, & evadat inſtar limi aggeſti, ſeu, ut terra pingvis aquâ diluta. Hinc poſtquam hæc omnia per dies aliquot quieta relicta ſunt, aquam emittunt & elabi ſinunt, quâ eductâ penitùs, maſſam hanc limoſam manibus, priùs oleo imbutis, prehendunt, & ex eâdem fruſta magna vel parva pro lubitu conficiunt, quæ Solis radiis exſiccanda exponunt. Ad fallendos mercatores eadem aliquando arenæ pro exſiccatione committunt, tunc enim facilè arena ipſis adhæret, majusque inde pondus acquirunt. Sed nequitiam hanc mulctâ luunt, ſi id reſciſcat præfectus. Cæterum hæc arbor ter reſcinditur; ſed quoties id repetitur, minus inde reſultat indigo, & inter centum partes, viginti ad minimum de pretio pereunt, cùm tantum coloris non præbeat, ac prima ſpecies. Optimum indigo ex Bianâ, Indouâ & Corsâ, tribus pagis uno vel altero die ab Agrâ diſtantibus provenit, & hoc eſt, quod in fruſta redactum globulorum ad inſtar cernimus. Octavo à Surat die, duobus ab Amadabat milliaribus pagus eſt, Sarqueſſe dictus, unde indigo planum ad nos fertur. Ejusdem ferè naturæ, pretiique vix diſſimilis indigo creſcit etiam in regno Colcondâ. Tandem idem ex occidente, præſertim ex Antillis, ubi eodem ferè, ac in oriente, modo fit, huc affertur. *Differentiæ Indici, uti glaſti, ratione meſſis.*

Colligere ex his facile eſt, & unde color exaltetur, & proſurgat cœruleus, ob explicatum magis 🜍ur in 🜔le volatili reſidens, & quam ob rem Indico hoc tinctæ lanæ in receſſu minus bonæ ſint, ob calcis ſcilicet acceſſionem, quæ ipſa quoque cauſa eſt, cur exaltatus hic color & in apricum deductus minùs conſtanter tingat, quàm ſibi relictum & ritè præparatum glaſtum, quod citra talem communionem, mediante artificum tingentium induſtriâ, adhibetur: neque enim pars ſalina & terrena calcis vivæ, quæ dubio procul & pondus ſimul adauget, eandem adulteravit. *Indicum calcis admixtione corroſivum,*

Neque deſperandum eſſet de eodem artificio parandi Indici, ſi huic operi manum quis & ſolertiam impendere velit, obſervatâ calcis & iſatidis proportione, &, quæ aliæ minoris momenti ſe ſuggerunt circa id, circumſtantiis. *apud nos quoq; parabile.*

Certum

Certum interim eſt, quintam quaſi eſſentiam ad colores magis floridos & fulgidos exinde parari, & in uſum venire poſſe.

CAPUT VIII.

Cauſa incaleſcentiæ & evolutionis ſalis volatilis.

Operatio hæc & productio ſalis volatilis ſingularis eſt,

DUæ ſunt operationes chimicæ præcipuæ circa mixtionem corporum potiſſimùm evenientes, fermentatio & effervescentia, quæ calorem producunt, tùm ad expanſionem & explicationem partium volatilium & ∽uoſarum, tùm ad alios usus ubere proventu facientes.

In illâ quidem blandiùs, & ſæpè vix ad ſenſum; in hâc verò fortiùs omnia incaleſcunt, quia utrobique motus partium elementalium mixti occurrit, licèt diverſus ratione mediorum, & finis, aliarumque circumſtantiarum.

de fermentatione,

Noſtra hæc operatio ad quamnam ſpeciem referenda ſit, dubium eſt non leve. Sicca quippe eſt, & citra turgeſcentiam vel intumeſcentiam, quale quid in fermentatione viſitur: neque tamen duo diverſa, ſive ſimilia, ſive contraria apparentia, adverſis concurrunt frontibus; ſed, nullo extraneo interveniente, ſpontaneo motu exſurgunt partes volatiles.

& effervescentiâ participâs.

Participat tamen de utrisque, cùm & motus ſit particularum à ſe invicem ſecedentium & avolantium, & cum inſigni calore eructet ⊖ volatile, non aliter, ac ſi ∽us ex ſalis ✳ci & ♀ri combinatione evolvatur, unde commodè vel fermentatio ſicca, vel effervescentia implicita, quæ citra pugnam & tumultum evenit, dici poſſet; licet prius ferè malim.

Varia hujus

Quantùm aliàs inter ſe commiſſa corpora ob diverſitatem pororum effervescant, in operationibus non ſolùm chimicis, ſed & vulgatiſſimis occupatis ſæpenumerò occurrit.

exempla tum aliàs, tùm in chimicis,

Sic v. g. calor & effervescentia occurrit 1. in præparatione ♀*ri* ⊕*lati*, ubi, ∽us ⊕li cum ⊖le ♀ri ſicco vel deliquato conjungitur. 2. in præparatione *arcani* ♀*ri*, quando ⸭to idem ⊖ ♀ri ſaturatur. 3. in fixatione ⊖ium volatilium, cùm ☐noſa ligantur cum acidis. 4. in præparatione ⊕*li* ♂, cum v.g. limaturæ ♂tis ℥iij. artificiosè & per vices affunduntur ∽us ⊕li ℥vj. & aquæ fontanæ ℥iv. Acida enim, quæ poroſiora ſunt, ſolvunt & aggrediuntur cum effervescentiâ

ſcentiâ modò calidâ, modò frigidâ. 5. in præparatione ∾*us* ✳*ci* cum ⊖ibus fixis, ✳co additis, vinculum ipſius ſeu acidum abſorbetur, & volatile ſui juris factum propellitur. 6. cùm præparatur ∾us ⊖lis ♀ri cum O uſto vel crudo. 7. cum præparatur ∾us ☐næ cum calce vivâ. 8. cum ᴏᴏᴏ terebinthinæ jungitur ∾tui ⊕li, vel ⦶i 9. cum ᴏᴏᴏ ⊕li ᴏᴏᴏeo aniſi. 10. cum ∾us ⦶ & ♈ uterque rectificatus, accedente motu vel calore. 11. cum miſcetur ⦶ cum ⊕lo ad præparationem ▽. 12. cum calci vivæ affunditur ▽. 13. cum rectificatur v. gr. ∾*us* ♎*is*, & phlegma iterùm jungitur acido in fundo remanenti, ubi calor & effervefcentia conſurgit, cum tamen priùs ſe invicem toleráſſent &c. Plura hanc in rem videantur apud *D.D. Elsholzium in* ☊*latoriâ curioſâ, p. 62.* *occurrentia recenſentur.*

Sed horum alia ratio eſt, unde & longiùs ad eadem digredi, extra oleas eſſet vagari. Arceſſenda paullo altiùs eſt hæc noſtra incaleſcentia.

Præſupponemus iterum, 1. adeſſe in plantis partes volatiles ∾uoſas & ⊖linas, ſaltim materialiter, quod nemo negaverit: idque modò majori, modò minori quantitate; magis verò & minus non variant ſpeciem. *Sal volatile in plantis præſens,*

2. ⊖ hoc volatile eſſe ſubſtantiam tenuem, ad motum maximè habilem & agilem. *mobile & agile*

3. non tàm generari ergò propriè, præviâ præparatione ſuprà expoſitâ, ⊖ volatile; ſed

4. evolvi impeditas, & liberatas à compedibus avolare, unde explicatione egent & liberatione, ſi captare eaſdem velis. *liberatum avolat.*

5. partes volatiles ſpirituoſæ mediante fermentatione propriè dictâ eruuntur, unde rectè *Hamelius* ſcribit *lib. 2. cap. ult. de conſenſu vet. & nov. philoſ. pag. 412.* ante fermentationem aut deſtillatione aut aliâ arte prolici vix poſſe ſpiritus, non, quòd ibi non eſſent, ſed, quaſi victi & aliis elementis oppreſſi jacebant; adeoque theſis firma eſt, non ineſſe ſpiritus plantis, niſi per fermentationem deducantur in actum. Uti enim τὸ materiale ipſorummet, & potentiâ ineſſe non negatur, ita minùs rectè de formali quis id accipiat, niſi velimus confundere ∾us φλογιστὸς, & partes aqueas parum de oleis ſecum habentes, unde ſpirituoſæ videntur aquæ, ob oleoſas & volatiles particulas in iiſdem diſperſas. Æquivocatio eſt in nomine ſpirituum. Adſcendunt partes quædam volatiles; ſed non in formâ ſpiritûs, neque enim ſtriatim *ſpiritus fiunt fermentatione,* *φλογιστὸς*

ſeu viâ humidâ,

procedunt, etiamſi pòſt rectificentur, adeoque fermentatione opus eſt ad propriè dictos ſpiritus, qualisqualis demum illa fuerit. Vel, niſi velimus confundere ⊖ia volatilia cum ſpiritibus, neque enim, qui acris eſt, ſpiritûs nomine (φλογιστοῦ) appellandus liquor.

ſal volatile ſiccâ magis,

6. partes volatiles ſalinæ mediante incaleſcentiâ ſimplici, & reſolutione citra turgeſcentiam & motum talem inteſtinum, qualis in prioribus occurrit, ſe captandas offerunt.

utraq; activa,

7. ubi ſpirituum & ſalis volatilis copia eſt, brevi exagitantur & in motum cientur.

in aliis magis patula,

8. ſulphureæ herbæ magis ſpiritum, acres, ſalſæ, ſeu ſalinæ magis ſal volatile; utræque tamen pro diverſo præparandi modo & ſpiritum & ſal volatile fundunt.

in aliis ligata,

9. in auſteris verò & acerbis partes volatiles non ſolùm ſubjugatæ; ſed etiam fixatæ quaſi ſunt, unde ex iisdem ſal volatile non ita panſum, nec niſi ſub prædominio aliarum evolvitur, ceu in foliis quercûs, aliisque prædicto modo paratis, videre eſt.

ſalia volat. liberata proruunt,

10. hinc ubi jam laxatis compagibus & vinculis proruunt partes volatiles, uti per putrefactionem ingrato & fœtido; ſic per artificialem hanc præparationem □noſo gravi odore nares feriunt, & ſpiculis ſuis membranam narium, odoratui inſervientem, vellicant & lancinant.

ſulphur odorum, etiam urinoſi,

In ſalibus enim volatilibus explicatiſſimum eſt ſulphur, unde & citiùs voto avolant, ſibi relicta, &, ſi acidis hoc dometur & obtundatur, odor etiam abit omnis, ex quo adhuc patet, cur ſulphuri odor à chimicis magis adſcribatur, quàm ſali. Sulphur enim eſt primum odorabile; ſed hoc debet eſſe explicatum ſale volatili: inde videmus, illa maximè eſſe odorabilia, quæ ſale volatili oleoſo ſeu remixto cum ſulphure, ejusque exhalationem adjuvante, abundant. Unde etiam plerique autores recentiores concedunt, quòd ſalia volatilia ſimul ſint oleoſa, ſeu, quod ex ⊖le lixivo fixo & ſpiritu volatili conſtent, adeoque ſulphur eſt principium radicale colorum & odorum; explicativum verò illorum ⊖, tùm fixum, tùm volatile, ſeu Mercurius.

& colorum radix.

Humida fermentationi aptiora.

Quod ſi humidum copioſum adhuc adſit, motum & fluxum ⊖is & 🜍is obtundens, prorumpunt quidem eadem ſimul in propriè dictâ fermentatione, & aucupio apta ſe ſiſtunt, vel cum fœtore, & conjunctâ putredine mixta reſolvuntur.

Sin

Sin neutra horum abundent, neque explicata ſint ſpiritus & ſalis volatilis tenacula, citra hæc ipſa, fœtorem & putredinem, exarent, marcent & fatiſcunt. *ſicca marcori.*

Eò magis verò & celerius moventur, quò à carceribus magis liberantur, unde, cum exhalârint jam partes aqueæ ſuperfluæ: ipſe verò ſuccus & ſanguis, ut ita loquar, conjuncta adhuc ſint, inde faciliùs jam evolant, expedita vehementiùs agitantur, & ſui juris evadunt in noſtrâ hâc præparatione partes volatiles ſalinæ, & cum liberum jam motum, & ſolutiorem nacta ſunt, affuſione aquæ magis congregantur, hinc & fugam unà meditantur. *ſal volatile liberius motum.*

Ut adeò, vi caloris interni, inde concitati, minus humido gaudens hæc compages, ſecundum artem jam præparata, à ſe dimittat ſal volatile, ceu pluſculum humidi aliàs efflagitat fermentatio, & ſpirituoſas partes turgentes exhibet; opus tamen eſt in hoc opere noſtro aliquali & proportionato reſiduo humido, ut cum eodem, ceu accelerante ob calorem abitum, vehiculo jam liberatæ partes aufugiant ⊖linæ, & inſtrumento commodo jam delineato exceptæ alta petant, colligantur in ⚹co, & in receptaculum deſtillent. *calorem facit, & vehiculo phlegmatis avolans recipitur,*

Modus hic collectionis facillimus eſt, atque in aliis plerisque primâ ſtatim vice, ſine præviâ rectificatione, odore, ſapore, efferveſcentiâ cum acidis, aliisque documentis, ⊖is volatilis probat præſentiam, in aliis verò magis poſt ſeparationem ab aquoſiori vehiculo, quod itidem facilè obtinetur, ſi pars quarta vel tertia abſtrahatur, reliquo inſipido rejecto. *unde rectificatione eget,*

Exhibebam ante quinq; hos annos ⊖ hoc volatile Sereniſſimo ERNESTO, Duci Sax. J. Cl. & M. pientiſſimæ memoriæ, qui, uti gnarus erat horum quàm maximè, ita mirè delectabatur, cum & odoratu urinoſitatem perciperet, & ſapor idem confirmaret, & affuſo ſpiritu ⊕li efferveſcentiam perſpiceret, ut adeò rei ſua jam conſtet veritas, antiquitas, & ratio quàm uberrimè. *odore, ſapore, cum acidis pugnâ conſpicuum.*

CAPUT IX.

Aliorum mentio, & ſalium volatilium uſus.

Sal volatile h. m. procedit ex aliis quoque

SI nullo alio, quàm iſatidis exemplo, probare liceat ſalis volatilis experimentum; id ipſum tamen jam ſuffecerit. Neque enim in eo objicere licet, *à particulari ad univerſale non valere conſequentiam* Si enim ex ſuprà abundè dictis concedamus, dari ex hypotheſi chimicorum ita dicta principia, non tàm extrinſeca, & producta, uti id ſolent vulgò ſæpe confundere, quàm intrinſeca: ſi demonſtravero ⊖ volatile à priori, ab ejusdem affectionibus, vegetatione, & quæ in ſpecimine ipſo de his diſſeruimus latiùs, & vel in unico à poſteriori, firmiter concludi poſſe reor, in omnibus idem inexſiſtere, licet majori vel minori proportione.

Viridibus,

Abundat verò & prædominatur in viridibus plantis, v. gr. in gramine & aliis herbaceis foliis, ☿ ſeu ⊖ volatile præ 🜍re, unde & eadem creſcunt, & vegetantur, & viridia magis nutriunt bruta, quàm arida, hinc & virides herbæ fumant magis, non tàm ob phlegma ſolùm, (aquæ enim fumus & phlegmatis oculos non mordicat;) ſed potiſſimùm ob ⊖ volatile. In pallidis verò jam, ſeu flaveſcentibus 🜍 præpollet, ſeu æqualiter ſe, ut in ſeminibus patet, gerit, unde facilius comburuntur.

Volatilibus & terreis,

Si ergo quæratur, *an idem ex aliis fieri poſſit prædicto modo*, ultrò id affirmamus; quin ex volatilibus & terreis, v. gr. cochleariâ, abſinthio, carduo benedicto, tabaco, ipſoque gramine, & foliis quercûs res procedit, utut diverſimoda particularum mixtio non poſſit non variantem etiam gradibus liquorem fundere.

mutatis mutandis, v.g.

Recipiantur modò herbæ recentes, ſeparatis caulibus, qui impediunt conglobationem, & mutatâ proportione contuſionis, exſiccationis, aliarumque circumſtantiarum in aliis, prout humidior ſicciorve eſt planta, procedatur, non fallet experimentum, licèt in quibusdam, ceu diximus, fixioribus obnubiletur quaſi ⊖ volatile, ob conjunctas partes auſteriuſculas, &c.

foliis quercus,

Fidem rei facere nobiscum poteſt *excellentiſſimus Dn. Ludovici,* quomodo tum alia, tum ipſa folia quercûs ſe geſſerint, eſſumando itidem liquo-

liquorem, ſed minus urinoſum, & in tabaco res exploranda fuiſſet, ſereniſſimi ERNESTI beatiſſimæ recordationis mandato, niſi & abſentia noſtra, & glorioſiſſimi principis morbus, ac alia obſtitiſſent. Erit tamen hæc alibi explicandi locus.

Ex *cardui benedicti* reſolutione vel aliud agentes confirmati in eodem ſumus, offerente ſe poſt incaleſcentiam liquore urinoſo volatili, cui tùm alia vegetabilia addi poſſunt, tùm inprimis etiam *hepatica nobilis*, foliis pinguibus, recens, quam inter antiſcorbuticas referre plantas, ob copioſiſſimum, quod gerit, ⊖ volatile, nulli dubitamus, præcipuè, cum & per ſe ſolâ deſtillatione recentiſſimæ plantæ, additâ aquâ, obtulerit nobis liquorem acerrimum, inſtar radicis ari linguam ferientem, ut hinc debito modo præparata aqua vix unciis præſcribenda ſit. Ut in uſum cedat familiarem, conſvevimus eodem extrahere *animam rhabarbari*, ſi v. gr. ℥j radicis affundantur ℥x circiter *aquæ* ob lentorem, quem in receſſu gerit rhabarbarum, additis ⊖ ♀*ri* ʒij vel ℥ß, quo pacto miteſcit rurſus, & medicamentum longè nobiliſſimum conſtituit ac verè polychreſtum. Sin ⌒ ⊕li affundatur, ſtatim volatilis illa acrimonia figitur & miteſcit.

cardui benedicti, & aliorum;

Utut verò hâc methodo, tum ſine igne, tùm cum eodem ex quavis herbâ & ex quovis ligno, liceat ita dicere, fieri poſſit ☿ius; ut tamen omnibus ſumtibus res careat, & in poſterum in officinarum uſum cedere poſſit ⊖ volatile, inſtar omnium ſit ⊖ volatile iſatidis, benè rectificatum, quod ad gtt. xx. xxv. dari poteſt in omnes illos uſus, qui expetuntur ab hoc remedii genere.

facillimè omnium ex iſatide,

Occaſio vel Gothæ, vel Erffurti, vel in vicinis locis aliis haberi poteſt quàm uberrima, ut & hoc pacto toti Germaniæ, non dicam Europæ proſpicere eodem poſſit noſtra Thuringia, citra defectum, ſi ſint, qui id expetant, Ad minimum cuivis jam copia datur, ex hiſce oris exportatum glaſtum propriis manibus eosdem in uſus, cum fœnore, ſolicitare.

ſine & cum igne,

Uti enim in genere conveniunt ⊖ia volatilia ☐noſa viribus generalibus; ita perinde fuerit, utrum ex vegetabilibus ſeligas.

cujus vires

Præcipuè verò hoc ipſum iſatidis ⊖ volatile, ceu jam *cap. 5.* id tetigimus, egregium conſtituit antiſcorbuticum, anginæ & aliis inflammationibus medetur, & eadem præſtat, quæ in vigorando ſanguine alia ſimilia celebrantur facere. Quin & ipſius præparati glaſti magma, vel vulgi experimento, anginæ medetur, & faucium quibusvis inflammationibus

ut & glaſti ipſius tanguntur,

tionibus præſentaneum eſt remedium, ſi gargariſatio cum infuſo liquore inſtituatur. Imò ipſum liquorem volatilem mitiorem gargarismatis hujusmodi non raro miſcuimus, ceu aliàs ⦶ ✳cale noſtrum, vel ⦶ 🜿atum, (quod pro diverſo tractandi modo & ſexangulare & cubicum exhibere facillimum eſt, neq; enim adeò propriæ ⊖ibus ſunt figuræ, uti vulgò ſtatuunt, quin unum idemque aliam cudere poſſit,) proficua eſſe, notum eſt.

Coloris cærulei & viridis origo. Tacemus hoc loco, quæ de colore cœruleo & viridi, ex ⊖is volatilis experimentis deduci ulterius poſſent, quò & cineres v. c. abſinthii paullò intenſiùs & diutius calcinatæ, & 🝗 ∽ ⊖ ✳ci, lixivium cœruleſcens præbentes, referre poſſemus, cum alibi intentio ſit, de his ipſis diſputare. Sufficiat hoc loco textus *Paracelſicus*, ex *l. 3. philoſoph. tract. 3. c. 3. p. 46.* colores provenire ex 🜍re, quod, licèt hoſce in ſe non habeat, eosdem tamen poſſidet ratione proprii ſui ⊖is & ☿ii, qui hiſce pollent, idemque mutant, ex quo ſuperius circa hoc aſſerta lucem ſibi mutuantur.

🜍 glaſti vegetabile ☉tum, Nec tacebimus, in aſſerti hujus fidem, præter ⊖ volatile, quod præſens adeſſe ex ſuperioribus conceſſum eſt, 🜍is præſentiam demonſtrari poſſe non ſolùm ex 🝆eo, quod itidem per ſuprà dicta claret & conceſſum non minus eſt; ſed etiam, ſi fidem deroges, experimento alio, eoque novo, & quod pluribus dignum eſſet excutere.

odore ♉iatum æmulans. Affundas, quæſo, 🝗 à ♌tione glaſti reſiduo, ſeu perfectè ♌to, ſeu amplius calcinato, ubi flammâ id comburitur & ardet, aquam calidam, & hinc lixivio inde facto, (ita id vocabimus, licet non efferveſcat cum acidis) miſceas acida, v. g. ✠, ∽⊕li, vel alia, & manifeſtè ſe idem odor naribus offeret, qui in præparatione 🜍 aurati ♉ii apparet, & liquor ipſe 🜍 colore exhibebit, quod his mediis ≏tum in fundo ſubſidebit flaveſcens, ulterius, filtratione prægreſſâ, exiccandum. En ſulphur vegetabile! en colorum originem ac fundamentum, quod adeò latuerat! Si auratum id mecum vocare lubido ſit, non erraveris.

Decoctorum ſalſorum proſapia. Non dicemus jam pluribus, plantas quasdam tàm decoctione, quàm deſtillatione ſalſum acquirere ſaporem à ⊖le volatili, ceu ex *foliis cardui benedicti* ∽us efficaciſſimus aurei coloris, ſaporemque lixivii ferè habens à ſale volatili, deſcribitur à *Sennerto in inſtitutionibus l. 5. part. 3. ſect. 3. cap. 5. pag. 1350.* & *decoctum ex chamæmelo Romano* triplicatum ad calculum ſaporem ſalſum acquirit, à ſale ſuo volatili, ut jurare quis auſit, pugillos aliquot ſalis culinarii in eo eſſe liquefactos, teſte *Simone Paulli in*

qua-

quadripart. botan. claſſ. tert. p. 255. Quin idem fit in nonnullis mineralibus & metallicis, uti in præparatione ℞æ ♂tis cum ♀ro liquor manifeſtò fit ⊖inus: qui modus, uti in Germaniâ dudum vel publicis ſcriptis plurimorum innotuit, & eodem modo rob ♂le noſtrum fit; ita fruſtrà ſunt, qui involucris hoc arcanum tegere, & inventionis gloriam ſibi attribuere ſatagunt.

CAPUT X.

De ſalibus volatilibus oleoſis reddendis.

SAturare magis & miſcere ⊖ia volatilia cum oleis, inter alia chimicorum inventa non minimi pretii eſt ἐγχείρησις, ſeu, ut ingratior ſapor odorque velo hoc occultetur, ſeu, ut in vulgus nota medicamenta pro magis arcanis & non imitandis habeantur, prout cujusvis ſcopus in hoc variat, ſeu, qui optimus eſt finis, ut hoc artificio promtiùs agant, & ſtomacho minus negotii creent. *Salium volatilium*

Duo enim inprimis *incommoda* à ⊖ibus volatilibus indiſcriminatim uſurpatis obſervantur ab accuratioribus practicis: *alterum*, quod continuatâ uſurpatione appetitum dejiciunt, & laſſitudine hinc torpida membra mactent magis, cum acidulum in receſſu menſtruum ſtomachicum abſorbeant & invertant, ceu id à fixioribus quibusdam, lapidibus ♋ & pulveribus nephriticis ſecretioribus non rarò quoque obtingit: *alterum*, quòd in hypochondriacis & ſcorbuticis, quorum ſanguis magis rarefactus eſt, & faciliùs ebullit, ſæpe, quæ quieta ſunt, excitant, & & procudunt ſymptomata. Obſervavimus id ipſum in ∽u cochleariæ ſæpius, etiam, qui ad extractionem v. gr. δlium aliorumque tantùm erat adhibitus. Adeò facilis eſt error, ſi ſpecifica hæc vel illa credamus occultâ magis, quàm certâ & definitâ ratione morbum oppugnare. *duo incommoda* *1.* *2.*

Magis ſcilicet *conveniunt* hæc omnia, ubi vel fixiores & torpidiores ſunt humores, & acidi, auſteri, pontici delinquunt: vel, ubi 🜍 ſanguinis conſortio ſeri proportionato eget, ceu in maniâ, melancholiâ, affectibus ſoporoſis, hyſtericis, fixioribus hypochondriacis, item præcordialibus anxietatibus, paralyſi, obſtructione nervorum, epilepſiâ etiam, ubi non effrenis ebullitionis impetus in cauſâ eſt, & ſimilibus aliis nervoſi & venoſi generis vitiis, quæ liberum pororum meatum, & ſvaviter demulceri efflagitant. *uſus, eximius, tum ſibi relictorum,*

Licet autem combinatio ⊖is volatilis & °°orum ♌latorum aromaticorum, ut & 🜄, & ∽us ⊖lis ✱ci videatur, & hinc inde ſcribatur perdifficilis; attamen utrorumque, imò ſingulorum longè facillima eſt, ſi *tum ſi oleoſa reddantur,*

quis

quis naturam rerum exploratam habeat, neque tàm aſſertis autorum, vel terminorum luſibus nimis inhæreat.

quod facile eſt, duobus modis

1. Si enim recipias v. gr. ∽um ⊖ ✱*ci* per ſe coagulatum, ſeu cryſtallos ejusdem, in fundo vitri ſenſim & ſenſim ſubſidentes, vel quoque ipſum ∽um ſeu ⊖ volatile aquâ non ſolutum, (quid enim aliud eſt hic ∽us, quàm aqua ⊖le volatili inebriata?) v.gr. p. ij. ꝏ*ei aromatici*, aniſi, caryophyllorum &c. p. ꞵ vel j, & ubi miſta per pauxillum temporis ſpatium ſteterint, addas 🜈 *rectificati* q. ſ. v. gr. p. iiij vel vj leni digeſtione ſtatim miſcentur, ut vel per ſe diſpenſari eadem poſſint: vel, quod melius, in uſus longè nobiliſſimos per ✱cum Ωlata hæc omnia aſſerventur.

Hoc modo intra ſemihoram ferè hæc conjuncta exhibere licet, & perſpicere theſeos vim, quod ∽ ⊖lis ✱ci coagulet 🜈, id quod uti apparet quidem in rei veritate, ita facillimum judicatu eſt, unde hæc fiat coagulatio & quantum illi ſit tribuendum.

2. Quin, ut faciliori operâ & ſumtibus hæc confiant, ipſum ∽um ⊖lis ✱ci aniſatum, aromaticum, hypochondriacum utcunque expetatur, reddere jam facillimum erit ſimplicium ipſorum acceſſione, modo non percellaris prædicto coagulationis fulmine.

etiam in vegetabilibus,

Ex vegetabili ⊖le volatili id obtinetur quàm facillimè, ſi poſteriori hoc modo aromatica addantur ꝏoſa & unà cum 🜈 juncta Ωlentur: neque priori omninò res erit fruſtranea, præcipuè, ſi diligenti abſtractione concentratum fuerit ⊖ volatile; minus tamen poteſtatis in olea Ωlata habet idem, tenerum ac delicatum quod diximus, quàm ∽us ⊖lis ✱ci.

mixta cum aliis.

Miſceri hinc idem poteſt ⊖ volatile ꝏoſum cum eſſentiis, & ℞is aromaticis ac balſamicis, magno cum effectu, inde enim medicamenta emergunt longè utiliſſima, &, ſi qua alia, feliciter ſe in variis morborum ſpeciebus gerentia.

Conferri hîc poſſunt, quæ in eandem rem commentatus eſt perſonatus ille, ſed doctiſſimus *Leonicenus, metamorphoſ. Apollin. & Æſculap. pag. 29. & ſeqq.*

☽ ex plantis,

Memoriam hîc ſubit, quod *excellentiſſimus D. D. Tackius* ante aliquot annos, cùm de experimento noſtro ſermones invicem cæderemus, nobis retulit, quendam parare ex herbis nitrum, inflammabile, ut commune, exſtare etiam ⊖ia volatilia ex plantis Ωlandi modum apud *Fernelium libro de abditis rerum cauſis*, quem ipſe fecerit aliquoties. Deſcri-

Q. E. Ferneliana,

bitur

bitur modus hic ſub titulo *quintæ eſſentiæ*, in quâ maxima ſit proprietatis efficacitas, *locò citato cap. 18. pag. 264.* Primum, *ſcribit*, è re ſubjectâ aquam lento vaporario prolectant, hâc deinde feces reſpergunt, ut ſecundò humorem eliciant, ſicque ſeptenâ reſperſione & exſpiratione feces torreri non ſinunt, & ex his vim facultatemque omnem exhauriunt, aquæ, maximeque aſſidenti oleo innixam, quæ ad multa utilis accommodataque ſit. Quin etiam exceptas aquas vaſe pelicani effigie multâ agitatione anfractuque longo circulant, quò hæ vires ſortitæ efficaciſſimas in quintæ illius eſſentiæ naturam vix ulli corruptelæ obnoxiam faceſſant.

Referri etiam huc meretur primum ens plantarum, quod deſcribi- *primum ens plantarum.*
tur à *Febure, vol. 1. pag. 303.* aliaque hinc inde ſparſim tradita, inprimis, quod *Arragoſius* ad *Cratonem* ſcribit *epiſt. 55. p. 73.* ex ℔j. SVi, quantum- ⊖ *volat.*
vis rectificati vix ʒß. ſpiritum concretorum, ſeu ⊖lis volatilis extrahi, SV *i.*
reliquum verò aquam inſipidam eſſe, ex quo lucem acquirere poſſunt, quæ *part. 1. cap. 5. p. 41.* ſcripſimus; ſed tempus jam eſt, ut colophonem hiſce imponamus.

Finiemus verbis *Polybii lib. 12. hiſtor.* ἡ πολυπραγμοσύνη πολλῆς μὲν προσδεῖται ταλαιπωρίας, καὶ δαπάνης, μέγα δέ τι συμβάλλεται, καὶ μέγιστόν ἐστι μέρος τῆς ἰατρικῆς. *Illa rerum curioſa inquiſitio*, quam ſuopte Marte facere aliquis inſtituit, *magnis conſtat laboribus, magno ſumtu; cæterum ad medicinam multum confert, atque adeò pars illius eſt potiſſima.*

DE SPIRITU MUNDI POSITIONES ALIQUOT

D. J. B.

1. Magnale eſt creatura omnium excellentiſſima, media inter corpus & non-corpus, in aëre à creatore poſita, ſine quâ neque firmamentum, neque elementum, neque homo ipſe aut ulla alia creatura vivere aut conſervari poteſt. *Paracelſ. Paramir. d. Ente Aſtroz. c. 6. 7. Fragm. ad Param. p. m. 233.*

Propter hanc prærogativam dicitur etiam *Magnale Magnum* apud Paracelſ. *primum Ens creatum*, ortum habens à ſummo bono; Chaos omnia ſuſtentans, quod continetur in aëre, ut habet T. 2. d. elem. aëris l. 1. Propter hoc magnale l. d. peſtilitate p. m. 339. de conſerv. rer. natur. c. 4. aër dicitur ſpiritus vitæ, immò ipſa vita majoris mundi, quæ nihil aliud eſt, quàm eſſentia quædam ſpiritualis, res inviſibilis, media inter corpus & non-corpus, cujus eſt conjungere animam cum corpore, quam Platonici animam mundi, & Cornelius Agrippa mavult dicere quintam eſſentiam, cujus ſpiritus juxta Philoſophos ſolus poteſt aurum magiſtraliter corrumpere, & in ſui primam materiam transformare, hoc eſt, perfectisſime volatiliſare, & in ſpiritualitatem transmutare. *Clangor Buccinæ.*

2. Quod Paracelſus per magnale, id Baſilius Valentinus intelligit & exprimit per ſpiritum ☿ij.

Quia huic ſpiritui ☿ij eaſdem proprietates, idemque ſubjectum ſeu habitaculum attribuit. In eo namque reperiri omnia, quæ Philoſopho ſunt neceſſaria, aſſerit de nat. & ſupernat. c. 3. de ſpir. ☿ij & ibid. c. 2. Quod natura dona ſua profundiſſimè occultata concredidit ſpiritibus ſupernaturalibus igneis, qui continentur in aëre ac in aqua & terra naturaliter quieſcere & operari deſiderant. Quo ipſo cum Paracelſo accuratiſſimè conſentit.

3. Eſt autem ſpiritus ☿ij eſſentia ſpiritualis, in aëre hinc inde circumvolitans, prima radix metallorum & mineralium, quâ omnia metalla & mineralia in ſuam primam materiam reſolvuntur, homines & animalia renovantur, omneſque omninò morbi curantur. Baſil. c. 3. l. c. & p. m. 34. 35. 44.

Hic ſpiritus ☿ij balſamicus alias dicitur ignis naturæ, ignis ſpiritualis ac inviſibilis, & Ciceroni de Nat. Deor. vitalis ac ſalutaris, qui omnia conſervat, alit, auget, ſuſtinet, dum mediante aëre per totum univerſum diſperſus ac diffuſus tanquam occultus vitæ cibus (ut ait Sendivogius) ab inferioribus attrahitur. Hic ſpiritus eſt res una, ſive monas illa Hermetis, à quâ omnes res natæ ſunt adaptatione (συναφεία) hoc eſt attractione magnetica, & veluti nexu quodam connubiali ex vi Græcæ vocis. Atq; in hoc nec Paracelſus, nec Baſilius quicquam ab Hermete veridico diſcedunt.

4. Spiritus ☿ij Avicula Hermetis, etſi in aëre inviſibiliter circumvolat, in aquâ & terrâ naturaliter quieſcit, tamen in elementis quærendus non eſt, quia elementa jam eum produxerunt, & viſibiliter

ob

ob oculos poſuerunt, in una tantùm re valdè cognita. Baſil. de nat. & ſupernat c. 2.3. d. Magn. Lap. p. m. 37.

Baſis ac fundamentum totius operis Philoſophici conſiſtit in cognitione ſubjecti viſibilis & corporalis, quod hic ſpiritus inviſibilis, incomprehenſibilis ac cœleſtis ſibi tanquam domicilium elegit. Multis placuit ros majalis, qui habetur pro aëre coagulato, & à Fratre Ulmanno expreſſè dicitur nihilum Philoſophorum. Sic Nollius in rore majali deprehendit diverſa ſalia, ſuaviſſimum ſpiritum & oleum fragrantiſſimum, quod ſolo odore infirmos ac morti vicinos mirabiliter recreare potuit. Dötardingus in ſuo de auro potabili Tractatu, conſtanter affirmat, ſe mediante ſale volatili roris majalis diſſolviſſe ☉m, non ſecus ac glacies diſſolvitur in aquâ calida. D. Johannes Wolfgangus Dienheim ex aquâ pluviali præparavit medicinam univerſalem, quâ ſibi egregiam laudem & dona ampla comparavit, uti teſtatur proprio Tractatu. Nonnulli cum Drebbelio viſitarunt interiora terræ, quod didiciſſent ex Alſtedio, omnem terram & aquam continere in ſeſe igniculos illos, quos quærunt veri Philoſophi. Sed, quia, ut audivimus à Baſilio, alia reperitur viſibilis materia, & aliud ſubjectum, quod præ omnibus aliis maximè eſt imprægnatum ætheris igniculo, qui cornu copiæ habetur, hâc in parte præeuntem ſequamur Baſilium.

5. Principium animæ, ſpiritus & corporis ☿ij Philoſophici, ſeu prima materia magni lapidis, non eſt argentum vivum vulgi, neque antimonium, ſed eſt & dicitur Magnes & aureus Magnes, in quo latet reſolutio omnium metallorum, coagulatio & fixatio, omniumque morborum curatio, & eſt ſpiritus & corpus, qui corpus ſolis tingit in medicinam plusquam perfectam. Baſil. repet. p. m. 128. Curr. triumph. p. m. 220. de nat. & ſupernat c. 3. 4. 6.

Ab hoc opere meritò excluduntur argentum vivum vulgi & ♁, hoc propter impotentiam, illud verò, quod jam in corpus metallicum à 🜍 ſuo interno ſit coagulatum. Corpora autem in corpora non agere, notum eſt, nec reſolvuntur mineralibus, quæ à Baſilio pro immaturis habentur metallis. Unde facilè apparet, Mercurium Philoſophorum, cujus ſpiritum hactenus Baſilius ita commendavit, nil eſſe aliud, quàm *Sal* quoddam *minerale*, dictis proprietatibus à creatore dotatum, quoniam ſal eſt principium ſolutionis, coagulationis & fixationis metallorum, quæ proprietates inter alias tribuuntur ☿o Philoſophorum. Idem monere voluit Sendivogius in epilogo, dum inquit: Omnes eos errare à via veritatis, qui extra hoc ſal noſtrum, quod ☿ eſt, operantur in vegetabilibus & anima-

libus. Hinc quoq; non ſine cauſa Avicenna in Roſario inquit: Sales ſint radices operis tui. Immò omnes alchymiæ ſapientes antiqui (ut eſt in Roſario) poſtquam de ſolutione corporum multa dixerunt concludere de ſale (non quidem de quolibet, ſed de eo) quem dicunt *ſaponem ſapientum* (eo ipſo exprimentes naturam ejus ♀ream, ſapo enim conſtat ex ſale & oleo, ſeu pinguedine) & *claviculam*, quæ claudit & aperit, & iterum claudit & nemo aperit, ſine quâ clavicula dicunt neminem poſſe pervenire ad perfectionem ſcientiæ. Pone igitur mentem tuam (inquit Roſar.) ſuper ſalem, nec cogites de aliis, nam in ipſo ſolo continetur & occultatur ſcientia, & arcanum præcipuum & ſecretiſſimum omnium antiquiſſimorum Philoſophorum.

Quare & Paracelſus univerſali ſuo ſolventi, non potuit magis conveniens magisque appropriatum imponere nomen, quàm ſi ſal circulatum diceret. Patet ergò ex dictis, Baſilium in hoc aphoriſmo ſaltem deſiderare ſal quoddam ſulphureum & penitus ☿riale, atque vi magneticâ ſolari præditum, quod ſit vere ☿ii Philoſophorum natura. Quale verò iſtud ſit ſal, mox apparebit, ubi nonnihil ejus proprietatibus ex Baſilio hinc inde collectis ſumus dicturi.

6. Viſibile ſubjectum ſeu domicilium Mercurii Philoſophici, ſive aureus ille magnes Baſilii eſt

1. Una tantùm, vilis, omnibusque nota materia, à naturâ producta, non verò arte compoſita.
2. In ſe continens notabilẽ ac inſignem vim attractricẽ & magneticã:
3. Summam caliditatem, ſummamque frigiditatem.
4. Albedinem & rubedinem.
5. Et eſt rex & leo.
6. Draco & aquila.
7. Reſolubilis in liquorẽ ſuæ naturæ, in quo latet omnium metallorũ reſolutio, coagulatio & fixatio, omniumque morborum curatio.
8. Atq; in clave 3. à Baſil. occultatâ & tacitè conſignatâ. Baſil. de nat. & ſupernat. c.3,4.6. & magn. lap. clav. 10 p.m.122. & Cl.5.p.77. &c.

In præcedenti aphoriſmo dixi & demonſtravi, quod Magnes ille aureus nihil aliud eſſe poſſit, quàm ſal quoddam, quod habeat naturã ☿ii, ex quo tandẽ liquor ſuæ naturæ id eſt, ☿lis, prima metallorum & mineraliũ radix, ab ingenioſo artifice ſit præparandus. Reſtat jam ut dicam, *quale illud ſit ſal*, Nam in quocunq; ſale poſſunt demonſtrari omnes hæ octo proprietates, illud neceſſariò erit Magnes ille aureus, & ſpiritus ☿ii domicilium. Dantur verò tria ſaltem ſalia in regno minerali, quæ ſunt maxi-

maximè activa. Sal commune nempe, vitriolum & nitrum. Sal armoniacum verò, quoniam factitium eſt, atque ſic primam proprietatem & notam nullatenus ſuſtinet, merito excluditur: & ſi ſuſtineret, atque ſic verum & nativum ✻ ad manus noſtras perveniret, easdem tamen juxta Baſil. cum ſale communi poſſideret vires. Præcipua verò proprietas eſt ſolvere omnia metalla, quod per ſe & ſine admixtione ſpiritus ⦶tri, neque Sal commune, neque ✻ ⊖lum unquam præſtare potuerunt. Nunquam enim adducar, ut credam vitriolo communi tantam ineſſe vim ac efficaciam, illudque per Veneris ſtatuam à Baſilio Clav. 5. repræſentatam eſſe, intelligendum: Sed, quoniam Baſilius eſt Philoſophus & Poëta excellens, eo ipſo non communem, ſed Philoſophicam Venerem, tanquam hujus noſtri Magnetis aurei matrem, ex veterum Poëtarum monumentis in ſcenam producere voluit, ut infra patebit ex Explicatione hujus Clavis. Reſtat ergò tertium, nempe Sal nitrum, cui uni, ſoli, & ſemper omnes hæ proprietates quàm exactiſſimè convenire, ſequentibus demonſtrabo.

1. Nitrum eſſe rem unam, vilem, omnibusque ferè notam, à naturâ productam, extra omnem eſt controverſiam, ideoque nullâ eget probatione.

2. Hinc ſi quis vellet negare vim magneticam, is contradiceret rationi & experientiæ. Sendivogius *tr. 9. Epil. & Parab.* nitrum vocat metallum & chalybem (fortè quia in tenuiſſimas lamellas fuſum, inſtar metalli tinnit) quod reliqua metalla conſumit, & veluti eorum fit aqua & mater. In Parab. dicitur magnes, qui reperitur in ventre arietis (per ventrem arietis ſubintelligens terram pingvem ac fertilem tempore veris, ut ipſe explicat l. c. clementia cœli imprægnatam, ad gignendum mille fœtus.) Talis terra fertilis veteribus dicta fuit Venus, hortorum ac veris Dea. (quod notare voluit Sendiv. in parabola tr. de 🜁r. & poſt Marſilium Ficinum Pierius in Hieroglyphicis :) Venerem quoque eandem eſſe Deam cum Cerere affirmat Ptolomæus in ſua de Oſiri & Plutone diſputatione. Hoc ipſum & nihil aliud Baſilius Val. Cl. 5. per Veneris ſtatuam repræſentare voluit, nempe terram fertilem atque fœcundam. Uti enim meretrix omnium virorum concubitus appetit, & admittit, ita & hæc terra omnium rerum ſemina & formas, præcipuè tamen fœcundos imbres tempore veris concupiſcit, atque ita ad generandum excitatur. Ex hujus corde, tanquam officina ſpiritûs vivifici ac ſalutaris, id eſt, ex ſale nitro terræ omnis fertilitatis cauſæ,

 bene-

beneficio Vulcani ſufflantis propellendus eſt ſpiritus ille vitalis, non ſolùm 7. roſarum, id eſt vegetabilium ſed & mineralium, itemque & leonis apprehendentis, id eſt animalium genuinum ſuſtentaculum ac nutrimentum, quòd leo, id eſt, aurum elevato pede quaſi prehendere, innatâque & magneticâ proprietate ſibi aſſimilare intendit, unde nitrum à Baſilio non immeritò dicitur Aureus Magnes. In officinis enim aurifabrorum didici, nitrum etiam crudum in ſe continere tincturam ac ſpiritum auro familiariſſimum atque gratiſſimum, eo quod auro pallido cum aqua illitum in parvo igne illud amicabili tinctura ſanguineoque rubore perfundere potest. Hanc meam ſententiam confirmare videtur Baſilius, quoniam in explicatione Clav. 5. omninò nihil dicit de venere communi aut vitriolo, cujus ♀ aliàs ad aſtra uſque extollit, ſed totus ejus ſermo eſt de Terra, ejusque ſpiritu vitali, qui reſidet in corde ejus, h. e. in ſale nitro terræ, ex quo omnia, quæ extra terram & in terra naſcuntur, tàm vegetabilia quàm mineralia, ſuam hauriant virtutem, augmentum & nutrimentum. Ipſe verò ſpiritus ſuum nutrimentum, quod merè eſt ſidereum ac cœleſte, ſibi haurit & attrahit ex rore cœleſti, ut habet Baſil. Cl. 5. Hinc Sendivog. tr. 4. nitrum dicit Magneſiam, quæ attrahit ſibi Mercurium aëris, qui ipſi in omnibus eſt ſimilis. Hoc nutrimentum ſidereum & cœleſte, ſive Mercurius aëris eſt alter ille Magnes ſeu chalybs (eſt enim unum & idem in epilogo) qui ſummè volatilis, aureus ac inviſibilis eſt, & portatur in ventre venti, ejusdem tamen eſt naturæ & originis cum eo, qui continetur in ventre arietis, & Sendivogio dicitur Sal nitrum Philoſophorum, quod modo mirabili ac magneticâ virtute attrahit ex Sole & Lunâ id, quod noſtri operis eſt initium, (ſcilicet ſpiritum & ignem vivificantem) atque mediante aëre humido, rore ac etiam pluviâ, deſcendit in terram, & quærit Sal nitrum terræ, à quo etiam, ut fit in Sale Tartari, attrahitur, quia Sal nitrum terræ ante ſui congelationem etiam fuit aër (ſeu Sal aëreum & aſtrale) ſicque Sal à Sale magneticè attrahitur, viſcoſitati terræ admiſcetur, omnisque fertilitatis cauſa habetur. Terra namque fertilis aliàs, ſemel aquâ calidâ elixiviata, ſuoque Sale nitroſo ſpoliata, nullos profert fructus, donec longo tempore aëri, rori ac imbribus expoſita novum Salis nitri Philoſophici ſibi attrahat copiam. Terra quoque nitroſa, etiamſi à nitri coctoribus ſit omni Sale ſpoliata, tamen poſt certum tempus libero aëri expoſita, inviſibile ac volatile Sal nitrum ex aëre iterum attrahit, coagulat, ſicque ſuis poſſeſſori-

bus

bus theſaurum inexhauſtum præbet, quod hâc vice erat demonſtrandum.

3. In nitro eſſe ſummam caliditatem, id eſt, ſpiritum infernalem, quo non datur calidior in totâ rerum naturâ, ut teſtatur Baſilius, ipſumque ignis arcanum, quod Helmontius deſiderat, ad leproſorum venenum glaciale reſolvendum, l. d. Lithiaſi, omniaque mixta diſſolvenda: Summamque frigiditatem, ut etiam Saturni excedat, imò penitus glacialem, ut expreſſis fatetur verbis Baſilius de Mag. Lap. p. m. 164, 239. ita ut etiam aquam moderatè calidam, intra dimidium horæ ſpatium mediâ æſtate congelare queat in glaciem, unde non immeritò Sal miraculoſum nominatur. Idem quoque videre eſt Clav. 2. ubi jubet ex frigido dracone, id eſt, nitro expellere, ſpiritum volatilem igneum, atque ſic duas has proprietates luculenter exprimit.

4. Albedinem nitri nemo unquam negavit. Depuratum enim ſplendeſcit inſtar Alabaſtri, & in figuras varias formatum, non minus nitidas ac puras exhibet, ac ſi ex albiſſima cera forent. De rubedine teſtabuntur omnes Chymici, ſpiritus enim ejus dum deſtillatur, ad modum flammæ penetrat, in ſuppoſitum vas recipiens, facitque inibi reflexionem, qualem ſol, quando veſperi ad occaſum properat, rubicundiſſimo colore cœlum tingit.

5. Regis ac leonis nomine Philoſophi denotant omne illud, quod in ſuo regno eſt præ cœteris excellentiſſimum ac fortiſſimum. Quo ſenſu in Chymicorum officinis circumfertur aqua mineralis, & propter præeminentiam ac fortitudinem inſignem aqua Regis dicta, quod ad nutum ſuum omnia metalla regat ac domet, etiam metallorum Regem, i. e. Aurum, unde & aqua ſtygia & infernalis, propter igneam ſuam naturam appellatur. Sed longè aliud hoc nomine Philoſophi occultârunt. Dicitur enim Aqua Regis, non propterea tantùm, quod metallorum Regem, i. e. aurum corrodat & disſolvat, ſed quod ſit revera Aqua Regia, i. e. omnium aquarum excellentiſſima, atque ex ipſo auro Philoſophico compoſita. Aſſertionem hanc probat Baſilius Cl. 3. ubi ait: Aurum vulgare non deſtruitur, niſi Rex, i. e. Aurum, ſuæ aquæ ſolventi, aquæ Regis ſcilicet, fortem vim ac potentiam, ſuique proprii coloris clavem addicarit. Quaſi diceret: Aurum non poſſe ſolvi, niſi proprio diſſolvente, hoc eſt, aureo, ſeu auro ſpirituali ac Philoſophico, in quo conſiſtit fortitudo, forſan & ſanitas Regis, i. e. Auri, quam deſiderat & requirit. Baſilius, in ſua aquâ diſſolvente Regiâ. Hanc autem

aquam

aquam componere docet ex duobus pugilibus ſeu materiis invicem contrariis, ſale nitro ſcilicet, & ſale armoniaco. Quia verò ſal armoniacum ſuperius ab hoc opere omninò tanquam artificiale excluſimus, etiam propter ſuam debilitatem, neceſſariò ſequitur, ſal nitri eſſe illud, quod aquæ Regis vulgari tribuit clavem proprii coloris Regii, fortemque vim ac potentiam; atque ideò ſit fortitudo fortis, ſeu leo, ſolvens aureum, aurum ſpirituale & Philoſophicum, & ipſe Rex, unde Regis, i. e. auri vulgaris dependet fortitudo, fortuna & ſanitas, ut philoſophatur Baſilius.

6. Etſi Philoſophi ſuo ſubjecto infinita propemodum impoſuerunt nomina, tamen Baſilius non digniora & magis appropriata nomina invenire potuit, quibus nitri dignitatem, potentiam atque virtutem exprimeret, quàm *Draconis & Aquilæ*. Quemadmodum enim *aquæ Regis vulgaris* componitur ex Dracone & Aquila, i. e. ex nitro & ſale armoniaco, tanquam ſale fixo & volatili, ita & *aqua Regis Philoſophica* in ſe continere debet naturam fixi, i. e. Draconis in terræ ſpeluncis habitantis & volatilis, i. e. Aquilæ, ſed utramque Mercurialem, ſitque reverà *Mercurius duplicatus & Hermaphrodita*. Quod verò Draco ſit ſubſtantiæ Mercurialis, patet ex *Baſil. in Repetit. p. m. 147.* Utraque verò hæc ſubſtantia Mercurialis datur & demonſtratur in nitro, quid ni ergò ipſi jure imponendum eſt Nomen Draconis & Aquilæ. Idem dixiſſe digitoque demonſtraſſe videtur Baſilius in Schemate, quod præfixit tractatui de magno Lapide p.24. ubi mirabilitatem naturæ ob oculos ponens, nitrum aſſociavit Mercurio, nullam certè aliam ob cauſſam, quam ut doctrinæ filii naturam nitri Mercurialem ſeriò inculcaret, immò quod Baſilius per figuras docuit, id nitrum de ſe ipſo loquens *l. c. p. m. 105.* expreſſis verbis fatetur, dum inquit: *Cum Mercurio in omnibus convenio: Rationibus ſi quis non eſt contentus, ad experientiam & fornacem is accedat, ibidemque diſcat, quomodo ex crudo nitro, ſine additione poſt ſeparatam aquoſi ſpiritûs particulam, ex cucurbitâ terreâ ſublimetur ſal quoddam albiſſimum volatile, omnis corroſionis expers, & fuſionis celerrimæ;* Quæ operatio etſi Philoſophica non ſit, ſufficiens tamen eſt ad id, quod hâc vice erat demonſtrandum, nempe in nitro contineri ſubſtantiam, ſeu Sal volatile & Mercuriale ſeu armoniacum, quod dicitur Aquila. De *figendi potentia*, quæ eſt in nitro, nemo mihi, ut ſpero, movebit litem, cum omnibus jam ſit cognita, quoniam ejus beneficio antimonium

um Mercurius, arſenicum &c. ita cicurantur, ut igni asſueſcant, & tandem maximam ignis procellam ſuſtineant.

7. Quoniam ſufficienter demonſtratum, totum *Nitrum eſſe Mercurium*, non poteſt non in ejus analyſi ſe iterum manifeſtare liquor ſuæ naturæ, nempe Draconis & Aquilæ, i. e. Mercurii, de cujus proprietatibus nullatenus dubitandum; Juxta *Baſil. enim in repet. p. m. 165.* nulla absque nitro datur ſolutio metallica, in eodem quoque omnibus nota eſt fixatio. Deinde & contra peſtem ab *eodem citato loco* morbum aliàs pernicioſisſimum, commendatur, unde meritò concludere licet, *Nitrum eſſe verum ſubjectum catholicum, unde præparandus liquor & diſſolvens univerſale Philoſophicum & Mercurii ſpiritus.*

8. *Clav. 3. Baſilius* agit de ſolutione ſulphuris, ſolis jam præparati, quæ fit beneficio alicujus menſtrui ſolventis, absque ulla violentia vel corroſione, quod ſe tacitè conſignaſſe in eâdem *hâc Clave* fatetur. *Item in Repetit. p. m. 130.* in hâc Clave omnem totius picturæ ferè abſolvit & occupat Draco quidam alatus, i. e. Nitrum volatile, cujus tamen in explicatione ne verbo fit mentio. Tacitè aliquid conſignare nihil aliud eſt, quam depingere. Nitrum verò multis in locis ab ipſo Autore dicitur Draco. Nitrum ergò eſt illud, quod totum facit in hoc artificio. Hanc explicationem Baſilii menti eſſe conformem patet *ex tract. d. magn. Lap. ſub finem p. m. 122.* ubi de prima materia Lapidis tractans, velut in ſpeculo oſtendit, Draconem alatum quidem, & repentem, i. e. duplicem ſubſtantiam, Mercurialem duobus circulis denotatam, quorum ſuperior cingit partem volatilem, inferior verò pedes, ſeu partem fixam; ex quo peracta duplici circulatione emergit Trigonus Philoſophicus, omnis perfectionis character, i. e. tria principia inſeparabiliter iterum unita, ac Paracelſi Sal circulatum, in formam liquidam ſeu aqueam reducibilia. Trigonus namque inverſus aquæ eſt nota Hieroglyphica, uti & ſerpentes teſte *Pierio.* Serpentes tamen non omnem, ſed tantùm Mercurialem aquam denotant, quod ſolus Mercurius ſuo caduceo circumvolutos habeat. In his autem, quæ jam dicta ſunt, mihi non ſolùm favet *Baſilius*, ſed & *Raimund. Lullius libro d. Intent. Alchymiſtar. c. 4.* ubi de aqua ſolvente agens, quam ex ⊖lo & ⦶tro componere docet, in hæc erumpit verba; uti vitriolum, ita & nitrum formatum & creatum eſt per naturam, ex propria ſpecie Mercurii, i. e. quatuor elementis mineralibus, ita ut eſt Mercurius. Et ex his ſpiritus ſeparatus & extractus, & in corporibus metallorum colligatus & conjunctus, dicitur propriè

Mercurius. Et ideò ex illis ſeparemus ſpiritum, qui valde eſt tumidus, qui eſt de natura cœli & ignis, & ſpiritus quintæ eſſentiæ, qui omnia corpora diſſolvit & corrumpit, & facit volare & aſcendere in aërem, in materiam & ſubſtantiam fumi & aquæ, ob ſuam magnam vim & naturam, quam tenet à cœlo, unde creatus & genitus eſt, in naturâ & ſpecie minerali, & ex forti Dracone calido, & toleranter compreſſus & illuminatus, per quem omne corpus metallicum & ſpiritûs componuntur, diſſolvuntur & digeruntur. *Hæc Lullius.* Quamvis verò eadem videatur affirmaſſe de ⊖lo, quod etiam ingreditur ſuam aquam ſolventem, factum tamen eſt, id pro more Philoſophorum ad ſeducendum incautos ac indignos. Non enim in ⊖lo reperitur natura Draconis & omnium corporum ſolutio, ſed in Solo nitro, ergò jure merito hoc encomium nitro unicè eſſe tribuendum firmiter teneo.

Ad laborem.

9. Ex materia prima educendus eſt ſpiritus, viſibilis quidem, aſt impalpabilis, qui iterum materialis factus & per media certa ab infimo ad ſummum gradum redactus, eſt radix noſtrorum corporum, & ☿ Philoſophorum, unde paratur liquoroſâ aquâ in noſtra arte. *Baſil. cl. 5.* & paulo aliter:

Materia prima in principio operis noſtri optimè eſt purificanda, deinde absque ulla additione ſeu admixtione ſolvenda, deſtruenda, in cinerem & pulverem redigenda, unde poſtmodum expellendus eſt ſpiritus volatilis albus, ut nix, & adhuc alius ſpiritus volatilis, rubeus inſtar ſanguinis, qui duo tertium in ſe continent, & ſunt tantùm unicus ſpiritus, qui largitur vires & vitam. Si ſciveris hunc ſeparare, habebis ſal Philoſophorum & oleum incombuſtibile veriſſimè, de quo ante me plura ſunt ſcripta. *Clav. 4. 5. 8.*

Paucis hic quidem Baſili9 abſolvit ſecretum, quod facit Philoſophum, cujus ſenſus eſt, ut prima materia ſeu nitrum ante omnia à ſuperfluitatibus mundetur, & ex eo ſubſtantia eliciatur, in qua non eſt ſuperfluum invenire, nec terreſtrem combuſtibilem, hoc eſt ſubſtantia unctuoſa & aërea, ſeu ſal volatile, in quo latet ſpiritus quintæ eſſentiæ, ut habet Clangor Buccinæ, idque fiat juxta præſcriptum *Lullii* in experimentis, ubi, omnium, qui unquam ſcripſerunt, ſub velamine ſalis Tartari volatilis, pleniſſimè hunc laborem tradidit.

Poſt-

Poſtquam enim terra cum aqua erit inſpiſſata & coagulata, ſublimatione iterum poterit aſcendere, ut habeamus terram, aquam & aërem, ſive tres iſtos ſpiritus, de quibus Baſilius, id eſt ⊖ 🜍 & ☿, aviculam & cinerem Hermetis, terram foliatam & verum ſal circulatum Paracelſi, quod nuda reſolutione, calore balnei ſolutum iterumque exaltatum, transeat in liquorem clarum, ſeu aquam noſtram Philoſophicam, quæ vocatur aqua ſapientiæ, in qua requieſcit ſpiritus quintæ eſſentiæ, qui facit totum, ex eo enim & de eo ſunt omnia neceſſaria. Nam ipſa corpora ſolvit ſolutione vera Philoſophica, ut convertantur in aquam, ex qua ab initio fuerunt, ut dicit Socrates.

Dn. ANDREÆ CNOEFFELII
Reſponſum ad Poſitiones
De
SPIRITU MUNDI,
Quod in ſe continet Reſerationem Tumbæ Semiramidis.

I.

AD Poſitionem I. de MAGNALI, quoad definitionem, ſtet ea ad mentem Paracelſi. Helmontio magnale eſt *theca in aëre, creatura inter corpus & non-corpus media*; plura qui vult adeat Helmontium ipſum Tract. Vacuum naturæ §. 21. & 28. Magn. Oport. §. 38. De Magn. Vuln. Cur. §. 151. Exactior deſcriptio poſſet eſſe ſequens: quod ſit *tenuiſſima pars omnium elementorum*, & cœli ſeu lucis ſolaris, & reliquorum aſtrorum, quæ in terræ viſceribus ſimul unita tranſit & mutatur in ſemen mundi, è quo prodeunt omnia, quæ naturaliter in ea fiunt.

Iſtud vero Magnale eſt duplex:

Unum *Fixum* & permanens, quod terræ ita eſt confermentatum, ut etiam ejus toti corpori inhæreat & partibus omnibus.

 Alterum

Alterum *volátile*, ſpirituoſè volitans per omnes mundi angulos, ut præſtet alimentum eis rebus, quæ fotu, irrigatione & alimento indigent, verus *ſpiritus* ☿*ii Baſilii* in aëre volitans. Hoc magnale ita conſtitutum ex ſpiritu luminis, virtute cœli, aſtrorum & reliquorum elementorum, an rectè vocetur ſpiritus mundi vel non, nil refert. Poſſet tamen hoc magnale aliqua ex parte comparari cum annulis Platonicis, catena Homerica Sineſii, divino latice & divinis illicibus. De quibus plura invenies apud Corn. Agrippam in libro de Occult. Philoſoph. præprimis titulo de Elementis Terræ. Eſt etiam ignis ſecretus Philoſophorum, ut patet ex Arteſio & Pontano.

Quomodo autem illud ſit diviſum aut diſtributum in tot varias ſpecies, & ex variis ſubſecutis fermentationibus & conjunctionibus, item mixtionibus, ſpecies rerum exinde conſerventur & producantur, pauciſſimis in ſequentibus, quantum ſcopo meo inſervit, attingam.

Spiritus hic Luminis eſt NATURA, à multis quæſita, originali nomine paucis cognita. Natura eſt, dico, vera Dei amanuenſis, qua Deus in inferioribus & ſuperioribus agit, quæ vult, & eſt verum motus & quietis principium, *vera ſubſtantia* corporalis, aſt quia inviſibilis & impalpabilis, ideo dicitur ſpiritus. De quibus plura invenies apud Fabrum in Panchymico.

Debet autem natura omnino corpus eſſe, utpote quæ ad fabricanda corpora naturaliter deſtinata eſt. Ut autem hic ſpiritus corporaliter perſpici aut cognoſci poſſit, adjunxit ei Deus corpus, in quo, tanquam in clariſſimo ſpeculo percipi & videri queat. Hoc *corpus eſt ſal centrale* rerum omnium, vel cujuslibet rei, & eſt incorruptibile, nec aqua nec ignis illud deſtruendi vim habent.

Propterea vero nihil impedit, etſi dicam, *corpus naturæ eſſe incorruptibile, & per conſequens ipſam naturam*, etſi individua & mixta corpora ſint alterabilia, hoc enim fit propter concreta accidentia, quæ mutantur, illæſo tamen ſale centrali; quod probat acervus graminum putrefactorum, ubi factâ totali alteratione & ſubſecuta combuſtione in fundo, cinerum manet ſal fixum & immutabile. Neque ignis id deſtruit; quo enim magis comburitur ſal, eò magis clarificatur, & ſpiritus ei inhærens luceſcit: Neque aqua; nam ſi in eâ diſſolvatur & coaguletur, clarior fit, & ſubſidentes cryſtalli, ſufficientiſſimè inſiti in ſe luminis in exiſtentiam ob oculos ponunt.

Habet autem natura in ſe tria, quibus quidem diſtinguitur, ſed abs-

que

que manifeſta differentia. In eâ enim eſt *I. humiditas* quædam, quam antiqui nomine ☿ii indigitant, ſicuti declarat *Sendivogius Tract. 3. d. prima materia metallorum. II. Caliditas*, quam nomine ſulphuris inſigniverunt, & III. Copula amborum, de quâ antiqui paucam aut ferè nullam mentionem fecerunt, quæ eſt *ſal*, de quo *Paracelſus in Theſauro Tom. 1. pag. 934.* omnia tamen in ſale quaſi concentrata conſpiciuntur. In his tribus conſiſtit generationis, nutritionis & conſervationis principium. Hoc ſal à *Nuyſement in Tr. de ſpiritu & ſale mundi p. 99.* & *Fabro Panchym. p. 80.* vocatur terra pura in centro terræ. Centrum autem terræ quæri poteſt in qualibet particula terræ.

Maximè autem hic notandum, ut mille objectionibus obviam eatur, etſi naturam ita definiverimus, propterea nos non excludere Principia activa ſpermatopoëtica, quæ neque calor & frigus ſunt, aut contemperatio iſtarum qualitatum inter ſe pugnantium, aut influentiæ ſolis & lunæ, & cæterorum ſiderum, *ſolùm*, nam aliàs quodlibet fieret ex quolibet, neque eſſet diſtinctio, inter principium & principiatum, ſed cum quodlibet compoſitum conſtet è ſpiritu, ſulphure, ſale, aquâ & terrâ, ſive ex materiâ, formâ & fermento, nec formæ rerum in ſe ſpecie differant, ſed numero, (quam differentiam ex fermentis conſtare *Rattray lib. de Sympath.* & *Willis lib. d. Ferment.* ſufficienter probarunt,) itaque paucis pro majori tantum elucidatione, actionis fermentorum, notanda ſunt ſequentia:

1. Fermentationis origo in materia elementari eſt *humida & calida natura*, influentiâ aſtrorum & cœli impraegnata. *Materia Fermentationis eſt ſal*, pro diverſitate materierum diſpoſitum & ſpecificatum, *illud verò volatile & fixum* ſicut apparet in tartaro, hac de cauſa notentur quatuor qualitates unius elementi, & quod unum mutari poſſit in aliud, ſcilicet quod jam jam eſt ſpecificatum in ſpecie certâ; e. g. ſi ſpiritus terræ exanimetur, ex eo obtinebis forti igne *Aquam*, ſed nebuloſam chaoticam: hac ſeparatâ *Aër*, ſive ſubtilis ſpiritus; eôparum putrefacto, *ignis* prodit, ſive ſal quoddam igneum, veram ignis in ſe continens naturam; reliqua *terra*, eſt cinerum terra ſicut tegularum. *Vera præparatio ſpiritus mundi.*

Procede cum aëre, præparato ſecundum ductum Stairicii in theſauro Heroum, & Burggravii in lampade vitæ & mortis, inſtrumento. Sic cum aqua pluviali omnia ad unum ſcopum tendunt. Hoc attento conſtat, quid voluerit *Baſilius Valentinus*, quando elementa ſic dicta indiviſibilia

ſibilia eſſe, unumquodque verò eorum alterius primam eſſe ſubſtantiam, aſſerere voluerit. Ubi obiter notandum, diverſitatem eam ſubſtantiarum ex qualitatum alteratione exoriri. Quomodo vero chimicè intelligendum, quod quidam Philoſophi quadraturam, trigonum & centrum, ſive circulum in unitatis numero collocata eſſe affirmarunt, partim ex allatis, partim ex ſequentibus patebit.

Unitatis numerus diviſus in tria regna, triplicem compoſitionis exponit; ad eam autem compoſitionem requiruntur iterum tres gradus, *animalia, vegetabilia & mineralia,* quodlibet horum ſingularē gradum obtinet.

Hæ tres differentiæ in duobus finiuntur, nempe in reſolutione & coagulatione, quæ iterum in tribus gradibus conſiſtunt, *aliter nempe ſolvuntur & coagulantur animalia, vegetabilia aliter, aliter mineralia;* generalis autem eorum *ſolutio* conſiſtit in ſicco & humido, *coagulatio* verò in frigido & calido: quomodo autem deveniant ad unitatis numerum, conſuli poſſunt Willis de Ferment. Beccherus de Metallurg. & in Oedip. & Faber. in Panchyn.

Notanter etiam dixi *Fermenti intrinſecam eſſentiam eſſe naturæ ſalinæ,* non tamen excludendo reliqua chimicorum principia, ſpiritum nempe, ſive mercurium & ſulphur, nam in ſale continentur; ſic neque aquam & terram, tanquam materialia principia, excluſas volo, ſed propter excellentiam agentis hoc facio, ſiquidem bene ſcio, quod pro diverſo horum in mixtis motu & proportione, rerum ortus & interitus, ac inprimis fermentationis rationes & varietates exoriantur.

II. Actio Fermentorum: agunt itaque res in ſe invicem, & *1. ſe mutuo adjuvant;* ut, ſi roſis allium applantetur, odor fit fragrantior.

2. Se mutuo ligant & ſolvunt: ut ſuccus braſſicæ vini potentiam inebriandi ligare dicitur.

3. Se mutuo, per fermenta, deſtruunt; uti in vite &. braſſica apparet.

4. Se mutuo transmutant; ubi notandum, transmutationem omnem fieri tripliciter:

1. Qualitates tantum mutantur manentibus figura & forma externa, ut, ſi napellus & mezereon in vineto implantantur, vinum ſuppreſſa qualitate vini fit particeps earum qualitatum, uvis primo communicatarum & venenatam inducit.

2. Transmutatio fit mutando formam & figuram externam, remanentibus quibusdam qualitatibus ſecundum magis & minus; ut, quando an-

ſeres

ſeres fiunt ex abiete, confer. *Conr. Geſneri Hiſt. Anim. l. 3. p. 107.* de Branta, & *p. 153. Olaum Magnum in Hiſtor. ſeptentrional. p. m. 481. lib. 19. tit. de mirab. generatione anatum Scotiæ*, forma & figura abietis perit, remanente ſapore & odore.

3. Transmutatio fit totalis, tam quoad formam & omnes qualitates, tam quoad figuram externam, ut quando cibus & potus mutantur in ſtomacho.

Notandum autem eſt, quando dicitur *formas mutari*, non intelligendum formas in ſe mutari, ut una ab alia ſpecie differat, ſed diverſificari actiones unius ejusdemq; formæ, ratione diverſorum fermentorum ſupervenientium. Dantur enim diverſa loca fermentorum in oriente, occidente, auſtro & ſeptentrione, in terrâ, in aqua, in vegetabilibus, animalibus & mineralibus.

Sic in particularibus locis dantur particularia fermenta; *Drepaṅi in Sicilia fertur aër eſſe adeò corroſivus, ut ferrum corrodat*, Schott. in Techn. Curioſ. l. 4. c. 1. præl. 1. §. 44. *Saſſafras in Florida, Radix Chinæ in China &c. creſcit:* Sic in homine pediculi & lendes, in vallibus lilium convallium, in tectis & tegulis ſedum, inter ſegetes frumentorum cyanus inveniuntur, neque omnia loca ſunt diſpoſita ad formanda metalla. *Ungaria* aurum; *Saxonia* argentum, *Sileſia* auri & argenti grana, *ſeptentrionales regiones* ferrum & cuprum, prout fermentum loci eſt diſpoſitum, producunt. De his omnibus pleniorem informationem ſubminiſtrant incomparabiles Præceptores *Rattray in l.c. & Beccherg in metallurgia.* Quibus omnibus præſuppoſitis, reſpondendum eſſe ad Poſitiones porrectas exiſtimo, & quidem ad primam & ſecundam affirmativè: Conveniunt enim Baſilius & Paracelſus in deſcriptione Magnalis. Ad tertiam diſtinctè ac cautè reſpondendum exiſtimo: negatur enim *ſpiritum Mercurii Baſilii ſimpliciter eſſe primam radicem metallorum*, ſed ſi quando ordinariis & competentibus fermentis ſpiritus iſte impræqnatus & ſuccis mineralibus inſitus reperiatur, tum demum acquirit nomen primæ radicis metallorum, uti patet ex *Baſilio Valentino de reb. ſupernat. & natural. c. 3. p. 40.* in verbis: *Vapor ſubtilis à ſideribus excitatus ſi conjungitur cum mercuriali ſubſtantia mineralium fit metallum, ſi autem ſpiritus Mercurii diſpoſitus eſt ad animalia vel vegetabilia &c.* Ex quibus exacta & ſpecifica fermentatio rerum eluceſcit, & quod prius debeat ſpiritus Mercurii confermentari aut conformari in metallicam naturam, antequam dici poſſit materia metallica.

Admo-

Admodum autem circa hanc poſitionem à recta declinant via plerumque horum ſeculorum Philoſophi, primam metallorum materiam quærentes, cum, neſcio, quam non ſibi perſuadeant, non obſtantibus tot genuinorum L. P. poſſeſſorum admonitionibus, qui unoore clamant, eorum mentem, & ſi loquantur de prima metallorum materia, quæ tantum vapor eſt, non eſſe, ut chimiæ operator ſit ſollicitus de acquiſitione primæ materiæ, ſed ſecundæ vel potius tertiæ ex prima ortæ & ſpeciali modo ad metalla diſpoſitæ. *Confer. Sendivog. Tract. 4. & 7. comit. Treviſan. l. 2. Baſil. Valent.* quando dicit: *in elementis ne quære lapidem, eo usque eum natura non repoſuit.* Plura infra.

Modo dicta his exemplis illuſtro; Ad hominem procreandum requiritur omnimodè ſemen humanum. *Cibus & ex eo chylus ſunt prima materia hominis*; verùm ſi aliquis vellet recipere chylum vel etiam chymum vel ipſum ſanguinem, ex eo tamen nunquam procreabit hominem, quicquid artis naturalis operam ad id collocaret, ſed requiritur, ut in vaſis ſpermaticis ſangvis diſpoſitionem ſeminis recipiat, tunc ex ſemine ritè diſpoſito poteſt progenerari homo. Sic ex nitro, aut etiam terra ſimplici, aut etiam ſpiritu univerſali, nemo, cujuscunque artificii magiſter ſit, *producet triticum vel avenam*, ſed requiritur ſpeciale à natura fermentatum & diſpoſitum ſemen, quod benè cultæ terræ inſeminatum ſuos fructus edit.

Ita etiam procedit cum metallis; Etſi quis habeat *mercurium & ſulphur antiquorum, primam nempe humiditatem & caliditatem*, qui concitarunt vapores operatione naturali, ex quibus aquæ minerales, &, ex illarum vapore (qui eſt duplicis naturæ) prima magneſiæ fundamenta GUR, ex GUR Matheſii primordium mineralium minorum, mediorum & majorum nempe metallorum, producuntur, neque tunc poſſet metallum conſtruere, quoniam & hoc opus eſt opus ſolius naturæ, ut affabrè exhibet *Crellius in Cabala Chymica, & Beccherus* in perdocta ſua metallurgia; ratio eſt, nam artifex, *dicente Flamello & Chortolaſſæo* in libro der groſſe und kleine Bauer / neſciret modum naturæ, num marcaſitam, num Talkum, aut aliud metalli vel mineralis genus exinde efformari velit, an vero ita materia eſſet diſpoſita, ut omnino metallum vel non minerale aliquod aliud exinde fiat; ad quod autem pertinet, ut ignis montanus vulgo der Schimmer und Glimmer materiam diſponant ad id, quod natura requirit. Huc pertinet monitum generale Philoſophorum omnium, quando ſatis vehementer monent,

ne ſemen in elementis neque in vegetabilibus, neque in animalibus, ſed in metallis quærant.

Non in vegetabilibus; nam quicquid ſeminaveris ſeminis, tale germen metieris, ex homine non fiet triticum, ſic nec ex vegetabili, qua tale, metallum.

Non in mineralibus; nam mineralia nondum ſunt metalla, neque ſcies, inquit Flamellus, *quantum natura mineralibus ſuccis opus habet ad formandum metallum*; neque, etſi eris ſupremus artifex, ita evades prudens, ut edocearis recipere ſufficientes liquores mineralium & ex iisdem facere ſemen metallicum. Itaque metalla tanquam ad opus à natura perfectum quærentes ablegant, *nam ſemen in metallis, non in particulari loco inquirendum eſt, ſed per totam ſubſtantiam metalli eſt diſſeminatum*, ex quo poterit naturaliter produci catholicus rex, ſive aurum, & non ex alio; *ſi itaq; ad aurum inclinas, ſemine*, inquit Augurellus, *auri opus eſt* vel tali corpore potentiali auri, quod mercurium & 🜍 metallicum jamjam incluſum in ſe continet. Nec obſtat quod ab aliquibus menſtruum hoc vocetur vegetabilis aqua: *non enim propterea dicitur vegetabilis, quod ex regno vegetabili ſit*, ſed quod habeat vim vegetandi, quæque aurum vegetare facit.

Tale autem ſemen metallicum requirit matricem convenientem, in quâ germinare poſſit.

In animalibus eſt matrix animalis: in *vegetabilibus*, ad ſemen promovendum terra. Tu ad procreationem hominis nihil magis confers, quam ut ſemen in matricem conjicias, reliquum relinquis naturæ humeris bajulandum.

Sic agis cum vegetabilibus. Semen projicis in terram; terreus liquor ſale volatili imprægnatus, ſolvit corpus ſeminis; natura autem in ſemine incluſa operatur & mediante terræ ſucco & pluvia, quæ ſibi naturali inexiſtente ſuapte fermentatione in ſuccum & ſanguinem convertens, ſuum ſibi ſimile producit.

Sic matrix metallica eſt mercurius Philoſophicus, in metallis quidem adhuc liber, in forma ſalis volatilis (*vid. lucerna ſalis Philoſ. Fil. Sendivog.*) progrediens, in quem inſeminatur aurum commune vel naturale. De cætero nihil debes addere, ſed videbis eundem in aurum agere, illud reſolvere, & ſemen ejus nullo alio, niſi blando ignis calore opitulante frugiferum reddere. Ad inveniendam vero talem matricem *Baſil. Valent. l. d. Prætern. & Natural. c 3. p. m. 41.* exhibet medium; quan-

quam ſecretiores adhuc proximius ſciunt. Flamellus ex omnibus metallis hoc poſſe obtineri, ſe autem illud ex auro elaboraſſe teſtatur. *Plura vide in Roſario Philoſoph. Tom. 2. artis aurif. p. m. 181. 182. 183. tota ibi legitur operatio.*

Autor Tumbæ Semiramidis octavum ponit, & dicit, eſt adhuc unum in regno metallico mirabilis originis, in quo aurum noſtrum proximius eſt, quam in communi auro & argento, ſi illud in hora nativitatis ſuæ (ſive ſphæræ) naturali quæras c. 1. p. 5. Explicat hoc *Beccherus in metallurg. p. m. 309. 310. & Arteph. p. 11.* & *Paracelſus l. Vexat. regula 5. p. 928. L. B.* & *libro de vita longâ Latinè conſcripto p. 850. c. 6. L. B.* 1. integer proceſſus apud *Batsdorf.*

4. Ex his præmiſſis ſponte ſua cadit propoſitio quarta. Nam omnes citati iſti Philoſophi potuerunt obtinuiſſe ex pluvia, rore, ſpiritu terræ, medicinam univerſalē, ſed non ſequitur, eos ex iiſdē confeciſſe L. P. nam ad corpus humanum ea nominata medicamenta, ut à fermento ſtomachico facilè poſſint commutari, ſunt diſpoſita, ſed commutare metalla, in eorum potentia non eſſe ſitum, ſuperius demonſtravi. Plenius hoc deducit *Batsdorf. in filo Ariadn. p. 2. p. 143.* & *160.* iſti Domini non obſervarunt, quod dicit *Bernh. P. 2.* p. m. 156. quod nulla res quæ non ex metallis compoſita ſ. orta, potens eſt, ipſa perficere ſeu eorum transmutationem facere novam, & *p. 59.* rationem ſubjungit: quicunque enim ignorat radices minerarum & ſimplices & compoſitas ignorat principia naturæ, ergo & artis, & p. 94. & 89. Quia damno meo experimentum feceram, materiam Lapidis in metallis quærendam eſſe: quæ de ſeipſo loquitur Bernhardus. Majoris momenti informationem invenies P. 2. ejusdem libri p. m. 94. in verbis: Darumb folget aus dem/ wenn nun die Natur: & p. 130. verba Magiſtri Johannis de Mœnu probe obſervanda. Nullum enim, quod metalla non ingreditur, eisque commiſcetur, & quod cum eis in igne & fluxu non permanet, illud non poteſt ea alterare vel corrigere vel eſſe eorum naturæ. Obſtat enim Geber, qui dicit; nihil vidimus in igne perſiſtens, *niſi viſcoſam humiditatem metallorum* (NB. quæ à natura usque ad formam metallicam eſt redacta) v. g. viſcoſa humiditas auri manet cum auro in fluxu & ei commiſcetur; è contra requirit nitrum, pluvia, ros, varios gradus antequam ad metallicam naturam & auri formam transformentur vel fermententur.

Etſi vero objiciatur, aurum mediante ſale roris majalis inſtar glaciei eſſe ſolutum (quod tamen non conceditur,) quæritur tamen 1. an

ſolvens

ſolvens & ſolutum ita manſerint unita, ut in ævum nulla ſeparatio fieri potuerit, quam tamen requirit L. P.

2. *Solvens & ſolutum debent eſſe homogeneæ naturæ.* Qualis ſit hic homogeneitas, judicent, qui ſciunt, tria diviſa regna. Ipſe Nuyſement tract. de ſpir. & ſale mundi medicinam univerſalem ſe acquiſiviſſe ex terræ ſpiritu gloriatur, ſed ad projectionem pertingere non potuiſſe, ſatis apertè affirmat, ut taceam quid mihi obtigerit.

3. Porro ſi quæratur, quæ ſit forma L.P. reſpondetur eſſe formam auri exaltatam magisque perfectam. Poſſe autem nitrum vel pluviam aut rorem aurum eousque in perfectionem redigere cum nulla nota ſulphuris aut mercurii metallici eis inſit, valdè dubito; quid, quod nitrum & ſpiritus terræ coagulatus in fluxu etiam auro ſupernatet, non vero commiſceatur, quod norunt illi, qui viderunt, ſed de his poſtea.

4. His præſuppoſitis nego poſitionem quartam, nempe baſin totius operis conſiſtere in cognitione ſubjecti viſibilis & corporalis. Nam allegati autores quidem de univerſali corpore ſpiritus mundi vel naturæ, quod putant eſſe ſal aëreum, locuti ſunt, propterea vero ejus cognitio fundamentum artis nunquã fuit; quin potius à via regia in bivium collocati ſunt, non attendentes rerum variam digeſtionem vel fermenta, unde univerſaliter progrediendo, amiſerunt particulare, quod eſt SPIRITUS MUNDI IN METALLICAM FORMAM TRANSMUTATIO.

Matrix vero mineralis ſ. ſal metallorum, vel vapor potentialis metalli Riplæi, ſunt baſis & fundamentum. Baſil. Valentini verò materia viſibilis igniculo ætheris imprægnata videri poteſt *l. 1. d. generat. metallor. c. 1. de liquore æthereo c. 2. de ſemine in elucidatione clavium part. 3. p. m. 179 item Lit. DD. in concluſionibus.*

Sed quid juvat noſſe ſubjectum viſibile, cum præparatio ita ſit difficilis, ut nulli, niſi ex parte Dei, reveletur, teſte Avicenna. Bernhardus comes allegat ſe noviſſe, qui materiam bene cognitam habuerunt, nec tamen propter defectum præparationis potuiſſe ad Elixir pervenire, citante Batsdorfio.

Nimis multum prædicti Autores confidunt nitro, cum tamen expreſſè Paracelſi & aliorum textus eos refutent. *In tinct. Phyſ.* nominat leonem rubeum, den rothen Lewen vielen genandt und wenigen bekandt *p. 922. in Theſauro Theſaur.* minerale invenitur in viſceribus terræ, in externa facie cum figura mundi inſignitum, in prima coagulatione rubeum. *In ſecreto magico Tom. 2. p. 679.* vocat ſpiritum mercurii ſolis, *in tract. lu-*

men Naturæ p. 683. ſpecialitatem diſpoſitionis mercurialis deſcribendo: Mercurium ſolis, pro fundamento transmutationis ponit. p. 984. totum proceſſum candidè deſcribit & materiam mineras ſolis & lunæ ſpecificat. *Baptiſta Groſſchedel* aliam facilè parabilem materiam deſcribit, quæ in ejus tractatu videnda & legenda. Sed nunquam *Paracelſus* nitro illa tribuit, quanquam in *Apocalypſi Hermetis p. 668.* ſpiritum mundi generaliter nominet fundamentum artis, attamen *p. 669.* quinque ſpecificationes ejus diſtinctè deſcribit, prout l. c. pluribus patet, quomodo vero ſpiritus hic mercurii ex minera obtineri poſſit, reticet Paracelſus; Grosſchedel vero explicat, & roſarium Philoſoph.

5. Ad quintam Poſitionem reſpondetur affirmando: ſi modo magnes intelligatur, ſicut explicatur à *Baſilio lit. DD. L.C.* in verbis; ſal metallorum eſt corpus imperfectum, quod ſit Mercurius Philoſophorum, ſive aqua permanens vel benedicta, Philoſophorum Magnes. Is autem eſt Mercurius aurificatus, in naturam vel formam auri à natura efformatus. Nolo tamen alium niſi omnium metallorum unicum Mercurium intelligere.

Diſcat hic quilibet fugere Mercurium vulgi ex monitu *Baſilii c. 2. d. Metallor. generat. & Paracelſ. d. ſecr. Magic. p. 684. Tom. 2. in fol. L. C.* quoniam, cum is ſit corpus perfectum per ſe certo reſpectu, non poteſt eſſe ſemen, quia ad ſemen metallicum acquirendum, opus eſt electro minerali immaturo, ſcilicet tali metallo, quod natura quidem in formam metallicam efformavit, ſed adhuc imperfectam vel non exactè excoctam reliquit.

Ad allegatam rationem in verbis; *cum corpora non agant in corpora*, reſpondeo hic loci in L. P. operatione non requiri corpora, agere in corpora cum tantum fiat correctio ſulphurum in metallis.

Sal qua tale, etiam corpus eſt, ſed non quodlibet ſal habet prædictas virtutes, nempe ſolvere, coagulare, & fixare metalla, v. g. ſal commune, vitrioli, ſalia fixa plantarum partim ſunt præcipitantia, partim adſtringentia &c.

Neq; Mercurius Philoſoph. propriè eſt ſal minerale, ſed propter ea dicitur ſal, quod à formâ ſeparatâ non raro in ſua accidentali forma glaciei aut ſalis inſtar coagulatus appareat. Hoc ſal vocatur ſapo ſapientum, quoniam dealbat Latonem; neque ſal circulatum Paracelſi eſt ſolvens illud univerſale, quoniam prædictus Autor nullibi ei hanc ſpartam obtulit, ſed pro extrahendis tincturis deſtinavit.

6. Ad

6. Ad ſextum notandum; maxime intereſſe, ut Baſilius cum judicio & obſervantia legatur.

1. *Quatenus deſcribit ſpiritum univerſalem ſive ſpiritum Mundi Avicennæ, ſub nomine ſpiritus mercurii*, qua talem & abſolutum, absque participante materia aliqua è regno aliquo, vel animali vel vegetabili vel minerali, qualem quidam moderni ſeculi Philoſophi in rore, pluvia & centro terræ, ſive puriori terra reſidere exiſtimant. *Vid. Nuyſement de ſpir. & ſale Mundi Tract. 2. c. 2. p. m. 65. Drebbelium de Element. Natura cap. de Terra. Baſil. Tract. d. L. P. p. m. 16. & 17.* in verbis: QUI VULT OMNIA IN OMNIBUS &c. *item Clav. 5. p. m. 33. it. l. 2. d Generat. Metall. c. 13. de Eſſentia Auri, in verbis*: EGO ☉ SAPIENTIÆ ESSENTIALIS.

2. *Quatenus ſpiritus mercurii ſive univerſalis ex digeſtionibus obtentam compoſitionem explicat*, & vitriolum commendat in verbis: *Viſita Interiora Terræ Rectificando Invenies Occultum Lapidem Veram Medicinam. Item in Elucidat. Clav. parte 3. p. 189. 200. 204. 205. 207. 208.*

3. *In quantum docuit magnum opus Philoſophicum ex Auro communi præparato conficere*, ad quod pro Mercurio commodius ſuscipiendo aquam Regiam ex ſale armon. & nitro conficere docet *p. 3. Elucid. Clav. p. 166.*

4. *Quando univerſale opus ex Minera ſolari, ſive ex electro præparari docuit*, ubi iterum notandum num. 3. ubi aurum commune præparat pro compoſitione fiendæ tincturæ, mentionem eum facere Aquilæ & Draconis.

Hic ne ſaltus fiat in proceſſu attendendum, magnam eſſe differentiam inter *Aquilam & Draconem Baſilii*, quæ ſunt ſal armon. & nitrum, teſtante ipſomet *l. 3. in Elucid. Clav. p. m. 171. & Paracelſi* reliquorumque Philoſophorum, nam ſal armoniac. & nitrum ſunt tantum diſpoſitiva ad ſubtiliſandum aurum vulgare pro extractione tincturæ, uti ſuperius innui, ſive ad præparationem ſeminis in utero metallico perfectionandi.

Sed *Paracelſi aquila* eſt viſcoſa humiditas metallica, ſpiritus Mercurii verus ſive aureus, volatilis, radix auri & ejus uterus, auri fermentum, ex qua & cum qua fit nova generatio filii regis, prout *L. C. d. Tinct. Phyſicor.* ſcribit: *Recipite gluten aquilæ* & ſanguinem leonis & conjungite.

Reliqua puncta 1. 2. 3. 4. 5. 6. ſi de ſubſtrata materia loquuntur, ſunt vera.

Stet Poſitio ſeptima in verbis; reſolubilis in liquorem ſuæ naturæ, hoc eſt, metallicæ.

Negatur, Baſilium aliter ſcripſiſſe, quam quod aurum debeat putrefieri cum ſuo compari vid. clav. 8. p. m. 49. in verbis: *ita intellige de metallis* &c.

Ad objectionem ergo ut reſpondeam, dico omnino dividenda, quæ debent dividi. Magnes enim Philoſophicus qua talis, non *eſt album & rubeum*, non draco & aquila; Rex vero & leo ſunt ſynonyma, in eo etiam omnium morborum curatio, ſubintellige ante conjunctionem & fixationem, non eſt quærenda.

Subſumtio iterum dividenda, ſicut prima poſitio, & quidem quod attinet locum Baſilii: Etſi per veneris ſtatuam non intelligatur vitriolum, *ſed Venus Poëtica, non tamen ea eſt nitrum*, ſed linea viridis Cabaliſtarum cuncta gyrans, vel benedicta illa viriditas, omnes res germinare faciens: Vis vegetabilis mercurii ſive ſpiritus mundi, quæ encomia nitro nunquam poterunt adſcribi, prout inferius patebit; ſed paulo exactius rationes allatas penſitabimus.

1. *Eſt res vilis:* ſed terra longè vilior, ex qua verum ſal terræ paratur. Quid autem ſit res vilis, explicat *Clangor. Bucc.* in verbis: L. P. ex re vili conſurgit precioſiſſimus; id eſt, ex ſpermate auri in matricem mercurii projecto percoctum.

2. *Eſt magnes ſive chalybs Sendivogii:* Magnes ſive chalybs Sendivogii aureus idem eſt ac aqua mercurialis metallica duplicata, internum ſuum ſulphur in ſe incluſum gerens ſolare, vocatur magnes, ratione formæ, quod ſolare ſulphur ad ſe trahat, illud agglutinet, & ſe ei adjungat, & æque ea eſt, quæ Fontina Bernhardi, probatur ex Sendivogii ænigmate, afferentis (1) ei duas fodinas unam auri, alteram chalybis, exhibitas eſſe *p. m. 59.* (2) quando dicit omnes aquas corroſivas eſſe inutiles, præter eas, quæ ex radiis ſolis (ſc. Philoſophici) quod eſt aurum, præpararentur. Nitrum autem non eſt tale, itaque non eſt magnes ſive chalybs Sendivogii.

I. Hoc quidem nitro non negatur, quod ex aëre ſibi ſimile attrahit, quando nimirum intra poros ſui corporis, humiditatem aëris admittit, & deinde in ea diſſolvitur, ſed quam communionem eam ob cauſam habent metalla cum nitro?

II. Notandum *mercurium aëris* & *metallorum* differre ſpecie.

III. Negatur nitrum, eſſe magnetem, quia multiſ nitri naturam i-

gno-

gnorant, & eos latet, *quid ſit ſal terræ & nitrum.*

Nitrum quidem commendatur à Paracelſo, quod ſit utile ad alchimiã, ſed ſecreta, quæ in eo jacent nondum ad bonum finem eſſe perducta. *Lib. 2. Chirurg. magn. tract. 2. c. 6. p. m. 85. Paracelſus* nitrum ſpecioſiſſimis verbis, excrementum ſalis terræ eſſe demonſtrat. Repetit hoc *Tom. 1. oper. par. d. morb. tartar. cap. 21. p. m. 314. lit. c. & ſeqq.* Itaque ſal terræ & nitrum differunt: (1) ſal terræ eſt balſamus terræ, à quo omnia vegetabilia conſervantur p. 1037. Nitrum autem eſt excrementum. (2) Sal terræ fundit ſpiritum album urinoſum, qui digeſtus albicantiſſimum ſalem, fluidum ſuper lamina, figuras arborum in alembico repræſentantem, exhibet. Nitrum vero ſpiritum rubeum corroſivum, qui color fit *ex commixtione ſalis communis.* Nitrum fixum fluit in igne & urinoſum eſt, metalla tamen parum opis ex eo ſentiunt. (3) *Nitro ſumma caliditas non ineſt*, ſed corroſio, quæ talem facit motum; neque ſpiritus infernalis; nam ad ignis arcanum Helmontii appoſitivè quidem concurrit, ſed non eſt ipſum arcanum. *Neque in eo eſt ſumma frigiditas*, nam quam frigiditatem communicat, hanc habet ex ſale communi, quod in ejus receſſu ſive centro eſt, uti hoc ex Paracelſo de ſale mirabili probat Glauberus.

IV. *Album & rubeum eſſe iterum malè componitur.* Non loquuntur Philoſophi de ſolo externo colore, ſed de intrinſeca eſſentia. Sal vitrioli eſt album, ſi calcinatur, fit rubeum; ergo eſſet nitrum, quod tamen non ſequitur.

V. *Regem & Leonem.* Nitrum nemo præter *Glauberum* (quod tamen ipſe correxit) *l. ignis & Proſerp. 1.* quantum ego ſcio, nominavit, nam omnes ſaniores Philoſophi Regem dicunt eſſe aurum; ſed nitrum iniquius eſſet Regis filius. Non unitur cum eo indiviſibiliter, ſed comburitur in igne potentiore (ſuo tamen ſenſu hæc intelligenda), aut cum aliis levioribus metallis & mineralibus junctum fit amauſum vitrum, aut aliqua alia calx. Aqua ſtygia non eſt *menſtruum naturale, quod eſt aqua blandè ſolvens*, ſed opponitur naturali ſolutioni. Itaque non eſt magnes, ſed deſtructor. *Aqua Regis non poteſt vocari*, nam quod Regem, hoc eſt, ſolem corrodat & diminuat, hoc habet ex commixtione & gratia ſalis urinoſi vel armoniaci. Nullus autem Philoſophorum hanc auri corroſionem, ſolutionem naturalem vocavit; *neque dici poteſt aurum Philoſophicum, ſeu materia ex auro Philoſophorum*, quoniam non ex minera ſolari, ex qua verum menſtruum elicitur, ſed ex tertiæ claſſis mine-

rali

rali eruitur *Baſil. Clav.3.* malè allegatur. Nitrum quidem aurum non deſtruere, ſed tamen corrodere, quicquid autem agat, naturaliter reſolvere non poteſt.

VI. *Draconis & aquilæ nomen* ſimul, ſoli nitro, Baſilius nunquam nitro appoſuit; quod tamen fecit *Glauberus*, qui nunquam poſſeſſor veræ artis fuit, *lib.2.* Deutſchlands wolf. Sed norunt illi, qui hujus Gryphi vires probarunt, quales fuerunt, de quibus tamen ſupra egimus.

Mercurium duplicatum ex eo quærere, eſt miſeriam ex ſpeluncis extrahere. Non negatur, ad medicos uſus multum conducere, quibus ego tot experimentis confirmatus, laudes reticere nolo, de quibus infra paucis agam. Sed miſer hermaphroditus poſſet quidem habere Demogorgonem patrem initialem, ſed in conſanguinitatem Regis ſuſcipi nimis ruſticæ eſt naturæ.

Nitrum de ſe loquens, ſe quidem *apud Baſilium* comparat mercurio, ratione qualitatum, non vero eſſentiæ. Interim ſe accidentaliter ad metallorum deſtructionem concurrere geſtit. Quid de ſe dicat nitrum, legantur verba *Baſil. in repetit. L. P. p.m. 93.* Fundamentaliter nihil poſſum perficere, niſi mihi læta mulier (quæ eſt venus) conjungatur, hoc autem de ſe non dicit Mercurius Philoſophicus, qui etiam per ſe poteſt fieri metallum ſive aurum plusquam perfectum, uti diſſerit *Raym. Lullius.*

Figendi potentiam ſoli nitro nemo poteſt adſcribere. Abuſive quidem dicitur mercurium figere ſuo ſpiritu acido, non vera autem eſt fixatio. Nam cum ſal nitri ſe poris mercurii communis inſinuaverit, in iisdem cum mercurio conjunctum permanet, donec fortiori igne totus mercurius elevatus evaneſcat, remanente ſale fixo, quod in aqua diſſolutum verum ſal culinare exhibet, ſpiritum autem volatilem in ſale fixo figi poſſe, plures experimentum, pauci finem fecerunt.

VII. Nullam absque nitro dari ſolutionem gravis eſt ſaltus. Nam ſal metallorum non eſt ſal commune, vel nitrum commune, ſed ſpecificatum in ſpecie metallicæ, & tamen ſolvit Aurum ſine corroſione & ſtrepitu, unit ſe cum eo, & unum corpus glorificatum conſtituit. Quod cum nitro non procedere, quis non videt, nunquam enim niſi violenter nitrum aurum corrodere poteſt, in fluxu autem ſupernatat.

VIII. *Malè iterum explicatur locus Baſilii*; Draco enim alatus & repens ſignificat mercurii ſubſtantiam in peripheria volatilem, ex corpore fixato à natura, arte extractam, quæ facile in centro figendam gerens natu-

naturam, imagine duorum ſerpentum inſignitur. *Trigonus Philoſophus* eſt ⊖ *volatile metallicum*, quod, ſi cum ſulphure auri conjunctum eſt, DUPLICATUM TREVISANI MERCURIUM conſtituit; ex quo deinceps tertium naſcitur perfectum, nempe monas Hermetis, verus Trigonus Philoſophicus, uti aſſerit *Baſil. in Conclus l. LL. de Sulph. Mercurii c. 5.* in verbis; ſed Mercurius Philoſophorum & non vulgi, ſi in aquam eſt redactus & ſal Philoſophicum cum pallio purpureo per putrefactionem & deſtillationem ſolvit, tunc eſt Mercurius duplicatus.

Hic autem notandum, per AQUAM MERCURIALEM non intelligi aquam ſimplicem vel elementarẽ vel pluviæ aut diſſoluti nitri, ſed talem, quæ corpori metallico convenit, quæ eſt Mercurialis, non madefaciens manus, in peripheria volatilis, in centro fixæ naturæ, quæ etiam per ſe poſſet figi in naturam metallicam & cum metallis in igne & fluxu naturaliter & verè ſe commiſceri.

Tandem iterum negatur, verba Lullii, de ⦶ eſſe intelligenda. Nam loquitur de ⦶lo aſtrali & minerali, quod homogeneas vires & proprietates cum metallis radicaliter ſe commiſcendi poſſidet, qua ratione etiam ſal metallorum centrale vocatur, à Baſilio in Concl. ſ. 2. L. BB. Malè præterea explicatur ſententia Lullii, nam aqua præparans aurum eadem eſt, quæ Baſilii, ſed (NB.) non eſt ad ſolutionem compoſita, ſed ad præparationem calcis ſolis, qua tamen opus non eſſe, demonſtrat *Batsdorfius in filo Ariadnes, & Treviſanus in parabola de libello aureo & Fontina.*

IX. De materia prima ſupra fuſius locutus ſum, hic paucis repetam, materiam primam à quibusdam vocari *informem. Baſil. clav. 5.* ſcilicet talem, quæ à formâ ſeparatâ aliquomodo retrocedit, non tamen totaliter eâ privatur: à quibusdam *uniformem*; ſcilicet accidentalem; tandem etiam ab aliis *omniformem*, quod ſucceſſivè capax ſit omnium formarum. Si modo cum diſtinctione intelligantur, nemini relinquetur dubium.

Materiam autem primam arte parari poſſe, non eſt impoſſibile, ſi modo intelligatur non prima Ariſtotelica, ſed Chymicorum, quæ eſt tertia vel quarta; *vide Sendivogium c. 4. d. prim. mat.* non quæritur prima materia, ſed ſecunda, & quidem talis, quæ, quando nata eſt, in aliam mutari non poteſt, ubi tamen obiter apponendum duco, ex informatione Excellentiſſimi Beccheri, materiam Chymicorum eſſe triplicem, ſed cum diſtinctione.

Una enim eſt generalis, quæ omnibus ineſt corporibus; *Altera ſpecifica*, eaque *vel cum forma*, & ſic quodlibet corpus, ſuam ſpecialem materiam & formam habet, inde tot materias eſſe, quot corpora, conſtat: *vel ſine forma* ſive cauſæ formantis vinculo. Et tunc triplex eſt: animalis, ut menſtruum; vegetabilis, ut aqua pluvialis vel ros; mineralis, ut aqua mercurialis. Sicuti etiam ſemina, ſive formæ formantes, æquè in tales claſſes dividi poſſunt, verum cum hac cautione, quod tot indefinitis modis, quot corpora in quolibet regno ſunt, differunt. Et ſubeſt ratio; cum enim quædam corpora *Unione* tantum, ut animalia; quædam *coagulatione*, ut vegetabilia; quædam *fixatione*, ut metalla conſtent, opus etiam eſt, tres tales dari materias, quæ unicuique appropriari poſſunt. Nam aqua pluvialis non convenit metallis, ſicuti nec aqua metallica animalibus &c. nos itaque quando loquimur de materia, *hic tantum intelligimus metallicam*, hæcque eſt vel fixa vel volatilis, ita tamen inter ſe conveniunt, ut non-fixa figi, fixa autem volatiliſari queat; hæcque iterum dividitur, alia eſt remota, alia media, alia propinqua, alia propinquiſſima.

1. Remota, vapor eſt, in lapidoſis terræ locis incluſus.

2. Media, ſive *materia ſecunda* eſt mutatus vapor in viſcoſum novum vaporem, ex quo poteſt fieri alumen, ſal petræ, cinabaris, ſulphur & vitriolum, de his notetur hic Rupeciſſa in verbis: Vitriolum eſt medium & proprium ſemẽ generandi metalla, tanquam eorum omnium principium remotiſſimum; in eo autem differt à quartâ, quod nullam coagulationem obtinere poſſit, & quod ſecundum qualitatem ſulphuris & ſalis alteretur.

3. *Propinqua*, viſcoſa eſſentia mercurialis, ſive Gur, & ex eo deinde

4. *Propinquiſſima*, ut plumbum rubeum, ſaturnus Philoſophorum, auri vel argenti electrum immaturum. Quæ quatuor dictæ materiæ tamen unicum ſpiritum mercurii conferunt.

Hæc ultima eſt vera chymicorum materia, ex qua ſubjectum catholicum in forma volatili extrahendum, quoniam ea non eſt penitus fixata. Nemo etiam in mineris omnem penitus materiam à metallicis formis actu eſſe fixatam & coagulatam probabit, obſtat enim augmentatio & generatio metallorum, cum itaque talis detur materia, quæ in aliquibus metallis plus, in aliis minus, formæ eſt confermentatæ, ſequitur etiam ex iiſdem corporibus, ubi minꝰ eſt fixata, facili negotio erui poſſe. *Et quidẽ ex auro*, quod habet formã omnimodè fixatã, per putrefactionẽ,

ex

ex reliquis autem, ubi tantum primis gradibus, forma quaſi eſt impreſſa, vel ut Philoſophi loquuntur, *granum fixi eſt inoculatum*, & natura quaſi primum fundamentum poſuit, frequenti ſublimatione & purgatione obtinetur. Notentur verba *Baſilii in repet. Laſſ.* Hoc loco valete dico, quære materiam in ſubſtantia metallica *p. m. 72. & p. 6. D. L. P.* hoc in veritate omnis veritatis dico, ſi metallica anima, metallicus ſpiritus, & forma metallica, corporis adeſt, ſequi debere, metallicum mercurium ſulphur & ſal.

Idem p. 166. part. 3. Elucid. Clav. Ex ſale & ſulphure auri purificati præparatur Lapis, beneficio ſpiritus mercurii, qui ex minerâ, ignem nondum experta aut fusâ expelli debet. *Filius Sendivogii c. 2. de ſale, pag. 3.* omnem tuam intentionem dirige ad eſſentiam metallicam, quam natura quidem ad talem formam diſpoſuit, ſed imperfectam reliquit.

Sendivogius cap. 1. Si metallicam naturam vis exaltare, recipe metallicam naturam. *Idem Tract. 9.* propterea datur unum metallum, quod vim habet reliqua conſumendi, quoniam eſt quaſi eorum aqua & mater. *c. 11. de praxi Lapid.* Ea aqua debet eſſe menſtruum mundi, ex ſphæra (NB.) Lunæ, quæ debet eſſe rectificata, eo usque ut ſolem calcinet. Unde etiam ipſi Helmontio placuit dicere, Philoſophos calcinare corpora aquâ, ſeu igne humido, cum vulgus ea igne communi calcinet, comburat & deſtruat: Suffultus autoritate *Auroræ conſurgentis c. 13.* in verbis: ignis noſter eſt aqua.

Hic inquirendum an nitrum fixum diſſolutum habeat eandem vim, ut *humidum apud calidum*, quæ eſt calcinatio Philoſophica, conſervetur, ſive quod ſulphur in centrum redactum, rurſus in peripheriam educatur, ut capax fiat, humiditatem figere, ex qua nova oriatur generatio. *Calidum autem hoc nihil aliud eſt, quam ignis Philoſophicus*, de quo Artephius; qui eſt ignis corporum ſive ſulphur naturæ, quod humectat & nutrit ſuum corpus naturale.

Paucula ſubjiciam de aëre Philoſophico, quando *Sendivogius* de aëre & ejus rarefacto ſpiritu loquitur, *item Baſilius* &c. Notandum duco, aërem communem eſſe ſubjectum aëris Philoſophici, & quando Philoſophi loquuntur de aëre ſuo, eſſe hoc intelligendum de aqua corporum rarefacta, uti *Beccherus* docet in Oedipo.

Tandem concludendo oppono decantatiſſimo nitro

1. *Monitum Bernhardi:* Amen dico tibi, quod nulla aqua naturali reductione ſpeciem metallicam diſſolvit, niſi illa, quæ permanet eis in

materia & forma, & quam metalla ipſa ſoluta poſſunt recongelare. An nitrum habeat formam metallicam, valdè dubito.

2. *Richardi:* Si corpus non reſolveris in mercurium cum noſtro mercurio, occultam virtutem ex eo habere non potes, ſcilicet ſulphur digeſtum & decoctum *per opus naturæ in minera* An in nitro ſit ſulphur decoctum minerale, non audeo affirmare.

3. *Riplæi;* hic Lapis, audeo tibi dicere, eſt vapor potentialis metalli, id eſt, in ſe gerens metallum, & extrahitur *ex ſubtili noſtro rubro plumbo.* Nitrum nunquam fiet metallum, itaque non poterit de ſe vaporem potentialem metalli emittere.

4. *Clangoris Buccinæ; Tom. 1. Art. aurif. p. m. 305.* ſi quæris medicinam metalla generantem, de metallis erit ejus origo, cum ſpecies à ſuo genere tingatur, etiam in habentibus ſymbolum facilis eſt tranſitus.

5. *Scalæ Philoſophorum;* mineralia mineralibus, vegetabilia vegetabilibus conveniunt, ut nulla contrarietas ſit, imo maxima convenientia: quoniam ſpiritus iſte eſt mineræ aureus, nec ab auro differt, niſi in hoc, quod ipſum eſt fixum, ſpiritus vero non fixus.

Fateor quidem, me parum eſſe injurium in excellentiſſimum aliàs minerale, nitrum, quod inter alia non minoris conditionis medicamenta facilè primum ſibi locum vendicat, ſicut eſt *verè aurea ejus Tinctura.* *OLEUM,* quod à quibusdam Practicis magnes vocatur, & in Lithiaſi diureticum bonum audit, præprimis ſi cum ſilicibus fundatur; herbis etiam & earum radicibus cum ♀ri ⊖le appropriativum eſſe, magni nominis medici ſtatuerunt ſed auri tincturam realem extrahendi facultatem habere, ego non poſſum ſatis concipere. Hoc quidem poſſibile, quod oleum nitri, ſalia calcibus ſolis & lunæ adhærentia poſſit imbibere, & deinde cum iisdem circulatum prævia digeſtione in rubeum colorem mutari, ſicuti etiam nitrum fixatum cuilibet ſpiritui vini facile obſecundat, & ſe cùm eo colorat, an vero auro colorem naturalem eximat, ita ut cum antimonio reduci nequeat, nunquam mihi adhuc videre licuit. Hoc enim pacto, aurum fiet anonymum metallum, quod tamen pugnat cum veris Philoſophis: Sic enim monet Alexander von Suchten in ſua vera medicina impreſſa Argentor. An. 1608. p. m. 42. & 43. Spiritus auri vulgaris eſt ſicuti compoſiti & ſibi ſoli ſufficiens, propter quod etſi cum aliquo alio metallorum permiſceatur, non plus poteſt illa digerere vel plus de ſua digeſtione illis impertire, quam in ſeipſo habet: eſt enim forma extenſa non intenſa, non exuberans ideo ultra

ſuam

ſuam menſuram imperfectum corpus in perfectum mutare non poteſt. Cum enim omnis res compoſita ſit ex materia & forma, & aurum vulgare tantum habeat de forma (ſpiritum opinor) quantum de materia, ergo tantum etiam de virtute, tantum de entitate, tantum de operatione & non plus. *Hæc* ille. Hoc ſimul obſervavi, quod nitrum ſolum in morbis chronicis nimis ſegniter operetur, in malignis parum, vel nihil, niſi in quantum præcipitando acres humores & refrigerando agit: in febribus autem intermittentibus ſit præſentaneum remedium, ſi lupi faucibus eſt ereptum.

Hæc ſunt, quæ volanti & tenui adumbrare calamo volui, nullius autoritati vel judicio præjudicando, ſed ſicuti hæc mea eſt ſententia, ita & cuilibet liberum & ſalvum relinquo arbitrium ſtatuendi quid velit.

D. SALOMONIS REISELII MED. Dis. ET PHYSICI WORMATIENSIS, S. R. Imp. Academ. Nat. Cur. COLLEGÆ

EPISTOLA

Ad

ACADEMIÆ NATURÆ-CURIOSOS, ſ. PRÆMEDITATIONES DE QUIBUSDAM IN ARTE MEDICA EXPOLIENDA REQUISITIS,

HACTENUS NON ADMODUM PENSITATIS CURÆVE HABITIS.

VIRI
NOBILISSIMI, CLARISSIMI, EXCELLENTISSIMI, EXPERIENTISSIMI.

PRomiſi nuper Meditatiunculas quasdam de Arte noſtrâ Medicâ facilius diſcendâ, felicius faciendâ, Vobis ad deliberandum communicandas. Sed poſt tot methodos, manuductiones, introductiones & conſilia Doctiſſimorum, ipſaque Veſtri Collegii ardua molimina & inſtituta, quid ego ſomniabo? quid noctuas Athenas? Ad invitationem vero ſolemnem omnium, non poſſum non aperire innocentiſſimum juvandi affectum. Effundo igitur crudum meditationis ſemen in ſinum Amicorum veſtrum, eâ lege ut privato veluti fotu, conceptum in ſtamina vitalia animetis, &, vel in prima herba, ſi indignus luce, ſuffocetis, vel, ſi ſpem alicujus prolis inde poſſitis elicere, ad feliciorem maturitatem Ampliſſimo Veſtro Præſidi & Collegio proponatis, ne extemperaneo quodam impetu feſtinatus fœtus, aut abortus verius, publicè multis proſtituatur.

Quandoquidem ſalutare Ephemeridum veſtrarum conſilium eò tendit, ut per eas colligatis omnium Bonorum Obſervationes & Remedia ad Phyſicam & Medicinam ſpectantia, mediantibus quoque his ipſis, ſpero effectum iri, per communia & multiplicia vota, quod à ſingulis vel paucioribus expectari non potuit, ſi, ut hactenus, *materiæ ſingulares*, ita porro *ſcriptorum examen*, *errores*, *defectus* eorumque *remedia* colligantur, & ex his tandem artis inſtaurata forma, in perfecti medici habitum excreſcat & adoleſcat.

Agite nunc: incepit Ars medendi obſervatione, crevit exemplis, formata eſt ratione: Certum eſt iisdem abſolvi poſſe.

Ergo ab incunabulis Ægyptiacis, adoleſcentia ſub Hippocrate, ejusque commentatoribus, Græcorum, Arabum, Latinorum, aliorumque variæ ætates perquirantur; Paracelſi dein, & Aſſeclarum novi morbi novaque remedia, in ſenio denique microſcopiorum ope detecta Anatomicorum, Phyſicorum, Practicorum inventa, ſtatusque adeo præſens excutiatur, ita quidem, ut quid quisque boni pro ſalute humana attulerit, expendatur, & trutina inprimis & veritate experimentorum & experienti examinatum colligatur. Et quamvis ab Anglorum Gallo-

rumque

rumque Ephemeridibus exactiſſima judicia de plurimis (quia ampliſſimum totius ſapientiæ globum ſcrutantur) mutuari poſſimus, & poſt aliorum etiam diſperſos labores quotidiè à D. Schæfero *Hiſtoriam medicam* expectemus; tamen curioſiſſimum Veſtrum Collegium anguſtioribus Phyſicæ & Medicinæ carceribus currens & Naturalium ſolum ſatagens, ad ſalutis & hygieiæ ſacræ metam citiùs veniet.

Omnes igitur & ſinguli Medici invitandi ſunt, per Ephemerides, ut ſincerè communicent, quid pulchri, quid utilis, quid certi ex hujus vel illius Autoris principiis, methodo, praxi, remediis, formulis ſumſerint ſenſerintque per ætatis ſuæ & praxeos curriculum.

Rogandi inſuper, ut *errores* ſuos aliorumque notent, & ambages indicent, per quas tandem ad eam, quam habent felicitatem & certitudinem artis pervenerint: *Deſideria* & *defectus* aperiant, & quomodo, ſi denuo daretur redire, brevius & rectius vellent ire. Qualia quamvis hinc inde lateant etiam in publicis ſcriptis prudentiſſimè monſtrata; non tamen negandum eſt, ſi tam edita quam adhuc in privato latentia *conſilia* in unum colligantur, ſalubrius emerſurum eſſe & in publico utilius inſtitutum, quam ſi quis hic illic ſingularia aliquot præcepta & remedia fortaſſe arripiat & ſuo uſui ſervet, aut ſepeliat invidus. Sed quotusquisque deliramenta juventutis ſuæ vel agnoſcit, vel fatetur, vel retractat? quis non abblanditur ſibi? quam infelicibus Medicina invidiæ ſtimulis premitur? Hæc tamen auxilii ſpes, ſi non ab aliis, ſaltem à *Collegis Curioſis* obtinebitur, quorum ſuprema lex eſt, *ſalus humana publica.* Neque negligendus erit olitor, quia aliquando etiam bona locutus eſt.

Denique ſi arriſerit hoc inventum, ut ordine non tumultuario eatur, neque aliquid facilè quærentium aciem prætereat, dividantur operæ & libri annuatim, menſtruatim, vel ex præſcripto Collegii, vel arbitrio & electione Collegæ, Amici & Fautoris unius vel plurium. Facta experimenta, data judicia, accepta reſponſa, conſilia, præcepta, monita, cautiones, notæ, animadverſiones & ejusmodi alia, ad maturius deliberandum repoſita proponantur, ventilata & concluſa colligantur in unum, donec poſt annos reperta veritas emergat in utilitatem publicam & ſalutem per artis præcepta.

Atque ut ipſe primum calculum ponam;

Doleo juventutem Phyſicis principiis, quæ *Verulamio* aliisque ſuſpecta fuere, tranſactam, qui jam demum incipio per manifeſta & clariora naturam diſcere, qualia *Carteſius* in Dioptricis circa oculi fabricam & circula-

circulationem ſanguinis mechanicè, *Dygby* circa pulverem ſympatheticum, *Boyle* circa colores, vel demonſtrant vel demonſtrare tentant.

Tædet tot libris Lapidiſtarum vel Secretiſtarum (ut liceat ſic loqui) fallacibus tempus triviſſe.

Deſidero ex farragine tot compoſitorum, tantorumque diſpenſatoriorum unum univerſale, vel regio certius, verè imperatorium.

Deteſtor elogia & nimias laudes Chimicorum maximè remediorum, vel à præclaris viris publicatas, eventui non reſpondere.

Scapham ſcapham dicendam puto, neque Tincturas pro Menſtruis coloratis ſumendas, Magiſteria pro Fæcibus, Extracta pro Tincturis &c.

Simplicia vel ad cœli intuitus, vel balſamico tempore per omnes officinas colligenda.

Nihil credendum niſi manibus oculis: nihil certum & publicè, ſine experimento, laudandum; nihil ſine examine, transſcribendum.

Fabuloſa à veris diſcernenda.

Libros inutiles notandos & præſcribendos æſtimo.

Quod exempli gratia & quantum tempus permiſit, unica vice indicatum, cenſuræ veſtræ ſubmiſi.

(*In literis Hanoviâ Vratislaviam Menſe Mart. Ann. 1673.*)

Mar-

MARTINI BERNHARDI DE BERNITZ S. REG. MAJ. POLONIÆ ARCHIATRI

FASCICULUS I.

REMEDIORUM ANTI-ARTHRITICORUM IN CURATIONE VLADISLAI QUARTI GL. M. REGIS POLONIÆ ET SUECIÆ ETC. *ADHIBITORUM.*

NOtum eſt, non ſolum hìc in Sarmatiâ noſtrâ, verum ubique vicinorum locorum, Ser. Regem ULADISLAUM IV. gl. m. ſtatim à juventute quaſi, poſt annum nimirum ætatis ſuæ XXX. morbo Arthritico fuiſſe infeſtatum; qui affectus dein ita invaluit, & nonnunquam bis, ter vel pluries in anno tam ſeverè cumque tanto cruciatu recruduit, ut Rex ſæpius vitam cum morte ſibi commutari optarit.

Præmoneri autem B. L. oportet, quod ſub hoc genere morbi S. Reg. Majeſtatem infeſtantis, *Arthritide* videlicet, varias includo ejuſdem doloris ſpecies, pro diverſitate partium affectarum inter ſe differentes, ſcilicet podagram, gonagram, chiragram, iſchiadem cum cæteris; quippe Rex totus fuit Arthriticus; annumeratis inſuper calculo

renum & veſicæ, atque paſſione colica. Tam frequens tamque crudelis recenſitorum dolorum ſævitia, ſuo maximè in acceſſu, & patientiâ in Rege locum non habente, Dominorum Medicorum remedia cum ſpernere quandoque videretur, humores vero interim copioſè ex uno in alium articulum defluentes, acrimoniâ ſuâ nova identidem doloribus tormenta adderent, Regem, præ nimio dolore ſic clamantem, ut in altero vel tertio cubiculo audiretur, eò redegerunt, quò Dnn. Medicorum docta conſilia & curationes non rarò rejiceret, & levamina atque ſolatia ab aliis, Empiricis & plebejis hominibus conquireret; immo pro acceptis ab iis conſiliis aut communicatis ſecretis ſive arcanis, ingenti ſæpè pecuniæ ſummâ, præter prædia, catenas, annulos, cimelia, aliaſque res ſatis pretioſas, quæ à Reg. Majeſtate ex innatâ Clementiâ profuſiſſimè dabantur, non parceret, ſed, famâ prodente, ſpatio aliquot annorum, plusquam ſexies centena millia, in ſpem liberandi ſe ab his infirmitatibus & recuperandæ ſanitatis, exſolvi juſſerit.

Inde evenit (ut ſupra innui) quod quaſi ex omni terrarum angulo, ſed maximè hujus regni, varia hominum genera cum multis ſecretis & arcanis ad debellandum & devincendum hunc morbum, in Aulam confluxerint; taceo nonnullos ſenatores & Principes, eidem huic malo obnoxios, quorum ſinguli, ſua in proprio corpore experta remedia, per multos annos obſervata & quaſi approbata, Reg. Majeſtati offerebant.

Hæc ſuſcepta & adhibita, licet aliquando in primâ applicatione (maximè in declinatione morbi) incantamenti inſtar dolores mitigando, effectum ſuum præſtarent, nihilominus tamen poſt medium annum infirmitas eadem iterum recruduit, & decantata caroque pretio emta Arcana, denuo adhibita, vix aliquid, multoque minus in iteratâ tertiâ adhibitione, effecerunt.

Ideò nova atque nova à ſua Reg. Majeſtate quærebantur remedia atque levamina, quorum partem, tunc temporis à me collectam & obſervatam, hic cauſâ tam curioſitatis (ne notitia eorum pereat) quam utilitatis deſcribere, communicare ac publici juris facere non gravabor. Dico partem, quia plurima ejuſcemodi ſecreta non annotata, & proinde oblivioni data fuerunt, major etiam illorum numerus ante, quam Rex me indignum in catalogum ſuorum Medicorum ſuſcepiſſet, manus meas præverterat.

Norit etiam B. L. quod haſce noſtras relationes circa curam morbi Arthritici in S. Reg. Maj. peractam, abſque morbi definitione & prolixâ

lixâ deſcriptione, prætermiſſis quoque omnibus aliis ſymptomatibus & circumſtantiis (in ſcriptis & obſervationibus *Cnœffelianis* aliàs fuſius deſcriptis ac ſuo tempore, uti ſpero, lucem viſuris) annotare, & ſolummodo materiam, compoſitionem & uſum inprimis ſecretiorum ac ferè topicorum remediorum, ex quibus Reg. Majeſtas aliquando levamen habuit, quæque pro maximis arcanis pro largâ pecuniæ ſummâ emit, proponere nunc juvat.

Quanquam enim Arthritis ſolis medicamentis topicis curari nequit, & dolor ſymptoma eſt, quod multorum ſententiâ, primùm minimè attendi debet, cum curatio morbo tantum debeatur, & ablato morbo ejusque cauſâ, ſubinde omnia quoque ſymptomata evaneſcant: Attamen quoniam hic morbus ablationem cauſæ, propter nimiam ferocitatem doloris omnes vires dejicere atque vigilias & majora ſymptomata inducere ſoliti, ſemper expectare non poſſit, utique ſui ſymptomatis correctionem ac delinitionem per anodyna indicat, & tunc, ex ipſius Galeni præſcripto, non cunctandum, ſed ſtatim ad compeſcendos dolores animum eſſe adhibendum, relictis etiam tantiſper aliis intentionibus, donec doloris carnificina ceſſet. Inde ergo factum eſt, quod ad corrigendum triſtem illum affectum, Arthritidis comitem, Medici Regii illa Empiricorum externa remedia S. R. Majeſtati applicari aliquando permitterent.

Ut vero podagræ non una tantum eſt differentia, neque unus & ſimplex modus, verum (præcipuè ex mente Galenicorum) multiplex, pro ratione multiplici humorum aliquando ad ipſos articulos decumbentium, ſic ejus etiam natura & mos varius eſt, variamque ſæpè requirit medendi methodum, auxiliorum diverſam rationem & varias remediorum formulas, quales ſunt, quæ hic ſine ulteriore ambage proponere conſtituimus.

I.

BALSAMUS VIRIDIS ANTI-ARTHRITICUS S. R. M. VLADISLAO IV. *ADHIBITUS.*

ANno *1646.* menſe Septembri, vix medio elapſo anno poſt initum matrimonium cum Reginâ, Mariâ Ludovicâ Gonzagâ, Ser. Reg. Majeſtas denuo à morbo ſuo podagrico corripiebatur & per ſex integras ſeptimanas lecto affixus jam in manu, jam in pede,

dies noctesque continuò graviſſimeque cruciabatur. Multis variisque ex ordinatione Dnn. Medicorum adhibitis remediis (licet aliàs ea conducere ſolebant,) nullum penitus Rex expertus eſt levamen, quin omnia in casſum fiebant. Caſu, in quodam alio privato negotio, Magiſter Capellæ, qui pariter ſæpius arthriticis affectibus cruciabatur, vir aliàs vegetus, ætate aliquot ſupra quadraginta annos) apud S. R. Maj. audientiam habuit, ubi poſt alia, certum levamen doloris podagrici Ser. Regi obtulit, Balſamum nempe ſibi conſvetum; inſinuando ſimul, eſſe id magnum arcanum uxoris ſuæ, quæ nemini mortalium huc usque ejus deſcriptionem aut compoſitionem communicare voluerit fieri tamen poſſe, ut, ſi quædam ex Munificentia Regia offerretur illi gratia (in hoc nempe latebat maximum arcanum,) remedium hocce haut gravatè communicet.

Rex naturâ liberalis & iſtius Muſici amans, ſpe levaminis conceptâ, ſufficientem ſtatim remunerationem promiſit, modo hoc Balſamum aliquid opis præſtaret. Mulier itaque mox recens paravit Balſamum, ejus quæ eſſent ingredientia, inſciis Medicis, externa talismodi alia (absq; opio) facilè Regi concedere ſolitis. Confecto jam & exhibito Balſamo, at parum calefacto, Pharmacopœus Regius, partes S. Majeſtatis dolentes; per mediæ horæ intervalla, leniter cum pennâ anſerinâ illinivit, unde reverà, mirum in modum dolores ſedati ſunt, ita ut Sereniſſ. Rex ſpatio aliquot dierum, ſomno ante per octiduum privatus, dormire ac quieſcere cœperit, & brevi medicaminis hujus auxilio convaluerit. Mille itaque aurei, pro remuneratione à Sereniſſimo fœminæ huic dati ſunt, eâ tamen conditione, ut ſecretum iſtius Balſami Regiis revelaret Medicis & ſuo Pharmacopœo: quod factum; eſtque ejus deſcriptio & compoſitio talis, quæ B. Lectori gratis communicatur.

℞. *calami aromat.* ℥j. *cort. citri & arant. a.* ℥jß. *herb. abſinth. abrotan. gentian. a.* ℥j.
rad. enul. camp. conſol. maj. fl. lavendul.
ſerpill. a. ʒij. *vini opt. alb.* ℥vj. *olei veteris* ℔iß.

coqv. omnia ad conſumtionem humiditatis, in fine adde
reſin. alb. ol. ſpic. a ℥j. Miſc. & f. Balſamum antipodagricum.

II.

II.

Arcanum Rusticanum In Podagra, PRO QUO VLADISLAUS IV. Rex Poloniæ &c. *ſex millia florenorum ſolvit.*

PRid. Calend. Martii Anni 1647. dum Regia Maj. dolore podagrico ſummo afflicta & à medicamentis antea conſuetis, conſilio prudentiaque Dnn. Medicorum præſcriptis, vix quicquam levaminis haberet, ad Cameram Regiam, commendatione Illuſtriſſ. Palatini Pomereliæ, Domini Caſpari Dœhnhovii, quidam ruſticus ex Pruſſiâ, introductus eſt. Is ſuum in curandâ podagrâ arcanum celebrabat, promittendo Regiæ Majeſtati certum levamen doloris, modo ſeſe curationi ſuæ vellet ſubjicere. Rex dolore preſſus, relictis Medicis ſuis ſummè doctis, ſemet curationi iſtius ruſtici commiſit. Hic ex tempore, in præſentiâ Pharmacopœi Regii & aliorum adſtantium ſuum parabat arcanum ruſticum in hunc modum. Extrahebat ex marſupio ſuo ſequentia, quæ ſtrophiolo involuta portabat, celando eadem coram Pharmacopœo: erant verò

angelicæ veræ ℔ß. *angelicæ ſilveſtris* ℥jv.

herb. hyſſop. mij. ſuper has ſpecies craſſiusculè inciſas inque ollam novam immiſſas, affudit cereviſiæ nigræ fortisque (hæc enim omnia ſecum attulerat) menſuras quatuor Warſavienſes, h. e. ℔. viij. Medicinales. Præterea adjecit pro aromatiſatione, caryophyllorum parum, & applicatâ aliâ ollâ inverſâ cum ſpiraculo, miſturam ad conſumtionem tertiæ partis penes ignem coqui ſivit. Decoctum vero poſtea Regiæ Majeſtati exhibuit. Adminiſtratio talis erat. Uni doſi decocti quatuor olei olivarum cochlearia remiſcuit, eâ proportione, ut tribus cochlearibus (nam hæc ruſtici menſura erat) Decocti unum cochlear olei accederet. Epota hac medicina ad promovendum ſudorem, in lecto Regem bene cooperiri juſſit: quam moleſtiam S. R. Maj. perferre, ſudando duabus horis, ſuſtinuit.

Ecce, eo ipſo die remiſit dolor & Regia Maj. cum admiratione & applauſu multorum, melius ſeſe habere cœpit. Quis felicior tum ruſtico? Quilibet loquebatur de miraculoſa ipſius curatione, hominem ipſa Regina & alii cognoſcere deſiderabant, hinc idem Ruſticus ſæpius in Antecameram vocabatur, qui arcanum ſuum (ſatis aſtutè aut inflatè) ulli communicare vel prodere detrectabat, priusquam Rex ad tempus vi-

vitæ, ipſi ſuſtentationem certam promitteret. Et impetravit hoc; nam S. R. Majeſtas ſex millia florenorum Polon. extemplò exſolvi juſſit ruſtico, jam coram Rege & adſtantibus juramento aſſeveranti, ſemet hoc ſecretum in ſimili morbo, fructu nunquam deſtituiſſe. Nemo ruſtico jam divite facto lætior erat, nec rege quisquam ſanior; quippe qui à ſuo moleſtiſſimo & terribili morbo, impetrato tam ſalubri remedio, ſeſe prorſus liberum fore credebat; ſed eventu aliud demonſtrante.

Nam poſt medium annum, ubi Regia Maj. ſummis iterum doloribus in pede dextro, & poſtea etiam in ſiniſtro corriperetur, & decoctum illud Regi eodem modo adhiberetur, tardior arcani comparuit effectus. Nam prima vice vix aliquid ejus uſus effecit, reiteratus tamen ſudoribus paroxysmum abegit.

Anno nondum elapſo, poſt finitam primam curationem (menſe ſcilicet Septembri,) Rex iterum in manibus, poſtea etiam in utroque pede graviter excruciabatur, ubi denuò ruſtici illius ruſticum arcanum (hoc enim in aulâ à Medicis decoctum iſtud contraxerat nomen) per ſæpiſſimam & continuatam iterationem fuit exhibitum; ſed citra effectum. Eodem tempore Illuſtriſſ. Regni Subcamerarius Dn. RILSKI eodem morbo laborabat, idemque decoctum in præſcriptâ formula parilique doſi, cum requiſito ſudore, at ſummo cum faſtidio, per continuos quatuordecim dies bibebat; ſed cum ipſemet quoque nullum inde fructum perciperet, medicamenti pertæſus, uſum ejus una cum Rege continuare recuſavit.

III.

Curatio Singularis Arthritidis,

Ser. Regi VLADISLAO IV. p. m.

COMMUNICATA

à quodam Nobili Curlando.

VEnerat ad Aulam noſtram Nobilis quidam, vir aliàs humanus, in arte chymica bene verſatus, aliisque dotibus inſtructus, nomine Nicolaus von Ficken / qui ab Illuſtriſſ. & Excell. Domino Generali Spar / omni meliori modo regi commendatus, etiam ad Cameram

meram regiam introductus eſt: & quidem hoc nomine, quia certum in arthritide ejusque ſpeciebus poſſidebat ſecretum, quo parentes & multi alii anteceſſores ſuæ familiæ, tanquam à morbo hæreditario integrè & fundamentaliter fuerant reſtituti, quin & alii plurimi Nobiles hac curatione uſi, præcipuè illi, qui in tempore & tenella morbi ætate id adhibuciſſent, antequam materia tartarea & morboſa in magnos tophos concreviſſet, aliàs, vel ipſe aſſerebat, valere illud Catonis & Ovidii,

Tollere nodoſam neſcit Medicina Podagram.

S. Regia Maj. nunquã talia, maximè à viris gravioribꝰ laudata, rejiciẽs, inſtabat apud General. ut ſecretũ à poſſeſſore pro certa aliqua ſuma, ſeu alio regio honorario habere poſſet. Impetravit id facilè Illuſtr. Dn. Spar/ dictumque Nobilem Curlandum, in Cameram regiam adduxit: qui habitâ audientiâ Sereniſſ. regi non ſolum ſuum ſecretum explicavit, verum etiam in ſcriptis totum proceſſum porrexit: viciſſim Regia Maj. in teſtimonium gratitudinis & recompenſationis ipſi mille florenos (alii mille imperiales volunt) exſolvi juſſit.

Secreti deſcriptio & uſus erat talis:

Peractis univerſalibus & particularibus evacuationibus (quæ Medicis relictæ, præcedere omnino debebant) Nobilis curam ſuam inſtituit illo præcipuè tempore, quando patiens ab omni dolore, tumore ac alia moleſtiâ morbi eſt liber, per embrochas & lotiones tali proceſſu:

Primo præparetur lixivium, quod

℞ *ſalis comm.* mj. *nitri purif.* ℥j.
camphoræ (*in ſ. q. ſpir. vin. diſſolutæ*) ℥ß. *cinerum fagi* mij.

quæ mixta in quartis tribus (℔ vj.) aquæ fluviatilis, vel liquoris Betulæ clarificati, coquenda ad remanentiam duarum partium, quod lixivium poſtea clarificandum & filtrandum ut artis eſt. Porro parato lixivio ſequenti modo utendum:

Patiens nudo corpore ſedeat in humili quodam labro; ſuper ſellam altiorem tamen, & corpore elevato atque erecto propè focum ſeu in cubiculo calefacto; poſtmodum partes omnes & loca morboſa foveantur & laventur cum ſpongiis, lixivio calefacto prius imbutis incipiendo à parte ſuperiore, nempe ab axillis verſus manus & extremitates digitorum, & pergendo ſic ad inferiores ſeu pedes, per ſpatium mediæ horæ vel ulterius. Notandum hic, tam in primâ adhibitione, quam poſtea ſemper, lotionem, præcedere debere ſtillicidium liquoris dicti lixivialis,

lis, ex ſpongiâ ſuper partes affectas, & inprimis juncturas ab alto quaſi pluat, ut namque ſic ſpiracula cutis reſerantur, partes relaxentur, humores & materia morbi attenuentur, & à centro ad peripheriam evocentur, unde via ſequentibꝰ remediis ſit expeditior, & tartarus jam reſolutus per inſenſibilem transſpirationem uti & urinam promoveatur.

Patiens (uti ſuperius dictum) in applicatione illa ſtillicidii & lotionis ſpatio mediæ horæ vel diutius perduret, pro conditione ſcilicet conſtitutionis ſui, corporis, vel ipſius morbi ex diſpoſitione Medici adſtantis, quem Regi ſemper adeſſe Nobilis ille ſuadebat. Deinde ſe in lectum recipiat, corpus abſtergi curet, &, ne ab aëre ambiente & frigido lædatur, bene ſeſe tegat, ſi ſudor ſupervenerit, non impediendus is eſt, quin immo promovendus.

Tempore curationis licebit aliquando unum alterumve diem intercalare, interim tamen medicamenta diuretica non omittere. Quod ſi contingat, ut durante curatione (quod ſæpius ſolet accidere) dolores in parte aliqua ſupervenirent, & patiens ab illis vehementius corriperetur, ſtillicidio & lotioni non ampliùs fatigandus, ſed quies ipſi imperanda; atque ne materia dolorifica ad partem affectam ſuâ copia repentinè poſſit irruere, ſtudioſè præcavendum. Intereà tamen dolor mitigandus liquore ſequenti antipodagrico externo:

℞. *Phlegmatis vitrioli (nondum rectificati)* ℔j.
Tartari ad albedinem uſti ℥iiij.

Miſta ſtent in loco calido, & poſt diſſolutionem ſalis tartari liquor filtretur & ad uſum neceſſarium reponatur, tunc tepidè pennâ loco dolenti illinendus, & quidem ſæpius in die liquor in ſuppoſitam patinam (quæ vitrea aut terrea aut cuprea eſſe debet) defluens colligi, & ſimili modo denuò adhiberi poterit. Si vero dolor vehementior dictum liquorem ſperneret, & atrocior fieret, applicandum eſt ſequens cataplasma:

℞. *Medullæ panis triticei pulv. omnium florum* (majali tempore è ſtercore vaccæ præparati) a.℔. j.

Coqu. cum *aquæ hyoſcyami* ſ. q. ad ſpiſſitudinem pulmenti, cui addantur

nitri pulv. ℥j. *camphoræ* ℥ij. *croci* ℈jv. & dolore nimis ſæviente *opii* q. pl. pro diſpoſitione Medici. F. cataplasma.

Quod tepidè partibus dolentibus applicetur & quater in die renovetur, continuando tamdiu, donec dolor ceſſet. Advertendum hic quod

quod cataplaſmata non ſunt relinquenda, donec nimis exſiccentur, aliàs, inſtar glutinis, cuti fortiter adhæreſcerent, & in remotione novi doloris cauſa exiſterent; evitari autem hoc incommodum poterit, ſi cataplaſmati aliquid olei papav. albi admiſceatur.

Talis eſt tota curandi morbi Arthritici methodus à ſupra dicto Domino Nicolao von Fiſcken / S. R. Maj. communicata & ex Germanico idiomate in Latinum translata: cui vero à S. R. Majeſtate propoſitæ, Medici regii omnes acriter reſtiterunt, timentes majorem affluxionem ex frictione ſeu lotione cum liquore illo lixiviali, ad partes ſeu articulos ex dolore infirmos: in memoriam enim revocabant ſimilem eventum antehac Regem ab uſu thermarum Badenſium expertum fuiſſe. Reliqua deniqúe topica Regiæ Majeſtati, ſi neceſſitas urgeat, poſſe concedi exiſtimarunt.

In hac Medicorum ſuorum ſententia, Reg. Majeſtas non planè acquievit; proinde cum brevi poſt graviſſimè iterum doloribus podagricis divexaretur, curatio Dn. von Fiſcken / denuò Dn. D. Cnœffelio (qui noviſſimè tunc ex Pruſſia ad aulam redierat) juſſu Regis per confeſſionarium fuit propoſita. Ille vero reſpondit, ſibi remedia eſſe ſatis ſufficientia, ut talismodi communicatis non indigeat; dummodo Regia Maj. jam expertis ſuis medicamentis velit confidere, & conſtanter eorum uſum continuare, de reſtitutione ſanitatis dubitandum non eſſe. Hisce Regia Maj. perſuaſa, medicamenta Cnœffeliana iterum ad uſum revocavit, & paulo poſt convaluit.

Cæterum curationis propoſitam methodum, à Rege caro pretio emtam, hic gratis annotatam eſſe, B. L. æqui boniqúe conſulat.

IV.

SECTIO VENÆ AD LIPOTHYMIAM USQUE *Pro mitiganda & curanda Podagra* *in* VLADISLAO IV. REGE POLONIÆ P. M. PERACTA.

Obruto iterum Ser. Rege menſe Septembri Ann. 1647. atrociſſimis doloribus Podagricis longeqúe gravioribus, quam unquam antehac, remediis etiam omnibus, quæ aliàs conducebant, nihil efficientibus, ad id tandem impatientiæ deventum eſt, ut Rex, furibundus quaſi, (præ nimio cruciatu) omnes ſuæ Cameræ fami-

 liares,

liares, immo & ipſos medicos exCamera regia repelleret. Ad tantâ miſeriâ afflictum nihilominus acceſſit Regina, ſecum ducens, aut verius pertrahens Medicum & Conſiliarium ſuum, Excell. Dn. Auguſtinum Corradum, Amicum meum maximum, à quo propoſita fuit venæ ſectio generoſa, quam Sereniſſ. Regi ſuadebat, allegando autoritates multorum & enarrando, quæ ipſe in ſimili caſu per praxin obſervaverat. Hoc conſilium, quod reliqui quidem Medici in Regio ſubjecto experiri abhorrebant, ab ipſomet Rege fuit comprobatum, eundem ſtimulante & animante Regina, quæ ſola à partibus ſui ſtabat Medici. Secta igitur eſt vena baſilica dextri brachii (ex illius enim lateris pede Rex magis laborabat) à chirurgo, & ſanguis ad Lipothymiam usque extractus eſt; non ſanè ſine effectu: vix enim peractâ ſanguinis miſſione, immo in ipſâ, dolor receſſit, Sereniſſimus Rex factus quietior, ſequenti nocte bene dormivit, alterâ die & ſequentibus ab horrendo & intolerabili hoc paroxysmo liber fuit, ſic, ut renatus ſibi videretur. Cæterum pro roboranda & firmanda parte affectâ embrochæ & lotiones ex vino balſamico & myrrhiſato conſueto, cubitum ituro quotidiè fuerunt adminiſtratæ.

V.

HERBA KNA SIVE GENA

Antipodagricum Turcicum.

ANno MDCL. à Theſauri regni Notario Dn. *Schwenkokowski p.m.* cum D. Cnœffelio ad prandium, ipſo S. Stephani feſto invitati eramus; ibi cum diſcurſus de podagrâ ejusque curatione propoſitus eſſet, idem dictus Dominus Notarius, eodem malo ſæpius infeſtari ſolitus, ſanctè affeveravit, ſibi è dolore pedum infirmanti, notabiliter ſemper profuiſſe Topicum ſequens Turcicum, à quodam Armeno, Conſtantinopoli allatum.

Eſt planta quædam ſeu frutex, Turcis vocata *Gna*, ſive *Gena*, & vulgo noſtro *Kna*, prout & Turcicæ vocis etymon ſonat; cujus uſus ut varius, ſic apud Aſiaticos familiaris & quotidianus eſt, uti infra dicetur. Eâdem plantâ Turcæ podagrā curare ſolent, quod malum vernaculâ ſuâ linguâ *AJAKSISIS* dicitur, i. e. dolor pedum: nam *AJAK*, dolorem, *SISIS* vero pedes ſignificat. Applicationem jam dicti remedii ex relatione laudati *Dn. Notarii* talem eſſe percepimus.

Turcæ, nec non Perſæ, plantæ illius in ſubtiliſſimam farinam redactæ (ſic vero præparata ubique in tabernis Conſtantinopolitanis, venalis

nalis invenitur) uni alterive cochleari, parum fellis bubuli, & vini generoſi tantum, quantum pro conſiſtentiâ maſſæ mollioris ſufficit, remiſcent. Hanc ſuper linteum extenſam pro cataplasmate loco dolenti calidè applicant, renovando illud in die tribus vel quatuor vicibus, nonnunquàm eousque donec omnes dolores recedant & æger ſeſe in meliori ſtatu animadvertat; quod ſecundâ, tertiâ vel quartâ plerumque, aliquando primâ die, ac ſæpius ſtatim poſt primam applicationem evenit, quod Dn. *Notarius* ſemetipſum frequentius expertum eſſe confirmabat.

Poſt hæc accidit Ann. 1663. dum cum Sereniſſ. Rege, Johanne Caſimiro, p. m. Domino meo Clementiſſimo ego Leopoli in Ruſſiâ rubrâ morarer, ut tunc temporis Generoſus Dominus Capitaneus Roſſi, amicus meus ſingularis, cum uxore & liberis duobus ex captivitate Turcica rediret, atque farinæ illius plantæ bonam quantitatem ſecum deferret, quam cum aliis rebus curioſis mihi dono dedit, à me iterum in tres partes diviſam diſtributamque: Unam namque partem Reg. Maj. Ludovicæ Mariæ p. m. quippe quoad res hujusmodi exoticas valdè curioſæ, dedi, alteram Magnifico Dn. *Jacobo Breynio* Dantiſcum miſi; tertiam mihi, in futuros uſus, efficaciam ejus pulveris experturo reſervavi. Nec defuit occaſio tentandi, quod animo volvebam experimenti; Brevi enim poſt in amico quodam podagræ doloribus optimum & feliciſſimum deprehendi ſucceſſum, cataplasmate nempe hoc Turcico, ex pulvere Kna ſive Gna dicto modo parato & applicato, non ſolum prima nocte dolores ſedati ſunt, ſed & tumor diſparuit.

Jam ego ſemel experimentum ſucceſſiſſe, haut eram contentus, quin in alio quoque podagrico (Priore quodam Patrum Bernhardinorum Monaſterii Leopolitani) ejusdem cataplasmatis uſum repeterem, & quidem tunc, cum æger iſte ſummis afficeretur doloribus: & ecce! ſequenti die cum Patrem iſtum iterum viſitarem, faſſus eſt, ſe non amplius ita excruciari, ſeque quietam tranſegiſſe noctem; reiterato ergo remedio, mox omnis dolor penitus evanuit. Libentiſſimè pluribus exemplis virtutes & efficaciam pulveris illius experiri contendiſſem, modo defectus ejus id non prohibuiſſet. Quippe Armeni noſtri, qui aliàs cum Turcis & Perſis commercia habent, & terras illorum ſingulis ferè annis peragrant ac Conſtantinopolim adeunt, olim pulverem, ſæpius nominatum, in præamplis ſaccis unà cum aliis mercibus afferre ſolebant, jam propter

crudele bellum à Turcis contra nos inceptum, ab iſtis itineribus & mercaturâ feriantur.

Quæritur nunc, quidnam tandem hoc Turcarum Gena ſive Kna ſit, an herba, arbor vel frutex? & utrum pulvis ex radicibus aut foliis paretur? Perlectis ſcriptis multorum, invenio tandem, quod hoc *Kna* ſive *Gena & Gna* nihil aliud eſt, quam Arabum *Alhenna* ſeu *Alemana* & *Albanna*, quodque apud eos, qui craſſius vocabulum pronunciant & ſpiritum aſperum addunt, *Alkanna* & *Alkcana* exprimitur; atque hoc vocabulum *Alcanna* & in antiquis codicibus invenitur, & in officinis Pharmaceuticis hodienum ſervatur.

Mauritanis dicitur *Kenne, Henne & Hanne*: Ægyptiis *Ethanne*. Dodonæus vult à Turcis vocari *Henne*. Henne vero & Alcanna apud Serapionem nihil aliud ſunt, quam *Cyprus* Dioſcoridis. Proſper Alpinus etiam Cyprum, Elhanne vocat, & cum aliis autoribus, in Ægypto naſci ſcribit. Sunt etiam, qui ejus ſpecies duas proponant, ſcilicet aliam latifoliam, aliam anguſtifoliam. *Alcannæ* vel *Alconæ* meminit etiam Guil. Johnſonius in Lexic. Chimico; *Alcanna vel Alcona*, inquit, *ſunt arbores ſubtiles, longæ, habentes nodos ſicut cannæ, quibus haſtarum loco utuntur Arabes*: quam deſcriptionem procul dubio autor ex ſono tantum vocis compilavit, quod abjecto articulo Al, Latinum Canna in promtu eſſet; ſed perquam malè.

Bellonius *fruticem* eſſe vult, non arborem vel herbam, ut alii ſomniant, qui unam plantam cum altera in interpretatione confundunt; *Obſervavimus* (inquit l. 2. c. 74. in Ægypto) *Fruticem Alcanna nuncupatum, quem diligenter colunt, atq; ex eo egregias cæduas ſilvulas parant.*

De loco hujus fruticis natali omnes, quod ſciam, Autores conveniunt, in Ægypti Tripolitano tractu, & Cairo ejus copiam inveniri, tradentes: Provenire tamen ipſum etiam in Judæâ, Joſephus autor eſt. Eundem Turcas & Mauritanos propter gratum & ſuavem odorem, Moſchi ſimilem, quemque flores exhalant, diligenter in vaſis cuſtodire, hieme etiam, ne frigore pereat, in cubiculis & locis ſubterraneis ſervare, apud Rauvvolffium videre eſt; annotantem inſuper, quod quia is frutex tardiùs, Auguſto videlicet demum menſe, nova protrudere ſoleat folia, quibusdã uſu venire, ut radices aquâ ſapone infectâ irrigent, aut eis calcem admoveant, quò citius regerminet & floreat. Totâ quoque idem frutex hieme vireſcere dicitur, quod ſub proprio climate, in alio non item, contingere credo; quemadmodum malus aurantia & citria in Italia

lia toto anno virent: cum apud nos hieme folia ſæpius amittant, æſtate nova protruſuræ.

Differt Alkannæ frutex quà odorem juxta regionum, ubi provenit, diverſitatem. Nam in noſtris qui colitur terris, odore valdè remiſſo eſt; in Italiâ, magis forti: in patriâ, Ægypto inquam, ad moſchi fragrantiam accedit. In foliis quoque rurſum diverſitatem aliquam quidam deprehendi volunt; quippe in Ægypto ſint ſtrictiora, quam Alpinus (lit. d. Pl. Ægypt. c. 13.) in Syriâ latiora, quam Cluſius apud Bellon. L. 2. ob. 74. & Rauvvolff. 4. itin. num. 60. depinxerunt: & hanc differentiam ſolam agnoſcit Bauhinus in Pinace pro legitima.

Uſum denique ſæpius nominati fruticis ut modò non prætermittam, operæ pretium me facturum puto, ſi curioſitatis gratia recenſuero, quam varius is quamque notabilis & ſingularis ſit apud Turcas Perſasq; quoad ejus tum ex lectione librorum, tum ex relatione Armenorũ apud nos divertentium & aliorum indagare potui.

Folia igitur Alcannæ in pulverem redigi, jam ſupra indicatum eſt; ipſum Arabes ex Ægypto Conſtantinopolim tantâ copiâ mittunt, ut onerarias eo naves gravent, & in foris ubique culeos eô plenos innumeros venum exponant. Frequentiſſimè vero Turcæ ac Perſæ pulvere eo non ſolum irrufare capillos, ſed & manus & pedes, quin & alias corporis partes, decoris & ornatus gratia infucare, pulcherrimè ſcilicet, conſueverunt. Hujus rei in teſtimonium Bellonii locum ſupra citatum, verbotenus liceat excerpere:

Alcanna (inquit) *in Punicæ mali excreſcit altitudinem, ſed cæſa, virgulas duntaxat profert, ſaligneorum viminum inſtar. Magnum affert Ægypti incolis quæſtum: nam ejus folia arida in pollinem terunt, flavo colore inficientem. Hujus pollinis cenſus tam ingens eſt per eas regiones, quæ Turcarum imperatoris ſubjacent imperio, ut plus quam 18000. ducatorum reddat: invaluit enim ea conſuetudo, ut omnes mulieres, manus, pedes, capillorum partem rubro aut flavo, viri autem ungues rubro colore, hoc pulvere inficiant, addito præterea alumine & urinâ puerorum: utriusq; ſexus capillos tingunt, equorum jubas, pedes: & caudas. Ejus regionis mulieres ad formæ decorem multum accedere putant, ſi ab umbilico, infra etiam, coxarum partem, flavo colore inficiant, quem ex hoc pulvere concinnare norunt, ſimulatq; ex balneis egrediuntur, quoniam eo tempore color altius penetrat. Illius uſus eſt adeò frequens, ut non modò apud Turcas invaluerit, ſed etiam Wallachiam, Ruſſiam & Boſniam deferatur. Cum itaq; plebs hoc pulvere carere nequeat, neceſſario*

ejus diſtributio magnum cenſum præbet; ſæpeq́ accidit, ut Alexandrinæ naves eo oneratæ Conſtantinopolim devebantur, quæ illico venundatur & diſtribuitur.

Ejusdem pulveris mentionem *Olearius* feciſſe videtur, in deſcript. Itineris Perſici (l. 5. c. 11. p. 484. & 485. edit. noviſſ.) ubi de nuptiis Perſarum, earumq́ue ceremoniis agit, ſed ſub *Chinne* nomine, cujus verba curioſa huc quoque transferre non gravabor: *Perſianis*, inquit, *valde familiare eſt, prout plerumq́ Turcis, (referente Geuffræo l. 2. de rel. & cerem. Turc. p. 63. ut rubrè-luteo colore manus (quidam tantum digitos & ungues, quidam totas manus & pedes) imbuant. Pro ſponſis ipſorum hoc neceſſario requiritur ornamentum; idemet color etiam in publicis nuptiis apponitur & hoſpitibus diſtribuitur. Dicunt etiam, quod quidam, ſuos mortuos, præcipuè virgines, ita pingere ſoleant, quo ſuis duobus Angelis Examinatoribus in ſepulcro tanto ornatiores apparere poſſint.* Is *vero color præparatur ex planta, quam appellant Chinne, folia habente liquiritiæ vel potius myrtho ſimilia: ſeminatur colligiturq́ in regione Erak. Quando eâ uti volunt, debet prius ſiccari & in farinam redigi, poſtea cum ſucco Granatorum acidorum vel citri vel aqua communi temperari ac manibus imponi. Nonnulli, quos color paulo obſcurior delectat, terunt inſuper manus cum recentibus foliis juglandis. Et hic color aliquando ad 14. dies durare poteſt, licet ſingulis diebus manus lavent.*

Præterea huc referri merentur, quæ *Bontius* in Hiſt. Nat. & Med. l. 6. c. 48. p. 143. annotavit; *Alcannæ*, inquit, *folia per totam Indiam in uſu ſunt tingendis dentibus, labris, & unguibus præſertim, rubro colore. Pulcrum inter Mauros exiſtimatur, quod hoc modo faciunt. Folia in mortario lapideo piſtillo confracta macerant in aquâ, purâ cum paucâ calce, & ſic rubrum hoc naſcitur pigmentum, quo & caudas equorum ſuorum Turcæ & Perſæ eleganter tingunt &c. Denique hi duo frutices (liguſtrum Indicum & Alcanna) in tanto ſunt honore apud mulieres Malaicas, ut ſacrilegus habeatur, qui malum de iis protulerit verbum, & ſemper in lotionibus, quibus utuntur in puerperiis, omnibus denique vulvæ morbis, ditiores, hæ plantæ adeſſe debeant. Quin & ſenectutem arcere dicunt, & (ſi auderent) mortem ipſam. Certè virtutes ejus ego nunquam ſatis laudare deſinam, cum ſolius bujus nobiliſſimi fruticis ſecundum Deum, ſanitatem meam reſtitutam debeam à moleſtiſſima Paralyſeos ſpecie, qua ego per quatuor integros menſes vexatus ſum, fotu &c. liberatus ſum, & in Noſocomio plures eodem modo liberavi.* Hæc ibi Bontius.

Mo-

Modum applicandi & tingendi partes corporis ornatus gratiâ apud Aſiaticos monſtravit mihi Dn. Capitanei, ſupra memorati, conjux, qui talis eſt:

Pulverem illum *Kna* cum ſucco citri & pauculo vini prius ad ſpiſſitudinem pulmenti liquidioris permiſcebat & mixturam eam cubitum itura, applicato prius linteo, digitis circumcirca imponebat, manè, remoto cataplasmate eo, color aureus deſideratus in digitis & unguibus apparebat; aliquando, cum cutis non ſatis colore imbuta videtur, fœminæ Turcicæ etiam ſecunda vice hunc proceſſum repetunt, donec voti ſint compotes: mulierculæ elegantiores & magnatum virgines loco pulveris *Kna*, cocco utuntur, quoniam Kna ſive Alkanna aureum quaſi colorem producere ſolet; coccus vero rubrum & ad carmeſinum tendentem, qui color apud Aſiaticos eſt rarior & æſtimatior: De hoc ornamento & Moſlandini Theatrum Polit. pag. 443.

Cruore amantium ungulas tinxit
Digitorumque extrema ſanguineo colore aſperſit.

Nam ut Orientales olim pedes, præcipuè mancipiorum venalium, gypſo calce vel cretâ albâ pingebant, quod pro turpitudine, ludibrio & ſervitutis indicio habebatur, unde Juvenal. Satyr. 1.

Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis.

Sic moderni Aſiatici hanc rubram picturam manuum atque pedum non ſolum pro ornamento, ſed & pro libertatis & lætitiæ ſigno habent. Nonnullas fœminas hoc pigmentum mammis etiam aliisque corporis partibus adhibere, non ſolum ſupra citatus Bellonius aliique perhibent, ſed modo dicta quoque Domina Capitanea pro certo aſſerit, ſe idem ſæpiſſimè oculis ſuis uſurpaſſe. Colore hocce & apud nos variæ res imbutæ videntur, lanæ, videlicet, ſetæ, linteamina, & præter alia præcipuè jubæ & caudæ equorum Turcicorum: eodem & capillos (lixivio ex hoc pulvere parato) tingi ſolere, ſuperius jam annotatum eſt; quod arcanum ſi noſtræ (inquit *Alpinus*) mulieres agnoviſſent, pro deaurandis ſuis capillis nihil haberent, quo ſecurius uterentur, neque ſub radiis ſolaribus ſe urerent, variisque modis caput læderent.

Flores atq; folia recentia hujus fruticis dolenti imponunt capiti maximè in balneo atq; in

hunc

hunc uſum corollas ſibi conficere ſolent. Græcos fortaſſe imitantes, quos florem Cypri corollis intorquere *Plutarchus* Sympoſ. l. 3. Q. 1. refert, quod placidum ſuavemque ſomnum potoribus afferat, quippe qui levem auram & mitem expiret, quæ temulentorum ſalebroſas aſperitudines ſenſim leviget, ita ut conciliatâ tranquillitate hebes crapula retundatur & caloris officio percoquatur.

Ex eodem olim etiam *Unguentum* parabatur, Cyprinum dictum, quod Abdelonymus Sicyonymus Alexandro Magno miſit, ut ſcribit Jul. Pollux l. 6. c. 19. cujus uſum apud Turcas adhuc hodiè vigere, ſunt qui affirmant.

Ex hoc denique pulvere cum aquâ mulſâ emplaſtrum conficiunt, quod pedibus ob defluxiones humidis multumque ſudantibus ac fœtentibus apponunt & per horam retinent; propter vim nimirum exſiccandi & adſtringendi; nec habent Ægyptii, multorum relatione, quod magis eum effectum præſtet, quam dicta medicina. Eadem aliud quoque Turcarum pedibus commodum confert; notum eſt quam gens iſta in ſubditos ſeveritatem ſanè barbaram exerceat, ut vel minima delicta fuſtigatione puniat, plantas nempe pedum tamdiu baculis percutiendo, donec ſanguis prorumpat, immo aliquando caro ab oſſibus ſeparetur, unde ſic caſtigati per multum temporis ſpatium pedibus uti non poſſunt. Pro demulcendis tantis doloribus & diſcutiendis tumoribus pedes primo per mediam horam in muria detinent, deinde ſæpius dictum pulverem, aquâ vel vino temperatum, ſuperimponunt, hinc brevi dolor & tumor recedunt, moxque fuſtigati pedibus incedere & ambulare poſſunt.

VI.

PODAGRICUS DOLOR

in

VLADISLAO IV to

POL. ET SUEC. REGE &c.

CURATUS

per

Clariſſ. & Excell. Dn. D. Matthæum Littavv Sereniſſ. Maj. Medicum & Secretarium.

Hic

HIc Medicus, Vir inſignis, doctus & Regi ſuo percharus, quia in negotiis & obſequiis erga Dominum ſuum nunquam ultimus, maximè verò illo tempore, cum Regia Maj. intolerabili rurſus dolore ſiniſtri pedis affligeretur, & licet tum plurima tentarentur remedia, nulli tamen eorum ceſſit malum. Conſilio itaque cum aliis ſuis collegis inito, ille ſingularem ſcripto propoſuit curationem, quodammodo ad imitationem Dn. D. Cnœffelii, tunc abſentis, compoſitam. Perlectis & examinatis remediis ibi propoſitis, Medici præſentes omnes unanimes curationem comprobabant: Rex verò ipſe doloribus preſſus & vexatus, facilè in omnia conſentiebat. Dictum factum, medicamenta tam interna, quàm externa fuere adhibita, ubi ex Topicis quidem aliquod levamen Rex ſenſit, dolor tamen quidam punctorius per intervalla rediit, donec tertio die circa mediam noctem, ſomno profundiſſimo corriperetur: dormivit ſic decem horis, tandem verò expergefactus à doloribus ſe planè deprehendit liberum; ac vires de die in diem reſumens, melius habere cœpit, ita, ut paulo poſt pedibus ſuis absque ſcipione inſiſtere & iterum ad ſenatum accedere poſſet.

Brevi poſt finitam curationem, cum Medicus, certus jam Regem ſibi perbenè velle, reſciret in Lithuania, apud amicum quendam quatuordecim millia florenorum Polon. (ea verò ſumma theſauro Regio debebatur) parata eſſe, occaſione eâ arreptâ, à Ser. Rege omnem illam pecuniam, pro ſe, nunc ſene exoravit. Rex primo quidem petitum hoc ad mediam partem reculavit, ſequenti tamen die ex ſingulari clementia, maximè ob factam feliciter curationem, Medico aſſignationem pro totâ dictâ ſummâ ſubſcripſit. Quis lætior Medico tam feliciter curanti, tam munificè ac largiter compenſato?

Sed vix annus erat elapſus, ubi Ser. Rex doloribus Podagricis & quidem graviſſimis iterum fuit correptus, jam medicamenta Dn. D. Littavv eludentibus, immo Topico illo magis exaſperatis, ſic, ut ſpem, in ipſis hactenus poſitam, modò Rex omnem cum medicinâ rejiceret & ad inferos prorſus condemnaret. Revocata itaque eſt rurſus in uſum medicina Cnœffeliana, ab Autore in Pruſſia degente, mihi transmiſſa quæ deſideratum etiam effectum eximiè præſtitit.

Cæterum, ut appareat, quæ Dn. D. Matthæi Littavv medicamenta fuerint, eorum formulas hic annectere juvat.

1.

Aqua Antipodagrica interna cum requiſito pulvere.

℞. *Cornu cervi phil. calc.*
Antimon fixi diaphoretici a. ʒvj.
Spir. vitrioli veneris chalybeati ℥ß.
Santal. rubr. ſubtil. pulveris. ℈ jv.

Pulveriſatis & patinæ impoſitis vitreæ affunde pedetentim ſpir. vitr. chalyb. & in cinerum lento calore humiditatem exhalare ſinito, poſt exime & ſuper marmore in pulverem tenuiſſimum terendo redige. Jam

℞. *Prædicti pulveris* gr. xij. *aqu. arthetic. rad. gramin.* a. ℥ij.
ſyr. cinnamom. & violar. a. q. s. pro edulcoratione.

Miſce pro potiuncula, ſic pro una vice & aliis. Hæc medicina per dies continuos quadraginta, horâ octavâ matutinâ exhibenda eſt, veſperi verò horâ quartâ, frigidè. Quod ſi Regiæ Maj. aliò proficiſcendum ſit, paretur aquæ iſtius ea quantitas, quæ pro itinere perficiendo ſufficiat; vel detur aquæ dulcoratæ menſura ſeorſim, & pulveres, ſingulis hauſtibus deinceps permiſcendi, pariter ſeorſim.

2.

Topicum.

℞. *Spir. ſalis ammon.* ℥ß. *ex oſſib. hum. deſt.* ℥j. *Aqu. urtic ſimp.* ℔ß.
Cinabr. ♁ ℈ß. *miſc. & ſig.* Waſſer zum Schmieren.

Haſce aquas ingredientia ſic parabantur:

Spiritus ⊕li Chalybeatus.

℞. *Spir. ⊕l. veneris rectif.* q. v. (e. g.) ℥j.

Chalybis pulveriſ. ʒij. Miſc. in vaſe vitreo & capaci, & poſtquam ſteterint in loco calido per 24. horas ſpiritus per inclinationem decantatus & filtratus ſervetur in uſum præſcriptum.

Spi-

Spiritus ſalis ammoniaci.

℞. *Salis Ammon. pulv.* ℥iiij. *Ol.* ♀*ri per deliqu. parat.* ℥viij.
Miſc. & deſtill. ut ſcis, in liquorem urinoſum.

Spiritus oſſium humanorum.

℞. Bonam quantitatem *oſſium humanorum* minutiſſimè confractorum. e. gr. ℔ij. *Tartari pulveris* : ℔j. ⊖*l. Rom.* ℔ß.

Miſc. & deſt. ad latus; fœtidus prodiens ſpiritus cum oleo, fecibus relictis ſuperaffundendus & ut ante deſtillandus: Hic de novo cum tegulis pulveriſatis deſtilletur, ſic prodibit albus & ſubpinguis, omni quaſi fœtore liberatus.

Hæc ſunt, quæ hac vice Ephemeridibus Curioſis adjicere volui. Tu interea, B.L. qualiacunque ſunt, tam benevolâ, quam gratâ manu accipe, & Faſciculum ſecundum, Medicamentorum videlicet, Dn. D. Cnœffelii ſecretiorum, brevi, in Anno VI. earundem Ephemeridum, ſubſecuturum, expecta.

(*VVarſoviæ Vratislaviam ad Collectores Ephemeridum.*)

EPILOGUS.

BENEVOLE, HONORANDISSIMEQUE LECTOR!

HAut diffidimus, Collectores Miſcellaneorum Curioſorum, duos hoſce in Volumine Ephemeridum congeſtos annos, exſpectationi Tuæ, ultra terminum & metam præfixam, nonnihil protractæ, ſi non ab omni, plurimâ tamen, aut certè non minimâ ex parte ſatiſfacturos. Tantum de TE nobis promittimus, ſiquidem novimus varietate rerum homines tàm ſæpè delectari, quàm vel earum pretio. Neque tamen uni delectationi varietas iſta litare, immò potius utilitati inſervire debet. Completa omnibus numeris ſupellex ea dici non poteſt, ubi ſolùm vaſa & inſtrumenta ex gemmis &

auro radiant, immò verò inſtructa dici meretur, in quâ nullum deſideratur utenſile, quod neceſſarium eſt, licet ex ignobiliore materiâ confectum. Picturas admiramur non tantum, quas Apelles aliquis Ticianusve aut Albertus abſolvit, ſed & quas vel primis adumbravit lineis. Nulli proinde veremur, ut quiſpiam ringatur, ſi iſtæ Ephemerides æquali nitore undique non radiare, aut ejusdem ſoliditatis examen ſuſtinere, aut penitiſſimè pertextæ videri queant. Opus, quod molimur, certè non unius aut paucorum annorum penſum eſt, ſed quod plura ante hoc, ſæcula non potuerunt abſolvere: Sufficiat, ſi indies particulam de eo, quod Anteceſſores rude reliquerunt, expolire tentemus; nec vitio quis vertet noſtro ſæculo, ſi idem nepotibus ſuis materiam præbeat, quo illi etiam acumen ingenii exerceant. Verum quò minus Te moremur, B. L. verborum facto compendio, æquitati Tuæ confidimus, ut homo exiſtens, humanitatis privilegium nemini hominum anceps facias aut deneges; quin & memineris, Collectores Miſcellaneorum Curioſorum hactenus in ſe ſuſcepiſſe ſpartam Obſervata & Meditationes Eruditorum Medicorum cogere, ſibi cenſuræ rigidioris usque adeò neutiquam arrogare arbitrium; quippe quod Tuæ potius judicii ἀκριβεία modeſtè decenterque delatum relinquere malint. Quod Appendici tractatuli aliquot curioſi, antehac divulgati licet, denuo typis exſcripti, inſerti ſunt, ægrius B. L. haut feres, ejus enim rei privatæ & prægnantes ſunt cauſæ, hîc prolixitatem evitaturis, ſilentio tranſiliendæ. Quod ſi tamen adverteris, eosdem tractatulos ab Academiæ Noſtræ Collegis conſcriptos, eidemque dedicatos, non incongruum exiſtimabis, quod Academia honorem ſibi facientibus, gratitudinis ſic viciſſim exſtare conſtituit monumentum. Neque tamen in gratitudinis de illâ præjudicium vergat, proteſtandum eſt, quod quædam ejusdem notæ & farinæ ſcripta huc non relata ſunt, cum ſic (ne aliæ allegantur cauſæ) moli ſuæ paulò ampliori Ephemeridum præfinita anguſtia capiendæ vix fuerat. Itaque ut iniquior forte de Collectoribus ſenſus opportunè præſecetur, Benevoli ejusmodi Scriptorum Autores humaniſſimè rogandi ſunt, ut ea, quæ in Ephemeridibus exſtare cupient, haut gravatim ante communicent, quam alibi impreſſa divulgentur. Sic fiet, ut (de quo jam tum aures vellicantur) erga neminem illi injurii, neminique graves audiant, utriusque enim culpæ labem ſeriò deteſtantur, remotiſſimamque à ſe eſſe contendunt.

Præterea ſunt quædam, quæ ſpeciatim tum ad Clariſſimos Dn. Dn.

Com-

Communicatores, tum ad Collectores ſpectant, in gratiam & illorum & ſuam, ipſius quin etiam B. L. haut diſſimulanda.

Imprimis verò AUTOREM ingenioſiſſimum TUMBÆ SEMIRAMIDIS ſcire juvet, tractatulo iſti ſuo ſecundùm recuſo, perperam ſubſcriptas eſſe literas H. V. D. errore neſcio an præcipitantiâ Typographi, qui cum ex novello tractatulo lucrum, nec ideò iniquum, captaret, atque exemplar Viro cuidam celeberrimo, ab Amico (qui ipſemet idem exemplar ab alio mutuo ſumſerat) Vratislaviâ Lipſiam tranſmiſſum accepiſſet, frontique (at tantum pennâ) ſubſcriptas literas H V. D. conſpicatus eſſet, non poſſeſſoris hinc nomen agnovit, immò verò protinus Autorem dictis literis deſignari, adeoque easdem jure exprimi debere, ratus eſt. Quo certius itaque apud TE, Autor celeberrime, ſuſpicio deleatur, ullas hîc ſubeſſe inſidias furtivè tuo nomini aut famæ ſtructas, neve L. B. eum Autorem putet, qui nunquam per ſomnium de tam abſurdâ ſtultitiâ, ut alienis plumis ſuperbire cuperet, cogitavit, illam hic una cum indicatis literis expungere oportuit.

THESES DE SPIRITU MUNDI ab Anonymo quodam, ſed Viro doctiſſimo, fortaſſe magis pro ſuo, quàm aliorum uſu conceptas atque concinnatas, ab Amico vero rei chymicæ ſtudioſiſſimo communicatas, Appendici Ephemeridum inſertæ ſunt, non alia intentione, quam labyrintho illi, in quâ non pauci pererrare conſpiciuntur, filum tandem Ariadneum vel appendendi, vel inveniendi.

Quo minus ergo, quiſquis es, Autor eruditiſſime, iſtas Tuas Theſes ſubreptas Tibi, quia Te inſcio editas, conquerare (ſiquidem vitâ uſque dum frueris, quâ Te diutiſſimè commodiſſimeque frui optamus) veniam factæ editionis à Te publicis hiſce literis exoratum venimus. Inſuper, Vir Honorande, obliquioribus noli intueri oculis, Reſponſionem, quam laudatis Theſibus annexam conſpicies, quia nullâ acrimoniâ adſperſam percipies; immò verò in mentem revocato, quod ex placido diſſenſu magis amicitiæ integritas, quàm ex adulantium aſſenſu veritatis ſtudium eluceſcat. Nec Te, Colendiſſime Cnœffeli, Celebratiſſimi Patruelis Tui non degener nepos, malè de Te actum putes, quod Reſponſio illa, in Amici gratiam conſcriptam & privatæ eius meditationi conceſſam, Te haut jubente, publici nunc iuris facta eſt, non alio, quod ſedulò & ſanctè iterum conteſtamur, quam proximo inſerviendi & veritatem allectandi, nequaquam lites ſerendi animo.

Uterque verò, Viri Eruditiſſimi, penſitate ſultis, perquam hone-

ſtam eſſe contentionem pro veritate initam. In iſtâ enim arenâ, ut vincere omninò pulcrum eſt, ſic vinci neutiquam opprobrio: quippe agonem (intra placiditatis & modeſtiæ metam decertatum:) utriusque ſuum manet præmium, victoriæ hinc gloria, iſthinc uſus.

Quod reſtat VOBIS, VIRI Eruditionis non minus, quam Artis excellentiâ admirandi atque celebrandi, qui Academiæ Naturæ Curioſorum Veſtra hucusque inſcribere, dedicare donareve opuſcula, dignati eſtis, juſtisſimas atque maximè honorificas, Collectores Ephemeridum, laudatæ Academiæ juſſu ac ſenſu perſolvimus gratias, quoad nempe Veſtra, Fautores optimi, beneficia ac merita, h. e. amor Academiæ, ejuſque incrementa firmandi promovendique ſtudium animo grato proſequi poſſunt, cum re ipſâ haut queant. At ſi virtus ſibimet pulcherrimum præmium, vos virtutis manet certiſſimum ampliſſimumq; redhoſtimentum. Nihilominus dum ſingula Academiæ membra, ſuam quodque pro virili debere Vobis profitentur obſervantiæ ſervitiorum, amorisq; ſedulitatem (quam & Collectores Ephem. ſpeciatim & prolixè pollicentur) dubio procul univerſæ experiemini gratitudinem Academiæ: quam, ut perpetuo veſtro favore proſequamini, quâ par eſt humanitate, vos obſecramus, etiam atque etiam rogamus.

B. L. Cum In D. D. Velſchii Mictomimematibus Cent. III. §. IX. & LXXIX. deſcribentis negligentiâ omiſſus fuerit, hîc defectum hunc ſupplere voluimus:

IX. Ab Epiplocele laterum dolor, viro obeſo, vini potu lethalis accidit.

NOTA.

Epiplocele] Enterocelen quoque lethalem hieme à frigore jam ſæpius obſervare licuit. Epiplocele autem hæc febrem excitaverat, cui acceſſit laterum dolor. V. S. repetita quidem profuit, ſed vinum non erat concedendum, etſi illius potationi adſveviſſet.

LXXIX. Arthritidi in fœminâ nobili frequens opiatorum uſus, dolorem mulcendo, paralyſin induxit.

NOTA.

Opiatorum] Conf. Hecatoſt. noſt. II. interdum enim proſunt. Nec tamen diu id faciunt, dolores enim redeunt. Nimia ſtuporem inducunt, à quo paralyſis deſperata, quæ nec thermis cedebat, nec quibusvis aliis.

Ibid. Cent. III. §. XII. notis add.

Eſſent Croci.] Vid. ſingularem tractatum Curioſum D. Io. Ferd. Hertodii.

Item Cent. II. §. IX. poſt verba: Experimento Chirurgi Patavini addend.

NOTÆ.

Succus Parietariæ] Plin. XXII. 17. ex Dioſcoride IV. 81. ſideritin appellat. Hujus autem vires, ſangvini ſiſtendo efficaciſſimæ, cujuscunque generis fuerit, quippe vulneraria eximia. Nam Aëtius Paralogiſmo cauſæ ludit, quod hæmorrhoides cum ſale trita aperiat, cum ſal quodvis id ſolùm peragat.

Appendicis Errata.

Prior Numerus Paginam, poſterior Lineam indicat.

PAg. 4. l. 19. l. claſticæ, 7. 4. l. extracti 9. 23. l. כפש, 28 l. maſculum, 12. 4. l. adjectis. 31. 32. remittente, 33. 30. l. illota, 51. 12. l. hirudinibus, 15. l. hirudin: 52. 2. l. Lucenſis, 60. 26. l. Solani, 74. 18. l. ſcabra

[illegible]29. 19. l. novâ, 83. 10. l. immo, 85. 23. l. Adeptus, 25. l. eſt, quàm, 33. l. Purum. 04. 36. l.mortificatur; 101. 5. l. ſubjectio, 133. 30. l. ſuum 34. l. univerſali torri, 135. 24. l. verè 138. 8. habentibus 142. 15. l. non inutiliter, 144. 10. l. aurum, 191. 3. l. in diſtans, 20. l. Hermet. 196. 17. l. cati pilis, 198. 9. l. lapid. Bonon: 199. 33. l. Poterio, 201. 27. l. vivaces è, 26. l. æmulabatur. 37. l. ventrem. 205. 37. l. quoque, 206. 36. l. monte, 214. 12. l. circa 24. l. quo 27. l. Phoſphori, 2 8. 2. l. oracula, 217. 26. l. uſum 221. pen. in margine l. ☊tæ. 225. 8. à fine in marg. animalibus. 226. 35. l. decoctio 227. 13. l. ? 230. ult. in marg. l. figentibus 332. 20. l. contuſam 235. 20. l. Quæ 236. 5. l. ἀπόῤῥοαὶ ibid. l. πορεύονται ibid. l. 7. poſt. ex dele; & pone ante ex 240. 19. l. ♀ eſt, quod fumat 241. ult. l. nequeunt 243. in marg. l. In aliis vero. 245. 12. l. ἐκδιεστώτων 246. 16. l. flexibilibus.

Errata Faſciculi I. Remediorum Antiarthriticorum.

p. 313. l. 11. l. ubique.

316. l. 31. ℥vj.

323. l. 32. l. pulveris. l. contendiſſem.

324. l. 30, l. quemque.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.


Nun quam otioſus
PHILIPPVS IACOBVS SACHS A LEWENHAIMB VRAT:
PH. ET MED: D. S.R. IMP. ACADEMIÆ NATVRÆ
CVRIOSORVM ADIVNCTVS, d. PHOSPHOR,.
REIP. PATRIÆ PHYSICVS. NATVS Aõ.
S. R., MDCXXVII. D. XXVI. AVG: OBIIT.
Aõ. MDCLXXII. D. VII IAN.
Iacob Lindnitz delin.
P. Kuian sc.

MEMORIA SACHSIANA,

IMPERIALI
NATURÆ CURIOSORUM
SOCIETATI,
AC
POSTERIS
COMMENDATA,
KILIÆ HOLSATORUM
A
I. D. M. D.

LIPSIÆ,
Sumptibus JOH. FRITSCHI.
M DC LXXV.

INDEX CAPITUM
MEMORIÆ SACHSIANÆ.

Cap.
I. De Morte D. Sachſii, & Calculis, in Ejus Corpore repertis.
II. De ultimo Ejus Decubitu: Natalibus: & Ægritudinibus prægreſſis.
III. De præcipuis Morbi ac Mortis Sachſianæ cauſis, Diætam reſpicientibus.
IV. Diſtinctim de Studio Vini, vel Ampelographiâ.
V. De Studio Cancrorum, vel Gammarologiâ
VI. De Studio Venerum, & Pulcritudine geminâ Sachſii, per totam Vitam.
VII. Seorſim, de Dotibus Ejus, in Scholâ & Academiâ conſpicuis.
VIII. De Itinere in Hollandiam.
IX. De Itinere per Brabantiam, ac iterum in Germaniam.
X. De Itinere in Galliam.
XI. De Itinere per Italiam.
XII. Seorſim, de Laureâ Doctorali, Patavii acceptâ.
XIII. De Sachſii in Patriam reditu.
XIV. De Conjugio ac Liberis.
XV. De Vitæ reliquæ ſummâ, & ad eam ſpectante Praxi Medicâ.
XVI. Seorſim, de Phyſicatu D. Sachſii, Ejusque in Officio iſto Anteceſſoribus.
XVII. De Receptione Ejus in Naturæ Curioſorum Collegium, & Actis in eodem.
XVIII. De Converſatione cum Viris eximiis in Patriâ.
XIX. De multiplici Ejusdem Commercio Epiſtolico.

XX. Diſtinctim de Correſpondentiâ (ſit venia verbo) per Poloniam & Hungariam.
XXI. De Correſpondentiâ per Italiam.
XXII. De Correſpondentiâ per Galliam.
XXIII. De Correſpondentiâ in Angliam cum Dn. Henrico Oldenburgio.
XXIV. De Correſpondentiâ in Belgium & Daniam.
XXV. De Correſpondentiâ in Septentrionaliores Plagas.
XXVI. De Correſpondentiâ per Germaniæ Partes, Alſatiam & Auſtriam.
XXVII. Incidenter, de Gratiâ CÆSARIS, & Auguſtâ Imagine, cum Catenâ Aureâ, Sachſio transmiſsâ.
XXVIII. De Correſpondentiâ in Bavariam & Bohemiam.
XXIX. De Correſpondentiâ per Franconiam, in Hanoviæ Comitatum, & Haſſiam.
XXX. De Correſpondentiâ in Helvetiam.
XXXI. De Correſpondentiâ in Holſatiam, Luſatiam, & Miſniam.
XXXII. De Correſpondentiâ in Moraviam, Palatinatum, & Pruſſiam.
XXXIII. De Correſpondentiâ per Saxoniam & Sileſiam.
XXXIV. De Correſpondentiâ in Sveviam, Thuringiam, & Wirtenbergenſem Ducatum.
XXXV. De Correſpondentiâ cum Anonymo, & Scripti hujus Autore, additâ Proteſtatione Ejus aliquâ.
XXXVI. De Scriptis reliquis Sachſii, publicæ præſertim Luci datis.
XXXVII. De Scriptis quibusdam ineditis, tam Sachſii, quàm aliorum, penes Ipſum.
XXXVIII. De Diviniore Mortis Sachſianæ Cauſâ, & Fato diverſo Collegii.
XXXIX. De Impedimentis Collegii Ejusdem.
XL. De Votis pro Eo, cum Clauſulâ, ad Naturæ Curioſos.

Cap. I.

De Morte D. Sachſii, & Calculis, in Ejus Corpore repertis.

Magnifice Dn. Societatis noſtræ PRÆSES, Nobiliſſimi, Experientiſſimique Dn. COLLEGÆ, Fautores ac Amici longè Honoratiſſimi.

Culpandæ meritò inhumanitatis reus agerer, ſi ſubobſcurus quamvis Collegii noſtri Heſperus, veruntamen quomodocunque litare ſubterfugerem propagandæ ad Poſteros juſtæ *Memoriæ* ſurrepti ex Oculis, inque Sphæram ſuam ac beatiſſimas ſedes, procul ab Horizonte noſtro, reducti PHOSPHORI. Cum id officii genus non modò ab Amicis, ita volentibus, impoſitum mihi ſit, & pertinax Bibliopolæ exſpectatio moram amplius non ferat; ſed vel ipſa Pietas & Affectus poſtulet, quo peculiariter in Defunctum feror, ob communia quondam cum ipſo Artis Studia, ob Patriam communem, & Amorem præſertim, quo tùm publicè in exornandam omnibus modis Medicam rem, tùm privatim erga Me ab Annis pluſculis, ſanctè penitus & conſtantisſimè flagravit. Unde poſtquam Nobile illud Academiæ noſtræ Fulcrum, poſtquam excellens iſtud & amabile Decus Muſarum, Phœbi, ac meum, Sapientiæque Experimentalis inſatiatus Helluo, Vir Nobiliſſ. Ampliſſ. Experientiſſimusque, Dn. D. PHILIPPUS JACOBUS SACHSIUS à LEWENHEIMB, in Illuſtri Vratislavienſi Republicâ, plurimorum anteà Morborum Triumfator, & Patriæ dictæ dein juratus Æſculapius, ſed & ipſe Fatorum nutui ſubjectus, inter ſtupendos pro Collegii Gloriâ labores, & affulgentes ÆTERNI CÆSARIS LEOPOLDI Gratias, cum maximo omnium ſui deſiderio, die VII. Menſis Januarii ſtyl. N. ſuperioris Anni M DC LXXII.

ſuæ Mortalitatis Terminos complevit: ab eo quidem Tempore juſtiſſimus Dolor noſter nedum occalluit. Imperandum tamen viriliter lacrymis eſt, & luctus coërcendus; ne ſolâ plangendi conſuetudine, quæ etiam cadit in ignobiliora Ingenia, Ampliſſimi Viri Gloriæ quid detrahatur: qvi adeò lethaliter Venationi Scientiarum impalluit, ut Ipſum nil juvent noſtri gemitus; publicè verò interſit, ponere Eum in Exemplum palmare ac ſpecimen MEDICI verè CURIOSI.

In Cujus exanimi Corpore, à peritiſſimis Medicis diſſecto, (condonent enim mihi, ab Extremis exordienti, hoc grande Hyſteron Proteron Rhetores) ſequentia memoratu digniſſima, remotis *Integumentis*, Thoraci ac Ventri communibus, comparuerunt:

Omentum prætenue.

Ventriculi ſubſtantia itidem tenuis, minusque craſſa; inæqualiter tamen. Interiorque illius Tunica diverſicolor: circa Orificium ſuperius videlicet virore quodam ſubnigro; circa inferius Vitellino, circaque medium Tincturæ ſubpuniceæ ſchemate infecta. In Ventriculo verò liquoris fæculenti ac turbidi tria cochlearia circiter, acorem graviter corruptum redolentia.

Meſenterium prorſus expers pingvedinis: & Vaſa ejusdem tantum non exſangvia, ut etiam Ramus Venæ portæ, experimenti cauſâ diſſectus, vix aliquot guttulas Cruoris effunderet.

In *Pancreate*, nihil anomali notatum.

Nec in *Hepate*, niſi quod extremitas cavæ partis utcunque liveſceret; quod verò ob viciniam Veſiculæ Felleæ facilè fieri potuit.

Fellis abundantia notabilis, & conſiſtentia viſcidior.

Lien brevior ac rotundior ferè ſolito; cæteroquin optimè conſtitutus; pendens Uncias quinque cum dimidio.

Ren dexter ſiniſtrum magnitudine ſuperans. In cujus (Renis dextri) Pelvi ſupra Infundibulum, *Calculus grandis*, inſignibus eminentiis, & unâ earum imprimis notabili, quæ principio Ureteris infigebatur, exaſperatus, Uncias duas pendens, eique Pingvedo plurima ſuppoſita, præter pingvedinem exteriorem, intrinſecus Parenchymati adnata; præſertim circa Infundibulum, *cum Calculo* Socio alio *minore*, pendente Scrupulos duos cum dimidio.

Ren ſiniſter utcunque melior: Sabulo tamen prægnans; & extrinſecus nonnullis Hydatidibus conſperſus.

Veſica Urinaria pariter inhæſu *Calculi* afflicta: qui verò minor, oblon-

oblongus, & quaſi quadratus exſtitit, pondere granorum ſeptem.

Cor & Pulmones debito modo ſe habuerunt.

Cujusmodi Relationem cum Calculorum Effigie, *Clariſſimis Viris, Dn. D. Henrico Volgnadio* & *Dn. D. Johanni Janiſio,* Amicis ſinceris, debeo, ex literis Eorum, ſtatim poſt Ultima B. Viri, Vratislaviâ collegialiter ad Me perſcriptis; ſuntque *Figuræ Calculorum* hæ: quarum

FIG. I



FIG. III   FIG. II

CALCULI SACHSIANI

Prima, Calculum majorem Renis, jam dicti dextri, quà utramque faciem a & b ſignatam, cum ſuo proceſſu c. in ureterem deſcendente oſtendit:

Secunda Calculum minorem, majoris in eodem Rene Socium:

Tertia Calculum minimum, in Veſica repertum, denotat.

CAP. II.

De ultimo Ejus decubitu: Natalibus: Ætate, & Ægritudinibus prægreſſis.

IDem *præſtantiſſimi Viri* in literis iisdem de Ratione Decubitûs *Clariſſ. Dn. Sachſii* hæc mihi ſunt teſtati: *Dies*, inquientes, *erat ſecundus Januarii, quo lecto planè affixus, quatuor Medicorum implorabat Conſilium: in caſſum tamen omnia adhibebantur Medicamina, cum Morbus jamdudum tam altas egiſſet radices, quæ viribus planè exhauſtis, absque ſubjecti interitu eradicari haud poſſent. Morbus non erat unus, ſed complicati. Per ſemeſtre aut trimeſtre ſpatium laboribus & negotiis concatenatis defatigatus, Carnium, Piſcium, Vinorumque genera averſatus, Pulmentis ſaltem & Sorbilibus corpus reſarcire intendit, medicamentis ferè poſthabitis; donec morbo fractus, ex aſſe ſibi mederi & voluit & juſſit; ſed nimis ſerò. Hæmorrhagia enim naris ſiniſtræ, non quidem larga, ob nimium autem admixtum Ichorem ſæpius rediens, Vomitusque tandem auſteri, &, ut Ipſe nominabat, Aluminoſi, omnem Ventriculi Tonum perverterant, viresque abſumſerant, ut VII. Januarii Animam ſuam placidiſſimè Creatori ſuo reddere cogeretur,* cum vixiſſet Annos XLIIII. Menſes IV. ac Dies XXIII. Natus videlicet Vratislaviæ, Anno Chriſti, M DCXXVII. Menſis Auguſti Die XXVI, ab egregiis Parentibus; *Patre, Nobiliſſimo, Tobiâ Sachs* â Leuenhaimb in Klein-Breſa, & Alt-Tuſchkar, Hæreditario, probatæ fidei ac dexteritatis Viro, ut Ei proin *Senatus* ibidem *Ampliſſimus* honorificam Ærarii publici Spartam commiſerit; quam inſigniter & in Annos pluſculos ornavit, donec laborum ſatur rude donatus eſt, & quod Vitæ ipſi ſupererat, ſvaviſſimâ Tranquillitate Vitæ ruſticæ in Prædio, conſumſit: *Matreque Urſulâ*, laudatiſſimi Exempli fœminâ, Nobiliſſimi Viri Dn. *Danielis Rindfleiſch (vel Bucretii.)* Medici, Philoſophi, ac Philologi ſummi, Sereniſſ. Archiducis Auſtriæ CAROLI, Epiſcopi Vratislavienſis Archiatri, & Phyſici Reip. Vratislavienſis, Filiâ: quæ in iſto partu geminos edidit; ſed quorum alterum, *Tobiam* nominatum, Fata iterum, interpoſitis tantum hebdomadibus 23. & 4. diebus, abſtulerunt. Ipſaque dein An. 1646. mortua eſt.

Iſtud jam Sachſianæ Mortis genus, & ultimam Calculorum ferociam optimus Noſter *Phoſphorus* maturè ſat prævidit, iteratò nempe cum iis anteà conflictatus ab Annis aliquot. Et memoratu dignum eſt, quod mihi ſcripſit

ſcripſit *Dominus D. Volgnadius*, laudatum Virum, Ann. 1662. ipſo die ſuo Natali, primas Arenulas excreviſſe.

A quibus ſubſequo tempore haud ſemel quidem Victor evaſit; etiam, cum malè-ominoſus ille renum ac ſangvinis Limus jam induiſſet Schema Calculi, prout ipſemet *Sachſius* An. 1665. d. 6. Mart. mihi ſcripſerat his verbis: *Præteritâ ſeptimanâ dolores Calculi in Rene dextro, reſpondendi officium inhibüerunt: qui tamen Divinâ gratia, ubi in Lucem infauſta Calculi proles fuiſſet edita, ceſſarunt.*

Sed, ut fieri aſſolet, recurrente ſæpius Hoſte, vires reſiſtendi magis magisque attritas ſenſit; & poſtquam ab acerbis Renum doloribus tum etiam evaſerat, veruntamen haut vanè (in literis ejusdem Anni Menſe Majo ad me perſcriptis) ſibi metuit, ne induciæ iſtæ eſſent minus diuturnæ, & potiùs; *ſi Malum ſæpiùs recruduerit* (ſunt verba Ipſius) *Sachſium, non ſaxum, Saxo ſepulcrali ſit illaturum*: accedentibus præſertim Morbis aliis, â quibus (in aliis Literis, *Ann. 1667.* d. 6. Maji ſcriptis) queritur, quod *ferè ad ultimam Maciem* fuerit perductus. Subjungitque Hiſtoriam Morbi ſui periculoſiſſimi, relatu dignam: *De morbi mei*, inquiens, *periculoſiſſimi ſtatu pauca ſubjungere libet. Per Æſtatis inconſvetas ſiccitates, & Viſitationes creberrimas ægrotorum Corpus meum viribus attritis maximam Tartareorum humorum cumulaverat copiam; nec aliquot dies impendere licuit, ut meæ Valetudini conſuluiſſem. Itaque ſub exitum Novembris præcedebant Deſtillationes in Fauces, Tonſillas, Uvulam: Appetitus proſtratus: Capitis dolores: & qui non alii Hoſtes, in meum interitum conſpirantes? Primum hunc inſultum fortiter ſuſtinui; & Victoriam per aliquot ſeptimanas reportaſſe videbar. Sed hoſtis aſtutus, Scorbutus, in Inſidiis latens, depoſitâ Larvâ recollectis viribus, rurſum aggrediebatur Me, à priori conflictu vix reſpirantem. Accedebant Capitis Dolores, cum Tumore Brachiorum & Pedum, Motûs impotentia, Vigiliæ Dolores Colici, Nephritici, &, quod peſſimum, tam acidæ Fermentationes ex Ventriculo in Palatum, ut Tartarus Linguæ & Faucibus ſe inſinuans, inſtrumentis Chirurgicis eſſet abradendus. Cum his Furiis per quatuor & ultra ſeptimanas mihi diu noctuque confligendum. Evaſi tandem per Divinam gratiam, factis Induciis cum tam feroci hoſte.*

CAP. III.

De præcipuis Morbi ac Mortis Sachſianæ Cauſis, Diætam reſpicientibus.

 Quod

QUod ſi, ut in funeſtis Caſibus fieri aſſolet, in Morbi ac Mortis cauſas remotiores, quæ quam facillimè evitari potuiſſent aut debuiſſent, inquiramus; niſi fallor, circa Errores quospiam, in Diætâ commiſſos, querela inſtituenda fuerit, aliis facile ſi modò vitaſſet hoc, aliis, ſi modò non vitaſſet aut neglexiſſet illud, anxiè magnopere, ſed ſerò nimis, ingeminantibus. Nec diffitendum eſt, quemadmodum inter difficillima paſſim cenſetur, adeò accuratum & Regulis Medicis omnimodè conformem ſervare poſſe vivendi ordinem, quò minus quis modo contra hunc, modo contra alium illius Canonem impingat: Ita præſertim Medicos, in tutelâ propriæ ſanitatis, plerumque eſſe ſolere omnium negligentiſſimos, quod videlicet conſvetudine quadam contra illud, quod alios ſtatim lecto affigeret, callum quaſi duxerint, circaque ſervandam aliorum vitam magis, quàm ſuam, anxii, ſecurè nimium ſe committant Naturæ Arbitrio, quoniam Morbos ſæpe graviſſimos hâc ſolâ curatos ſciunt.

Atque ſic Experientiſſimus cæteroquin, & in fabricandâ aliorum quamplurium Sanitate ingenioſus ſatis, promtus, ac felix *Noſter Sachſius*, in eo veruntamen, ut propriè loquar, Humani plurimum paſſus eſt, ut in quod in Hiſtoria Mortis dictum eſt, poſtremò ante ipſam, *per ſemeſtre aut trimeſtre ſpacium, laboribus & negotiis concatenatis defatigatus, pulmentis ſaltem & ſorbilibus corpus reſarcire intendit, Medicamentis ferè poſthabitis; donec morbo fractus, ex aſſe ſibi mederi & voluit, & juſſit, ſed nimis ſerò.*

Et poſtquam duo ſumma ſunt Errorum, in omni vitæ ambitu, Genera, ut videlicet vel nitamur in Vetita, vel Facienda negligamus; Laudatus *Sachſius* noſter, ne quid diſſimulem, præter Medicationis debitæ inuſum, in eo contra exſtitit nimius, quod *Vino*, quod *Edulio* certi generis, & quod *Veneri* fuit peculiariter addictus; qui tres maximè capitales Literatorum hoſtes ſunt, ſangvinem ſpirituaſcentiâ ſuâ defraudantes, ipſumque convertentes in Vappam torpidam, fermenta localia partium diruentes, & earundem delicatiſſimas cavernulas & ſpiracula, nobilioribus uſibus deſtinata, lethiferam facientes cloacam calculi, imo aditum ſibi ad ipſa nervoſi Syſtematis intima facientes, ſuccumque ibi Balſamicum precioſiſſimum in fugam agentes partim, partim in phlegma auſterum mutantes, & modis quibusvis aliis labefactantes Oeconomiam humani corporis, ut conclamanda mox mox evadant omnia, Medicina propemodum optima ſit, Medicinâ non uti; Morbique eventum DEO ac tempori commendare.

Iſtud *Vini*, proin, iſtud *Gulæ ac Veneris ſtudium*, tanquam Charites totidem, quas *Sachſius* deperibat, eidem Parcæ immites ac Furiæ redditæ ſunt. Neque enim vel *Vini*, nomen mereri videtur, quod innocentiſſimo Viro degeneravit in Lethes poculum; vel *Edulium* dicendum, quod quovis veneno nocentius, gulam Ipſi & Vitalia præcluſit; vel *Venus alma*, aut Gratia dicenda, quæ Mortis fomenta in ſinu aluit, & larvata potius exſtitit Pandora Morborum multiplicis generis, *Curioſi Sodalitii totius* lacrymis non ſatis expianda.

CAP. IV.

Diſtinctim de ſtudio Vini, vel Ampelographia.

SEd audiamus & reliqua. *Vino, Gulæ, Veneri*, ut dixi, *Sachſius* noſter, ſi quiſquam alius, poſt homines natos, fuit deditiſſimus, indeque in ſanitatis diſpendia ſe conjecit. Minùs rudiùs verò hæc ſunt capienda. Indulſit *Vino*, ſed Calamum riganti, cæterà ſiccus & ſobrius. Quantumque Baccho litaſſe (in Scriptis) manifeſtiſſimum eſt, tantum Minervæ ex lampade ſuâ abſtulit, ut videatur in elucubrandis Pennæ ſuæ primitiis, h. e. plantandâ *Vite chartaceâ*, Oleum omne ac Ceram conſumſiſſe.

Ampelographiæ meditatiſſimum Opus intelligo; in quâ ſolidè, ſi quiſquam alius, Solis vegetabilis virtutes, Anno 1661. explicuit. Materia profectò jucunda pariter & gravis, ſi tàm Vinorum ſpecies, quàm Medicamentorum ex Vino ac Tartaro parabilium diverſitatem ineffabilem propemodum, ac utrorumque mirandos effectus quis conſideret. Nullus Oenopola *Sachſio* noſtro hoſpitalior: nullus apparatus Vinorum, quæ ille propinat, ſive peregrina velis, ſive domeſtica; antiqua, recentia; imò ferventia adhuc, aut defæcata; aduſta; ſulfurata, pendula; ſpirituoſa, ac citò inebriantia, aquoſiora; tenuia, craſſa; turbida, clara; limpida, citrina; nigra, rutila; dulcia, auſtera, & alia; cum Apothecâ & apparatu Vinorum Sachſiano comparandus, ob generoſos, qui ibi exundant, doctrinæ latices, citra inebriationis periculum ſorbendos. Aut, ſi quid inde periculi, id unicè in Autoris ſicciſſimos, à tot lucubrationibus redditos oculos redundavit; ut citra jocum ingeminandum ſit: *Propter Eſt, Eſt, Eſt, Dominus D. Sachſius mortuus eſt.*

In cujus Ampelographiæ maturationem jam tum ab annis aliquot

conceptam, hoc diligentiùs præſertim incubuit, quod videret, elapſo fere decennii ſpacio, ſine lucro hæſiſſe, in primo, ut ſic dixerim, portu, primitias *Expeditionis Argonauticæ*, nec feliciter admodùm jactari, inter brachia quamvis aut prope Sinum Muſarum, anguſta recens introductæ in Mundum literarium, *Academiæ Naturæ Curioſorum*, incunabula, quibus is noviter adſcriptus erat.

Quapropter Zelo actus, & incenſus inexſtinguibili quodam Ardore in promovendam utcunque, optimam intentionem laudati Collegii, primus in eo fuit, qui curioſos Labores Erudito Orbi expoſuit, & muſteum illud ſuum Nectar æquiſſimis rerum arbitris, maximè verò Medicis, ac inter illos præſertim *Academiæ Sociis*, nunquam ſatis laudato candoris exemplo, quod Poſteri celebrent, propinavit; dedicatum Illuſtribus Meritis *Ampliſſimi Senatus Reipublicæ Patriæ Vratislavienſis:* Hunc enim inſigniter Scopo & Formæ Collegii favere, ex multis Sibi indiciis conſtabat.

Et quamvis Ipſe eſſet Naturæ ac Chimicæ Artis callentiſſimus; aliorum tamen Autorum Teſtimoniis allegandis potiùs, quàm jactandâ Experientiâ propriâ, eſt uſus, per Modeſtiam ſibi familiarem, ab aliis immeritò culpatam. Defraudans neminem laude ſuâ debitâ. Utque impenſiùs Poſteris inſerviret, ex MSCtis præterea variorum Autorum Secreta Chimico-Technica varia, quantum quidem eorum propalari conſultum aut tutum duxerat, ac Obſervationes Pathologico-Practicas utiles pluſculas in medium produxit.

Cap. V.

De Studio Cancrorum, vel Gammarologiâ.

Alterum dein, quem in *Gulæ* deliciis conſtitiſſe, Diætæ qualemcunque Errorem, ex *Phosphori noſtri* Vitâ colligere eſt, & Fatum Ipſius acceleraſſe, Eventus comprobat, fuiſſe *Cancros*, loricatas illas Maris ac Fluminum beſtias, aculeis ac chelis horridas, cibique genus durum communiter habitum, & concoctu difficile. Quibus verò adeò perditè quoque inhiavit, ut nulla Ipſum teneret ſatietas, fortaſſis ratum, non indecens eſſe, ut Cancri, Aquis egreſſi, pro meliore ſui coctione, Vinum prodigaliſſimè anteà libatum, ſequerentur per Viam laborioſiſſimi pariter excellentisſimique Operis, quod quadriennio

ennio poſt Ampelographiam (Ann. 1665. videl.) prodiit, *Gammarologiæ Titulo* inſcriptum, totum, quantum eſt, Tenori Collegii, & palato Cœtus Literarii univerſi meritò ſatisfaciens, locupletatumque ſelectisſimis plurimis, Naturæ, ac Artis Obſervationibus ac Inventis. Huc omnis Cancrorum natio; in hanc chartaceam Menſam, tanquam alteram Arcam Noæ, aut Vivarium quoddam ampliſſimum, nulla non Cruſtatorum multipedum natatilium genera, cum Conchyliis (ob affinitatem doctrinæ) & Teſtaceis plurimis, magno agmine ſe receperunt.

Dumque *Autor* doctrinam iſtam numeris omnibus abſolutam, in publicum producere inſtituit, ac in eo, non tam ad Nauſeam Lectoris ullius, quàm propriæ damno Valetudinis, pro bono literarum & Collegii hæc duo ſub finem exſequitur, ut Uſum genuinum Cancrorum rectè valentibus præſcribat, & Medicinam ex iis parabilem, profligandis pluribus Malis aptiſſimam, Ægrotis ut Panacéam laudet; ecce Edulia iſta tantò impenſiùs in necem Ipſius conſpirarunt. Paravitque Ipſe ſibi inſidioſas Epulas, Pincerna & Coquus nimiùm Curioſus. Ita enim cæteroquin feſtivè Ipſum alloquitur *Vir Nobiliſſ. ac Celeberr. D. D. Nicolaus Witte à Lilienau. S. Reg. Svec. Maj. Archiater, & Rigæ in Livonia Phyſicus ordinarius longè digniſſimus,* magnus quondam B. noſtri *Sachſii* amicus, in ingenioſiſſimo ſuo, quod *Ampelographiæ* præmiſſum eſt, Carmine, his verbis:

Doctorum, Sachſi, vere es Pincerna, Cocusque:
Namque Sitim nobis eximis, atque Famem.

Inſcripſitque id Opus, lectu digniſſimum, *Reverendiſſimo Archiepiſcopo Salisburgenſi ac Principi, Dom.* GUIDONI BALDO, *S. Cæſ. Maj. eo tempore ad Conventus Imperii Ratisbonæ Legato primario*; & ex quæſito Patrono adeò Eminenti, non leve de Collegii, penes *Imperatorem* obtinendis ſucceſſibus, ſpem concepit, quòd laudatiſſimum Principem cognoſceret, non obſtantibus Muneris ſui ſplendoribus, & ampliſſimis, propè Italiam, Territorii ſui Curis, veruntamen adeò profundè SE ad Speculationes Phyſico-Medicas non raro demittere, quaſi ad Culmen Excelſæ ſuæ Perſonæ quàm maximè pertinerent.

CAP. VI.

De Studio Venerum, & Pulcritudine geminâ D. Sachſii, per totam Vitam.

Ac

AC demum neque in *Veneris cultu*, de quo ſupra diximus, ardentiſſimo quamvis, dedecus aliquod. Quo videlicet *Phosphorus noſter* in Illam, usque dum eâ planè contabeſceret, tanquam in *Stellam* aut Divam pulcerrimam, Sibi cognominem, ferebatur. Exſtitit iſta, cui totus ſtudebat, *Medica Venus* nil aliud, quàm Venuſtas aut Elegantia, quam *Hippocrates* requirit, effulgentem, quàm fieri poſſit, ex Medici vultu, totoque corpore, inceſſu, moribus, veſte. Quorſum non fruſtra Polymathiam referimus; cujus reſpectu idem *Hippocrates* Medicum philoſophum planè ἰσόθεον vocat, vel Deo ſimilem, atque ſic verè Pulcrum; reliquis, qui variam literaturam ſpernantur, exiſtentibus Idiotis, ipſoque Therſite aut Midâ deformioribus. Antiqui Gentiles ſtatuebant, Deos eſſe pulcerrimos; & quia figuram ſphæricam exiſtimabant venuſtiſſimam; iisdem quoque Figuram rotundam attribuerunt. Cui ſimilis quodammodo cum ſit Encyclopædia ſcientiarum, in Orbem eundem redeuntium, cui *Sachſius* erat addictiſſimus: quis Ipſum neget, per ſtudium talismodi Pulcritudinis maximè *Aureum* Gloriæ *Pomum* in Montanis non Idæ aut Paridis, ſed Pindi, aut Phœbi, apud Poſteros omnes promereri?

Pulcritudinem Corporis nemo ſibi ipſe poteſt tribuere, aut formare intra Uterum partes pro ſuo arbitrio; quin cœlitùs â DEO potiùs, & Naturâ favente, ſimpliciter hæc prærogativa eſt. Aſt neque nativâ inſuper quâdam venuſtate, miſtoque cum gravitate, ſplendore vultûs amabili, *Phosphorus noſter* caruit: quæ miſtura /ſicut/ ex Temperamento bilioſo-Sanguineo, Lymphis mobilibus diluto, ingeniique ſagacis fomite, manabat: Ita Mundus *Laudati Viri* reliquus, & *Pulcritudo intrinſeca* â tenerrimis ſtatim Annis tantò magis Ipſum effecit amabilem, ut tanquam *Pomum* aliquod *Aureum* in paterâ gemmeâ, nemini, niſi virtutem exoſo, diſplicere poſſet; DEO, Patriæ, peregrinis, æqualibus ætate aut ſorte, inæqualibus; pietate, devotione, caſtitate, modeſtiâ, infucato candore, officio, inſerviendique promtitudine, coram ac per literas, publicè privatimque, modeſtè placere ſtudens, & magnum ex eo quærens ſolamen Animi. Nemini facilè gravis; cereus ad condonandum; in Amicitiæ fœdere non rumpendo tenax & ſaxeus: & vel in hoſtes, aut aliàs deſertores ſocialis fidei initæ, beneficus: injuriarumque dememor: ac totum, ſi fieri potuiſſet, orbem amori ſuo ac meritis obſtricturus. Quæ magna profectò Moderatio animi, & *Venuſtas* (nunc ſerò dolenda) habenda eſt.

Ad hæc NUNQUAM OCIOSUS, ut habet Lemma Collegii, quin

quin patientiſſimus laborum ſemper exſtitit. Quorum inimitabili proin usq; ad Mortem, conſtantia, tanquam ſignaculo, veritatẽ Ardoris ſui, quo in Rem Literariam ſemel flagrare inceperat, liquidè quemvis docuit. Ne quidem Malevolis exceptis. Qui niſi de exſtinctione *tanti Phoſphori* rabidè ſibi clam gratulantur; ſaltem ex ea longiusculam iterum Collegio noctem ipſos ominari, perſvaſiſſimum habeo. Imò ipſemet *B. D. Sachſius*, non vanus augur, fatalitatem ſibi brevi inſtantem, ante pauculos annos præſentiens, videtur voluiſſe ſupra viriculas fragilis Corporis agere, ne nihil non pro conſervandâ altiusque paulum evehenda Collegii vel gloria vel commoditatibus, tentaſſe videretur.

CAP. VII.

Seorſim de Dotibus Ejus, in Scholâ & Academiâ conſpicuis.

QUæ omnia ut liqueant clarius, utque *Interna* præſertim, quam dixi, *Pulcritudo Nobiliſſ. noſtri Phoſphori*, in Exemplum Ingenii ſingularis, ac curioſitatis, ad Medicum pertinentis, ob omnium oculos ponatur; age, retrogrado ordine, contra Rhetorum Regulas, jam ſupra neglectas, ad teneriores quosdam Ætatis ſuæ tramites, ſenſimque ad Ultima, hucusque deſcripta, relabamur.

A Pueritiâ ſtatim, in Patriæ ſuæ ac meæ, Gymnaſio Vratislavienſi, ſuccreſcentes Aquilinæ indolis ſuæ ungviculos, & *Rupicapræ, in Inſignibus ſuis conſpicuæ*, excelſos conatus, Parenti, Præceptoribus, aliisque in Virtutum Scientiarumq; palæſtrâ decus quærentibus, affatim monſtravit, Doctores cum ſummo eorum applauſu nactus, in Pietatis quidem, Philologiæ, & Humaniorum Artium ſtudiis, B. Parentem meum, *Eliam Majorem*, nominatiſſimum quondam aliquot mille Ingeniorum Epicharmum, Aureo poculo, nec-inani, certaque tot Meritorum complacentiâ in publicâ Panegyri cohoneſtatum ab *Illuſtri Senatu Vratislavienſis Reipublicæ*. In Politicis verò, Eloquentiâ ac Hiſtoriâ tam veteri, quàm novâ, *Clar. Chriſtophorum Colerum*, præſtantis Memoriæ promtisſimæque Svadæ potiùs, quàm abſtemii oris, Virum: Inque Poëticis, Phyſicis, ac Mathematicis callentiſſimum *M. Joh. Fechnerum*, alterum Seculi noſtri & Patriæ meæ Claudianum aut Horatium, Præceptorem etiam quondam meum; cui non minùs, quàm ſucceſſori poſteà ſuo, CL. *Jano Gebhardo*, Græcitatis omnis politioris vivaci Theatro, Me multa debere confiteor.

C Hinc

Hinc conſilio Patris An. 1646. d. 17. Aprilis in *Academiam Lipſienſem* miſſus, creſcentibus annis Ingenium ibi magis magisque exſeruit, Judiciique ac doctrinæ matureſcentis ſigna palàm dedit; in Philoſophiâ primùm An. 1647. pro more ejus Academiæ, Baccalaurei, hinc An. 1648. planè ſummum in eâdem Magiſterii titulum meritus. Quibus vix impetratis, ejusdem Anni Menſe Majo Diſputationem ex universâ *Anthropologiâ* doctiſſimam habuit, Autor ejusdem, & tantâ cum laude Præſes, ut nemo non promtitudinem Illius in defendendo, quod ſcripſerat, & retundendis Objectionum ſpiculis, quæ objiciebantur ſibi, miraretur. Fuiſſeque *Anatomicarum* Rerum ſpectatorem imprimis ſedulum, ex variis documentis patet, quorum unum eſt, quod refert, d. 4. Jan. 1648. Anatomen cadaveris Fœminini â ſe conſpectam, (Schol. ad Ann. I. Ephemer. Curioſ. Obſerv. 2. p. 17.) Ac ſequente Octobri dein in Numerum *Collegiatorum* Collegii ibidem Majoris Principum receptus eſt, citato curſu indies ad altiora pergens. Plenisque hoc pacto velis Oceano Artis Medicæ ubi ſemet tradidit, portiones Illius omnes pertractavit adeò concinnè ac ſedulò, ut ab Anatomicâ Encheireſi incipiens, perque interpoſitos Pathologiæ, Semioticæ, ac partium aliarum tramites, rectà mox tenderet ad elegantiſſimum ſtudium Chimicum, cujus dulcedine naturâ quaſi trahebatur. In eoque ſicut inſignem Hermetem tempeſtivè adeptus eſt *Magnificum & Celebratiſſ. Dominum D. Joh. Michaelem*, Electoris & Principum Saxoniæ Archiatrum ac Profeſſorem Clariſſimum, qui *Sachſium* eo tempore, uti non longè poſt etiam Me, ut Filios amavit, & omni honore proſequutus eſt: ſic ad imitationem Illius in totâ reliquâ vitâ fideliter ſe compoſuit, ut tum ex *Appendice Ejus ad Ampelograph.* pag. 62. de Tincturà Terræ Solaris elaboratâ, tum pluribus aliis documentis, patet: & nec reliquas Sapientiæ Experimentalis partes, aut Phyſicæ Scientiæ amplexus dulciſſimos intereà *Ipſum* deſeruiſſe, certum eſt. Nec diſcedere Lipſiâ eſt auſus, niſi quid in ipsâ demum etiam *Medicinâ Practicâ*, quam vocant, ex ſe ſperandum eſſet quam proximè, ſpecimine publico iterum oſtenderet, ac hoc nomine Memoriam ſui tantò vivaciorem in plurium animis obſignaret, *Diſputatione de Phthiſi* Ann. 1649. habitâ, ſub Rectore Magnifico, & exquiſitæ peritiæ Viro, *Dn. D. Joh. Hoppio*, Affine ſuo, ac per totum tempus illud Hoſpite.

CAP. VIII.

CAP. VIII.
De Itinere in Hollandiam.

IStis hoc pacto laudabiliter peractis, eodem Anno 1649. rectâ poſtmodum ſe itineri accinxit, *Dreſdam* primò omnium Lipſiâ tendens, Electorum Saxoniæ ſedem ampliſſimam; ubi præter perluſtrationem ſedulam Equilis magnificentiſſimi, Gazophylaciorum, Armamentarii, ac publicarum aliarum Ædium, curæ cordique duxit, in conſuetudinem imprimis cum Archiatris Electoralibus, ex iis præcipuè *D. Caſparo Svevo,* *D. Laurentio Babſt,* qui Magni *Sennerti*, B. Conjugis meæ Avi Filiam, duxerat, pridem emerito, *D. Abrah. Birnbaumio*, & Viris Celebribus aliis, ſe penetrare. 58

Hinc, ut habet *Colerus*, cujus in ſuperiori Capite mentio facta eſt, in Nuptiali Sermone ad Sachſium, viâ *Witteberga Altenburgum* tranſiit, ac ibi non inutili cum Philologo magni nominis, *Th. Reineſio*, & Medico eximio *D. Joſ. Claudero*, converſatione fruitus, paulò poſt viâ *Magdeburgi & Lunaburgi, Hamburgum*, totius Germaniæ Cellam & Penuarium, & *Lubecam*, amplitudine ſitûs, ſplendore ædium, ſublimitate ac elegantiâ Turrium, magnificoque Templo Cathedrali, & huic Armamentario proximo, quod verò caput rei eſt, civium probitate, ac bonis Moribus conſpicuam, eſt progreſſus: Indeque *Bremam*: ac hinc per Comitatum *Oldenburgenſem, Embdam Friſiæ* adiit. Quibus etiam relictis mox mox *Amſtelodamum*, Emporium illud, Mercaturæ â Seculo circiter, & Artium Scientiarumque omnium famigeratiſſimum; inque vicinam huic Academiam *Lugduno-Batavam*, recepit Se: totique huic Itineri, ſicut ſubſequis reliquis, Totum Se Pietate non minùs, Caſtitate, Sobrietate, Taciturnitate, cum opus, & Circumſpectione prudenti, quàm Burſam ſufficienti viatico præparavit. Facitque *ipſe* poſtmodùm iſtius Itineris ſui, *lib. 1. Gammarol. in fine cap. 5. pag. 106.* aliquam mentionem; unde, raro prætereà â Curioſitatis tramite deflexiſſe, intelligere eſt. Et quidem *Lugduni Batavorum*, præter nominatiſſimum illud Theatrum Anatomicum ac Bibliothecam, ad Noſocomium præcipuè, inque Hortum Medicum ſpectatiſſimum, felicem Naturæ pictricis non minùs, quàm Medicatricis, Sedem ſæpè digreſſus eſt: inque Ambulacro vel Porticu ejusdem quæ maximè notatu digna occurrerent, (occurrebant verò plurima) de quibus vide *Gammarolog. ſuæ pag. 103.* & *Diſſ. de mir. lap. Nat. pag. 82.* ſedulò notavit: ac in univerſo reliquo Apollinis Lugdunenſis Pindo, præſentiſſimum indies

Doctrinæ augmentum, ex ore ac conſuetudine ſummorum in Re literaria Culminum, *Adolphi Vorſtii*, Theophraſti alterius; *Adriani Falcoburgii*, in Anatomicis Lyncei; *Othonis Heurnii*, Medicinæ Practici eximii. *Joh. Walæi*, Anatomici item induſtrii; nec non Polyhiſtorum inclytorum, *Salmaſii, Heinſii, Boxhornii*, conquirendum, ſagaciter ſibi duxit: quæ perpes identidem *Sachſiani pectoris Venuſtas & Elegantia* exſtitit. Proindeque ne ocium caniculare ocioſè conſumeret, intercedente tempore *Enchuſam* tantiſper, ad reficiendum â ſtudiis gravioribus animum, perrexit, ac inſtructiſſimam ibi innumeris penè ex omni Terrarum plagâ collectis Naturæ opibus, domum Clariſſimi Medici *Bernbardi Paludani*, attentè vidit; ejusque mentionem proinde injicit, in ſæpe-laudatæ *Gammarol. ſuæ lib. 1. cap. 3. pag. 50. & L. 1. cap. 5. p. 105.* quam Rerum Naturalium Exoticarum exquiſitiſſimam farraginem, per Virum Clar. *Adamum Olearium*, honeſto precio coëmptam, *Sereniſſimus Holſatiæ Princeps*, FRIDERICUS, *p. m.* Ann. 1651. Gottorffium, in Cameram ejus Aulæ nitidam transferri, ampliſſimæ Bibliothecæ jungi, & pluribus aliis tùm Artis tum Naturæ pægniis, non parum indies locupletari fecit.

CAP. IX.

De Itinere per Brabantiam, ac iterum in Germaniam.

FInito per Hollandiam itinere, ſtrictim aliud in *Brabantiam* ſuſcepit, magnificæ Urbis *Antvverpienſis* famâ ac pulcritudine pellectus; quam itaque videre etiam deſideraverat, ac vidit, unâ cum *Bruxellis* Regiis, ac *Lovanienſi* Academiâ veteri, Manibus *Lipſii, Vernulæi*, ac *Puteani* clarâ. Imminente autumno dein *Ultrajectum* tranſiens, per *Cliviam, Coloniam Agrippinam* commigravit: Indeque Rheno uſus, *Moguntiam*, & poſthanc *Mœno-Francofurtum*, Emporium Germaniæ Comitiis Imperialibus & librariâ mercaturâ clarum, petiit. Quo in loco conſtat, familiaritatem *Ipſum* cum Medicis magni nominis, *Petro Petri F. de Spinâ*, & *Joh. Schrödero*, Viro æquè humaniſſimo, & Chimiatro in Pharmacopoliis Germaniæ autoritatem canonis adepto, facilè obtinuiſſe.

Inde *Heidelbergam* recepit ſe: & *Argentoratum* poſteà. Ubi per hyemem moratus, menſâque ac domo exceptus *Domini D. Joh. Alberti Sebizii*, ex quotidianâ Viri hujus Excellentiſſimi conſuetudine tantùm porrò lucratus eſt, ut rudimenta Praxeos, Lipſiæ præconcepta, inque Bel-

gio comtiora reddita, tantò ſublimiùs eduxerit, *Rudolfum Saltzmannum* inſuper, grandævum, iteratò ſalutare, ex hujusque colloquiis Medicis eximium quid prolicere non intermittens. *Quæque in Phosphoro* fuit inſatiata ſciendi cupiditas, Nummorum cognitionem, quantumvis ſolam ferè Medico aliàs minùs neceſſariam, præterea ad ſuæ venuſtatem mentis pertinere cenſuit, cum inſignis ad hanc occaſio ſibimet pateret, in inſtructisſimo quamplurium ſelectiorum Numismatum Antiquario, Ornatiſſimi Viri, *Joh. Jacobi Luckii*, cujus iteratam in Scriptis mentionem injicit; in *Diſſertatione* videl. *Epiſtolicâ* ad Me de mirâ Lapidum Naturâ, p. *62*. inque *Gammarolog*.l.1.cap.3.§.12.p.48.

Poſthac, moræ ulterioris impatiens, ſub initium Veris An.1650. iſthæc etiam gratiſſima quamvis, hybernacula ſua deſeruit: ac Argentorato *Baſileam* ceſſit, auſcultaturus ibi, ut fecit, Clariſſimis Medicis, *Joh. Caſp. Bauhino, & Stupano*; & conſummatisſimi Viri, *Felicis Plateri*, commendatam tot Scriptis Pinacothecam, curioſè ac ſedulò luſtravit: quam ipſe etiam (*Diſſert*.d.mirâ Lap. Nat.p.83.) laudat.

CAP. X.

De Itinere in Galliam.

BAſileâ digreſſus, per tractus *Montis Bellıgardi* ac *Burgundiæ*, vivente adhuc *Julio Mazarino*, Cardinali Eminentiſſimo, & Gallicarum rerum Miniſtro ſummo, in *Galliam* ſe penetravit intimiùs, & Regium ibi Lilietum *Pariſienſe* coràm tueri, in eoque verſari aliquandiu animum induxit. Utque ibidem *Lutetias* has non urbem, ſed orbis Epitomen conſpicere ſe, in vaſtiſſimo illo ambitu, ſtupore percitus putavit; ita non parum ſibi metuit, ne fortè in tantâ rerum omnis generis abundantiâ, notatu dignum quid prætermitteret. Quam ſollicitudinem tamen nativo animi ſui moderamine temperavit affatim, & ea tantùm aut præcipuè, eſt ſectatus, quæ ad limites Medicos propiùs ſpectarent. Aditum ſibi præparans ad varias Officinas Medico-Chimicas, & Noſocomia; imprimis autem *Joh. Riolano*, veterano jam tum Anatomico, & *Guidoni Patino*, ſummi nominis Medico, quem omnes, qui cum eo converſati ſunt, ob peculiarem, minùsque alias ſuetum Genti ſuæ in Germanos amorem celebrant, ſeriò auſcultavit.

Inde *Rotomagum*, Normanniæ caput, aggreſſus eſt; ac porrò, poſt interpoſitos dies plusculos, *Lugdunum*. Ubi prima conſtantis poſtmodùm

Amicitiæ jecit Semina cum Nobiliſs. ac Eximio Medico, *Carolo Sponio*; de quo inferiùs pluſculis dicetur.

Lugduno, ad *Valentiæ* & *Avenionis* celebres Academias progreſſus eſt; & ob graſſantem in *Langvedociâ* Peſtem, ut *Colerus* refert (in Panegyrico) periculoſo Itinere per *Nimeſium*, Amphitheatro clarum, in Academiam *Montiſpeſſulanam*, ab aliquot Seculis ſtudio Medico celebrem ſe contulit; ubi Hortus Medicus ampliſſimus, ſumtibus Regis Henrici IV. Ann. 1595. operâ *Ranchini*, Medici, ſtrui cœptus (ut habet *Gölnitzius* in Itinerario pag. 571.) & per obſidionem Urbis dein corruptus, mirificè iterum â Rege, donatis octies decies mille Florenis (ut habet *Sebaſt. Schefferus*, Introduct. in Art. Medicam. cap. 10. §. 8.) reparatus eſt. Imprimis verò non ſemel *Richardi de Bellevall*, Academiæ *Monspelienſis* Cancellarii, acutum Ingenium, & multiplicem de Arcanis Phyſico-Medicis, planè ſelectis Experientiam, miratus eſt: ac diſputantes, de Rebus graviſſimis audivit Inſignes Viros, *Jacobum Durandum*, *Petrum Sanchium*, & alios. Quorum principe quaſi loco habuit genuinum illum Galliæ Sennertum, *Lazarum Riverium*, verique amantiſſimum, ut patet, præter alia, ex eo, quod anni tum prægreſſi 1649. Menſe Julio acciderat, quo videl. de Circulatione Sangvinis, tanquam Re novâ, bonus iſte *Riverius* disputans, indigna *Ludovici de Soligniac*, Profeſſoris itidem Regii, opprobria, Propugnatores doctrinæ ejus Circulatores vocantis, atque ê Circo Medico exterminandos, putantis, ampliùs audire non ſuſtinuerit, juſtâq; bile ſuffuſus, abitum ê Cathedrâ ſit meditatus, ut refert ipſemet *Sachſius* in Elegantiſſimo ſuo *Oceani Macromicrocosm.* opuſculo §. 4. pag. 6. Atque alteribi laudatum *Riverium* fideliſſimum quondam Præceptorem ſuum, (in *Differt.* videl. *de mirâ Lap. Nat.* pag. 98.) *Monspeliumq;* (*ibidem* pag. 76.) *dilectiſſimam quondam ſuorum ſtudiorum ſedem* nominat, de *Thermis* illis famigeratiſſimis, *Barleruncanis* mentionem adjiciens, quorſum non minùs, atque ad *Montem Ceti*, & vicinum *Mare Mediterraneum*, horis æſtivis faventibus, ad fallendos fervores Aëris, campumque Curioſo ſuo animo liberiorem dandum, exſpaciatus eſt, & commoratus in Tractibus iſtis, usque ad Æſtatis jam-dictæ terminalia.

CAP. XI.

De Itinere per Italiam.

SUb Autumnum dein, per idem *Mare Mediterraneum*, non minùs Vento ſecundo uſus, trajecit ex Galliâ in *Italiam*; quàm fideles, quos paſſim

ſim laudat, Achates duos, æquali Morum probitate conſpicuos, & ſimili Secum, pulcerrima quævis peregrè notandi ſtudio flagrantes, felici ſidere obtinuit. Cujusmodi Flores eximii, h. e. boni Socii, ut non naſcuntur in Hortis omnibus, poſtquam pauciſſimis datum eſt, genuinum Scopum Peregrinationis attingere, dum ne ſemel, quis verus Itinerum Scopus ſit eligendus, intelligunt, ac imparati potiùs, nec polymathiâ aliquâ, aut moribus exculti, more ſylveſtrium Anſerum, in aliam Terram provolant, meliorem patrimonii partem ut plurimùm transportantes ſaltem â diverſorio in diverſorium, ac quatuor verba exotica ſub reditum blaterantes: ita Duos iſtos acquiſitos, per gratiam DEI, Itinerum Socios, probis ſuis moribus conformes, nunquam poſteà ex animo dimittere potuit; quin amicitiæ fœdus cum Ipſis conſtantiſſimè ſervavit. *Dn. Joh. Udalricum Widholtzium* intelligo, *Danielis Widholtzii*, Phyſici quondam Auguſtani Clariſſimi Filium, poſtmodùm Doctorem, ac ipſum etiam Phyſicum Kauffbayrenſem in Sueviâ, teſte *Phosphoro* (Ampelogr. pag. 617.) *ac Dn. Martinum Chriſtophorum Metzger*, itidem Medicinæ Doctorem dein, & Poſonii in Hungariâ Practicum celeberrimum, ut conſtat ex *Ampelogr.* dictæ pag. 463.

Cum quibus proin ubi ſolverat; convenienti Tempore *Genuam* appulerunt, urbem Baſilicis ac Templis, Nobilium Palatiis, commerciisque per & extra Italiæ partes longè famigeratiſſimam: & poſt aliquot Hebdomades in Triremi *Liburnum*, indeque *Piſas* pervenerunt, Academiâ, & Horto Medico celebres. In cujus Introitu, Porticu aut Muséo, *Sachſius* noſter rariſſima, quæ ibi ſervantur, Naturæ Miracula (vid. *Ejusd. diſſert. de mirâ Lap. Nat. pag. 53. & 83. 84. 85.*) ſupradicto Anno 1650. notavit aliquoties; variaque ingenioſa Hypogrammata, Effigiei Apollinis, Mercurii, &c. ſubſcripta, ne ſcilicet non-eruditior inde quoque recederet, fideliter transſcripſit; quæ nunc *Gammarolog. lib. 1. cap. 1. paragr.* & paginâ 6. inſerta legi poſſunt.

Inde *Lucam*, Rempublicam, in Hetruriâ ſitam quidem, ſed Libertate antiquâ gaudentem, ac nemini ſubjectam; moxque *Florentiam*, verè *bellam* Ipſismet Italis dictam; illum, inquam, Hetruriæ oculum ac diadema, Majeſtate rerum ſatis conſpicuum, ſunt emenſi; ſi ſcil. ea metiri quis poteſt, quæ diutiùs licet ſpectata, veruntamen ubertate ſuâ viſum obruunt, ut is cernens plurima, pauciſſima diſcernat; Cujusmodi mirabilium duo in ſcriptis ſuis *B. Sachſius* ſeorſim commemorat. Unum in *Sereniſſ. Hetruriæ Principis* Medicæi Theſaurario, *Clavum Turnheuſeri Ferr-Au-*

reum (*Sachſ. d. mir. lap. Nat. p. 77.*) de quo in diverſum abeunt Doctorum judicia: Alterum ex Baſilicis paſſim ac Templis memorabili intus Pavimentorum, Parietum, Fornicum, & Altarium, ſplendore obtutum perſtringentibus, in ſumptuoſiſſimo, ac regias gazas ſuperante, ad Ædem D. Laurentii adjuncto Sacello, ibique in ſummo Altari, quod Sanctum Sanctorum dicitur, opere teſſellato vel Muſivo factum, *in Naturalis Marmoris* Fruſto, â ſolâ naturâ exactiſſimè delineatos *duos Homines, Botrum Baculo portantes*: (*Diſſert. d. mir. Lap. Nat. pag. 64.*)

Florentiâ *Senam* Hetruriæ Urbem, etiam comtam ac celebrem, divertit; ac poſtremò *Romam*, dum ibi adhuc vigeret Anni Jubilæi Feſtivitas. Cujus Urbis, Urbiumque omnium quondam Reginæ ac Imperatricis, dum ſolum Nomen ingero, *Honoratisſimi Domini Collegæ*, minimè opus eſt, ut refricem *Vobis* in memoriam, quæ publicè privatimque procul omni dubio vix-defatigabilem aliàs Curioſam Induſtriam *Sachſii*, in perluſtratione illâ veruntamen ſæpiſſimè fatigarint. Aut tota Pontificalis, Purpuræque Cardinalitiæ, Hortorum, Bibliothecarum, Noſocomiorum, officinarum technicarum, &c. magnificentia, cum Sciagraphiâ vaſtisſimi operis, operoſiſſimè retrahenda foret in medium: cujus Moles quamplurimas, quà veteres, quà novas, ac ſubterranea inſuper diverticula, quousque potuit, curiosè perreptavit *Sachſius*, ſolaribus alioqui radiis intacta.

Iisque viſis retrò per *Umbriam*, ibique per *Spoletani Agri delicias*, cujus Vina deinde (*in Ampelograph.* pag. 437.) prædicat, translatus eſt: & *Apenninum* premens, qui Italiam, Terrarum Paradiſum, juxta longitudinem in duas partes dividit, ad inæſtimabile illud, ob maximas opes, & toto Terrarum orbe decantatiſſimum Sacellum *Divæ Virginis Lauretanæ*, ſe recepit. Indeque *Anconam* convertit ſe, Portu nobili celebrem, in littore Hadriatici Maris ſitam. Derelictâq; hâc, *Bononiam*, *Ferrariam*, *Veronam*, *Venetias*, *Patavium*. Ex quibus *Veronæ*, amicitiam peculiarem contraxit cum Celeberr. Viro, & â Germanis præſertim frequens-ſalutato, *D. Petro â Caſtro*, ſuperioribus annis in Biscajâ Hiſpaniæ, Medicinam cum ſummo applauſu faciente, ac *Mantuani Ducis Gonzagæ*, Archiatro poſtmodum; Cujus ſcripta, ut inferiùs dicetur, familiariſſima ſibi *Phoſphorus noſter* reddidit.

CAP. XII.

Cap. XII.

Seorſim de Laureâ Doctorali, Patavii acceptâ.

ANtiquiſſima verò *Patavina Urbs* modò dicta, illa ipſa exſtitit, quam ſibi tandem in Amphitheatrum meritæ ſuæ adoreæ, ac teſtem patronamque exornandæ Medicâ Lauru eruditionis elegantiſſimæ delegit. In quâ maturè, ut par erat, *Illuſtrisſimæ Facultati Medicæ, & Nationi Germanicæ* aſſociavit ſe, totâ hyeme curiosè auſcultans publicè celeberrimis Viris, *Fortunio Liceto*, Philoſopho ſupra modum ſcribaci (de quo Romæ proin aliquis ſalsè nimis locutus eſt, laboraſſe ipſum quâdam Diarrhœâ cerebri; non ſcripſiſſe, ſed, ſalvâ veniâ, cacaſſe libros) *Benedicto Sylvatico*, jam tum Seni, *Franc. Antonio Bonardo*, Germanis imprimis propitio, *Petro de Marchettis*, Chirurgiæ Doctore eximio, *Antonio Molinetto*, promtiſſimæ Svadæ, ingenii & dexteritatis Anatomico, ac aliis; occaſioneq; iſta hyberni temporis, nullam facilè in Theatro Anatomico demonſtrationem aut adminiſtrationem intermiſit, etſi ejus jam pridem peritus exiſteret, usque dum, ut mos eſt, præmiſsâ brevi ad Examen publicum præparatiunculâ, adeò maſculè mox mox in ipſo rigidiore Examine geſſit ſe, ut *unanimi Procerum conſenſu, nemine penitùs atque penitùs contradicente*, in Gymnaſio, die 27. menſis Martii, Anni 1651. mitrâ Doctorali, ſolenniter eſt ornatus, ut ſibi de nullâ jam ampliùs re, quàm Hygeia ad reditum propitiâ, inque Patriâ dein de Praxi feliciter ineundâ, ac ſociâ Thalami, ſtudiorum deſideratiſſimâ clauſulâ, cogitandum eſſet. Quapropter & menſe Aprili ſubſequo, viâ Venetiarum, domuitionem in Germaniam ſine moris amplioribus paravit, & feliciter, ut dicetur, ulteriùs, rediit ad ſuos.

Interim toto illo tempore, quo Patavii agebat, nihil quoque antiquius habuit, quàm aliorum præterea inſignium hominum amores promereri. Quorum agmen quaſi ducebat, Danorum Charis ac Muſa, horumque non minùs, quàm Germanorum, & ingenuorum aliorum quorumvis, ad ſtudia Medica, canonicè pertexenda, rem antiquariam excolendam, & Itinera per Italiam & finitimas oras rectè inſtituenda, Myſtagogus planè amabilis, *Nobiliſſ. Joh. Rhodius*, in cælibi Senio mortuus, & editis ſcriptis aliquot boni commatis, non parum clarus, ejusque viventis adhuc veſtigia uti jam tum in hoc comitatis tramite premere cœpit

 æque

æque *Clariſſ. Vir, Dominus Carolus Offredi*, Helvetius, qui Memet ſimiliter Anno 1659. ac 60. Patavii omni humanitate proſequutus eſt: Ita amicè non minùs cum *Sachſio* conſpiraſſe, ex ſæpe-laudatâ *Gammarol.* non obſcurè colligere eſt, *lib. 1. cap. 3. §. 18.*

CAP. XIII.

De D. Sachſii in Patriam Reditu.

ITaque ubi rectà demùm ad reditum in Patriam, bono cum DEO, obtinendum, *Optimus noſter* accinxiſſet ſe; trita communiter via per *Marchiam Tarviſianam*, vel *Treviſanam*, ut vulgò dicitur, ſibi commoda viſa eſt: Indeque inter *Alpium* Rupes, mole ac nivibus horridas, ad amœniſſimam ſitu paulò poſt, totiusque Comitatûs *Tirolenſis* Metropolin ſplendidiſſimam, *Oenipontem*, venit, & tàm intus celeberrimum tectum aureum, magnumque illum Sereniſſimi *Archiducis Auſtriæ*, *Ferdinandi Caroli*, Archiatrum, *Oſvvaldum* contuitus, cumque hoc familiariter converſatus eſt; quàm paulò foris effulgentem ex ſublimi præcipitio montis, Crucem Ligneam, quam Antiquitas eò poſuit, in ſignum & devotam non immeritò Memoriam Auguſtiſſimi quondam *Maximiliani* Imperatoris, qui venationi damarum impenſiùs addictus, in montanis ſcrupoſis ſupernè ad avia devenerat, ſic, ut ab Angelo, non Homine, in viam, anteà-imperſcrutabilem, divinâ Providentiâ reductus fuerit, ut ex hiſtoriis liquet. Diſtrictum iſtum montanum, cum Cruce conſpicuum, præterlabente ad pedes præcipitii Oeno, vel Ihno fluvio, convenienter in ære delineatam, exhibet *Nobiliſſ. Dn. D. Georg. Hier. Velſchius, Polybiſtor ac Medicus Auguſtanus, longè Clariſſimus*, in titulo perelegantis ſui *de Ægagropilis* Opuſculi primæ editionis.

Oeniponte dein ac Alpibus *B. Sachſius* emergens, *Auguſtam Vindelicorum* venit: ibique præter animi delectationem eximiam, quam ex amœno ſitu, munditie intùs, ac amplitudine Urbis, Ædium ſplendore, magnificentiâ Curiæ, Templorum pulcritudine, Fontibus Aquæ ſalientis in Foro ac Viâ publicâ marmoreo-æneis artificialibus, & Hydraulicis Machinis, pro uſu omnium, inſtructisſimis, totque inſuper officinis præſtantiſſimorum Artificum, ex Portâ item intromiſſoriâ, automatarii operis, der Einlaß dictâ, (quam ſpecioſè deſcribit *Jacobus Balde*, præfat. Solatii Podagricorum init.) Civium comitate, aliisque captavit; hoc imprimis magno ſibi ceſſit ſolatio, quod non tantùm Ipſe, per clementiam DEI, ſalvus & incolumis eoúsque in Germaniæ ſinum receptus eſſet iterum,

rum, poſt tot antea Itinerum apud Exteros pericula: Sed fido ſimul Achati ſuo, *Joh. Udalrico Widholtzio*, coràm gratulari poſſet de plenis gaudio amplexibus, & extortis ultrò citroque per ſtorgen lacrymis, quibus ſe mutuò excipere videbat dulciſſimum ſuum Amicum hunc, & patrem ejus, *D. Danielem Widholtzium*, cujus in *Memoriæ* hujus *Sachſianæ* capite XI. mentio facta eſt, unà cum neceſſariis reliquis: Similia videlicet domi etiam ſuæ mox mox â ſuis in Patriâ exſpectans.

Gratiſſima tamen & peramabilis Præſtantiſſimorum Virorum converſatio, aliorumque concertans invicem hoſpitalitas, eâdem, quâ eò venerat, hebdomade, haut facilè ipſum iterum dimiſit. Atque ex multis aliis *Magnificus* imprimis *Excellentiſſimusq;* laudatæ Reipubl. *Phyſicus, idemque Comes Pal. Cæſ. & Eques S. Marci*, cuique, ni fallor, ob merita magna, tempore peſtis præſtita, Itali *Veronæ* ſtatuam publicè erexerunt, *Dn. D. Joh. Heniſius, Chymiater præcipuus, Sachſium* noſtrum, recens-creatum Doctorem, ob Virtutem & Eruditionem ſingularem, propenſo amore omni, imò ut filium, proſequutus eſt. Cujus *Heniſii* Balſamum Antiloemicum, vel Oleum de tribus, contra peſtem, multiplici uſu probatum, deſcriptum habetur in Diſpenſatorio Auguſtano: plusculisque de compoſitione ejusdem ſuperiori tempore per literas mecum egit, nunquam mihi ſatis laudandus *Sachſius*: de cujus in Patriam reditu ſic denique ſe res habet:

Auguſtâ *Norimbergam* venit, umbilicum Germaniæ vulgò creditam; quam ego potiùs *Jenam* quodammodo æſtimaverim, & verò *Norimbergam* cor ipſum ac ſcaturiginem Germanæ elegantiæ omnis, ac fidei infucatæ. Eratque eo tempore ibi, (verba ſunt ſupra-laudati *Coleri* ad *Sachſium, in nuptiali Panegyrico*) conventus Cæſaris & Reginæ Suecorum per plenipotentes Legatos, de expediendis & exſequendis pacis Osnabrugo-Monaſterienſis conſtitutis ſanctionibus: Ubi non tantùm apparatus magnificos omnes, pompas & ſplendores vidit; ſed inſuper etiam *Joh. Georgio Fabricio, Comitis Palatini, Caroli Guſtavi & Ducis Amalfini* Archiatro & Poliatro Norico, de omni meliori notâ innotuit.

Hinc Viâ *Coburgi Lipſiam* iterum, priſtinam ſtudiorum ſuorum Academicorum matrem rediit: & hac etiam poſt tergum poſitâ, paucorum dierum ſpacio, bono tandem cum DEO, poſt iter iſtiusmodi biennale, in ſinum Illuſtris Patriæ ſuæ, *Reipubl. Uratislavienſis*, feliciter eſt receptus, Anno 1651. d. 6. Maji.

Cap. XIV.

De Conjugio ac Liberis.

Atque ſic tempeſtivè mox mox non minùs de valetudine civium procurandâ, quàm matrimonio ſubeundo cogitans; materiam quidem luculentiſſimam nobis reliquit, oſtendere, quàm congruè factum fuerit, ut ſicut Avus Maternus ipſi fuerat magni nominis Medicus, ac Archiducalis Archiater, *Dn. Daniel Bucretius*, (de quo ſuperius cap. 2. dictum eſt) ita non ex alienâ domo, quàm Medicâ, *Conſultiſſimi* quidem *Ampliſſimiq; Viri, Joh. Benckii Conſulis & Syndici Namslavienſis*, filiam, ſed neptem *clariſſimi Medici, Joh. Hennemanni*, Nobiliſſimam Virginem, *Annam Magdalenam*, dulciſſimam vitæ ſociam An. 1653. pridie Nonas Decembres ſortiretur: Sed hæc ad ſcopum Scripti hujus palmarium minùs pertinent. Ut taceam, quod crambem tantùm aliquam operosâ talium recenſione recocturus ſim, poſtquam aliquoties laudatus *Colerus*, Panegyricum Sermonem *Nuptis iſtis* ſcribens, ex profeſſo magis, *Benckianæ* ac *Sachſianæ Familiæ* ampliſſimæ genealogiam quàm vivaciſſimè eſt proſequutus. Niſi quod unum hoc immiſcere non inconveniens ſit: ante laudati videlicet *Danielis Bucretii* cognominem *Filium*, eſſe illum, qui ſuperiori tempore edendis in Italiâ *Adriani Spigelii* operibus Anatomicis aliquandiu præfuit. Sed quia is curioſè nimis, ad apicem perfectiſſimæ elegantiæ, tabulas æri inciſas ab artifice voluiſſet exigere, unamque earum, minùs congruam ſibi viſam, aſſumto in manum inſtrumento ſculptorio, aut cultro, deformem reddiderit, lineam tabulæ profundam imprimendo per præceps quoddam generoſæ œſtrum impatientiæ, uti â *Viro quodam magni nominis*, qui eo tempore præſens Patavii fuit, mihi relatum eſt, invidiam aliquorum illius loci, quæ excitatam Ipſius indolem clam aliquandiu preſſerat, eâ occaſione in perſecutionem notabilem erupiſſe, ut ille, ſecuritatis ergò, in Galliam ſe reciperet, ex quâ rediiſſe, â me ignoratur.

Beatus verò *Sachſius* noſter ex dicto felici ac tranquillo, XVIII. annorum, & quod excurrit, conjugio liberos tres, Filios duos videlicet, quorum alter, *Johannes Tobias*, jam pridem in Cœlum receptus eſt; alter, *Erneſtus Philippus*, in egregiam Patriæ ſpem inter Clariſſ. Patris veſtigia effloreſcit; & Filiam unicam, *Urſulam Magdalenam*, roſeæ venuſtatis Virginem, ſuſcepit.

Cap. XV.
De Vitæ reliquæ ſummâ, & ad eam ſpectante Praxi Medicâ.

Electâ itaque, per matrimonium iſtud, in ſedem vitæ ſuæ conſtanter habendam, illuſtri Patriâ, *Vratislaviâ*, eâque tanquam Centrum poſitâ, ex quo Virtutis ac Eruditionis ſuæ radii tum demum longè lateque ſe diffunderent in longè ampliſſimam virtutum ac gloriæ perennantis Sphæram; â toto illo tempore non minus Charitatibus ſuis, quotquot earum ullo ſangvinis vinculo ſibi nexæ fuerant, fidem ſinceram probavit & conſtantiſſimam; quàm accinctus jam jam, egregia animi ſui dona, divinitus conceſſa, plenè ac ſeriò indies oſtendere, nil antiquius habuit, quàm Ægrotantium partim multorum, partim ſibi ſimilium, h. e. Medicorum, domi foris celebrium, ac plurium aliorum, diverſi ordinis, Virorum, Literatorum, aut literis bene cupientium, expectationem non vanam ac animos, tanquam magnetiſmo quodam, mirabiliter attrahere.

Ac ſeorſim ad Curationem Ægrorum quod attinet, quàm peritum in eâ, quàm gnavum, ac alacrem; addo notanter quàm Pium imprimis, atque â Technis, ſorditie, avaritiâ, ac invidiâ alienum ſemper, nec infelicem plerumque, ſe geſſerit, quemadmodum nullus ferè *populoſiſſimæ Urbis* angulus eſt, qui hæc ignoret, ut nec diverſum fateri poſſint ipſimet invidi: ita Veritatem ejus, quod ſcribo, maximè omnium roborat exceptione omni major, *Generoſi ibidem Ampliſſimique* SENATUS *Autoritas*; cui digniſſimus tandem viſus eſt, qui in Æſculapium, aut publicum Sanitatis Cuſtodem nunquam ſatis laudatæ *Reipublicæ (Benefactricis etiam meæ,)* præficeretur, decimus octavus in ordine, poſt Præceſſores ſuos, quorum Catalogum, ab Anno 1533. ductum, ſubſequens caput exhibebit.

Patientes ſuos, ut minus-impatientes eſſent, blandiſſimè ſemper, quàm fieri potuit, & amabili quadam induſtriâ tractavit, memor noſtri *Hippocratis*, qui ait: *Auſteritas tùm ſanis, tum ægris difficilem acceſſum præbet.* Unde, quemadmodum tempore quovis alio, ita Anni 1665. menſe Septembri præſertim, graſſantibus paſſim, non ſine ſtrage, malignis febribus, magnus ægrotantium numerus quotidie ad ipſum, tanquam ad ſalutiferam quandam anchoram, ſe recepit. Quæ cauſa etiam exſtitit, quâ ſubſequi Anni 1666. menſe eodem,

ſilentium ſuum coram me excuſat in literis, quod ſcribere nempe non potuerit, *conflictatus cum Epidemiorum Morborum Lernâ* (ſunt verba Ejus) quæ ipſius defatigaverit animum adeò, ut ferè momentum horæ defecerit, ob conſulentium ſe multitudinem, viſitandorum Copiam, & Remediorum, indies elaborandorum, neceſſitatem. Imò ipſummet dein cum morbo hyberno periculoſiſſimo ſe luctatum, perſcripſit Mihi ann. 1667. d. 6. Maji; & ſubſequas viſitationes Ægrorum creberrimas, adeò vires ipſius attriviſſe, ut ſibi non licuerit vel aliquot dies impendere, quibus valetudini propriæ conſuluiſſet, graſſantibus paſſim identidem Petechiali Febre, Morbo Hungarico, malignâ Pleuritide, & morboſis iſtius modi impedimentis aliis, quò minus in tanta ægrorum ſtrage ſatisfacere, ut vellet, potuerit Collegii Legibus, aut commercio Epiſtolico, ſine interruptu, operam navare. Et quamvis porrò tam anni modò dicti 1667 Autumno iterum occupatiſſimus eſſet, tanquam Hercules, clavâ armatus, in debellandis Febrium variæ indolis, & malignarum plus minus, tertianarum rariorum, quartanarum contumacium, purpuratarum, ſimilumque monſtris, ut Idem mihi ejusdem anni d. 29. Octobr. in literis retulit; quam annis ſubſequis non minus innumeris ægrotantium ſuſpiriis fatigaretur: veruntamen nedum alterutrum Medicinæ oculum, (Anatomen) obdormiſcere ſibi paſſus eſt, quin iteratò ad retexenda obitorum quorundam corpora, & evolvendas interdum incurabiles morbi ſedes ſollicitè reciperet ſe, quousque occaſio aliqua ac hominum minus refragantium ſors, intentionem Ipſius planè laudabilem, hâc ex parte medica adeo neceſſariâ, ſecundaret. Atque ſic, ut in Scholio Ejus ad Obſ. 2. Anni I. Ephem. invenio, Ann. 1670. d. 6. Aprilis, virum quendam, Sphacelatis Inteſtinis mortuum, ſtudioſè diſſecuit, Ipſe poſtmodum, poſt fata, memorabile Proſectorum objectum factus, ut jam ſuperius, in præſentis Hiſtoriæ Cap. I. commemoratum eſt. Inque aliâ, Anno 1671. de. 12. Auguſti ad me ſcriptâ refert, Se â biennio tum *Collegii Patrum Societatis Jeſu* Medicum fuiſſe, & eâ occaſione *Virorum* apud iſtos doctiſſimorum animos lucratum.

Cap. XVI.

Seorſim de Phyſicatu D. Sachſii, ejusque in Officio iſto Anteceſſoribus.

Iamque

IAmque indignari nolite, *Honoratiſſimi Collegæ*, ſi retro paulum digrediar, &, antequam pergam dicere, quæ ad ipſammet *Phoſphori Veſtri ac Mei perſonam* directe ulterius pertinent, brevem Catalogum hic interſeram *Medicorum illorum celebrium*, quos tum Collegas habuit, tum Anteceſſores præſertim, *in Phyſicatu*, quem vocant, vel curâ publicâ valetudinis, in Rep. Patriâ Vratislavienſi, Autoritate ac Benignitate *Illuſtris* SENATUS, in *Ipſum* translatâ; cum, quemadmodum Chriſtiani officii eſt, "vos bene de Rep. merentes, amare; ita religionis pars, mortuos colere, & nomen eorum ab interitu vindicare".

Quantum itaque conjecturâ poſſum aſſequi, *Vratislavia*, vulgo *Breſla*, vel *Wratislavia*, â VVratislao, Rege Bohemiæ, amplificatore ejus, ſic dicta (cujus initialem literam VV, adhuc gerit in Clypeo Inſignium) aliquibus *Budorgis* ſuperioribus annis ſtato aut certo quodam Salario Medicos vix aluit, freta nimirum vel loci ſalubritate, vel ſedulitate etiam ipſorum Medentium: donec Anno 1533. vel floruit ibidem, vel deceſſit, Medicinæ Doctor quidam, ac Phyſicus Urbis ordinarius, quantum ſcimus, primus, *Matthias Auctus*, ut video annotatum â *diligentiſſimo ac ingenioſiſſimo Vratislaviæ nunc-Poëtâ, Henrico Mühlpfort*, in fine Carminis Gratulatorii, quod *Godofredi Thileſii*, (de quo paulò poſt) honoribus Medicis, â Republ. ei decretis, ſcripſit.

Poſt hunc (*Auctum*) ibidem recenſetur, ſecundus in ordine, Phyſicus, *D. Dominicus Weiſſius*; eique annus â Nato Chriſto 1540. aſſignatur.

Cui dein, vel vivens, vel tranſactis officii ſimilis ac vitæ partibus, Anno Chr. 1545. *D. Johannes Spremberger* ſucceſſiſſe ſcribitur, diſcipulus quondam, in Academiâ Lipſienſi, *Johannis Pfeilii*, Viri induſtrii, & Anatomes peritiſſimi, ut ex *Joh. Georgii Schenckii* Lithogeneſia (cap. 1. pag. 2.) colligo.

Quartus numeratur *Johannes Crato â Crafftheim*, & ad Annum 1550. refertur, patriâ Vratislavienſis; fulgidum illud Sidus primæ magnitudinis in Cœlo Medico ejus temporis, ac trium Imperatorum, *Ferdinandi I. Maximiliani II. & Rudolfi II. Perſonarum Medicus, Conſiliarius, & Comes Palatinus*, πολυπειρότατος dictus *Clar. Sebaſt. Scheffero*, in Introductione Med. ſub Præſidio *Conringii* editâ, cap. 7. §. 13. præcipuè Conſiliis & Epiſtolis, â *Laur. Scholzio* collectis, clarus.

Inde recenſendus mihi videtur, (quem *Mühlpforthius* omiſit) *D. Balthaſar Scheiderus*, Vratislavienſis, adductus â *Scholtzio* in Elencho Autorum,

torum, qui præfixus eſt Cratonianis Conſiliis, in folio editis; & ab eodem, (in Catalogo Auctorum, qui Epiſtolis Cratonianis præfigitur) expreſſè Phyſicus Vratislavienſis dictus. Ipſumque vixiſſe conſtat Anno 1556. menſe Majo, quo tempore conſilium edidit circa ictum lapidis, ſiniſtræ parti capitis inflictum, exſtans apud *Cratonem* Conſil. Med. 299: & Anni 1562. menſe Octobri, quo tempore Epiſtolam ſcripſit *Johanni Aurifabro*, inter Epiſtolas Cratonianas, num. 56. inveniendam. Nec non alia quædam exſtant *Ejusdem Scheideri* conſilia: unum de Melancholiâ Hypochondriacâ (Conſil. Craton. 187.) alterum de Quartanâ (ibidem, Conſil. 260.) utrumque verò absque addito nomine diei, menſis, anni, loci, aut Conſulis.

Progreditur in Catalogo *Vratislavienſium Phyſicorum*, brevi quidem, ſed mihi deſideratiſſimo anteà, ille feliciter cæteroquin in carmine Claudianizans, ac Statianum quid ſpirans *Mühlpfortius*; & vel quintum, vel ſextum, Reip. laudatæ Phyſicum, *D. Sigismundum Woyſelium*, nominat, ejusque vel vitam vel ultima, ad Annum 1581. refert.

Huicque ſucceſſiſſe perhibet quendam, *D. Caſparem Packiſium* dictum, cum notâ additâ Anni 1585.

Quo celebrior utique *D. Daniel Bucretius*, Vratislavienſis, ac Phyſicus ibidem meritiſſimus, circa Ann. 1603. imprimis exſtitit, de quo jam ſupra, in contextu Cap. 2. eſt dictum; Avus maternus *B. Sachſii*, ut ipſe (*Sachſius*) innuit, Gammarolog. lib. 2. Sect. 2. c. 4. pag. 687. Deque *Bucretii* iſtius cognomine filio, Anatomicorum *Spigelii* Operum Vulgatore, verba itidem à me, (Cap. 14.) obiter ſunt facta.

Huic ſucceſſit, & circa Annum 1607. præcipuè Medicâ laude floruit, aut in eâ lethaliter defloruit, patriâ itidem Vratislavienſis, *D. Georgius Rumbaum*; neſcio an fraterno, vel quonam alio ſangvinis vinculo junctus *D. Chriſtophoro Rumbaumio*, quem *Clar. Martinus Hannkius*, amicus meus à tenerrimis mihi familiaris, & in Hiſtoriâ Virorum illuſtrium omnis ævi Romani verſatiſſimus, in Programmate quodam, quod de vitis Sileſiæ Medicorum ſcripſit, Javora-Sileſium, atque apud Vratislavienſes Medicinæ Practicum, appellat. Et hunc ipſum *Chriſtophorum Rumbaumium* citra controverſiam puto eſſe illum, de quo memorabilem Hiſtoriam miræ curationis affectûs cujusdam ſingularis memorat *Döringius* (mox ipſe etiam dicendus) *d. Medicinâ & Medicis, lib. 1. part. 2. Sect. 2. Claſſ. 1. Cap. 3. pag. 58. & 59.* his verbis: *Annus (1611.) agitur ſextus, ex quo D. Chriſtophorus Rhumbaum, Medicus Vratislavienſis, vir, quoad vitam integer-*

tegerrimus, quoad artem exercitatiſſimus, quoad aliarum rerum cognitionem peritiſſimus, (cujus anima nunc ſit in benedictione) ſanctè mihi aliquoties affirmavit: ſibi aliquando, dum ob ægri cujusdam affectum ſingularem graviter angeretur, librum Medicum in ſomno viſum fuiſſe, in quo affectûs illius curationem probè deſcriptam inveniret. Cum ergo is à ſomno expergiſceretur, & ſomnium planè divinum fuiſſe arbitraretur; curationem ſecundùm ipſius monitum inſtituit: quam etiam, Deo fortunante, felicem expertus eſt. Quid fit? Poſtquam aliquot anni præterfluxerunt, demum liber quidam in publicum editur; (cujus titulus mihi memoriâ excidit) in quo illa ipſa ad unguem, (prout D. Rhumbaumius ſe in ſomnio ea legiſſe putaverat) non ſolùm deſcripta; verùm etiam paginam ac paginæ faciem (cui itidem eadem inſcripta fuiſſe cogitaverat) reperit. Et filium *Georgius* ille habuit, *D. Caſparem Rumbaum*, qui glorioſus Medicâ laude Senex, ſine relictâ prole Hamburgi nuper obiit, Servator ibidem ante decennium vitæ meæ, poſtquam occaſione blandæ peſtis buboniæ, cui curandæ ab *Ampliſſimo* SENATU *Inclutæ ejus Reip.* benevolè à Me ac iteratò id poſcente, præfectus fueram, febre malignâ cum mediocri delirio, ex efferveſcentibus periculosè Viſcerum Tincturis ac Lymphis ſcorbuticis, undecunque Miaſma aliquod hoſtile nactis, graviſſimè decumberem, ita, ut *optimè* de Me, in iſto præſertim neceſſitatis puncto, *meritiſſimus Vir*, ſpe convaleſcentiæ vel ſepties ejiceretur. Prævaluit tamen dextra DEI, & dextræ *Prudentiſſimi Medici* benedixit; cui mortalitatem licet transgreſſo, digniſſimas tamen decerno gratias, & manibus ejus lito juſtâ commemoratione beneficii. Donaremque inſuper civicam, qualem civis civi antiquitus, à quo ſervatus erat in prælio, in teſtimonium vitæ & ſalutis perceptæ dedit: Sed potiore in cœlis fruitur coronâ, vanitates humanas hoc perfectiùs ridens nunc, quò magis, vivus adhuc, vanitates omnes externi ſplendoris averſabatur. Parentis ſui pulverem Bezoardicum, & peculiare quoddam Balſamum ad vertiginem, ad mentem *Magni noſtri Sennerti factum*, præ reliquis Medicinis familiariſſimo uſu habuit, & plurimum boni his effecit, ob compoſitionis, quam toties mihi prædicavit, Harmoniam. Pluſculaque Medicamenta egregia alia laudati Patris ſui, *B. Chriſtophori Rumbaumii*, in inſtructiſſimis Vratislaviæ Pharmacopoliis parata, & aliqua eorum in Scriptis Sachſianis deſcripta exſtant.

Rumbaumio in publicâ valetudinis curâ ſucceſſit, & circa Ann. 1615. clarus exſtitit alter quidam *Sigiſmundus VVoyſelius* Medicinæ D. ſuperius dicti *Sig. VVoyſelii*, ut puto, filius; cujus honorificam ſæpiùs mentionem à patre meo factam memini.

Utque incedam ad tempora noſtra paulò cominus; ad Annum 1622. à *Mühlpforthio* refertur *Michaël Döringius*, Vratislavienſis, Phil. ac Med. D. *Celeberrimi* non-inglorius *Sennerti* affinis, ac *Andreæ Schatonis à Schattenfeld*, Med. quondam D. Profeſſoris ac Senioris in Academiâ Wittebergenſi, gener. Hujus *Schatonis* enim Filiam natu majorem, *Margaritam*, *Sennertus* jam-dictus duxit; alteram, *Annam* (ni fallor) *Döringius*: in cujus defunctæ locum Vratislaviæ poſtmodum Ann. 1634. d. 4. Jul. *Döringio* Conjux altera obtigit, *Martha Schmidia*; putoque ipſum, poſt transacta ſtudia Academica, quibus Wittebergæ litaſſe circa Ann. 1601. 2. & 3. novi, & tempeſtivè dein Laureâ Doctorali inſignitum, Archiatrum primò fuiſſe *Caroli Euſebii Lichtenſteinii, Ducis in Sileſiâ Oppavienſis & Carnovienſis*: hinc Profeſſorem Med. vocatum in Academiam Gieſſenam; indeque rediiſſe in Patriam, & *Phyſicum Reip. ordinarium creatum*. De Medicinâ & Medicis, Mithridatio, Opio, ac Opobalſamo, An. 1619. Menſ. Junio ac Julio Diſſertationes non inamœnas edidit. Cumque *Sennerto* diligens ipſi interceſſit per literas de rebus Medicis commercium; quarum Epiſtolarum Volumen aliquandiu in Scriniis *Sachſius* noſter habuit, ac inde imprimendas Lugduni Gallorum, amiciſſimo ibidem *D. Carolo Sponio* ſuo, circa Ann. 1665. conceſſit, ut *Ipſe* (lib. 1. Gammarol. cap. 1. §. 8. p. 12.) teſtatur.

Hinc quidam, *Georgius Franck*, M. D. & Phyſicus Vratislavienſis, Ann. 1629. annumeratur.

Eumque vel ſequens, vel in ſimili ſtadio, circa Annum Chr. 1631. comitans; *D. Johannes Kreutzmann.*

Ad Annum verò 1634. qui ſub initium Menſis Auguſti, Natalis mihi exſtitit, refertur Phyſicus alius, *D. Johannes Pilgram*, qui in carmine proprio ſuo, quod d. 4. Julii, jam dicti Anni, *D. Döringii* nuptiis ſcripſerat, ipſemet Se & Sponſi collegam, & *Phyſicum Vratislavienſem*, vocat.

Poſt hunc ab Anno 1636. circiter inclaruit *D. Joh. Dobritius*, *Sittâ Luſatus*, cujus jam admodum-Senis, nec levi in Re Medicâ, autoritate pollentis, ab annis tenerioribus recordor.

Imprimis verò *D. Joh. Agricolæ* perſona, & inceſſus ad nullum affectatum ſplendorem compoſitus, ſucceſſu temporis notus mihi exſtitit: quale quid ſolet iliis eſſe commune, qui navigatu ad loca maximè diſſita, & Chymiatriâ impenſiùs capiuntur. In ſcriptis *Ipſius* multa occurrunt ſcitu utilia, & quæ verſatas in Regimine ignis *Autoris* manus ſat oſtendunt.

dunt. Poſſit tamen eſſe, ut in aliquibus Lector aſſenſum ſuum tantiſper ſuſpendat, uſque dum omnem experimenti ſucceſſum viderit. *B. Sachſius* (d. mirâ Lapid. Nat. pag. 100.) *Ipſum* appellat *Phyſicum Reip. Patriæ meritisſimum, ſuumque amicum ſingularem. Mühlpforthius* ipſi Ann. 1643. aſſignat: ſed aliquantò longius Phyſicatui præfuiſſe, antequam rebus humanis eximeretur, haut paucis etiamnum, in Patriâ meâ, in recenti memoria eſt.

Sequitur excitatæ induſtriæ, & promtitudinis in medendo Vir; *Dn. D. Joachim Elſnerus*, qui laudato *Agricolæ* circa Ann. 1653. in officio acceſſit, & ſucceſſit.

Hinc circa Ann. 1668. imprimis *Nobil. Dn. D. Gottfrid. Thileſius*, ex honorabili & ſat antiquâ ſtirpe natus, per peritiam ſuam, & ſingularem in medendo elegantiam, animos *Senatorum* adeò derivavit in ſe, ut data occaſione ad ſalutandum non gratiorem, quàm ipſum, valetudinis ſuæ, ac Urbis totius Præſidem proclives agerentur. Obſervationes *Ejus* Pathologicæ duæ, in *Anno 1. Ephemer.* (num. 105. & 106.) conſpicuæ ſunt.

Atque idem denique, poſt reliquos omnes hucusque nominatos, de *Sachſio* noſtro dicendum eſt: quem fata, quid in officio poſſet præſtare, Ann. 1671. denique publicè monſtrarunt, & Salivam toti Urbi dulciſſimam moverunt; nullâ verò ratione tàm nobile pignus Famæ, & longè digniſſimum Æternitatis Candidatum, diu, inter imbecillitates humanas ultrò citròque volutari, ut docet eventus, permiſerunt. Adeò ſollicitè, tantaque diligentiâ res ſuas, aut rectiùs, Urbis & Ægrorum, egit, ut ſuæ deſereret curas valetudinis; ad omnia impiger, quouſque per periclitantes, quas cap. 2. expreſſi, corporis ſui viriculas poterat. Quas tandem moderatiùs intendere coactus eſt, atque ad Patientes ſuos ſe recepturus, curru uti. Ita enim *Dn. D. Volgnadius*, amicus antiquâ virtute ac fide mihi probatiſſimus, d. 7. April. 1672. *Vratiſlaviâ* de *Phoſphoro* perſcribit: *Dum pedes praxin exerceret, ardores in lumbis & mictiones cruentas ſæpe paſſus eſt: Poſtquam curru veheretur, ſymptomata hæc tranſierunt.* Raroque ab officinis Pharmaceuticis abfuit; quin medicamentariam in iis rem utilibus compoſitionibus auxit, ac ſæpè luſtravit vigili oculo.

Cui demum eodem, quo obiit, Anno 1672 Menſe ipſomet Januario, *in Phyſicatu* ſucceſſit perſpicacis ingenii, & vividæ promtitudinis Vir, *Dn. D. Fridericus Ortlobius*; qui qualis futurus eſſet, jam in Academia Lipſienſi ex editis Diſputationibus duabus limatè ſcriptis, unâ de la-

cte humano, Ann. 1653. & de fonticulis alterâ, Ann. 1654. maturè ſat oſtendit.

CAP. XVII.

De Receptione Ejus in Naturæ Curioſorum Collegium, & Actis in eodem.

UTque in viam, citra ulteriores ambages, ad depingendas ampliores *Sachſiani Animi Veneres* redeamus; quando conſidero, quantis curis, quàm fideliter, quàm conſtanti ardore, quot quantisque multa ſciendi, beneque de Patriâ, bene de proximo non minùs, quàm Poſteris, ac utrobivis poſtremùm de Collegio merendi, deſideriis, certè indomabilibus, actus ab ineuntibus annis, juxta ætatum tramites, fuerit; nemo me falſi arguet, ſi *Sachſium*, quicquid fuit, totum fuiſſe asſiduitatem, laborem, induſtriamque dixerim. Ex quibus, cum de gnavâ in Scholis Indole, cum de transactis non ſine fruge peregrinationibus, deque peritiâ, induſtriâ, & felicitate in medendo jam ſatis dictum ſit; tempus eſt, ut tùm quo genio *nunquam otioſo* intra Collegium, quâ morum amabilitate & nunquam ceſſante Induſtriâ Se item *Domi* non minùs *cum Viris Literaturæ faventibus aliis*, quàm foris longè latèque per Literas cum toto quaſi Aſtrorum Cœli Medici Choro, habuerit, ordine addamus.

Pellectus itaque virtutibus Ejus, ac raræ eruditionis Famâ *Magnificus ac primus Collegii noſtri Dn.* PRÆSES, *Nobiliſs. Dn. D. Johann. Laurentius Bauſchius*, p. m. paucis ab exortu Collegii Annis, & redeuntibus ab Exilio magis magisque, poſt pacem Germaniæ ſtabilitam, Muſis, unanimi ſuffragio Collegarum (initio paucorum) præcipueque veſtro, *Magnifice Dn. Febri, nunc-Præſes alter, itidem meritiſſime, & Nobiliſs. Dn. D. Elia Schmidi*, unà in eodem loco (primâ Collegii ſede, Svvinfurtenſi Rep.) agentium; ſincerè eò eniſus eſt, ut coronæ iſti novellæ, gemma adeò ſplendida, *Sachſius* inquam, recens-fundato *Naturæ Curioſorum Collegio*, inſereretur. In quo etiam ſe geſſit ad obtemperandum minùs difficilem: atque ſic Ann. 1658. dictæ Societati, aſſumto *Phoſphori* nomine, acceſſit. Anni verò 1666. dein, Menſis Auguſti die 29 eodem videlicet tempore, quo modo-laudatus *Dn. Febrius B. Bauſchio* ſucceſſit, *vices adjuncti* ſimul Phoſphoro noſtro demandatæ ſunt, ut recordor ex literis, *à Dn. D. Schmidio* d. 23. Sept. dicti An. 1666. ad Me perſcriptis.

A quo

A quo tempore præſertim quicquid dixit, quicquid ſcripſit, egit, aut cogitavit, noctu dieque *ardentiſſimo huic gloriæ Literatæ Sponſo*, poſt DEUM, & ægrorum ſalutem, incolumitas identidem & emolumentum *Collegii in Naturæ Scrutinio Curioſi*, in animo, linguâ, manu, ac calamo præſentiſſimè ſemper adfuit: hoc fuit deſideratiſſima ſua Venus, Charis, ſtella polaris, & ſpeculationum ſelectiorum terminus unicus, ac objectum inexpugnabile. Et quodcunque in libris, vel literis aliorum legit, Latinis, Græcis, Vernaculis, Belgicis, Gallicis, Italicis, aut alterius Idiomatis, & quicquid in Itinere, aut penes ægros, aut domi ſuæ, quotidie, ad Phyſicam, Medicinam, Pyrotechnicam, & technicas alias pertinens, notatu dignum obſervavit; illud omne; aut nervum ejus præcipuum, non obſtante officii ratione, cui conſtanti diligentiâ præfuit, immani celeritate ad diaria ſtatim ſua vel adverſaria retulit. Omnia in gratiam exornandi *Collegii Curioſi*. Non converſatus familiariter, cum Amico, non Proceribus, aut Illuſtribus perſonis medendo inſerviit, ubi non undecunque occaſionem captaret, pro Bono Academiæ loquendi, monendi amicè, aut rogandi, commendandi, & commendationes ulteriores Collegii, aliis amabili ſuâ ac indefeſsâ Svadâ tantum non extorquendi. Nullus penè Europæ angulus tutus ab Epiſtolis ſuis exſtitit, in quibus Honor & Augmentum *Curioſæ Societatis*, Alpha, Mi, & Omega Scriptionis non eſſet: & hoc improbo labore effecit, ut favorem noſtri, plenè hinc indè lucraretur ab exteris; quod præter benigna *Excellentiſſimorum Virorum Judicia* Anno II. Ephemeridum præfixa, liquidò teſtantur omnes propemodùm paginæ in Ephemeridum ipſarum non Anno ſecundo tantùm, ſed primo præſertim, & magnam partem tertio; *Sachſianæ* ſicut *induſtriæ*, ſic *gloriæ* feraces. Diſtinctiusque *de favore & gratia Exterorum Virorum Celebrium, imò Illuſtrium Perſonarum, Clementiâque ipſius CÆSARIS LEOPOLDI*, tàm toti Collegio, quàm ſeorſim *Phoſphoro* præſtitâ, inferiùs agetur, ut pleraque inimitabili labori, vigilantiæque *B. D. Sachſii* deberi, & ex morte *Ipſius* proin neſcio quantum incommodi non immeritò timeri, tantò magis perſpicuum evaſurum ſit.

Tanti ponderis æſtimavit, fatale illud grande ſaxum, quod poſitum in remoram ante limen naturæ, hucusque querimur, pro ſuo etiam, & totius Collegii modulo, niſi dimovere efficaciter à ſuâ ſede, movere ſaltem utcunque, & paulùm à terrâ reclinare; mille aliis interim detentis vanitatum aucupio, & ſtrenuè pro loculi ſui augmento magis, quàm decorandâ internâ facie, h.e. poliendo animo, amplificando orbe ſcientiarum, & gloriâ DEI, laborantibus.

 CAP.

CAP. XVIII.
De Converſatione cum Viris Eximiis in Patriâ.

DIxi ſub initium prægreſſi Capitis, de Induſtriâ *D. Sachſii* declarandâ à Nobis, quatenus hæc ſe exſeruerit *in Converſatione* cum Viris, Virtute ac Eruditione conſpicuis, in Patriâ, promovendæ *Collegii Gloriæ* amore.

Eorum multos quidẽ poſſem adducere, cum Vratislavia mea, nunc hoc, nunc aliud cogitanti, mihi parum aliud eſſe videatur, quàm Oceanus quidam Eruditorum, in quo, ad eluvionem usque, eorundem quidam quaſi exceſſus eſt, cum præſtaret Germaniæ, ad ſecuritatem, more Majorum tuendam, multò pauciores Literatores habere, uti ex Antiquorum Seculorum Hiſtoriâ notum eſt: Sequentes verò præcipuè ſunt, quorum favores ac charites viſus eſt paulò confidentiùs familiariusque in ſe derivaſſe.

I. Ex *Proceribus* primùm, ob ſplendorem Natalium, Senatorii Muneris, ac meritorum illuſtrium, planè *Illuſtris & Generoſiſſimus Dominus Chriſtianus Hofmannus, ab Hofmannsvvaldau, Conſiliarius Cæſareus*, Vir in amores ſtudiorum natus, & Patronus ſuperioribus annis etiam meus, imò unicus: Illud Os & Cor aureum, Fulcrum palmarium, & Deſtina Reipubl. Vratislavienſis, cujus ingraveſcenti ætati perennantem ac vegetam Canitiem ſeriò precamur. Seorſim verò Is *B. D. Sachſii* diligentiâ non parum captus, eidem in aliquibus, pro Collegio agendis, benevolus Suaſor exſtitit, ut colligo ex privatis quibusdam *Phoſphori* literis, Ann. 1665. d. 15. Septembr. ad me perſcriptis.

II. *Vir* itidem *Generoſ. Amplisſimusq; Dominus Georgius Fürſt, Senator ejusdem Reip. meritisſimus*: de quo in aliis Literis (A. 1668. d. 6. Oct.) teſtatur, Hippolithi admirandæ magnitudinis, ex ſcriniis protracti, videndi ſibi factam fuiſſe copiam: cujus molem non ſatis mirari potuerit.

III. Facit etiam tàm in literis (1665. d. 6. Martii ſcriptis) quàm Gammarologiâ (lib. 1. cap. 5. §. 7.) mentionem planè honorificam & gratam *Nobilisſimi Amplisſimiq; Senatoris in Rep. Dantiscanâ, Dn. Michaëlis Behm de Behmenfeld, Sileſii*, humaniſſimè ſibi (dùm is Vratislaviæ ob cauſam privatam aliquandiu moratus eſſet) addicti; ipſumque ex multis affatibus expertus, Virum in omni ſcientiarum genere verſatiſſimum, maximè verò Matheſeos & Phyſicæ Experimentalis cognitione exactè inſtructum, faventemque Collegio noſtro, laudat.

IV. Imò

IV. Imò *Illuſtriſſ. Comitem ac D. de Herberſtein,* tum temporis *Capitaneum Ducatûs Vratislavienſis*, intimè præſertim ac bene *Sachſio*, ſæpè ſibi familiari, cupiiſſe, haud obſcurè ex Literis *Volgnadianis* quibusdam (1672. d. 26. Mart.) colligo.

V. Ac Te, *Ampliſſime Fehri, Præſes Collegii noſtri digniſſime,* teſtem invoco (ex libr. d. Scorzonerâ pag. 56.) quàm difficulter Vratislaviam tranſire, niſi *Sachſii* conſuetudine quâdam gauderet, *Illuſtriſſimus Princeps ac Dominus, Dominus Coniezpolzkius Junior,* Menſe Martio, Anno 1665. videretur.

VI. Veneratusque coràm, cum amore, *Ipſius* ſcientiam eſt Doctiſſimus *Jeſuitarum,* Vratislaviæ, in Burgo Cæſareo habitantium, ordo. Ex quibus cum ſolùm *Rev. & Excell. Patris, Theodori Moretti, Theol. D. & Profeſſoris Matheſeos memini:* O quantum in Animo complector Seculi noſtri Archimedem! quantos inter ipſum, *humaniſſimum Senem,* & *Sachſium* magnetismos! Ita enim *Phosphorus* in literis, An. 1664. d. 20. Decembris ad me ſcriptis: *Morettus,* inquit, *eruditiſſimus & humaniſſimus Vir, ſuſcepto meo Oceano, benigniſſimè in me derivat largiſſimæ benevolentiæ ſuæ rivulos, adeò, ut licet ipſum non inviſam, ſingulis tamen ad minimum ſeptimanis literario quodam inviſam commercio, &c.* Haud vanè addo, ſi fieri poſſet, ut ſemiſeculi tantùm unius ſpacio unà eſſent *Archimedes* antiquus ex Siciliâ, *Vitruvius* ex Italiâ, Illuſtris *Boylæus* ex Anglia, cum acutiſſimo *Carteſio* ex Belgio, atque iſte *Morettus* ex patria meâ Vratislaviâ, facillimum tandem fore, eradicare cum efficaciâ quasvis falſas Hypotheſes, & inter ſplendores Mathematicæ Veritatis, experimentorum radiis fulgurantes, dicere *Ariſtoteli,* BONUS DIES! Neque quâ ſuavitate morum *Idem Morettus* me quoque exciperet, & quantum unius horulæ ſpacio ex demonſtrationibus ipſius Optico-Mechanicis profecerim, cum ante XII. annos circiter Hamburgo, eò ad meos provolaſſem, exponere tempeſtivum eſt; ne longiùs â ſcopo ferar.

VII. Quin addo alterum ex eadem Societate, *R. Patrem, Auguſtinum Gainitium, Vratislaviæ, in Collegio Soc. Jeſu Rectorem*; cum quo itidem familiariter ſatis & curiosè, de rebus ad contemplationem Naturæ ſpectantibus, converſatum coràm fuiſſe, perſpicuè apparet, ex *Anni I. Ephemerid. Curioſ. Obſ. 72. pag. 177.*

VIII. Nec prorſus taceo ex aliis, ſummum proximè elapſo tempore, Sileſiæ meæ decus, Philologum, Polyhiſtorem, & Poëtam, in Tragœdiâ Vernaculâ præſertim excellentem, inque naturalium rerum cognitione verſatiſ-

verſatiſſimum, *Andream Gryphium*, cum quo eruditas horas non paucas familiariter *Phosphorum* contriviſſe, quamvis uterque rebus agendis eſſet diſtrictiſſimus, hic Medicis, ille Politicis, in patriâ præcipuè eſt notum, ut penè hic dixerim: *Noſcitur ex ſocio, &c.*

IX. Utque erat augendæ Collegii Famæ, ejusque emolumentorum identidem cupidiſſimus: ita reducem ex Angliâ, Belgio, Galliâ & cultioribus Germaniæ partibus *Theodorum Jacobum*, Juris tàm publici, quàm civilis, hiſtoriarumque peritiſſimum, vel ideò impenſiùs amavit, quod Is Ann. 1664. Menſ. Auguſto, *Illuſtri Viro, Dn. Chriſtiano Hofmanno* prolixè, in gratiam ſuam, de Inſtituto, Actis, & Diſtributione *Societatis Regiæ Londinenſis Experimentalis* retuliſſet; ut confitetur non ſine laude jam dicti *Dn. Jacobi*, amici etiam mei, â primis integerrimi, ipſemet *Sachſius* Gammarol. lib. 1. cap. 3. §. 21. pag. 67.

Et quis reliquos Uratislaviæ omnes, non Medicos quidem, in Luce tamen literariâ viventes, quorum ibi lætè indies creſcens numerus & multiplex officina eſt, enumeret, ex quorum converſatione plùs minùs familiari *Sachſius noſter* undecunque quæſivit, ut aliquid ſugeret, ex quo filum aliquod dilatandis Collegii ſucceſſibus poſſet ducere. Iſthæc augenda, quàm fieri poſſet, *Curioſæ Societatis* gloria, erat, ut ſupra jam innui, unicum deſideratiſſimumque eruditæ mentis ſuæ objectum, quod poſt DEUM & Sanitatem, ſtans, ſedens, vehens, ambulans, vigilans, dormiens cogitabat: hoc erat *aſtrum Ipſius* amiciſſimum, & ſtella polaris, quam nitidiſſimus Cœli Medici *Phosphorus*, imò aliquis Sol dicendus, pervigil ſpectabat; & pulcerrima inter divas omnes, ut *Statii* mei (lib. 1. Sylv. 2.) utar verſiculo:

Aſteris ante dapes, nocte Aſteris, Aſteris ortu.

X. Imprimis verò eximiæ ſibi voluptati duxit, præter deliberationes quotidie, pro ſalute ægrorum, cum *Medicis* aliis ineundas, ita cum illis agere, ut indelebilem conſcientiis ipſorum imprimeret infucati ſui candoris, & ardoris in exornandam medicam rem inexſtinguibilis, characterem. Ex quibus, quos *Curioſæ Societati* deprehendebat faventiores, ſunt præcipuè hi: *D. Godofr. Thileſius*; *D. Frider. Ortlobius*, Medicus anteà ordinarius in Sileſiæ Diœceſi Namslavienſi, nunc Patriæ meæ Phyſicus; *D. Henr. Volgnadius* civis & familiaris meus â primo ungue mellitiſſimus, continuis *Sachſii* inſtigationibus, Ann. 1669. Collegio adſcriptus, & continuandarum Ephemeridum, per commercia epiſtolica conſtans hucusque promotor. Nec non *D. Johann. Janiſius*, amicus itidem

meus

meus ſingularis, excitati ingenii Vir, & ad quævis aptus, Collegii Curioſi Socius, & Praxin Medicam in Patriâ meâ, cum laude excercens. Ne plures alios nominem, quorum omnium benevolentiæ pariter obſervationes diverſas in Ephemeridum Annis III. editis debemus.

XI. Denique inter Chirurgos *Joh. Georgium Hanckium*, utpote ex regno Japoniæ ab aliquot annis reducem, ad affatus familiares frequentiùs admiſit, ejusque non privatim ſolùm honorificam aliquoties mentionem fecit, in literis ad me; ſed publicè etiam ad illius, tanquam autoptæ, teſtimonium provocat (*Gammarolog. l. 1. cap. 2. §. 9. p. 30.*) ubi veritatem aſſerti roborare contendit, Manucodiatas, vel aves Paradiſiacas, apodes non eſſe.

CAP. XIX.

De multiplici ejusdem Commercio Epiſtolico.

SEquitur, ut dicamus, quanti *Amicitiam* quoque cum *Exteris* fecerit, non ambitionis ergò, aut vanæ gloriæ; ſed ſolo ac inexplebili, juvandi ſtudia, deſiderio, poſtquam nempe non ſibi, ſed aliis natum, & quotidie in ampliſſimâ hac mundi machinâ aliquid diſcendum, imò id longè plus eſſe, quàm ea, quæ vel maximè ſenes ſcimus, reſtare, & verò manifeſtò ſibi obſtare, quò minùs totam peregrinatione vitam conſumeret, conjugii, ætatis, officii, valetudinis, & vocationis internæ, conditionem, piè prorſus, ſapienter, & modeſtiſſimè ad animum ſibi revocavit. Itaque *Is* quantillum temporis â potioribus officii partibus & ocioſis aliorum rapinis temporum abradere, Curioſæ impendere Speculationi potuit, ſibi ſoli relictus, adeò ſtupendâ, indomabili, inimitabilique ſcribendi conſtantia *Pulcrum ſe* domi ſatis, ſed & *Amabilem foris*, præſtitit, ut ex nobilioribus Europæ Provinciis paucæ ſint, quas *igneus iſte Phosphorus* ſplendore literarum ſuarum non illuſtravit, & tùm illos, cum quibus ſemel in Scholâ, Academiâ, aut Itinere, amicitiam virtute inierat, tùm plures alios, pro Ordinum diverſitate ad ſui patrocinium, favorem, amorem, aut venerationem non pellexerit: Flammam puriſſimam imitatus, quæ cominùs blandè calens; longè lateque in magnam gratioſæ Luciditatis ſphæram diffunditur. Nec magno labori ſibi duxit, ſegniores interdùm ad reſpondendum calamos, ternis, quaternis, aut ulterioribus epiſtolis emiſſis, preſſosque paſſim ſub ſocordiæ aut occupatio-

num cineribus igniculos adamantinâ ſuâ ſedulitate, tanquam ignitabulo, excitare, & vibrare tamdiu, usque dum aliquam Curioſæ Reſponſionis gratiam iſtâ laborum, blanditiarum, & liquidiſſimæ ſuadæ improbitate extorqueret; res ſuas hoc pacto amicè habens non cum *Germanis* modò, ſed *Polonis* præterea, *Hungaris*, *Italis*, *Gallis*, *Anglis*, *Belgis*, & *Septentrionalibus*. De quibus omnibus placet priori loco nunc agere, & de *Germanis* poſtremò, quia civilitas & lex hoſpitalitatis jubet, ut honorificentiorem locum concedamus *Extraneis*. Quibus porrò etiam, cum Germanis meis, quò minùs ulla fiat injuria; citra præjudicium ſingulos ſub ſingulis Provinciis, ordine Alphabetico producam.

CAP. XX.

Diſtinctim, de Correſpondentiâ (ſit venia verbo) per Poloniam, & Hungariam.

AD POLONIAM ergò Sileſiæ meæ ac *Sachſii* vicinam, quod attinet; hi duo præcipuè ibi viſi mihi ſunt, *Beato Sachſio* noſtro per epiſtolam præ cæteris, familiares.

I. *Vir Nobiliſſimus, Dominus D. Martinus Bernhardus à Bernitz*, Reg. Majeſt. Polon. Medicus, ſedulò per literas *Sachſium* alloquutus, eique, in gratiam exornandi noſtri Collegii, ſequentia largitus:

Anno II. Ephemeridum Curioſarum

Obſervat. I. de Polypodio, ſpeciem Imperialis Aquilæ gerente.
Obſerv. 41. de Orchidum ſpeciebus.
Obſ. 52. de Muſco terreſtri repente monſtroſo.
Obſ. 53. & in ejus Scholio: De Rutâ Murariâ, & Muſco, in Cranio humano.
Obſ. 97. de Gammaro alato.
Obſ. 98. de terreſtri & vegetabili Gammaro.
Obſ. 99. de Gammaro leproſo.
Obſ. 100. & 101. de monſtroſâ Aſtaci marini chelâ.
Obſ. 102. de Cancro Moluccano.

Anno III. Obſerv. 104. de Cocco Polonico.

Reliqua, peritiam Viri Phyſico-Medicam, in Academiis & Itineribus contractam ſpirantia, ſed non præcisè ad *Sachſium* directa, & hinc inde exſtantia in Ephemeridibus, conſultò prætereo. Et ita cum pluribus aliis etiam, quorum Catalogum pando, agam.

II. *D. Jo-*

II. *D. Jonas Deutschländer* Frauſtadio Polonus, ibidem Practicus, & Regis Poloniæ quondam Medicus Aulicus, accedens Collegio, Anno 1661. eodemque morte correptus, decedens. De Unicornu ſcribere promiſerat: & carmine eruditiſſimo de Ampelographiâ eſt *Sachſio* gratulatus, familiaritatis teſtandæ gratiâ.

Ex HUNGARIA hi veniunt laudandi:

I. *D. Lubertus* (ita lego in literis quibusdam Sachſianis) *Erbenius*, Proto-Medicus exercituum Cæſareanorum. Et invenio, eodem, quo in Turciam cum Legato Cæſareo profectus eſt, Anno 1665. aliquid Literarum ad *Phosphorum* dediſſe.

II. *D. Martin. Henricus de Frankenſtein*, Phyſicus Eperienſis, ſcripſit eidem *Phosphoro* carmen gratulatorium in Ampelographiam. Amicus illi dum viveret conjunctiſſimus, & ex Hungariâ *eidem Sachſio* (vid. An. I. Ephemer. Curioſ. Obſ. 131. p. 291.) Anno 1659. referens de Acinis Uvæ, Auri mixturâ impraegnatis; addensque duas hiſtorias circa hanc rem commemoratu dignas; & quod plura exempla Lectori exſpectanda ſint allegata â D. *Procopio Bonano*, Cæſar. Cameræ in Fodinis Regiis Hungariæ Archiatro, in libro, *de Admirandis rebus Hungariæ*, aucto plusquam CC. Tabulis æneis. Sed mortuo jam pridem Bonano, & nedum ullâ ejus Tractatus parte editâ, verendum eſt, ne elegantiſſimum opus, cum Autore ſuo prorſus interciderit.

III. *D. Martinus Chriſtophorus Metzger*, Viennenſis, Poſonii in inferiore Hungariâ, Medicus celeberrimus, & *Sachſio* olim fidiſſimus itinerum Achates, ut tùm ſupra (Cap. XI.) tùm in editâ Ann. 1664. Diſſertatiunculâ meâ de Cancris & Serpentibus Petrefactis, num. & pag. 7. â me dictum eſt. Atque altiſſimas utique radices egiſſe utriusque amicitiam, prætereà exinde patet, quod *Metzgerus* iſte, non lætiore tantùm rerum ſtatu fruitus, gratulatorium carmen *Sachſio*, in Ampelographiam lubens ſcripſerit, in cujus ſubſcriptione ſuum *Intimum* appellat; ſed poſtmodùm etiam Ann. 1663. Menſ. Octobri, cum loco ipſum, metu Turcarum, oporteret diſcedere, ex fugitivâ per Danubium navi, ſimile in Gammarologiam quoque Poëma deproperavit ad Straubingam Bavariæ, & ſic Exſilii ſui tædia, per memoriam dulcem tanti amici, utcunque lenire quæſierit. Inde Ratisbonam ſe contuliſſe, ex *Sachſii* Gammarologiâ (lib. 1. cap. 4. §. 6. ~~cap.~~ 79.) conjicio. pag.

IV. *D. David Spilenberger*, *Samuelis Spilenbergeri*, Palatino Hungariæ quondam â curis Medicis, & Regiæ civitatis Leutſchovienſis, in ſu-

 pe-

periore Hungariâ, Medici ordinarii, *Filius*, ac Phyſicus ibidem. Huncque *Sachſii* amicum planè eximium fuiſſe, ex carmine, in Gammarologiam ſcripto, patet. Planèque curioſum ac elegans ejus Ingenium, præter documenta hujus rei alia, nominatim literæ docent, de vitulâ prægnante, ſcriptæ ad *Sachſium* Ann. 1663. & ad eundem directa tria hæc in Ephemeridibus Curioſis:

Ann. I. Obſerv. 62. de Fœtûs in uterum reditu.

Obſerv. 133. de Cantharidibus, innoxiè ſumtis.

Ann. II. Obſ. 40. De effigie humanâ in oſſiculo cordis humani.

Et V. *D. Johannes Paterſon Hain, Boruſſus*; Phyſicus Eperienſis, in ſuperiore Hungaria: Vir itidem multijugâ ſelectiorum naturæ operum notitiâ, procul â cenſu communi, imbutus, *Sachſiique Curioſo Animo* addictiſſimus. Ad quem directæ Obſervationes in Ephemeridibus ſunt hæ:

Ann. II. Obſ. 27. De variis rebus, Microſcopio ſubjectis.

Obſ. 28. de morbis quibusdam, ac mineralibus Hungariæ.

Obſ. 113. De Auro vegetabili, vitibusque aureis, ejusdem regni.

Obſ. 114. De Diarrhœâ malignâ.

Obſ. 115. De cochlea in lucii capite reperta.

Obſ. 117. De experimentis quibusdam Chymicis.

Obſ. 118. De Antipathiâ ad Mercurium.

Anno III. Obſ. 139. De Draconibus Carpathicis.

Partemque Epiſtolæ, quâ veram utique Draconum exiſtentiam *Sachſio* confirmat, vide Anno III. Ephemerid. *Obſerv. 139. pag. 258.*

Imò in *Transſylvaniam* ipſam literarium commercium *Phoſphoro* fuiſſe cum D. Matthæo Held, Medico quondam Principum Ragozzi, & Razevilii, colligo tum ex carmine gratulatorio, in Ampelographiam inde accepto; tum ex Anno I. Ephemerid. Curioſ. *Obſ. 131. pag. 291.*

Cap. XXI.

De Correſpondentiâ per Italiam.

EX horridis montanis Hungariæ ad paradiſum terrarum, ſcientiarum omnium Seminarium, & Muſarum â Barbarie reſpirantium ſuſceptricem, ipſamque â præjudiciis, quibus juratò quaſi in Ariſtotelis & Scholaſticorum ſcripta noviſſimè adhuc ferebatur, nunc maximè reſpirantem, & inter experimenta, omni laude majora, tanquam inter Cupreſſos & glorias, inclytæ nationi, comtæ moribus, in Germanum nomen injuriæ, proprias, ITALIAM, properemus, viſuri, quibus ac

quan-

quantis Viris ibi etiam *Sachſianam Animi pulcritudinem* placuiſſe, ex ullis eorum, cum ipſo habitis per epiſtolam commerciis, poſſit elici. Suntque ex pluribus fortè hi præcipuè ſequentes:

I. *D. Petrus à Caſtro*, Phyſicus Veronenſis, & Archiater Mantuani Ducis, præterito autumno viventium numero ſubtractus, ut docet *Sachſius* Ocean. Microcoſm. pag. 39. Hic liber verò, Oceani titulo inſcriptus, menſe Majo Anni 1664. prodiit. Fuit is Vir Germanis præcipuè propenſus. Unde quemadmodum multi eorum, diſcendi, & ſalubre dein per Italiam porrò eundi conſilium, capiendi conſilio, ipſius ædes frequentarunt: ita *Sachſius* noſter, quâ erat morum ſuavitate, diſcendique inexſtingvibili ſiti, feliciter adeò in Viri ejus Clariſſimi conſvetudinem penetravit ſe, ut longè poſt diſceſſum etiam amico illius per epiſtolam colloquio frueretur. Avideque nec vano ſucceſſu dictata aut manuſcripta ejusdem conquirere, tanquam ſelectiorem theſaurum, ſolitus eſt, quotquot eorum lucrari potuit, ut inferius dicetur. Ex iis verò *Petri Caſtrenſis* ſcriptis, quæ Typis impreſſa teneo, ſunt tria præcipuè hæc; quorum mentionem ideò ingero, quod putem, in Bibliopoliis noſtris haud æquè reperiri:

(1.) *Imber Aureus* ſive Chilias Aphoriſmorum, ex *Hippocrate* & *Valleſio* extracta: impreſſa Veronæ, Anno 1652.

(2.) *Bibliotheca Medici eruditi*, ſive de ſcriptoribus, cultori artis Medicæ legendis. In cujus libelli frontiſpicio Autor ſe patriâ Bayonatem vocat. Edit. Anno 1654.

(3.) Tractatus *de* atrociſſimâ *Peſte Neapolitanâ Romanâ & Genuenſi*, *Anni 1656. & 1657.* ſuccinctus & elegans; dignuſque lectu.

II. *Rev. P. Athanaſius Kircherus*, Romæ & ſeculi noſtri decus ac ſplendor verè athanaſius. Hujus epiſtolicâ converſatione *Clar. Sachſius* noviſſimè demum, nec infeliciter, uſus eſt, quod ex unis & alteris literis privatim mihi liquet. Utque laudatus Vir, Ann. 1671. d. 18. Jul. præſertim *Sachſio* ſcripſit, de inſtituto honeſto Collegii noſtri, Nationi Germanæ applaudit, & propterea ſibimet ipſe gratulatur: ita eam nobis inſerviendi promtitudinem promittit, ut non tantùm de ſuo nobis tribuere, ſed plures etiam externarum Nationum Viros, ſcientiarum & artium conſultiſſimos, laudabili noſtro Conjugio Panſophico, jungere, & ſe hac in parte, Paranymphum præſtare vellet. Quale quid etiam ſub An. ſequentis 1672. initia pollicitus eſt, his circiter verbis, transmiſſis Kiliam mihi à Domino *D. Volgnadio*, jam dicti Anni, Menſ. Febr. die 6. *Appulerunt*

præterlapſo menſe Romam, tres Indiarum, in negotiis religionis, Procuratores; Unus Japoniæ, alter N. tertius Sinarum: omnes naturalium Indicarum rerum multitudine & varietate inſtructiſſimi. Prior ille, Petrus Iazardus, Chinam, Tunchim, Siam, Camboim, totumque Mogorum Imperium perluſtravit, item Africam meridionalem & Braſiliam. Dici vix poteſt, quanta inaudita & in triplici naturæ regno ſtupenda detexerit experimenta, quæ luci publicæ committet. Habet tertius N. tria magnæ curioſitatis opera, Sinico-Latina, inauditis Europæ argumentis confecta, quæ Amſtelodami prælo committentur."

III. *Eminentiſſimus Cardinalis, Leopoldus Medicæus*, illuſtre Caput Hetruſcæ *Societatis, del Cimento* dictæ. Iſte prout per Rev. Patrem, Mathematicum Pragæ eximium, *Dn. Kochansky*, ob Miſcellana Curioſa, Florentiam transmiſſa, avideque exſpectata ibidem, *Clar. Sachſio* omnem affectum gratioſiſſimum obtulerit, ex Judiciis, Anno II. Ephemerid. præfixis, num. 22. videre eſt; imò commercium literarium promiſerit, conſulto hic addo ex literis ipſius *Sachſii*, Ann. 1671. d. 30. Auguſti ad me perſcriptis. Ejusdemque *Illuſtriſſimi Cardinalis* benignitati utique debemus *Franciſci Redi*, egregiam epiſtolam pro vindicandis obſervationibus ſuis de Viperis Italicè ſcriptam, ſed Anno vel Volumini II. Ephemeridum p. 135. Latinè junctam, quas unà cum ingenioſiſſimi *Laurentii Bellini* epiſtolâ, de Geometricâ reſpiratione, *laudatum Cardinalem* Societati noſtræ miſiſſe, *Phoſphorus* pridem me monuit, in literis, An. 1671. d. 21. Maji datis: & rem ipſam eventu completam exhibet *Annus II. Ephemer. Obſ. 75.*

IV. Ipſeque jam dictus *Dn. Franciſcus Redi* Nobilis Aretinus, & Academicus *Societatis della Cruſca*, non *Sachſio* quidem per literas, ſed *Dn. D. Joach. Georg. Elſnero*, ſuum etiam de Collegio noſtro gaudium Ann. 1671. Kalendis Aprilibus, profeſſus eſt. Uti tamen *toti Se* obligatum *Collegio* ſemper fore perſcripſit, quod Obſervationes ſuas de Viperis, Ephemeridibus noſtris junxiſſemus; ut patet ex Judiciis, Anno II. earum præfixis, num. 15. ita benevolentiæ radius hic, jure non minùs in *Sachſium* quoque derivatur, utpote qui indefeſſus præſertim ſæpè dictarum Ephemeridum in Italiam Motor fuit. Idem *Nobiliſſimus Redi*, Fautor noſtri Collegii eximius, deinde miſit experimenta de Guttâ vel Lachrymis Vitri, quæ fracta in mille ſquamulas diſſiliunt: quas obſervationes, Latinitate donatas, relatas vide ad Ann. II. Ephemerid. Curioſ. pag. 428. ſeq. Imò utique ipſimet *Sachſio* miſiſſe Reſponſorias ſuas de Viperis, ad aliquas

obje-

objectiones ſibi factas, noviſſimè colligo ex literis, Ann. 1671. d. 12. Auguſti ad me perſcriptis.

V. *D. Joh. Guil. Riva Pedemontanus* in Medic. & Phil. D. Romanus, Anatomicus celebris, Chiſianæ Legationis in Galliam, S. Maj. Chriſtianiſſimæ & Pontificis *Clementis IX.* Chirurgus. Nam ad iſtum etiam directas à *Sachſio* literas, *Sachſius* me docet Ann. 1671. d. 12. Aug. *Poſtquam*, inquiens, *exemplar Ephemeridum Romam ad D. Rivam à me eſſet transmiſſum, ita reſcriptum fuit: Curioſus liber curioſos poſcit animos Romanorum.* Et aliquot utique obſervationes perelegantes à *D. Rivâ* Nobis communicatas in Ephemeridibus reperire eſt.

VI. Denique *D. Paulus Maria Terſaga, Medicus & Phyſicus Collegiatus Mediolanenſis.* Hic *Sachſio* Ann. 1671. d. 26. Apr. de acceptâ Gammarologiâ ſcribit, eamque laudans promittit, ſe dato tempore aliquid oblaturum, quod intruſum Germanis Ephemeridibus, Nomen *Illius* notum nobis faciat. Epiſtolæ ejus pars expreſſa habetur in Judiciis, Anno II. Ephemerid. præfixis, num. 19.

Cap. XXII.

De Correſpondentia per Galliam.

NEc minùs in GALLIAM felicibus alis provolaſſe famam noſtri Collegii, & in eo *D. Sachſii* præſertim, indices ſunt ultimæ *Ejus* literæ, An. 1671. d. 4. Novembr. ad me transmiſſæ, ſic ſcribentis: *Vidi ex Catalogo librorum, Genevæ primum annum Ephemeridum in linguam Gallicam converti, editionemque propediem promitti: quæ res fortè commercium noſtrum cum Gallis facilitare poterit.*

Sigillatim familiariùs per epiſtolam cum *Sachſio* agebant hi:

I. *D. Franc. Bouchardus, Profeſſor Regius, à Rege Hiſpaniarum deſignatus.* Hunc enim è Veſontione Burgundiæ, Kal. Jul. Ann. 1671. ad *Sachſium* ſcripſiſſe, & civiliter prorſus ad acceptas Ephemerides reſpondiſſe, ex Judiciis, Anno II. Eph. præfixis, num. 28. patet. Idemque dein ſelectiores quasdam obſervationes Pathologico-Practicas, Gallicâ linguâ ſcriptas, Societati noſtræ contribuit, Latinè exſtantes Anno III. Ephem. obſ. 8. 9. 10. 11. 12. & 13.

II. *Magnificus & Conſummatiſſimus, Vir D. Guido Patin, Ordinis Medici Pariſienſium Decanus*, cujus jam ſupra (cap. 10.) mentio facta eſt. Is ſicut præſentem ſibi olim, ob virtutes ac eruditionem, permagni æſtimavit

Sachſi-

Sachſium, liberrimo amore ad cujuscunque etiam nationis ſtudia ſelectiora latus: ita per literas dein *tanto honore* (ſunt verba ipſius *Sachſii*, in literis ad me, d. 30. Januar. Ann. 1666.) *proſequitur inſtitutum Collegii noſtri, ut fateri non erubeſcat, ſi opuſculum aliquod edendum haberet, velle ſe id ſub nomine Collegii Curioſi edere.*

III. *Nobiliſſ. & Excell. D. Carolus Sponius, è Montepeſſulo, Anat. Prof. P. Lugduni Gallorum, & Medici ibidem Collegii, ut vocant, Aggregatus*; Cujus itidem ſupra (cap. 10.) meminimus. Præter hunc, & *Bartholinum*, Danum, inter Exteros, vix quemquam novi, qui *Sachſio* coram primum, inde per literas familiarior exſtiterit, ob animorum utriusque, neſcio quem Magnetiſmum, & ſuavem harmoniam. Unde locis licet disjuncti, noluerunt tamen ullâ concedere ratione, emori contractam fideliter adeò amicitiam: Documenta iſtius rei diſtinctim hæc mihimet ſunt nota. Ann. 1664. die 4. Octobr. *Sponius*, percepto *Clar. Zephyri noſtri (B. Dn. D. Leonh. Urſini, Prof. Lipſ.)* obitu, vehementer ſe indoleſcere, perſcribit, teſte *Sachſio*, Gammarol. lib. 1. cap. 3. §. 18. pag. 72. Ann. 1665. Gammarologiæ eidem, in publicum eunti, ſincerè gratulatur. Eodemque anno amicis tandem ac ſæpè anteà repetitis petitionibus *Sachſium* vincit, ut *Magni Sennerti*, & *D. Döringii* Epiſtolæ (de quibus inferiùs) Lugdunum mitterentur, prelo ibidem ſubmittendæ, ut habet *Sachſius* (Gammarol. l. 1. cap. 1. §. 8. p. 12.) Anno dein 1666. *Sachſio* refert miram, de Petrefactis Chinæ Cancris, hiſtoriam, *Ann. I. Ephemer. Curioſ. Obſ. 72. pag. 177.* noſtrasque Ephemerides, ac totum Collegii inſtitutum, perquam Sibi probari, *Sachſio* d. 7. Jul. 1671. perſcribit.

IV. Nec dubito, plures inſuper in Galliæ regno exiſtere, quibus familiaritas aliqua aut conſuetudo per literas cum *Phoſphoro* interceſſerit: imò in Muſéo *B. Viri* quamplurima utique ampliſſimæ cum Exteris correſpondentiæ, & nominatim cum ſcientiſſimo *Abbate Bourdelotio*, & *Juſtello* habitæ documenta reperta poſt mortem fuiſſe, expreſsè ſub finem perelegantis parentationis Germanicæ, â *Plur. Rev. Ampliſſimoque Adam. Ezlero*, dictæ, inter Perſonalia, ibi pro more adducta, reperio. Quia tamen ipſiusmet *Sachſii* teſtimonium aliquod jam mihi non ſuppetit, in partes officii varias diſtracto, quali cæteroquin in plerisque Memoriæ hujus partibus innitor; placet præſenti capiti non amplius immorari. Imò utique tandem in *Phoſphori* literis d. 12. Aug. 1671. ſcriptis inveni verba hæc: Scripſi Pariſios ad Abbatem Bourdelotum, ad Dn. Juſtel, Secretarium Regium, & Dn. De nys, Medicum Regium, qui ſinguli ſingula

gula capita ſunt Acad. Natural. Pariſiis, ut curioſa nobiscum communicarent.

Cap. XXIII.

De Correſpondentiâ in Angliam, cum Dn. Henrico Oldenburgio.

EX ANGLIA non poſſumus nominare, niſi unum, ſed qui *Sachſiô* fuit, & nobis facile eſſe poteſt, in ſuſtentando Commercio Epiſtolico, & rebus cognitu dignis, ultrò citroque expediendis, inſtar omnium; *Nobiliſſimum, Clariſſimumque Dn. Henricum Oldenburgium*: nam in hujus notitiam diſpoſitionemque, tanquam in mare, concurrunt *omnium Celebrium Membrorum totius Illuſtris Societatis Regiæ Londinenſis*, acta & memoriæ, bonâ fide ad poſteros propagandæ, & propagatæ hucusque non infeliciter, quoniam grato animo acceptæ ab exteris, & magni meritò æſtimatæ à Germanis noſtris præcipuè, quantum fieri poteſt aut decet, propter communia ſtudia, ſalvâ gentis utriusque exiſtimatione, ſalvâ experimentorum à multis annis utrinque habitorum, & rerum utiliter inventarum copiâ, judiciique modeſtè ac ſobriè de rebus ferendi libertate.

Ad hunc *Dn. Oldenburgium* itaque quod attinet, *Bremenſem*, & ſat proſperâ quondam fortunâ apud ſuos uſum, ſed animi cauſa in Angliam digreſſum, ibique per multijugam ſuam doctrinam, honorificam penes *laudatum Collegium experimentale Regium, Secretarii ſpartam* nactum; inſuper comem & perhumanum, nec famâ hac tantùm, ſed poſteà ex literis quoque, mihi notum: promtiſſimum ſtatim Is (Ann. 1668. d. 14. Septemb.) Londini ſe exhibuit, ad ſecundandas civili reſponſo *Sachſianas literas*; ſed reſponſoriæ hæ, neſcio per quas ambages, poſt biennium demum traditæ ſunt, *Sachſio* interim in diverſas ſollicitudinum partes acto. His tamen transverſim neutiquam rapta *placidiſſima Sachſii mens*, mox mox inſtitit, & citiore dein reſponſo, An. 1671. d. 2. Febr. edito, recreata percepit, gratiſſimas *Regiæ Societati* exſtitiſſe noſtras Ephemerides; quæ lubens proin ſuas etiam obſervationes eſſet collatura. Et porrò *Cl. Oldenburgius* (Anni ejusdem die 4. Aprilis) ſcribit, cùm via commercii ipſorum literarii jam trita ſit, ſedulò quoque & alacriter ſe eam calcare velle; annectens *toti Collegio noſtro* honeſtam admonitiunculam, quæ in *Judiciis*, Anno II. Ephem. præfixis, num. 17. videatur. Ejusdemque Anni

 die

die 22. Decemb. teſtandæ veracitatis ergò, minùs triviales obſervationes duas ad *Sachſium* dirigit, quæ exſtant

Ann. III. *Ephem. Obſ. 125.* De Tubâ Stentorophonicâ:

& Obſ. 126. de ſtupendâ oſſium per alvum Excretione.

Audito verò *Sachſii* diſceſſu, hæc Vratislaviam, ad *Ephemeridum Curatores*, *Dn. D. Volgnadium*, *& Dn. D. Janiſium*, Ann. 1672. die 22. Julii ſcribit:

S. R. J. Acad. Nat. Curioſ. Collegis,
Henr. Oldenburg S.

Lugubrem epiſtolam veſtram, triſtiſſimam Nobilis Sachſii obitûs nunciam, lacrymis ſanè perfudiſſem, nî ſanctior me Philoſophia præparato in quamvis ſortem pectore ſui cultores inſtruens, cohibuiſſet. Evaſit Ille (quod Ipſi invidere nefas fuerit) ad naturæ, quam hîc ſcrutabatur cum moleſtiâ, Autorem ſapientiſſimum, ab eoque, quæ hic penetrare non dabatur, ſummâ cum facilitate juxta ac jucunditate, nunc edocetur. Eò & nos mentes noſtras ſublevemus jugiter, naturæque contemplationi eo imprimis fini incumbamus, ut ipſâ, ceu ſcalâ commodiſſima, ad exoptatam cœlorum arcem conſurgamus. Verùm his miſſis, ad Vos potiùs me converto, Viri Præclariſſimi, & generoſum pectoris Veſtri candorem, egregiamque Veſtram in tuendo commercio Philoſophico voluntatem exoſculor. Quæcunque a Me proficiſci officia poſſunt, quæ vel ambobus Vobis ſeorſim, vel inclytæ Academiæ Veſtræ junctim, grata fuerint, ea ut audacter imperetis, magnopere à Vobis contendo, &c. &c.

CAP. XXIV.

De Correſpondentiâ in Belgium & Daniam.

NEque intra oras, ad BELGIUM ſpectantes, Vir alius (nunc quidem) mihi ſuppetit, quàm unicus *D. Johann. Jacobus à Typsma, Harlemenſis, Noſocomiater Leovardiæ, in Friſiâ eximius.* De quo *B. Sachſius* Ann. 1664. d. 25. Junii mihi ſcripſit, conſtare ſibi de eo, quod Collegio noſtro accedere, ſcribereque de Calce Vivâ, animum ſpontè induxiſſet. Imò in *Catalogo Academicorum* noſtrorum, qui proximè poſt Leges Academiæ, in Anno II. Ephemeridum annexus eſt, invenio, laudatum Virum jam Ann. 1663. Collegio acceſſiſſe: ſed, ſi rectè edo-

ctus

ctus ſum, pridem vitâ deceſſit, & longè utiliſſimam de Calce Viva ſcribendi materiam, aliis elucubrandam liquit.

In DANIA verò Illuſtri, quanta non invenio Literarii Cœli, duo primæ magnitudinis Sidera, quæ epiſtolis ſuis amantiſſimis, fulgentem jam ſuâ luce *Phoſphorum*, proximis annis tantò alacriorem reddiderunt haut ſemel, ad dandos & capiendos ultrò citròque multiplices ſelectæ doctrinæ radios, poſteritati præſertim profuturos!

Ex quibus prior, hic nominandus venit *Nobiliſſ. & Celeberrimus Dn. D. Thomas Bartholinus, Hæreditarius in Hagenſtett, Vir, de omni ſelectiore Re Literariâ, maximè verò Anatomicâ, meritiſſimus, Profeſſor Regius Honorarius, & Facultatis Medicæ, in Regiâ Hafnienſi, Decanus perpetuus.* Is, poſtquam Ipſi *Sachſius*, Ann. 1662. d. 25. Junii de Collegio Naturæ Curioſorum in Germaniâ, quædam ſcripſerat, videnda apud *Bartholinum*, Cent. 4. Epiſt. 15. in reſpondendo minimè ſegnis, prolixè & perhumaniter mox mox, (d. 16. Auguſti) reſcribit, agens cum ipſo de Collegiis rectè inſtituendis; de Gammaro; de Cancello in Conchâ, &c. Exſtatque epiſtola hæc tùm apud laudatum *Bartholinum*, Cent. 4. Epiſt. 16. tùm appendicis loco, poſt Gammarologiam *B. Sachſii* pag. 910. Dehinc *Sachſius* iterum Hafniam de Collegio Curioſo ſcribit, anni ejusdem d. 14. Octobr. exſtatque epiſtola apud *Barthol.* l. d. num. 35. ad quam ſimiliter reſponſorias, An. 1663. d. 4. Mart. ſcriptas, & breviter quædam de Gammaris, & laude Collegii, cum voto benevolo pro incrementis ejusdem, tractantes, vide apud *Barth.* l. d. num. 36. & *Sachſ.* Append. ad Gammarol. pag. 917. Et paulò poſt, die nimirum 10. Aprilis, *Sachſio* mittit doctiſſima duo Epigrammata, quorum unum in laudem noſtri Collegii ſcriptum eſt, cum additâ brevi epiſtolâ, varias naturæ delicias ſpectante, & legendâ in appendice Gammarolog. pag. 919. Pro quibus tàm claris ac tot amoris documentis *Sachſius* poſteà (Ann. 1664. Kalendis Maji) libellum eximiũ, *Oceani Macro-Microcoſmici* titulo inſcriptum, me Hamburgi tum exiſtente, & in hac re internuncio, *Excell. Bartholino* dedicavit; Cujus non reſponſorias modò, d. 11. Auguſti mox ſcriptas, in ſæpe dictâ append. Gammarologiæ, pag. 920. videre eſt; ſed ſimilis urbanitatis ac amoris teſtandi ergò *Bartholinus* retrò mox dedicavit exemplaria aliquot, iterum editi *Cultri Anatomici*, autore *Mich. Lyſero*, Viro eximio prorſus, & immaturâ morte rapto, cum obſervationibus quibusdam additis, ut mihi privatim retulit *Sachſius* 1665. d. 1. Auguſti. Porrò antequam *Sachſius* ad Gammarologiam ſcribendam ſe accingeret, pri-

dem de materiâ eligendâ *Bartholinum* conſuluiſſe, qui ſuaſerit, ad mentem Paracelſi quid poſſe ſuſcipi (de quo infra) colligo ex literis *Sachſianis* aliis, Ann. 1668. d. 6. Octobr. ad me perſcriptis. Ex quibus omnibus erudita utriusque per epiſtolam quondam familiaritas, patet affatim. His adde, (ex Judiciis, Anno II. Ephemer. Curioſ. præfixis, num. 3.) quod *Sachſio* ampliùs ampliùsque benevolum in Societatem noſtram animum, Ann. 1671. d. 10. Martii, de Anno I. Ephemer. transmiſſo gratias agens, Collegio toti augmenta apprecatur illuſtria, ſpondetque offerre, quicquid rari occurrerit. Quibus promiſſis quoque ſtetiſſe, hæc evincunt, quod reapſe experimur; vera eſſe, quæ *Sachſius* mihi ſcribit Anni ejusd. d. 12. Auguſt. *Dn. Bartholinus adduxit* (in favorem erga Collegium) *fratrem Eraſmum Bartholinum*, & *D. Borrichium:* Ipſumque *Bartholinum* autorem publicè agnoſcunt & prædicant ſequentia,

Anno I. Ephemeridum:

Obſ. 1. De Conceptu falſo.
Obſ. 23. De Sirene Danicâ.
Obſ. 36. De Ovo prægnante.
Obſ. 37. De Oſſium mollitie.
Obſ. 38. De Herbâ oſſifragâ.
Obſ. 50. De Sanguine verminoſo.
Obſ. 51. De Hemicraniâ periodicâ.
Obſ. 52. De Naturæ, in gravidis, robore.
Obſ. 73. De Cryſtallo Islandico.
Obſ. 101. De Morte ſubitaneâ.
Obſ. 123. De Pilis mortuorum.
Obſ. 124. De Sectione nervorum, & motu læſo.
Obſ. 125. De Aſello Hermaphroditico.

Ann. II. Obſ. 2. De decocti Abſinthiaci, in aquâ marinâ facti, uſu ad Gangrænam.
Obſ. 72. De tribus Mammis.
Obſ. 164. De Opobalſami notis & ſuccedaneo.
Obſ. 165. De Febre ex imaginatione.
Obſ. 166. De Viſu, inopinatò reſtituto.

Pluraque, rariſſimi commatis, alia in Ephemeridibus paſſim exſtant, à *Bartholino* nobis communicata; ſed quia ibi non adſcribitur, quod ſpecialiter, more jam enumeratorum, ad *Phoſphorum* directa ſint; conſulto eadem transmitto, gratias decentiſſimas decernens *Viro inſigni*, & *Fau-*

Fautori ſigillatim etiam meo, pro affectu in Collegium noſtrum tam liquido: Nemoque noſtrûm eſt, qui floridum diu adhuc Senium, in emolumentum totius orbis literarii, meritò ac animitùs *Eidem* non appreceturꝰ.

Idemque, ut brevior ſim, ſentimus de altero, *Nobiliſſimo item, ac Celeberrimo Dn. D. Olao Borrichio, Sac. Reg. Maj. Dan. Profeſſore Medico, ac Polyhiſtore*, ſi quisquam hodie, *accurato*. Cujus quemadmodum non inhonorifica de Collegio noſtro opinio ex certis indiciis mihi conſtat; ita perſpicuè eandem *Ipſemet Sachſio* expoſuit, in quadam Epiſtolâ, cujus portiunculam, inter *judicia*, *Anno II. Ephemer.* præfixa, num. 9. adductam vide. Duasque ad *Eundem* direxit obſervationes has:

Ann. II. Ephem. Obſ. 167. De Diabete ſpuriâ.

Obſ. 168. De Plumbo, per Urinam excreto.

Quamque humaniter dein ac ſeriò, ſignificatæ *Sibi* à Me Sachſianæ Analyſi indoluerit, ex his *Ejus* ad Me, An. 1672. d. 18. Jul. perſcriptis verbis patet: *Sachſii illuſtris mortem niſi doleremus omnes, qui virtutes Summi Viri agnoſcimus, Saxei meritò eſſemus cenſendi. Utinam tam fido Atlanti ſuccedat non degener Hercules! quod vovemus, & ex animo precamur univerſi.* &c.

Priusquam verò plus ultra è Seelandiâ Daniæ, ubi Hafnia ſita eſt, cum *Sachſiana indefatigabili pennâ ac ſpiritu* tranſeam, ſilere nolo, quod video inſuper, *induſtrium quendam Virum, Chriſtianum Franciſc. Paullinum, Philoſ. M. Poëtam Laur. & Medic. Licent.* Obſervationem etiam quandam, lectu dignam, communicaſſe *Sachſio*, De Anaudiâ (vel Obmuteſcentiâ) ex potu; inſertam *Ephemeridibus*, *Anno III. Obſ. 60.*

E Regione dein Seelandiæ, ſitu & amplitudine proxima adjacet, ejusdem Sinus Codani, vel Maris Balthici Inſula, *Fionia*; in cujus metropoli, *Ottoniâ, vel Ottenſonio, Clariſſimus Medicus D. Chriſtianus Henricus Luja*: De quo, an viveret etiamnum, diverſo tempore in literis eſt *Sachſius* ſollicitè percontatus, ob amicitiam veterem, quam *Ann. 1668.* præſertim d. 1. Febr. mihi laudat, & ipſe *Dn. Luja* publicè profitetur in carmine, quod *Illi*, Ampelographiam edenti, miſit; his verbis:

Te mihi conjunxit ſtudiis communibus ætas
quondam: Me pellit ſcribere Amicitia.

CAP. XXV.

De Correſpondentiâ in Septentrionales Plagas.

IN LIVONIA porrò exſtitit, & etiamnum magnâ cum nominis ſui Nobiliſſimi, & meritorum laude vivit, conjunctiſſimus *Sachſio* quondam, *Dn. D. Nicolaus Witte à Lilienau*, Vir utrobique, hoc eſt, tàm in Medicinâ, quam ſtudio experimentali reliquo, Linguisque verſatiſſimus, *S. Reg. Maj. Svec. Archiater, & Reipubl. Rigenſis Phyſicus Ordinarius. Huic* quanta cum *Illo* interceſſerit, quàm fidelis & conſtans conſuetudo, ex *Viri laudati* ad *Sachſium* literis ſat prolixis, Gammarologiæ annexis pag. 946. & ſeq. affatim liqueſcit. In quam (Gammarologiam) carmen præterea elegantiſſimum, à *Wittio* ſcriptum videas; teſtem amoris & integræ fidei.

In ipſam NORWAGIAM, ultra Sveciam, atque ſic aliquantò propiùs Polari plagæ, tandem ſe penetraſſe cum calamo ſuo *Sachſium*, in ſinum, ut ſic dixerim, *Bergæ* Emporii per totam Norvvagiam maximè principis, aut unici, ubi clarum *Se* Medicâ ob peritiam, felicitate præſtitit *D. Johann. Fridericus Treublerus*; iſtud ex *Ipſiusmet* ad *Sachſium* relatione doctiſſimâ colligo, quam Annus II. Ephemeridum Curioſ. exhibet, Obſervatione 37. de mirâ Fulminis vi, & Fulminatorum cura.

CAP. XXVI.

De Correſpondentiâ per Germaniæ Partes, Alſatiam & Auſtriam.

UTque à tot quaſi itineribus feſſi in Patriam noſtram GERMANIAM, redeamus; nunc quidem imprimis inſiſtendum eſſet aſſumtæ Methodo, & fuſiùs dicendum, quænam & quanta paſſim *Viris eximiis*, maximè verò Medicis, cum *Sachſio* interceſſerit *Conſvetudo per literas*, & quid boni, occaſione hâc aut aliâ, in commodum Collegii noſtri redundarit, ſpes vel ampliſſima adhuc ſit, fore, ut impoſterum redundet: ſed hic *Sachſii tot familiares, clariſſimi nominis*, tot in Societatem noſtram benefactores tantamque materiam laudum, dicendorumque invenio, ut vel ſola hæc *Sachſianæ Memoriæ* pars, in tantum

tum paginarum numerum facilè excretura ſit, quantus eſt â primo exordio, uſque huc, deductus. Itaque condonate mihi, *Fulgentia Patriæ*, Germaniæ, *Lumina*, rectricis regnorum, ac imperatricis, Germaniæ ſemper Auguſtæ; condonate mihi, quotquot in hoc Literatorum Choro deberem non ſine amplo verborum contextu ſiſtere, *Celeberrimi Machaones*, & ex iis præcipuè *Vos*, qui ſive *Præſidii munere in Imperiali noſtra Naturæ Curioſorum Societate* magnificè ac pulcrè fungeris, ſive corporis hujus Nobiliſſimi *Adjuncti aut Aſſeſſores, Ephemeridum Curatores, Collegæ, & Membra*, unanimiter meritò conſpirantia in conſervationem totius, & lætum ejus vigorem, eſtis; condonate mihi, ſive in hoc ipſo noſtro Collegio, ſive extra illud, conſtitutorum quondam, ſed bene tamen eidem cupientium, & *Sachſium* ſeorſim in deliciis habentium, felices *obitorum Manes*, ſi quid vobis vel poteſtatis vel ocii eſt, ullo animi motu ad hæc terrena regredi; perdonate mihi *omnes & ſinguli*, quod in veſtri vel præconio debito, vel recenſione actorum ſaltem, ſcriptorum, & munerum, ſpecialiter verò *Correſpondentiæ*, cum Phoſphoro habitæ, præconem nunc admodum mutum ago, & Orator exiſtens minimè idoneus in Syntaxi continuandâ *Sachſianæ Memoriæ*, non ire latius præſumo, quàm ut meris plerumque Nominativis uſurus, me porrò adſtringam, (ad præjudicium omne declinandum) *ordini Alphabetico*, hâc conditione tamen, ut quæ utiliter aliàs dicenda in præſens tranſeo, alio tempore, ac forſan brevi ſub alio Scriptionis titulo, in lucem producenda ſint, ut tùm omnium Gloriis Veſtris, per meam tenuitatem quoque, & plurium exſpectationi, tùm declarandæ peculiari meæ in aliquos *Veſtrûm* obligationi, quadantenus ſatisfiat.

Cum *B. Sachſio* itaq; quos amicitiam in Germaniâ per literas coluiſſe, undecunque mihi conſtat, aut ſubit memoriæ, ſunt hi, qui ſequuntur:

In ALSATIA, *D. Joh. Albertus Sebitzius*, Med. Prof. P. in Argentoratenſi Academiâ percelebris, hoſpes quondam illius, ac Præceptor amantiſſimus, uti jam cap. 9. dictum eſt.

In AUSTRIA, *D. Nicolaus Wilhelmus Becker*, S.Cæſ.Maj. Perſonæ ac Aulæ Medicus meritiſſimus.

D. Tobias Czaſchelius, è Luſatiâ oriundus, ejuſdem Imperatoriæ Maj. Perſonæ Medicus Excellentiſſimus; inque tam eximio pariter honorum & ſortis culmine conſtitutus licet, veruntamen partes Collegii penes Imperatorem ſtrenuè ſemper tuitus.

D. Johann. Georgius Greiſelius, Collegii Medici Viennenſis Aſſeſſor, inque

inque Academiâ Vienn. Anatomes Profeſſor planè inſignis, & perſcrutator quondam attentus præcipuarum metallifodinarum Bohemiæ, Collega Curioſus.

D. Fridericus Ferdinandus Illmer, â Wartenberg, Inſtitutionum Med. Prof. Publ. Ordinarius, in Archigymnaſio Viennenſi Ampliſſimus.

D. Georgius Sebaſtianus Jungius, jam laudati Domini *Illmeri* quondam Diſcipulus, nunc Vir & Collega, omnium calculo perinſigniter doctus ac peritus dictus, (*Anno I. Ephemer. Curioſ. obſ. 69. pag. 170.*) aut *Sachſii* teſtimonio, (in literis ad me, 1671. d. 30. Auguſti) Vir humaniſſimus, eruditiſſimus, ſummâque promtitudine exſequens, quicquid pro commodo Collegii exſequendum ipſi datur; adeoque intimus ſuus amicus, quanquam nunquam ſibi viſus; Collegii Medici Viennenſis Aſſeſſor digniſſimus, Anatomico ſtudio imprimis addictus; Collegii noſtri Adjunctus, dictus Podalirius.

Pl. Rev. Pater, *Müllerus*, S. Cæſ. Maj. Confeſſionarius, multam ſæpè & magnam Nobis, in commendandis penes *Cæſarem* Collegii commodis, benevolentiam teſtatus.

D. Paulus de Sorbait, Belga, Med. Pract. Viennæ Profeſſor Primarius, & *Imperatricis Viduæ, Eleonoræ*, Cubicularius ac Aulæ Medicus Nobiliſſimus, Collega curioſus, Machaon dictus.

D. Laurentius Wolffſtrigel, Anatomes Prof. Publ. in Academiâ Viennenſi, iſtâque arte, ut reliquâ Medicâ, impenſè clarus, Collegioque noſtro jamjam initiandus, ſed immaturâ morte raptus, Vir, *Domini D. Jungii* (Ann. II. Ephemer. pag. 449.) judicio, omnium ſcientiarum genere inſtructiſſimus, Lingvæ Italicæ, Gallicæ, Hiſpanicæ, Latinæ, Græcæ, ac patriæ, peritiſſimus, Philoſophus ultra vulgus in viâ Carteſianâ ingenioſiſſimus, Chymicus expertiſſimus, Anatomicus & Chirurgus præclariſſimus, Botanicus præſtantiſſimus: cujus fatum opinione citius feſtinatum febre quadam malignâ, proin non obiter nos quoque, imò inſigniter lugemus.

CAP. XXVII.

Incidenter de Gratiâ CÆSARIS, & Auguſtâ Imagine, cum Catenâ aureâ, Sachſio transmiſſâ.

ISTorum *Virorum inſignium* benignitati jam, ut longè plurimum ſe debere, vel centies prædicavit, ore ac pennâ, *Noſter Sachſius*, quam de-

cla-

clararunt, in mentione ejus, ſuorumque laborum, & honeſtæ totius Collegii intentionis, ad *Invictiſſimi* LEOPOLDI aures ac pectus translatâ feliciter adeò, ut AUGUSTISSIMUS CÆSAR non dedignatus ſit, â throno ſublimi *Majeſtatis ſuæ* demittere iteratò peculiares *Clementiæ ſuæ* radios, in nos, ſubjectiſſimos ac devotiſſimos ſuos ſervos, & ſpiritum quaſi novum, novam vitam afflare, emortuis penè â rabie priſtini belli Muſis: ita nemo facilè mihi vitio vertet, ſi quidem hic interrumpam paulum incœpti catalogi ſeriem, & ita quædam de GRATIA CÆSARIS inſeram, ut tum ad aliquam *Collegii gloriam autoritatemque*, citra faſtum, faciant, tum præſertim ad *Sachſium* videantur præ cæteris Collegii membris, (ob labores etiam planè ſtupendos, cumque diſpendio tandem vitæ, & feſtinatâ everſione valetudinis, ab ipſo conſtanter impenſos) paulò propius ſpectare.

Hoc modo itaque ſe res habet: *Invitatoriæ noſtræ* ad celeberrimos Europæ Medicos directæ, *Epiſtolæ*, nomine totius collegii Anno 1670. editæ, & Anno I. Ephemeridum inſertæ, ſpecimen primum, poſtquam tempeſtivè in *aulam Cæſaream* per patronos quosdam delatum eſt, tam ſingulari fortunâ eſt gaviſum, ut *S. Cæſ. Maj.* dignata fuerit, illud legere, & Archiatris ſuis legendum dare. Nec non *Leges Academiæ noſtræ Curioſæ* poſteà ſuo tempore chartæ pergamenæ inſcriptas, Viennamque transmiſſas, ab eadem *S. Cæſ. Maj.* clementiſſimè perlectas, & oretenus approbatas fuiſſe, *Sachſius* mihi refert in literis, An. 1671. d. 12. Auguſti ſcriptis.

Hinc gratioſiſſimè pronunciavit, ſi quædam ſelectiora naturæ arcana, in Cimeliarchio Majeſtatis S. naturæ ac artis operum rariſſimi commatis utique inſtructiſſimo, exſtarent, unde labores Collegii noſtri exornari poſſent, lubens velle concedere, ut Icones inde ad Ephemerides transferrentur. Et *Sachſio noſtro* propterea optionem obtulit, ut ſi Viennam vellet excurrere, ad perluſtrandum theſaurum Cæſareum, & indicare, quæ ex ditiſſimo hoc Cimeliarchio pro exornatione Ephemeridum Germanicarum Curioſarum ſervirent, clementiſſimè concederetur facultas; aut, ut ex Medicis Viennenſibus notum aliquem ſubornaret, qui theſaurum perveſtigando, quæ ex naturalibus maximè rara viderentur, annotaret: velle *S. Cæſ. Majeſtatem* per Cæſareum Sculptorem curare, ut ea ære incidantur, & offerantur.

Sed partim ob Praxeos amplitudinem, partim, ac imprimis ob gliſcentem magis magisque adverſitatem valetudinis itineri illi ſe committere,

tere, aut *tantam* CÆSARIS *Gratiam* coràm ſubmiſſiſſimè exoſculari, optimus *Phoſphorus*, non potuit, ut præter illa, quæ *An. I. Ephemer. Obſ. 116.* hac de re habentur, ex privatâ ejusdem Epiſtolâ mihi conſtat. Itaque provinciam hanc *Domino D. Jungio*, cujus in prægreſſo capite mentio facta eſt, *amico ſuo, ac totius Collegii, fideliſſimo*, commiſit; qui lubens etiam hoc onus in ſe ſuſcepit, & ſtrenuam navans operam, impetrataque *Cæſareâ Licentia*, quinque corpora naturalia imprimis rara, ex innumeris aliis elegit, quorum Icones Ephemeridibus infererentur. Nec difficulter quoque mox mox gratiam communicationis obtinuit: & *tabulæ quinque*, permiſſu & ſumtibus *S. Cæſ. Majeſtatis* Viennæ excuſæ, clementiſſimeque Collegio donatæ ſunt; quarum

Prima exhibet Crucifixum, ex crambes radice natum: vid. *Ann. I. Ephem. Obſ.* CXI.

Secunda, Nomen Chriſti Achati maximo naturaliter inſcriptum. *ibid. Obſ. 112.*

Tertia, B. Mariæ Virginis Imaginem, cum Filiolo, in ſubterraneis, in ferri minerâ expreſſam; *ibid. Obſ. 113.*

Quarta, Literam initialem LEOPOLDI, L, in fragmento Matris Perlarum, â naturâ expreſſam, & artificialiter dein, cum pertinente ornatu, redactam ad Gentilitia Auguſtiſſimæ Domûs Auſtriacæ Inſignia: *Ibid. Obſ. 114.*

Et Quinta, lapidem Bezoardicum monſtroſum: *Ibidem Obſ. 115.*

Agnovit has *Excelſiſſimas Gratias* humillimè Collegium, & teſtandæ ſubjectionis & gratitudinis ergo, primam auream Curioſæ ſuæ ſedulitatis Meſſem ſoli SOLI Illi devotè obtulit, cujus propitiis caloribus erat vegetata.

Nec diſplicuit hæc oblatio: Imo CÆSAR *Annum iſtum Primum Miſcellaneorum Curioſorum, vel Ephemeridum* aſpexit clementiſſimè, & inter medios ſtrepitus armorum ac Triumfos, Auguſto Vultu dignatus eſt rivulum doctrinæ Phyſico-Medicæ ſelectioris illum, cujus purior ac excellentior quædam pars, ex proprio *Imperialis ſuæ Benignitatis fonte* promanarat. Volvitque ac revolvit IMPERATOR librum hunc, ut *Dn. Medici Aulici* teſtantur, cum maximâ complacentiâ: Collegioque CÆSAR Gratioſiſſimum Patrocinium promiſit.

De quo ut minimè omnium dubitare poſſet *Clariſſimus Sachſius*, ecce, Ipſummet ob Merita, Collegio indeſinenter per plurimos annos præſtita, CÆSAREA MAJESTAS, ſuaſu *Illuſtriſſimi Comitis ab*

Her-

Herberſtein, torque vel catenâ aureâ, cum appenſâ AUGUSTA IMAGINE, donavit, ut mihi refert in literis, 1671. d. 21. Maji ſcriptis: ſed non longè poſt, (die videlicet 12. Auguſti,) hæc inſuper mihi narrat: *Catena Aurea*, inquiens, *à S. C. Maj. mihi donata, invidiam peperit, quaſi meam, non Collegii, utilitatem quæſiviſſem. Sed Viennenſes Medici meæ innocentiæ teſtes ſunt, quanto labore hactenus commoda Collegii variis modis quæſierim*, &c.

Sanè non aliâ, quam *publicâ Societatis causâ*, præcipuus ſuaſor exſtitit, ut *Annus ſecundus Ephemeridum* Magnatum non alii, niſi *Eidem* iterum *S. Cæſ. Maj.* offerretur, ut factum eſt; humillimèque ad AUGUSTUM *Limen* adreperet ſimili, ut prior, Clementi acceptione ſecundatus. Promiſitq; CÆSAR, majoris Autoritatis ergò, contrà quosvis malevolentium rictus, impertire *Diploma* aliquod; cui utiliter obtinendo, *Magnif. & Excellentiſſimi Viri, Dn. D. Czaſchelius, & Dn. D. de Sorbait, Cæſarei Medici, & Fautores noſtri magni*, nullum non movent lapidem, ut quævis obſtacula dimoveantur: & ſummè conſultum Ipſis viſum eſt, *tertium* denique etiam *Ephemeridum Annum* iisdem *Protectricibus Imperialis Aquilæ Alis* ſubjicere; ejusque Editioni clam ita acclamavi:

IMPERIALE DECUS MUNDI, LEOPOLDE MONARCHA,
HOS ETIAM FOETUS SECLIS VENIENTIBUS ADDE.

CAP. XXVIII.

De Correſpondentiâ in Bavariam & Bohemiam.

INterim ut in viam redeamus; ulteriorum terrarum, quò nos *Alphabeticus Ordo Catalogi* ducit, & *Virorum* in iis *Celebrium*, *Sachſio* per literas familiarium, hæc circiter nomina mihi porrò occurrunt, notatu digna:

BAVARIA. In cujus parte Boreali *Ratisbona*; ibique Phyſicus, ex Hungariâ anteà profugus, ut cap. 20. dictum eſt, *D. Martinus Chriſtophorus Mezger* exquiſitiſſimus olim in itinere *B. Sachſii* amicus.

Et BOHEMIA. Ubi *Excell. D. Jacob. Johannes Dobrzensky*, de Negroponte, in antiquâ Pragenſi Academia Profeſſor Extraordinarius.

Adm. Rev. Dn. Pat. *Adamus Adamandus Kochansky*, Soc. Jeſ. Profeſſor ibidem Matheſeos ingenioſiſſimus.

Et *Dn. Philippus Talducci* à Domo, ſupremus Architecturæ Militaris, in Regno Bohemiæ, Præfectus, Vir in omni Philoſophiâ experientali exercitatiſſimus.

CAP. XXIX.

De Correſpondentiâ per Franconiam, in Hanoviæ Comitatum & Haſſiam.

PORrò FRANCONIA, prima Collegii Curioſi, antiqua Germanæ fidei, & continua etiamnum Comitatis omnis, & culti Moris Sedes. Ibique, in liberâ & Imperiali Rep. Svvinfurtenſi, Magnificus quondam Excellentiſſimusque *D. Joh. Laurentius Bauſchius*, ibidem natus, hinc Phyſicus & Conſul in hac laudabili ſuâ Patriâ, Collegii Curioſi primus Motor, Fundator, & Præſes, laudabili exornandi ſcientias deſiderio, atque ſic non tàm aliarum nationum exemplo, quàm ſingularum neceſſitate ductus; Curioſæ iſtius Argûs noſtræ dictus Jaſon.

Magnificus item, Ampliſſimusque *Dn. D. Johannes Fehr*, Kittingenſis Francus, Adjunctus primùm recens fundati Collegii, hinc *Bauſchio* in Phyſicatu & Conſulatu jam dicto ſuccedens digniſſimè, inque Præſidio Collegii, laudabiliter ejus curam gerens, utinam diu ſuperſtes! dictus Argonauta.

Nobiliſſ. & longè Celebratiſſimus *D. Johann. Daniel. Horſtius*, Gieſſenſis, Archiater olim Darmſtatinus, inque variis Germaniæ Academiis Medicinæ Profeſſor optimè meritus, nunc diverſorum Imperii Principum Archiater, agens in Francofurtanâ Republicâ (in *Atlante min.* & à *Schævio* ad Franconiam relatâ) in Collegio quondam dictus Phœnix, Fautorque meus planè ſingularis, & ſeriò mihi honorandus.

D. Elias Schmidt Haslachenſis, Svvinfurti Medicus, & in Collegio Naturæ Curioſorum *Dn. Præſidi* Adjunctus longè meritiſſimus, dictus Phaëton.

D. Johann. Scultetus, inclytæ Reipubl. Norimbergenſis Phyſicus, officinarum Pharmaceuticarum Viſitator graviſſimus, Collegiique ibidem Senior, nec non in Academiâ noſtrâ Collega Curioſus.

Et *D. Johann. Georgius Volckamerus*, laudatæ Reip. Norimbergenſis Phyſicus primarius, ac emeritus, Vir raræ & lectiſſimæ Doctrinæ, magnique proin apud exteros etiam nominis, præcipuè in Italiâ, inque Collegium Noſtrum admodum liberalis Fautor.

Comitatus HANAU. Ibique *D. Salomon Reiſelius*, Sileſius, Vir politi judicii, & multæ eruditionis, Illuſt. Comitis Hanovienſis Archiater, & Civitatis Hanovienſis Phyſicus, *Sachſio* (in literis ad me 1663. d. 18. Januar.

Januar.) *amicus antiquâ fide conſpicuus*, item (Append. ad Ann. I. Ephemerid. pag. 9.) *Amicus ſinceriſſimus*, vocatus.

Et D. Johann. Jacobus Waldſchmid, Practicus Hanovienſis.

Inque HASSIA, *D. Conr. Theodorus Luncker*, Marpurgi natus, ibique Practicus quondam, dum viveret, & Academicus Curioſus.

CAP. XXX.

De Correſpondentiâ in Helvetiam.

PRogredimur in HELVETIAM. Ubi *D. David Guilielmi*, Bacharacenſis, (quondam) Practicus Bernæ eximius, & Academicus Curioſus.

Et *D. Johann. Jacobus Wepfer*, Scaphuſanus, in Patriâ Practicus, Facult. Med. Baſil. Aſſeſſor, idemque Anatomicus inſignis, & edito præſertim de Apoplexiâ ſcripto celebris. Cujus Carmen eruditiſſimum, honori ſupremo *B. Sachſii* dicatum, cum, quantum mihi liquet, lucem non viderit, ſed ſeriùs aliquantò Vratislaviam, ideoque ab amiciſſimo meo *D. Volgnadio* (Ann. 1672. d. 24. Sept.) Kiliam mihi miſſum fuerit; indignum judicavi, ſilentio premere, quin commodum potiùs, ut huc inſereretur.

Eſt ſua lux gemmis, & docta Bononia Lumen
Accendit Saxis, quo velut Aſtra micant.
Sachſius illuſtrat ſcriptis, ceu Phoſphorus, orbem;
Curæ ſunt teſtes, aſſiduusque labor.
Naturæ luſus, rerum miſtura latentum,
Teſtes, quæ cunctis, hoc Duce, clara nitent.
Terrificus Cancer teſtis, qui commoda Vitæ
Nunc præbet; teſtis mellea Vitis erit.
At Saxum infarcit Renem; Salſugine dirâ
Corrumpit miſerè Purpureum Laticem:
Viſcera depravat; Tenebræ Te, Phoſphore, fuſcant:
Spes perit obſcuris ulterioris opis.
At Mors non rapuit cunctam Tibi, Phoſphore, lucem:
Eclipſis Mors eſt, quam pia mens ſubiit.
Splendidius radios ſpargit poſt nubila Phœbus;
Horrificas tenebras excipit alma dies.
Ætherei Phœbus Cancri dum ſigna peragrat;
Dum patulos Colles florida Vitis amat;

Dumque manebit honos literis, cultusque decorus,
Non finis meritæ, Phoſphore, laudis erit.

Cap. XXXI.

De Correſpondentiâ in Holſatiam, Luſatiam, & Miſniam.

IN HOLSATIA verò ſunt hi:

D. Cæſo Grammius, Phyſicæ & Græcæ Lingvæ Profeſſor, in Academiâ Kilienſi, Medicinæ Practicus, non longè ante obitum in Collegium receptus.

Et *D. JöelLangelott*, Regentis Cimbrorum Ducis Archiater, qui Collegio noſtro admodum honorifica Epiſtolæ de Tritu Auri dedicatione per benevolum ſuum affectum nuper demonſtratum ivit.

In LUSATIA *D. Ehrenfrid Hagendorn* Gorlizenſis, in Patriâ Medicinæ Practicus, Vir elegantis Ingenii, gnavæque doctrinæ, Academicus Curioſus.

In MISNIA, *D. Paulus Ammann.* Vratislavienſis, Medicinæ Profeſſor, & Botanicus, Collegiique B. Virginis Collegiatus Lipſiæ; Academicus Curioſus, Dryander dictus.

D. Michäel Etmüller, Medicinæ Practicus ibidem, Vir feliciſſimi Ingenii, multæque Scientiæ, Academicus Curioſus.

D. Melchior Fribe, Fridlandenſis Miſnicus, Electoralis Præfecturæ Haynovienſis Medicus juratus perquam induſtrius, Academicus Curioſus.

Frider. Chriſtianus Garmannus, Martisburgenſis, Med. Lic. Phyſicus Chemnizenſis, & Præfecturarum diverſarum, Diſtrictûs ejus, Medicus, Academicus Curioſus, Pollux dictus, maximè attentus, ad exornandã Artem Medicam, inque eadem quemadmodum toti literario orbi egregia quædam eruditæ ſuæ Pennæ ſpecimina, ſic primum quaſi eorum, quod eſt de Gemellis & Partu numeroſiore, perennanti *D. Bauſchii Famæ, D. Febrio, Sachſio*, ac meo inter tanta lumina, obſcuro nomini, Ann. 1667. largitus: pro quo honore, publice *Tibi* hic, *Cultiſſime Collega*, ago gratias, utque præſentem *Sachſianæ Mortis Hiſtoriam*, donec melius quid offeram, amicè accipias, tanquam qualecunque *ἀντίδωρον*, imprimis rogo.

D. Johannes Michäel, p. m. Hæreditarius in Bendorff, Med. Pract. Pro-

Profeſſor in Acad. Lipſienſi, ejusdemque Decemvir, Archiater Electoralis Saxonicus, & Ducalis Altenburgicus, quondam meritiſſimus, ac immenſæ Medicorum Catervæ per Chimico-Practicas Informationes fideles, communis quaſi Parens, toto orbe clariſſimus.

Et *D. Leonhardus Urſinus*, Medicinæ ibidem Profeſſor, & Botanicus, Collega Curioſus, dictus Zephyrus, ſed inter inſatiabiles Floræ ſuæ delicias, ab annis aliquot hinc ſublatus.

CAP. XXXII.

De Correſpondentiâ in Moraviam, Palatinatum, & Pruſſiam.

IN MORAVIA: *D. Johannes Ferdinandus Hertod* â Totenfeld, Regiæ Civitatis Brunenſis Phyſicus, optimè cum Fratre de Collegio meritus, Collega Curioſus, dictus Orpheus.

Et Patruelis ejus *D. Matth. Franc. Hertod*, Inclytorum Marchionatus Moraviæ Statuum Medicus Provincialis quondam, & Anno 1655. præſertim Phyſicus Nicolſpurgenſis, in Peſte curandâ felix.

In PALATINATU: *D. Albertus Conr. Langenauer*, natus Uffenbachii, Practicus quondam Weidæ, Academicus Curioſus.

In PRUSSIA: *D. Johannes Schmidt*, Phyſicus Gedanenſis Ordinarius digniſſimus.

D. Simon Schultz, S. Reg. Maj. Polon. Medicus, Phyſicus Thorunii Primarius, qui Sachſium non ſine ingenti Literarii Orbis detrimento è vivis ſublatum dolet, Anno Ephemerid. III. *Obſ. 145. pag. 267.*

Et *D. Georgius Segerus*, Reg. Maj. Poloniæ itidem Medicus, Thorunii Phyſicus Ordinarius, Gymnaſii Profeſſor Honorarius celeberrimus, Amicus meus magnus.

CAP. XXXIII.

De Correſpondentiâ per Saxoniam & Sileſiam.

IN SAXONIA: *D. Caſpar Theophilus Bierling*, Med. Practicus Magdeburgenſis, Amicus Curioſus.

D. Laurentius Gieſsler, Phyſicus clariſſimæ Urbis Brunſvvicenſis clariſſimus.

Otto

Otto de Gverike, Conſiliarius quondam Sereniſſimi Electoralis Brandeburgenſis, & Conſul Magdeburgenſis, ſtupendis Aerem dilatandi, comprimendi, exhauriendi, Vacuumque (ut putavit) in Natura demonſtrandi machinis ac inſtrumentis, per ac ultra Europam notus.

D. Chriſtophorus Keilingius, Islebienſis, in patriâ Phyſicus, & Archiater Mansfeldicus, Collega, dum viveret, Curioſus, dictus Æſon.

Et *D. Valentinus Andreas Möllenbroccius*, Erffurtenſis, ibique Profeſſor aliquandiu; hinc Reip. Hallenſis Saxon. Phyſicus Ordinarius meritiſſimus, & Academicus Curioſus dictus Pegaſus.

In SILESIA: *Wencesl. Maximilianus Ardensbach* de Ardensdorff, Oppolienſis Sileſius, Philoſ. D. Juris Utriusque & Medic. Licentiatus, Phyſicus Ducatûs Oppavienſis.

D. Chriſtian Buckiſius, Archiater quondam Princip. Ligio-Bregenſ. Academicus Curioſus.

Sigismundus Graſſius, Medicinæ Licentiatus, & Phyſicus Svvidnicenſis, peritâ Praxi clarus.

Andreas Gryphius, de quo jam ſuprà (cap. 18.) aliquid dictum eſt, Glogoviæ quondam Syndicus Provincialis, Polyhiſtor inſignis, & in Tragico Poëmate Vernaculo primus in totâ Natione, & admirandus.

D. Joh. Jonſtonus, ille πολυμαθέστατος, Medicus, Polyhiſtor, Philoſophus, & plusquam-Plinius aut Geſnerus noſtri Seculi, Hæreditarius in Cibendorff, Senex ipſâ Canitie venerandus.

CAP. XXXIV.

De Correſpondentiâ in Sveviam, Thuringiam, & VVirtenbergenſem Ducatum.

IN SVEVIA: *D. Gregorius Horſtius*, Ulmenſis, inclytæque Patriæ ſuæ Practicus feliciſſimus, magni *D. Gregorii Horſtii* quondam filius, ac Succeſſor dignus, Academicus Curioſus.

D. Johannes Pfautz, itidem Ulmenſis, & ibidem Practicus, Academicus Curioſus; aſt pariter, ni fallor, mortuus.

D. Lucas Schröck, Reipubl. Auguſtanæ Phyſicus juratus meritisſimus.

D. Georg. Hieronymus Velſchius, Patricius & Medicus Auguſtanus ibidem Nobiliſſimus, & Philologus inſignis, ſelectiſſimis Obſervationibus Collegio transmiſſis, nobis inſigniter dilectus. Inter quas cum unius

us recorder, quæ eſt de Jaſpide Carioſo (*Ann. 1 Ephemer. Curioſ. obſ. 154.*) tali â vermibus reddito, cuperem ex ipſo ſcire, quo nomine ſpeciali judicet, quod vermiculi illi in ſaxa ſævientes, vocandi ſint; an *Ipes*, *Scies*, *Tripes Iës*, *Sites*, vel *Midæ?* Ita enim cœteroquin habet elegantiſſimum, neſcio cujus Poetæ, Epigramma, quod libro amici inſcriptum, & vel â XX. annis â me pro deperdito habitum, his diebus feliciter iterum adinveni, & tantò diligentius nunc hac occaſione ab interitu vindico: quam digreſſiunculam proin, (ſaltem ob cauſam modò dictam) benignus Lector non ægrè laturus eſt, quin condimenti inſtar vel refectorii habiturus, quo tædium ſibi ex continuato hucusque nudo Virorum Catalogo, quodammodo imminuatur. *Epigramma Anonymi* ita ſonat:

IPS *Vineas & Cornua;*
Frumenta SCIS; TRIPS *Arbores;*
IS *Vitra;* SIS *Velamina;*
Fabas MIDAS *arrodere,*
Naſcuntur â quibus, ſolent.
Nihil minus ſic, â quibus
Ferant iniquam gratiam
Conſul, Magiſter & Parens,
Tutor, Patronus, ac Herus,
IPES, SCIES, TRIPES, IES,
SITES, MIDAS*que habent ſuos.*

Et *D. Joh. Ulricus Widholz* Auguſtanus, Phyſicus Kaufbayrenſis in Sveviâ, fidus olim *Sachſio* itinerum Achates.

In THURINGIA: *D. Joh. Andreas Graba*, (quondam) Mülhuſanus; Urbis Territoriique Erffurtenſis Medicus, poſtmodum in Patriâ Phyſicus, Academicus Curioſus, dictus Cephalus.

Auguſtinus Hermanni, Medic. Licent. in antiquâ Erffurtenſi Academiâ Anatomes & Botanicæ Profeſſor P. Ordinarius.

D. Georg. Chriſtophorus Petri, Med. Profeſſor Erffurti, Archiater Moguntinus, & Erffurtenſis Ordinarius meritiſſimus, Collega Curioſus, dictus Achilles.

D. Joh. Theodorus Schenck (quondam) Medicinæ Profeſſor in Jenenſi Academiâ longè celebratiſſimus.

Et *D. Georgius Wolfgang. Wedelius*, Sprembergâ Luſatus, anteà Medicus Ducalis Gothæ, nunc Medicinæ Profeſſor in Academiâ Jenenſi clariſſimus, eleganti imbutus rerum ſcientia, & Famæ augmenta egre-

gia indies virtute ſibi acquiſiturus, Academicus Curioſus, dictus Hercules.

Denique in WIRTENBERGENSI Ducatu *D. Georg. Balthaſar Metzgerus*, Svvinfurtenſis, quondam Adjunctus Collegii recens nati, & Americus vocatus, ſed ab eodem aliquanto pòſt recedens: Profeſſor Medicinæ primùm in Illuſtri Gieſſenâ, hinc Tubingenſi, Medicus magni nominis, et lautâ ſatis fortunâ uſus.

Cap. XXXV.

De Correſpondentiâ cum Anonymo, & Scripti hujus Autore, additâ Proteſtatione ejus aliquâ.

QUo ipſo concluderem adductum hucusque Catalogum eorum, cum quibus Curioſum aliquod Sachſio Commercium Epiſtolicum exiſtit, niſi tùm ANONYMI cujusdam mentio etiam facienda, me detineret tantiſper, & me detinere haberem ipſe.

Ad *Anonymum* enim quod ſpectat, Virum Nobilisſimum, Amplisſimumque N. N. profeſſione quidem non Medicum, polymathiâ tamen inſigni, & quadantenus Medicâ, imprimis verò experimentali ſtudio, Mathematico-Technico excellentem, & mirificè delectatum proin *excitatâ ad quævis D. Sachſii indole*, cum quo etiam eminùs & coram (datâ occaſione) eſt familiariter converſatus; quique Ephemeridibus noſtris obſervationes aliquas, nil triviale ſpirantes impertiit; etſi ſcribere præſumam, me & nomen illius, & muneris publici ſplendorem, & Remp. inclytam, cui cum magnâ meritorum laude præeſt, nominare citra errorem poſſe, quia tamen ignotus tantiſper haberi vult, præſtat, voluntati *tanti Fautoris* parére, quàm glorioſâ nominis ſui oſtentatione, injurius in nosmet ipſos fieri, quo minùs impoſterum ex fœcundiſſimis ſcientiæ ſuæ campis, faſciculos florum uberes demetamus.

De *me* verò, ut aliquid addam, legem mihi imponit dulciſſima *Sachſiani amoris* memoria, & conſtans Viri Candor, quem ſi ulli alii ſæpe per literas, mihi præſertim quam frequentiſſimè eſt per epiſtolia teſtatus, quorum aliqua adhuc mihi ſuperſunt, olim fortè edenda, ea imprimis, in quibus ſimul curioſè verſatur circa materiam aliquam Phyſico-Medicam. Ac per repetitas hujusmodi ſcriptiones planè amicas & honorificas, effecit, ut trahi ab ipſo me tandem paterer ad dandum nomen

Cu-

Curioſo Collegio, & concedendum An. 1664. ſine ulteriore animi controverſia locum, invitatoriis literis, prægreſſo Ann. 1663. *à Nobiliſſ. Dn. Elia Schmidio, Magnif. Dn. Præſidis, Dn. D. Fehrii, Adjuncto*, ad me miſſis, quàm pertinaciter etiam antè repugnaſſem, tenuitatis meæ conſcius; qui nedum *Collegio* præſtiti ullum officium utile, aut laude dignum. Ut taceam, quod veluti qui jurat in viam, jurat in omnes incommoditates viæ; Ita præſentiſſimè videbam mihi inſtare *Agnominis alicujus Poëtici* in collegio aſſumendi periculum, quod unum ferè, aut imprimis, ſalvâ Legum Autoritate, profiteor, diſplicere mihi, in noſtræ Societatis Legibus, bonâ licet intentione à Fundatoribus introductum, nec ulli Extraneorum noxam inferens. Itaque ut Legibus tamen obſecundarem, elegi Agnomen pro me tale, quod intimæ cum *Phoſphoro* amicitiæ, & obſcuritati ſimul, quâ impensè delector, meæ junctim congrueret: paſſusque hoc pacto ſum, quod mihi Muſæ omnes, & Gratiæ condonent, me *Heſperum* vocari. Id quod fideliter monere, ob cauſas peculiares, ratus ſum.

De ſilentio meo diuturniore interdum conqueſtus *B. Sachſius*, DEUS bone! quàm anxiè anxium ſuum animum explicuit, & promtus ſemper ad condonandum, longiore exſpectatione non ampliùs torqueri, blandiſſimè rogavit! *Dimidiumque ſui* me vocans in ſuis literis, Ann. 1669. d. 1. Octobr. *per Fidem noſtram*, ejusdem Anni d. 19. Februar. *perque ſanctam Amicitiã* me obſecrat, reſponſorias ampliùs protrahere ne vellem.

TractatumEpiſtolicum de mirandâLapidum Naturâ, curiosâ lectione dignisſimum, meoque nomini inſcriptum, ut me ſaltèm magis magisque ad Societatem laborum pro Collegio ineundã excitaret, inter occupationes licet concatenatiſſimas, veruntamen Anno 1663. deproperavit feliciter adeò, ut Lector æquanimus nihil ibi extemporanei, omnia verò meditatiſſima, & quæ laboriosè antè hinc inde notaverat, ingeniosè digeſta deprehendat.

Inque Gammarologiâ paſſim honorificam nimis mei mentionem faciens, me liquido in ruborem agit, imprimis, quando de Opuſculis meis, neſcio quibus, loquitur, quæ potiùs ab eo tempore hucusque cum blattis & tineis luctata meritò ſunt, luctantur, & poſteà, maximam ſui partem, luctabuntur. Auſusque fuit interdum, pro Imperio illo, quod amici in amicum communiter eſt, Editionem Vanitatum earum extorquere velle, ſæpe repetitis admonitionibus, & tantùm non intimiùs in conſcientiam mihi penetrare. Sed plerumque ita me excuſare ſoleo: Aut

illud, quod ederem, momenti eſſet *exigui* aut *mediocris*, aut *magni*. Si *parvi*; cur tempus, chartas, & gratiam hominum inaniis iſtis perderem? Si *mediocris*, ita, ut non quidem proferrem, quæ manifeſtò eſſent vel abſurda, vel vilia, ingenium tamen & captum tantùm vulgarem teſtarentur, nec quicquam ſurgentem ultra receptas hypotheſes; utique non poſſem non videri, de chartâ in papyrum ſcribere, cujus generis homines oppidò multi ſunt, ſi ego etiam ne natus quidem eſſem. *Si* verò *magni* utique, aut utcunque aliquid minùs triviale redolentis; in promtu ſtatim adeſſentocioſa ingenia, quæ à diabolo excitata, omnis mali autore, ſub dubitationis prætextu honeſtæ ac liberæ, non ſine aculeis ac felle, continuò arietent in Scriptum editum, & procul conſtituti à Chriſtiano charitatis officio, erroribus (ſi qui irrepſerint) condonandi, tanquam inclareſcere aliàs non poſſent, niſi virus ex aliorum ſcriptis ſugant, ex intentata alienæ Famæ ruinâ, ſibi Mauſoleum Gloriæ arbitrentur exſtruere, & tentare Autorem, an ſeducendo ipſum ac irritando, ad conſcribendam Apologiam aliquam, poſſint à ſvetis ſuis, cæteroquin ſuaviſſimis Meditationibus, ad laudem DEI, proximique commoditatem directis, divertere; id quod ſubtile prorſus, at familiare, à perquam paucis verò perſpectum, Diaboli artificium eſt. Ut taceam, quod, ſi etiam ullo inſigni conatu in diſciplinâ mundanâ poſſem aut vellem arenam & calcem convehere tàm lectoribus æquis, pro exornandâ feliciùs, ſcientiæ ſuæ ſcenâ, quàm malevolis, pro Theatro inſolentiæ ſuæ altiùs evehendo; ab operoſo tamen bene merendi conatu, non immeritò aliquem abſterrere denique poſſit notatu perquam digna *Sapientiſſimi Regis* vel indignatio vel pœnitentia, quæ *cap. 2. Eccleſiaſtici v. 17.* expreſſa, poteſt legi.

Nihilominus Anno 1664. cum *Hamburgi* agens, & nihil minus, quàm diu ibi perſiſtere (eo quidem tempore) cogitans, inopinatò tamen â *Nobiliſſimo Florentiſſimæ Reip. Senatu*, per nimis-benignam de me opinionem, curandæ Peſti publicè me præfigi paterer, diviniſſimam nempe, & ne per ſomnium quidem viſam aut cogitatam anteà vocationem ratus; adeò *B. Sachſius noſter* in literis, ſuper rei iſtius nuncio indoluit, ut peculiarem ipſius & plusquam fraternam de vitâ meâ anxietudinem, vix poſſim etiamnum ſine lacrymæ alicujus inſultu, in memoriam mihi revocare. Votoque interpoſito petiit, ut ſi tamen humani quid mihi eveniret, in iſtâ periculi plenâ aleâ, (prout utique ſemel imprimis â morte pilum ſaltem, vix longius, abfui) vellem curare, ut Meditatiunculæ meæ, ſibi edendæ,

dæ, concederentur: velle ſimiliter, ſi ipſe prior decederet, ſe meo arbitrio deſtinare ſuas: in literis, An. 1664. d. 12. Decembr. ſcriptis.

Celeberrimi *Jonſtoni* amorem An. 1668. poſteà mihi comparavit; trahereque me voluit in conſvetudinem cum *Nobiliſſimo Domino Behm, Senatore Gedanenſium Ampliſſimo*, rerumque Collegii noſtri non Fautore tantum inſigni, ſed Judice etiam callentiſſimo, cujus jam ſupra (cap. 18.) â me mentio facta eſt: ſed ex felicitatis hujus captu itinera quædam *illius* & mea, *Sachſiiq;* præſertim Mors, me excuſſerunt.

Ut rem in ſummam contraham; *laudati, nunc deſideratiſſimi, Amici*, cum animo calamus NUNQUAM fuit OCIOSUS; cumque in iſtâ laborum nimietate, & fragili corpore, ipſe tandem fateri mihi (Ann. 1671. d. 12. Aug.) cogeretur, vereri, ut oneri ferendo, eſſet amplius par futurus; optare *Se* ſcripſit, Me in viciniâ hærentem, obeuntemque Adjuncti vices, partem laborum in me ſuſcipere: quorum præpondio utique ſuppreſſus aliquantò citius fuiſſet, niſi *Collegæ* præſentes interdum ipſi ſuppetias tuliſſent, exemplo ſtupendæ aſſiduitatis moti. Et hucusque de *latâ*, quam *Ipſe* in iisdem literis ſic vocat, *Ejus Correſpondentiâ*, nunc ſatis.

CAP. XXXVI.

De Scriptis reliquis Sachſii, publicæ præſertim Luci datis.

HIs *Scriptis Sachſianis* jam, h. e. *Epiſtolis* per Europam emiſſis longè plurimis; iſti *Diſſertationi* pereruditæ, *de mirâ Lapidum Naturâ*, An. 1664. editæ, ut in prægreſſo capite nunc dixi; & illi memorabili gemino operi *Gammarologiæ, & Ampelographiæ*, de quibus ſub initium præſentis Hiſtoriæ actum eſt; addo ſequentia, quorum pleraque velut conſtanti prorſus & inimitabili ſubrepentium tædiorum omnium patientiâ, inter quotidiana Medicæ ſuæ Praxeos, laborum Chimicorum, & evolutionis Autorum penè innumerabilium, concepit, ad Gloriam DEI, ad honeſtos ac utiles uſus Lectorum & Collegii propagandam ad poſteros gloriam; ita piaculum foret, recenſitis aliquibus, ſilentio premere altera. Hæc itaque etiam ex doctiſſimis ſuis ſcriniis promanarunt:

I. *Poëmata quædam* ſpartim edita, Curioſorum opuſculis præfixa. In Poëſi enim ſingularem elegantiam, promtumque acumen oſtendiſſe, ex iisdem ac aliunde, ſatis liquet. Voluitque (quæ ſuæ erant ſvaviſſimæ

Charites) in nuptias meas alteras certamen trium Dearum introducere, mammoſæ Veſtæ (h. e. Naturæ) Minervæ prudentis, & amabilis Veneris: quarum lites Apollo ita componere debuiſſet, ut Veſtæ nimirum & Palladi, horæ diurnæ cederent, & Veneri nocturnæ: Sed doloribus capitis, negotiisque turbatus, ingenioſum hoc melos abſolvere nequiit, uti ex literis ejus recolligo, Kal. Auguſt. Ann. 1665. ſcriptis.

II. *Oceanus Macro-microcoſmicus* Anno 1664. editus Vratislaviæ, & *Th. Bartholino illuſtri* dedicatus, ſive Tractatus brevis, in quo explicare ſuſcepit Analogiam Geocoſmi, & Anthropocosmi, vel decurrentium recurrentiumque aquarum Oceani, terram rigantis, cum mari rubro Hominis, ejusque Palindromiâ, ob unum utrobique fluxus principium (mare videlicet, & cor) unam eandemque Periodum; unum objectum, ejusdemque ordinis ductus vel vaſa, efferentia, & inferentia. Per cujusmodi opuſculum, exundanter ſanè oſtendit, quantus ipſi eſſet ſcientiæ naturalium rerum Oceanus, per omnes orbis literarii partes, ex Viadro ſuæ meæque Vratislaviæ deductus.

III. *Ephemeridum Curioſarum potiſſima Pars* collecta, inque ordinem digeſta, cum Præfationum & Dedicationum Formulis, ni fallor. Quarum tamen Annum III. Typis impreſſum, videre *Sibi* non licuit: quin potius in hujus adornatione præſentes *Ephemeridum Curatores Dn. D. Volgnadius*, & *Dn. D. Janiſius* ſimile ſtudium locarunt, edituri mox quartum itidem, magnâ cum Nominis & Sedulitatis ſuæ laude: cum quo Tomo quarto, ni fallor, hæc ipſa in publicum ibit *Hiſtoria*, ab ipſis & pluſculis aliis, benevolè deſiderata.

IV. *Obſervationes Miſcellaneæ Phyſico-Medicæ* ſelectiores, *Anno I. Ephemeridum* inſperſæ: & nominatim quidem hæ:

Obſ. 13. *Meſſis Obſervationum Microſcopicarum*, ex variis Autoribus collectarum, in Operibus tàm Artis quàm Naturæ, Mineralis, Vegetabilis, Animalis, & in hac Inſectorum, Piſcium, Avium, Terreſtrium, & ipſius Hominis, rectè aut ægrius valentis: quam Meſſem præmiſſo erudito de Microſcopiis diſcurſu aggreſſus eſt.

Obſ. 17. Aurum Chimicum.

Obſ. 20. Conſenſus Labiorum, Faciei ac Uteri.

Obſ. 27. Renes Humani Petrefacti.

Obſ. 48. Rapa Monſtroſa, figurâ hominis.

Obſ. 72. Gammari amari Sileſiaci, & Cancrorum mira alia.

Obſ.

Obſ. 90. Aloe Sileſiaca Floreſcens, de qua Cippum inſuper elegantem addidit.
Obſ. 91. Aloe Choræ in Miſniâ: quam itidem Cippo congruo cohoneſtavit.
Obſ. 98. Mira in Barone alvi Stypticitas.
Obſ. 110. Fœtus extra Uterum.
Obſ. 116. Radix, formâ Crucifixi.
Obſ. 131. Aurum Vegetabile.
Obſ. 141. Arthriticorum Solatium, Lac.
Obſ. 142. Emplaſtrum Antipodagricum.

V. *Scholia paſſim, Obſervationibus adjecta*, pro aliquâ Materiæ illuſtratione, non Criſi: anſam ad hæc ipſi dantibus aliquibus non-Medicis, qui libenter legunt, Hiſtorias rariores exemplis parallelis confirmari. *Scholia* itaque *Anno I. inſerta*, ſunt hæc:

Ad *Obſ. I. Bartholini*, De Conceptu falſo.
Obſ. 2. Wepferi, De Liene magno.
Obſ. 10. Petri â Caſtro De Remedio antipleuritico.
Obſ. 14. Reiſelii, De Serpente, intra Cervi Ventriculum petrefacto.
Obſ. 15. Segeri, De Anatome Pueri Phthiſici.
Obſ. 20. propriam, De Conſenſu Labiorum, Faciei ac Uteri.
Obſ. 23. Bartholini, De Sirene Danicâ.
Obſ. 25. Hertodii De Periculoſis Gravidarum Fracturis.
Obſ. 26. Schenckii, De Cerebro Bovis petrefacto.
Obſ. 28. Jungii, De Materiâ albâ in ſanguine.
Obſ. 29. Ejusdem, De Liene magno, & duplici Inteſtino cœco.
Obſ. 30. Mannagettæ, De Affectu Cornuto.
Obſ. 31. Ejusdem, De Polypo Cordis.
Obſ. 32. Ejusdem, De Anatome Hyſtericæ, & Meſenterio Scirrhoſo.
Obſ. 33. Wolfſtrigelii, De Flammâ ex Puteo.
Obſ. 34. Febrii, De Pulvere rheumatico.
Obſ. 35. Caſtrenſis, De Loquelâ Mutis datâ.
Obſ. 36. Bartholini, De Ovo prægnante.
Obſ. 37. Ejusdem, De Oſſium mollitie.
Obſ. 38. Ejusdem, De Herbâ oſſifragâ.
Obſ. 42. Segeri, De Embryone Hydropico.

Obſ.

Obſ. 44. Beckeri, De Lapillis Veſicæ felleæ.
Obſ. 50. Bartholini, De Sanguine verminoſo.
Obſ. 62. Paterſonii, De Fœtus in Uterum reditu.
Obſ. 63. Greiſelii, De Lapillis, è Venâ cum Sanguine ejectis.
Obſ. 66. Ejusdem, De Lapide in abſceſſu Hepatis.
Obſ. 70. Ejusdem, De Cordis magnitudine.
Obſ. 73. Th. Bartholini, De Cryſtallo Islandico.
Obſ. 77. Joh. Jacobi Piſani, De Flamma ex Ventriculo.
Obſ. 81. Nic. Guil. Beckeri, De Morte Aurifabri, ex levi purgatione.
Obſ. 83. Joh. Mich. Febrii, De Eſu rerum abſurdarum.
Obſ. 88. Möllenbroccii, De Mictione cruentâ.
Obſ. 89. Ejusdem, De Mictione Chyloſâ.
Obſ. 97. Garmanni, De Muſco terreſtri.
Obſ. 100. Möllenbroccii, De Futurorum, ex partibus Corporis, prædictione.
Obſ. 109. Ejusdem, De Cato, per os mulieris excluſo.
Obſ. 122. Garmanni, De nutrimento Bombycum.
Obſ. 123. Bartholini, De Mortuorum Pilis.
Obſ. 125. Ejusdem, De Aſello Hermaphroditico.
Obſ. 133. Spilenbergeri, De Cantharidibus.
Obſ. 134. Jungii, De Antipathiâ ad Muſicam.
Obſ. 135. Ejusdem, De Antipathiâ à Nævis maternis.
Obſ. 137. Garmanni, De Antipathiâ Serpentum & Bufonum.
Obſ. 138. Ejusdem, De Scolopendræ in natâ Luce.
Obſ. 148. Ejusdem, De Experimentis Mercurialibus.

VI. *Appendix* (tota, vel quoad majorem ſui partem) *ad annum I. Ephemeridum*, cum indice copioſo Rerum.

VII. *Hiſtoria ſuccincta & brevis, Ortus & Progreſſus S. R. Imper. Academiæ Naturæ Curioſorum*, præfixa Anno II. Ephemeridum; in quâ Effigies B. D. *Bauſchii*, Collegii Fundatoris, æri inciſa, habetur, additis *Celeberrimorum Virorum* ſuper Miſcellanea noſtra, Collegiumque *Judiciis*, præcipuè ad ipſum directis; nec non *Collegii Legibus*, & *Catalogo Collegarum*.

VIII. *Obſervationes Miſcellaneæ ſelectiores, Anno II. Ephemeridum inſertæ*; nominatim hæ:

Obſ. 30. Suppreſſio Urinæ diuturna à Calculo non lethalis.

Obſ.

Obſ.69. Opium Venereum.
Obſ.95. Epilepſia Periodica.
Obſ.96. Oculorum ſplendores, Epilepticis funeſti.
Obſ.112. Singularis Spica Hordei.
Obſ.119. Vulnus Capitis graviſſimum, feliciter curatum.
Obſ.142. Calculus è Scroto prolapſus.
Obſ.252. Poma hyberna Sileſiaca.

IX. *Scholia ad Obſervationes qvasdam, Anno II. Ephemeridum inſertas.* Videlicet hæc:

Ad Obſ.3. Bartholini, de Oſſiculo per Urinam excreto.
Obſ.7. Wolfſtrigelii, de Anatome Tigridum & Leonum.
Obſ.15. Pauli de Sorbait, de Venarum Regeneratione.
Obſ.25. D. Scholtzii, de intutâ per Mercurium Scabiei Curatione.
Obſ.26. Segeri de Lethali menſium ſuppreſſione.
Obſ.27. Paterſonii Hain, de Experimentis Microſcopicis.
Obſ.36. Mauritii Hoffmanni, de Defectu Cerebri.
Obſ.37. Treubeleri, de mirâ Fulminis Vi, & curâ Fulmine tactorum.
Obſ.40. Spilenbergeri, de Oſſiculo Cordis humani, humanâ figurâ.
Obſ.47. Sorbaiti, de Venæ ſectione in Gravidis.
Obſ.49. Ejusdem, de Paralyſi, Frigidis curatâ.
Obſ.61. Scholtzii, de Phantaſiâ & Terrore gravidarum, Fœtui noxiâ.
Obſ.71. Spilenbergeri, de Priapismo poſt purgans Medicamentum.
Obſ.72. Th. Bartholini, de tribus Mammis.
Obſ.74. Ejusdem, de Dente ſuillo, in corpore per biennium latente.
Obſ.92. Möllenbrocci, de Pilulis, poſt annum demùm Vomitu rejectis.
Obſ.103. Sorbait, de Buſone ex abſceſſu.
Obſ.104. Ejusdem, de Impotentiâ ex Vulnere Capitis.
Obſ.113. Joh. Paterſoni Hain, de Auro Vegetabili, & Vitibus Aureis.

Obſ.122.Segeri, de Lipothymiâ ex colapho.
Obſ.134.Scholtzii, de Tumore Abdominis feliciter curato.
Obſ.144.Franc.Matth. Hertodii, de Panis Antipathiâ.
Obſ.147.Joh.Ferdin. Herdotii, de Vermibus Capitis.
Obſ.155. Bierlingii, de Serpente, Vaccam emulgente.
Obſ.156.Anonymi, de Curioſis qvibusdam circa Animalia.
Obſ.158.Ejusdem, de Curatione Calculi Veſicæ.
Obſ.159. Ejusdem, de Vitâ & Morte Animalium.
Obſ.160.Bartholini, de Molâ volatili.
Obſ.163. Ejusdem, de Caſeo Ventriculi ex Lacte coagulato.
Obſ.165. Ejusdem, de Febre ex Imaginatione.
Obſ.181. Dobrzensky, de Calculis Pulmonum & Ventriculi.
Obſ.182.Ejusdem, de Morte, ex uſu Hellebori albi.
Obſ.183.Ejusdem, de Maturatione Perlarum.
Obſ.190.Hagendorni, de Vermiculis alatis Rorismarini.
Obſ.191.Ejusdem, de perditisſimo in Fœminâ fœtore.
Obſ.203.Petri, de Androgyneâ Conceptione.
Obſ.205.Bierlingi, de Scorpione cocto, innoxiè devorato.
Obſ.215. Reiſelii, de curâ Arthritidis, per Verrucæ exciſionem.
Obſ.216. Ejusdem, de Picâ Mariti, loco Uxoris gravidæ.
Obſ.218. Ejusdem, de Hydropis per Thermas Wisbadenſes curatione.
Obſ.219. Ejusdem, de Hydropis per Urinam hirci ſanatione.
Obſ.228.Volcameri, de Margaritis veris Germaniæ.
Obſ.236. Wedelii, de Teſticulo uno.
Obſ.242.Hagendorni, de Nucleo in Aſperam Arteriam elapſo.

X. *Annotationes qvædam, Obſervationibus Anni II. addendæ*, & appendicis loco annexæ ad Annum II. jam dictum, Ephemeridum, à paginâ earum 392. usque ad pag. 408.

XI. *Cratonis Epiſtolæ III.* anteà non editæ, ſed curâ *Phosphori*, Anno II. Ephem. inſertæ, legendæque ibi pag. 50.

CAP. XXXVII.
De Scriptis qvibusdam ineditis tàm Sachſii, qvàm aliorum, penes Ipſum.

DEnique ſicut notiſſimum eſt, matricem Metallicam, ex ſubterraneis

neis protractam, etiam laudem mereri, etſi tota argentum vel aurum non ſit: ita viſus eſt *Sachſius*, ad alia inſuper animi monumenta paranda, ſe præparaſſe, quæ verò non confecit, & tamen oblivione tradenda minimè ſunt. Hoc cenſu ſtant duo ſequentia, de quibus *Ipſummet* teſtantem audiamus, hæc verba ſcribentem ad me, Ann. 1668. d. 6. Octobris. *Aliquoties manum admoveram Tabulæ, in depingendâ Politiâ Medicâ & Medicinâ Politicâ, ſeu de Harmoniâ corporis humani & Reipubl. qvoad conſtitutionem, conſervationem, curationem, qvoad morbos, ſigna diagnoſtica & prognoſtica, Chirurgiam & Pharmaciam. Sed ſvadent Amici, ut deſiſtam, qvod labor Medicis non gratus futurus, nec â Politicis æſtimandus. Alii ſvaſerunt, cum Jonſtono, modò ut Pancirollum de deperditis & novis inventis, auctiorem concinnarem. Bartholinus meus aurem vellicat, ut demonſtrem cum Paracelſo, in homine eſſe aſtrorum motus, caudam draconis, axem polarem, imò qvod primâ ſpecie abſurdum videatur, in homine bovem, fagum, cupreſſum, ſmaragdum, pulegium, roſas, violas &c.*

Aliorum verò *Autorum Manuſcripta*, diligenter à ſe ſervata, hæc circiter ſunt, mihi nota:

I. *Epiſtolarum D. Döringii & Sennerti familiarium Volumen*, propriâ utrinque manu ſcriptum, quod ſæpè citat, & meis oculis vidi penes *Ipſum* Vratislaviæ. Quas verò demùm *Sponio ſuo* Lugdunum conceſſas, eoque curante editas eſſe, jam ſupra (cap. 16.) â me annotatum eſt.

II. *Petri â Caſtro*, Medici Veronenſis, *Obſervationes Medico-Practicæ*, B. Sachſio, à Dno. D. Tileſio, Collega ſuo partim communicatæ, & aliqvoties in Scriptis ſuis allegatæ; ex quibus Oceanus Macro-microcoſm. mihi ſaltem nunc in mentem venit, ubi videri poteſt pagina, ſupra trigeſimam nona:

III. *Manuſcripta* item quædam D. *Laurentii Scholtzii â Roſenau*, Medici olim in Rep. Vratislavienſi celeberrimi, & ob editionem *Operum Cratonianorum* clari, innuente ipſomet *Sachſio* Ann. II. Ephem. Curioſ. Obſ. 30. pag. 57.

CAP. XXXVIII.

De Diviniore Mortis Sachſianæ Cauſâ, & Fato diverſo Collegii.

CUius pulcritudinem animi proin, ſuperius ſub finem cap. 3. & cap. 6. toto allatam, pertractatamque hucusque in contextu continuo

ſequentium capitum omnium, ecquis ſat ſuperque non videt? Et, acceleraſſe extrema ipſius propterea vaſtiſſimum hoc, inſatiabile, & ſtupendum ob tot labores, *eruditæ internæ venuſtatis*, & per hanc, omnibus in tota quaſi Europâ, victuris æquè, ac poſteris, aliquem ex Phyſicâ & Medicinâ dulcedinis ſenſum habentibus, *ſtudium*, adeò in proclivi eſt, ut ſimpliciſta eximius ſit, qui capere hoc non poſſit, poſtquam videlicet melior, potiorque ſpirituum pars, quibus, tanquam organis, anima noſtra ad actiones corporeas obeundas, utitur, per enormes iſtas tot lucubrationes, animique in tot curas & negotia intenſi diſtractiones, exhauſta nimium eſt, & tantillum eorum, quod ipſi ſuperfuit in infinitum non potuit extendi.

Itaque hæc pro Exemplo prorſus illuſtri ſufficere nobis poterant, ad ſtudia paulò mollius tractanda; & ad inſerviendum pro virili, (non ultra vires) eáque animi moderatione, proximo, ne publicè prodeſſe cupidi, privatim conſumamur; quod poſterius in nullâ Moſis lege, vel ullo conſcientiæ dictamine, ejusve vocatione internâ, ſcriptum eſt.

Sed & divinius quid hic ſubeſſe, cur videlicet eo potius, quo mortuus eſt, quam alio tempore exſtinctus, conſtitutusque adhuc ſat longè infra ingraveſcens aliquod ſenium, & inter ſurgentes Collegii glorias, pertinaci ſtudio quæſitas, ex oculis noſtris dimotus, *Fulgidiſſimus quondam Cœli noſtri Medico-Phyſici Phoſphorus* ſit, extra controverſiam omnem pono: & neſciens propterea, quid adverſi *Societati noſtræ* ex caſu eo lugubri præſagire debeam, culpare non poſſum ipſorummet malevolorum quorundam judicia, exiſtimantium, inſtitutum Collegii noſtri, magnam calamitatem eſſe ex *Sachſii* morte perpeſſurum. Quod equidem non ita intellectum velim, quaſi planè de nobis actum eſſe, intempeſtivè judicem, prout de *Hannibale* prolatum eſt, ſtante eo, ſtetiſſe Carthaginenſium res, cadente cecidiſſe; ſic enim manifeſtè contra vos omnes, *Induſtrii Collegæ*, & contra *Te* imprimis, *Magnif. Domine Præſes, Domine D. Febri*, Veſtraque continua in Collegium merita, forem injurius; benignè tamen hoc etiam mihi dabitis, quemadmodum ruente ædificii columnâ quadam præcipuâ non neceſſariò quidem cadit, periclitatur tamen, & damnum non leve percipit tota domus; ita ex immatura morte *Adjuncti Meritiſſimi*, totius Collegii progreſſus non leviter ſufflaminari: aut quemadmodum catena, ex quàm firmis etiam annulis contexta eſt, roboris partem amittit, ſi unum tollas; ita diſceſſus *Sachſii noſtri* efficere ut mœror ác damnum pertineat ad omnes.

Pro-

Produxit *Is* rem eò, (& quomodo potuiſſet altius?) ut deſideria noſtra, pro Autoritate Collegio majore conciliandâ, inciperent, inter Gratias LEOPOLDI CÆSARIS de tædiis quibusdam & difficultatibus priſtinis triumfare.

Quàm gratioſa dein erga Collegium propenſio haut ſemel in *Eminentiſſimo Archiepiſcopo & Electore Moguntino* deprehenſa non adeò longè fuerit, fidem mihi fecit *CL. Sachſius*, in literis, An. 1668. d. 6. Octobr. ſcriptis.

Archiepiſcopi porrò *Salisburgenſis, Guidonis Baldi* patrocinium *Societati* ut lucraretur, *Serenitati Illius* Gammarologiam dedicavit, & patrocinium utique aliquod *Se* impetraſſe, 1665. d. 8. Decembr. mihi ſcribit.

Et efficaciter demum (quis neget?) ad Obſervationum communicationem de variis naturæ luſibus, variis ac raris morborum caſibus & medelis, inventisque ingeniorum ſolertium, non Medicos ſolum, intra & extra Collegium, ſed Literatos multos alios, literarumque amantes, eosq; non intra diſtrictus ſolum & circulos S. Rom. Imperii, Regnaque Hæreditaria CÆSARIS, agentes; ſed in aliis inſuper Europæ Ditionibus ac terris, plerosque magni nominis, irrequietâ literarum ſuarum induſtriâ invitavit, ut præter obſervationes ipſasmet, magnas numero, *honorifica* ſimul *toti Conſortio Noſtro judicia* nactus ſit; defunctus, ſi ità ſcribere mihi liceat officio cujusdam Tritonis in Oceano Argonautico, de quo Neptuni armigero & tubicine, ſic canit *Ovidius* lib. 1. Metamorph. fab. 10. v. 21. ſequ.

Cæruleum Tritona vocat, conchaque ſonanti
Inſpirare jubet fluctusque, & flumina, ſigno
Iam revocare dato: Cava buccina ſumitur illi
Tortilis, in latum quæ turbine creſcit ab imo:
Buccina, quæ in medio concepit ubi Aëra ponto,
Littora voce replet ſub utroqe jacentia Phœbo.

CAP. XXXIX.

De Impedimentis Collegii Ejusdem.

SEd quid dicemus amplius? Exſtinctus, heu! exſtinctus in ipſâ ſpei noſtræ aurorâ eſt nitidiſſimus noſter *Phoſphorus*, & Solem quidem poſt ſe relinquens, ſideraque præcipuæ magnitudinis, non ſine rore veruntamen, & lacrymabili ſui deſiderio, laborum nunquam anteà ſibi finitorum, triſtiſſimum nobis lucendi ac prælucendi finem fecit. Et nunc maxime

ximè experimur, quemadmodum quævis alia in mundo ſuos habent ortus, occaſus, progreſſus, regreſſus, incrementa, decrementa, ſplendoresque aliquos aliquandiu, hinc Eclipſes: ita Academiam quoque noſtram defuncto pridem *Magnifico Domino Bauſchio,* defunctis *Collegis* hinc inde, defunctoque ante ſeſquiannum *Sachſio*, ut plures ſocietates alias, fatali quadam vertigine rotari, prout Academiæ noſtræ ſors utique nunc hæſit in primo quaſi limine; nunc viſa eſt paulum reſpirare; nunc iterum inclinationes ſenſit, & quædam OBSTACULA, *ſive quod Magnates & Principes*, ſine quorum Munificentiâ friget Academicorum induſtria, aliquandiu â Muſis, per neceſſitatem regiminis, aut ſponte, ad alias curas avertuntur, & Mars præcipuè, vel belli metus, & non Othomannica ſolum, ſed ipſæmet (pudet dicere) Chriſtianæ quædam Erinnyes, in Theatro Europæ ludum facientes, Minervam cum Muſis pellunt in exilium, Argoque & Cerbero pejus labefactandæ libertati Germanæ invigilant: *ſive quod Patronorum & Fautorum liberalium abundans quidam nobis defectus ſit*, & membra Collegii grave ducant, multum de ſuo tribuere, ut Bibliopolæ ſaltem diteſcant; unde fit, ut fiſcus araneis ſcateat, non nummis, ad literas cœteroquin hinc inde dandas accipiendasque, ad amanuenſes & emiſſarios alendos, & experimenta præſertim facienda, materiasque cum ſupellectili variâ comparandas, neceſſariis: *ſive quod malevolorum etiam*, cum efficaciâ aliquâ, nos quandoque premat *maledicentia*, inter quos verò parum curamus latentem Roſeo-crucianum quendam moroſum ſenem, qui nequaquam ab ullo noſtrûm læſus, CURIOSOS tamen nos, FURIOSOS nominare auſus eſt, & Comitis Cæſarei titulo ornatus, maledico iſto & maledicto ſcommate contaminare præſumit *integrum aliquod honeſtum Collegium*, â CÆS. MAJ. SACRA meritò illi, ſicut nobis omnibus habendâ, tàm clementiſſimè probatum, *Orlando* furioſo itaque infinities *furioſior; ſive quod Bibliopolæ* plerumque, niſi ex noſtris lucubrationibus impenſius diteſcant, *non ſint ex voto noſtri*, amantes videlicet non gloriam noſtram, ſed propriam crumenam: *ſive quod Collegarum ipſorum ſit quædam diſtractio*, in loca diſſita; neſcio, an in curas alienas interdum etiam, debeam dicere, cum præſtet, eruditè coram & curioſè de rebus utilibus confabulari, ſi ita haberi poſſit. Ut taceam quædam alia, quorum vel uſus, vel non-uſus in uniuscujusque quidem manu eſt: quomodocunque tamen, aut quotiescunque ea accidunt, NON SINE FATO DIVINO fiunt. Quod ſicut unicuique rei peculiares metas, ut initiò dixi, periodosque conſtituit, aut linquit: ita

ita non minus ſcientias & artes, quàm imperia, interpoſitis temporum ſpaciis, de gente ad gentem transfert.

Poſſemque hic pulcrè exſpaciari, & exemplis omnium Coſmoſophorum utcunque celebrium, ab *Adamo* usque ad noſtra tempora, ne *Salomone* quidem excepto, ex hiſtoriæ ſacro-profanæ indiciis fide digniſſimis probare, quâ ratione non temerè aut caſu, ſed indubiè per peculiare DEI arbitrium, & occulta EJUS judicia factum ſit, fiat quotidie, & porrò indubiè futurum ſit, ut ne vel unicus hominum nominari poſſit, in quo requiſita boni experimentatoris omnia concurrerint; & ingenium videlicet aptum, & memoria, judiciumque, & Polymathia, (præcipuè Pyrotechnico - Mathematico - Technica) & cognitio lingvarum, & pietas, & moderationes animi Ethicæ, & ſedulitas, inque labore conſtantia, & peregrinationes ſufficientes habitæ, & munditiei amor, & robur corporis, cum ambidexteritate, & acrimoniâ ſenſuum, & ætas matura, & locus commodus, & temporis inutiles rapinæ ab aliis nullæ, nec diſtractiones animi in curas alienas; & ſumtus, & patrocinium liberale ſuperiorum, & favor amans æqualium, & amor obſequioſus inferiorum, vel miniſtrorum, & promta agilitas eorundem, materiæ tractandæ nullus defectus, & ſupellex omnis conveniens, ac officinæ, & artificum operæ, diverſis experimentorum conatibus ſervientes, & plura alia. Quæ ſi omnia etiam tandem denique adeſſent, non adeſſet tamen longævitas, rerum cognoſcibilium multitudini reſpondens.

Imò quâ ratione *integræ etiam ſocietates* junctim mederi non poſſint defectibus, qui in ſingularibus individuis occurrunt; quin ipſæ etiam, quo fervidius naſcuntur, hòc refrigescant citius, & tum maximè tantum vigere ſoleant, quamdiu unum aut alterum ſocietatis membrum, præ cæteris laborioſum, ſupereſt; cadentibus iis impetûs priſtini magna pars remittat; id etiam exemplis declarare præſumerem, & monſtrare, quod meâ qualicunque opinione, DEUS ſapientiſſimus nolit, feſtino quodam ſaltu ſcientias perfici, ne flatu ſcientiæ turgidi, omnia noſtro ingenio, parum aut nihil gloriæ ſuæ tribuamus. Sed exempla ſunt odioſa; atque ad finem tendit præſens Hiſtoria.

Cap. XL.

De Votis pro Eo, cum Clauſulâ ad Naturæ Curioſos.

Quod

QUod reſtat itaque, *Magnifice Domine Præſes*, & *Vos reliqui Nobiliſſimi, Præclariſſimique Domini Collegæ, Fautores & Amici Eximii*, ad *Vos* mea redit oratio. *Vobis ac poſteris* debetur, quicquid hucusque pro conſervandâ *Meritiſſimi quondam nunc B. Sachſii noſtri* memoriâ ad præſentem hiſtoriam, ex documentis fide dignis, nec ſine labore fideliter undique conquiſitis, ſimplici ſtylo, & ſine verborum ſpecioſo ornatu protuli. Voluiſſem offerre *Vobis* quid majus; ſed per ingenii modulum pauperem, & impedimentorum quotidie me diſtrahentium turbines non potui. Ac debuiſſem fortaſſis in Laudes Veſtras, præcipuè de me ſpecialiter bene meritorum excurrere; ſed nolui, ne exteris Nos reddam odioſos, qui cogitaturi ex *Symmacho* eſſent, caſsâ plerumque fide eſſe, qui jugiter ſibi blandiuntur. Hoc potius leve munuſculum ex obligatione in *Vos* & *Sachſiũ* mihi extortum, amicè tantisper accipite, donec ad exhibenda majuscula quædam vires dentur. *Nobiliſſimas* profectò *Mentes Veſtras ac Nomina*, minimè debuit Dedicatio mea transgredi, cum tota Hiſtoria iſta maximè Collegii res ſit.

Servet *Vos* diu incolumes, & lætâ votorum omnium meſſe effluentes, qui per annorum millenarios tot ſervavit mundum! Gratiam ſuam adſpiret toti noſtro Collegio, ad laudem *illius* & commodum proximi directo, & tragicos quosvis imminentes caſus, publicè nocituros, potenter avertat â dulci noſtrâ Germaniâ, venerabili bonarum artium & ingeniorum matre, ut diligentiſſimi paſſim animi, aliquid utile poſteris, ſine magnis impedimentis porrò moliri poſſint.

Et velut â tot annis, non per luſtra amplius, aut decennia, ſed ſecula jam numerandis, inconcuſſas *Imperii Romano-Germanici* habenas glorioſè digniſſimeque tenuit AUGUSTISSIMA DOMUS AUSTRIACA, & ſub *Aquilinis Gratiæ Suæ Alis* iterato literarum ſalus ſtetit, eæque vitam & vires receperunt: ita pro incolumitate EJUS perenni, & æternum-felici Regimine, Vota maximè ſeria nuncupamus: Vivat ac floreat *Invictiſſimum & Sanctum Germanicæ Nationis noſtræ & Imperii totius Caput*, LEOPOLDUS! Vivat, & perpes triumfet *Potentiſſimus* CÆSAR de Hydris & Draconibus omnibus, quotquot ex orci faucibus excitati, publicæ libertati clam palam ſtruunt inſidias! & indulgentiſſimè Collegium noſtrum protegat, ne exteræ Provinciæ credere habeant, artium ſcientiarumque culturas magis ad ſe, quam Germaniam pertinere; & magis, quam nos, de *Coronatorum, aut aliàs Illuſtrium Capitum* munificentiâ glorientur.

Largiatur nobis DEUS Patronos & Fautores hinc inde, qui noſtræ

Socie-

Societati ſerio & efficaciter bene cupiant; quos jam largitus eſt, conſtantes nobis ſervet, atque pro benevolentia ſuâ bene ipſis faciat!

Convertat hoſtes noſtros, & ad meliorem animi frugem reducat, quicunque ullo pacto hucusque conatibus noſtris honeſtis planè, ac innocentibus, imò (citra jactantiam) piis, obſtare veruntamen penes Principes, aut alios potuerunt. Optavitque non ſine causâ *B. Sachſius*, & nos omnes cum ipso optemus, ut ceſſet fatalis quaſi illa, & exitioſa nationum invidia.

Vel, quod ad nos propius iterum pertinet, conculcatos premat DEUS potenti calcaneo technas Satanæ, nec locum illi relinquat, quorſumcunque invidiæ primùm aut ſimultatum, philautiæ, ſuperbiæ, hinc diffidentiæ, odiique ipſarumve in publica ſcandala erumpentium diſcordiarum ac litium zizania, inter Collegas diſſeminare velit.

Et noſtrum meritò etiam ſit, technis iſtiusmodi optimè maximè reſiſtere, nec ulla cavillandi aut exprobrandi dulcedine creditâ, infernalibus aviculis, ut in capite, imò corde & atramentario noſtro nidificent, ſedem quietis dare.

Quinimò, niſi favores fortè, tolerantias ſaltem *intra Collegium* mutuò exerceamus, quia membra ſumus ejusdem corporis; & miſerè actum eſſet de ædificio, cujus nunc lateres aliqui, nunc trabes, nunc columnæ & tabulæ mutuò ſibi inſultarent. Cauſa communis agitur: junctis proinde etiam brachiis animisque, materiam undiquaque pulcherrimam, ad ducendum indies altius altiusque artis Medicæ theatrum, amplificandamque arcem humanæ ſcientiæ, conferamus; ſeriò imò non ſeriò tantùm, quin & conſtanter eò enitentes, ut juncto plurium labore paulò citiùs efficiamus, quod expediri nequit ſeorſim à ſingulis. Sic fata Societati adverſa corrigere utcunque, aut mitigare quoad partem aliquam, dabitur.

Interim certò de officioſitate in *Vos* meâ perſuaſi, valete, *omnes & ſinguli*, &, niſi grave *Vobis* videtur, mecum in mœroris juſtiſſimi partem reducti, ingeminate:

MEMORIA D. SACHSII
PENES NOS AC POSTEROS
SIT IN BENEDICTIONE!

Scribeb. Kiliæ Holſatorum, Ann. 1674. d. 27. Julii St. V. vel d. 6. Auguſti St. N. qui mihi Natalis erat ſupra quadrageſimum primus,

JOH. DANIEL MAJOR, Vratislavienſis,
Phil. & Med. D. Medicinæ Pract.
Profeſſor Publicus.

FINIS.

INDEX

INDEX VIRORUM,

quorum mentio facta eſt in

Memoriâ Sachſianâ.

A.

A*Damus*. Cap. 39.
D. Johann. *Agricola*. c. 16.
D. Paulus *Ammannus*. c. 31.
Anonymus Curioſus. c. 35. 36.
Anonymus Furioſus. c. 38.
Anonymus Poëta. c. 34.
Archimedes. c. 18.
Wenc. Maximil. *Ardensbach*. c. 33.
Ariſtoteles. c. 18.
D. Matthias *Auctus*. c. 16.
Auguſtani Medici. c. 13.
Johannes *Aurifaber*. c. 16.

B.

D. Laurentius *Babſt*. c. 8.
Jacobus *Balde*. c. 13.
Eraſmus *Bartholinus*. c. 24.
D. Thomas *Bartholinus* ibid. & c. 36. 37.
D. Johan. Caſpar *Bauhinus*. c. 9.
D. Johann. Laurent. *Bauſchius*. c. 17. 29. 31. 36. 39.
D. Nicol. Wilhelm. *Becker*. c. 26. 36.
Michael *Behm* de Behmenfeld. c. 18. 35
Richardus de *Bellevall*. c. 10.
Laurent. *Bellinus*. c. 21.
Johann. *Benckius*. c. 14.
D. Martin. *Bernhardus* à Bernitz. c. 20
D. Caſp. Theophilus *Bierlingius*. c. 33. 36.
D. Abrah. *Birnbaum*. c. 8.
D. Procopius *Bonanus*. c. 20. §. 3.
D. Franc. Anton. *Bonardus*. c. 12.
D. Olaus *Borrichius*. c. 24.
D. Franc. *Bouchardus*. c. 22.
Abbas *Bourdelotius*. ibid.
Robertus *Boylæus*. c. 18.
D. Chriſtianus *Buckiſius*. c. 33.
D. Daniel *Bucretius*, Senior. c. 2. 14. 16.
Daniel *Bucretius*, Junior. c. 14. 16.
Buxhornius. c. 8.

C.

Carolus Archidux Auſtriæ. c. 2.
Carolus Guſtavus. c. 13.
Renatus des *Cartes*. c. 18.
D. Petrus à *Caſtro*. c. 11. 21. 36. 37.
D. Johann. *Clauderus*. c. 8.
Clemens. IX. Papa. c. 21.
Chriſtoph. *Colerus*. c. 7. 13. 14.
Coniezpolzkius Princeps. c. 18. 27.
D. Herman. *Conringius*. c. 16.
D. Johann. *Crato*. c. 16. 36. 37.
D. Tobias *Czaſchelius*. c. 26.

D.

D. *Denys*. c. 22.
D. Jonas *Deutſchländer*. c. 16.
D. Johann. *Dobritius*. c. 16.
D. Jacobus *Dobrzensky*. c. 28.
D. Michael *Döringius*. c. 16. 22. 37.
D. Jacobus *Durandus*. c. 10.

E

D. Joachim. *Elsnerus*. c. 16.
D. Joach. Georgius *Elſnerus*. c. 21.
D. *Erbenius*. c. 20.
D. Michaël *Etmüller*. c. 31.
Adam *Ezlerus*. c. 22.

F.

D. Johan. Georg. *Fabricius*. c. 13.
D. Adrian. *Falcoburgius*. c. 8.
Johann. *Fechnerus*. c. 7.
D. Johann. Michael. *Febrius*. c. 17. 18. 29. 31. 35. 36. 38.
D. Caſp. *Feldnerus*. c. 18.
Ferdinandus Carolus Archidux Auſtriæ. c. 13.
Ferdinandus I. Imper. c. 16.
D. Georgius *Franck*. ibidem.
D Martin. Henricus de *Franckenſtein*. c. 20.
D. Melchior *Fribe*. c. 31.
Fridericus, Holſatiæ Dux. c. 8.
Georgius *Fürſt*. c. 18.

G.

Auguſtin. *Gainitius*. ibidem.
Frid. Chriſtianus *Garmann*. c. 31. 36.
D. Laur. *Gieslerus*. c. 33.
Johann. *Gebbardus*. c. 7.
Gonzaga Dux. c. 11.
D. Johann. Andr. *Graba*. c. 3
D. Cæſo *Grammius*. c. 31.
Sigiſm. *Graſſius*. c. 33.
D. Johann. Georg. *Greiſelius*. c. 26. 36
Andr. *Gryphius*. c. 18. 33.
Otto de *Guericke*. c. 33.
Guido Baldus, Archiepiſcopus. c. 5. 38
D. David. *Guilielmi*. c. 30.

H.

D. Ehrenfrid. *Hagendorn*. c. 31. 36.
Johann. Georg. *Hanckius*. c. 18
Hannibal. c. 38.
Martinus *Hanckius* c. 16.
D. Matthæus *Held*. c. 20.
Daniel *Heinſius*. c. 8.
D. Johann. *Heniſius*. c. 13.
D. Johann. *Hennemannus*. c. 14.
Henricus IV. Rex Galliæ. c. 10.
Comes de *Herberſtein*. c. 18. 27.
Auguſtinus *Hermanni*. c. 34.
D. Franc. Matthias *Hertod*. c. 32. 36.
D. Joh. Ferdinandus *Hertod*. ibidem.
D. Otto *Heurnius*. c. 8.
Hippocrates. c. 6. 15. 21.
Chriſtianus *Hofmannus* ab Hofmans-Waldau. c. 18.
D. Mauritius *Hofmannus*. c. 36.
D. Johannes *Hoppius*. c. 7.
D Gregor. *Horſtius*, Pater & Filius. c. (34.
D. Johann. Daniel *Horſtius*. c. 29.

J.

Theodorus *Jacobus*. c. 18.
D. Johann. *Jeniſius*. c. 1. 18. 23. 36.
Petrus *Jazardus*. c. 21.
D. Frid. Ferdinandus *Illmer* à Wartenberg. c. 62.
D. Johann. *Jonſtonus*. c. 33. 35. 37.
D. Georg. Sebaſt. *Jungius*. c. 26. 27. 36
Juſtellus. c. 22.

K.

D. Chriſtoph. *Keilingius*. c. 33.
Athanaſ. *Kircherus*. c. 21.
Adamus Adamandns *Kochansky*. c. (21. 28.
D. Johann. *Kreüzmannus*. c. 16.

D. Joël

L.

D. Jöel *Langelottus*. c. 31.
D. Alb. Conr. *Langenauer*. c.32.
Leopoldus Imp. c. 17. 27. 38. 40.
Leopoldus Medicæus. c. 21.
Fortunius *Licetus*. c. 12.
Carol. Euſeb. *Lichtenſteinius*, Dux. c. 16.
Juſtus *Lipſius*. c. 9.
Johann. Jacob. *Luckius*. ibid.
D. Chriſtian. Henr. *Luja*. c. 24.
D. Conr. Theol. *Luncker*. c. 29.
D. Mich. *Lyſerus*. c. 24.

M.

Elias *Major*. c.7.
Zachar. *Managetta*. c. 36.
D. Petrus de *Marchettis*. c. 12.
Maximilianus Imper. c. 13.
Maximilianus II. Imper. c. 16.
Jul. *Mazarinus* c. 10.
Medicæus Dux. c. 11.
D. Georg. Balth. *Metzgerus*. c.34.
D. Martin. Chriſtoph. *Metzgerus*. c. 11. 20. 28.
D. Johann. *Michael*. c. 7. 31.
D. Val. Andr. *Mœllenbroccius*. c. 33. 36.
Elector *Moguntinus*. c. 38.
D. Anton. *Molinettus*. c.12.
Theodor. *Morettus*. c. 18.
Henricus *Mühlpfort*. c. 16.
Pater *Müllerus*. c. 26.

O.

Carolus *Offredi*. c. 12.
Henr. *Oldenburgius*. c.23.
Adam *Olearius*. c. 8.
D. Frid. *Ortlobius*. c. 16. 18.
Oſwaldus. c. 13.
Ovidius. c. 38.

P.

D. Caſp. *Packiſius*. c. 16.
D. Bernh. *Paludanus*. c. 8.
Pancirollus. c. 37.
Paracelſus. ibidem.
D. Gvido *Patinus*. c. 10. 22.
D. Johann. *Paterſon* Hain. c. 20. 36.
Chriſtian. Franc. *Paullinus*. c. 24.
D. Georg. Chriſtophorus *Petri*. c. 34. 36.
D. Johannes *Pfautz*. c. 34.
D. Joh. *Pfeilius*. c. 16.
D. Joh. *Pilgramm*. ibid.
D. Johan. Jac. *Piſanus*. c. 36.
D. Felix *Platerus*. c. 9.
Puteanus. ibidem.

R.

Princeps *Ragozzi*. c. 20.
D. *Ranchinus*. c. 10.
Princeps *Razevilius*. c. 20.
Franciſcus *Redi*. c. 21.
D. Thom. *Reineſius*. c. 8.
D. Salomon *Reiſelius*. c. 29. 36.
Johann. *Rhodius*. c. 12.
D. *Rindfleiſch* Latinè Bucretius. vid. B.
D. Johan. *Riolanus*. c. 10.
D. Guilielmus *Riva*. c. 21.
D. *Riverius*. c. 10.
D. Caſpar *Rumbaum*. c. 16.
D. Chriſtophorus *Rumbaum*. ibid.
D. Georgius *Rumbaum*. ibid.
Rudolfus. II. Imp. ibid.

S.

Salmaſius. c. 8.
Salomon Rex. 35. 39.
D. Rudolf. *Saltzmannus*. c. 9.

 D. Petr.

D. Petr. *Sanchius*. c. 10.
D. Andreas *Schato* à Schattenfeld. c. 16.
D. Sebaſtianus *Scheffer*. c. 10. 16.
D. Balth. *Scheiderus*. c. 16.
D. Johann. Georg. *Schenckius*. ibid.
D. Johann. Theod. *Schenckius* c. 34. 36.
D. Elias Schmidius. c. 17. 29. 35.
D. Johan. *Schmidius*. c. 32.
D. Laur. *Scholtzius*. c. 16. 37.
D. Lucas *Schræckius*. c. 34.
D. Johann. *Schröderus*. c. 9.
D. Simon *Schultz*. c. 32. 36.
D. Johann. *Scultetus*. c. 29.
D. Johann. Alb. *Sebitzius*. c. 9. 26.
D. Georg. *Segerus*. c. 32. 36.
Senatus Hamburgenſis. c. 35.
Senatus Vratislavienſis. c. 4. 7. 15. 16. 18. 38.
D. Daniel Sennertus. c. 8. 16. 22. 37.
Societas del Cimento. c. 21.
Societas della Cruſca. ibid.
Societas Londinenſis. c. 18. 23.
Ludovicus de *Solignia*c. c. 10.
D. Paulus de *Sorbait*. c. 26. 27. 36.
D. Adrian. *Spigelius*. c. 14. 16.
D. David *Spilenberger*. c. 20.
D. Samuel *Spilenberger*. ibid. &. c. 36.
D. Petrus de *Spinâ*. c. 9.
D. Car. *Sponius*. c. 10. 16. 22. 37.
D. Johan. *Sprembergerus*. c. 16.
Statius. c. 18.
D. *Stupanus*. c. 9.
D. Caſpar *Suevus*. c. 8.
D. Benedict. *Sylvaticus*. c. 12.
Symmachus. c. 40.

T.

Philippus *Talducci* à Domo. c. 28.
D. Paulus Maria *Terſaga*. c. 21.
D. Godofr. *Thileſius*. c. 16. 18. 37.
D. Johann. Frid. *Treublerus*. c. 25.
Turnheuſerus. c. 11.
D. Johan. Jacobus *Typſma*. c. 24.

V.

Valleſius. c. 21.
D. Georg. Hieron. *Velſchius*. c. 13. 34.
Vernulæus. c. 9.
Vitruvius. c. 18.
D. Johan. Georg. *Volckamerus*. c. 29. 36.
D. Henr. *Vollgnadius*. c. 1. 16. 18. 21. 23. 30. 36.
D. Adolf. *Vorſtius*. c. 8.
D. Leonhard. *Urſinus*. c. 22. 31.

W.

D. Joh. *Waleus*. c. 8.
D. Jacobus *Waldſchmid*. c. 29.
D. Georg. Wolfg. *Wedelius*. c. 34. 36.
D. Dominicus *Weiſſius*. c. 16.
D. Joh. Jacobus *Wepfer*. c. 30. 36.
D. Daniel *Widholtz*. c. 11. 13.
D. Johan. Uldaricus *Widholtz*. c. 11. 13. 34.
D. Nicolaus *Witte*. c. 5. 25.
D. Laurentius *Wolfſtrigel*. c. 26. 36.
D. Sigm. *Woyſelius*. Senior & Junior. c. 16.

FINIS.

MAUSOLEA
TRIUM NEOTERICORUM MEDICINÆ PROCERUM,

GUIDONIS PATINI
BELLOVACI.

PHILIPPI JACOBI SACHSII
VRATISLAVIENSIS.

JOHANNIS GEORGII FELWERI
FOROTIBERIANI.

ACCINENTE
CAROLO SPONIO,
LUGDUNENSI.

ΤΟύτους ἐκπλήττεσθαι σιωπῇ μαλλον, ἢ ἐπαινεῖν ῥᾴδιον· οὐδενὸς λόγου ταῖς τῶν ἀνδρῶν ἀρεταῖς ἐξισουμένου. Suidæ verba, ubi de M. Antonino.

MAUSOLEA
Trium Neotericorum Medicinæ Procerum,
GVIDONIS PATINI, Bellovaci,
JOANNIS GEORGII FELWERI, Forotiberiani,
PHILIPPI JACOBI SACHSII, Wratislavienſis.

NÆNIA.

QUot mihi, lex dura Fati, parturis moleſtias,
Quot dolores fluctuatim ſemper advolvis mihi,
Dum ſigillatim ſodales ſubtrahis fidiſſimos,
Sicque me ſubinde mactas orbitatibus novis,
Vix quibus ſit par ferendis ipſamet conſtantia?
Cur mihi ceſſas & ipſi lucis uſum tollere?
Cur jubes tantis amicis, proh dolor! ſuperſtitem
Eſſe me, quos plus ocellis diligebam propriis?
Inter hos, ſed maximè tres omnium lectiſſimos,
Nempe FELVVERUM, PATINUM, & SACHSIUM deſidero,
Nuper, ah! terris ademtos publicô diſpendiô.
Occiderunt, occiderunt nobiles Triumviri,
Fulgida ac ampliſſima orbis litterati Sidera,

Rara Jatrici ſenatûs totius miracula,
Ac mei ipſius voluptas ſingularis SPONII,
Qui, velut mœrens äedon caritatibus ſuis
Voce lugubri parentat ſubter umbra populi,
Intimorum accanto buſtis, nec ſatis ſanus fremo,
Luctibus ſquallens amaris, ejulans creberrimè,
Et Deas colum regentes impetens conviciis,
Quin ciens Manes amicos è locis, unde huc redux
Nemo fit, ſuſpiriiſque pertrahi nullus ſolet.
At mihi fortaſſe Manes, ſi foret fas, dixerint,
Quid facis, cerrite SPONI? voce cur noſmet tuâ
Immerenteis inquietas, atque retrò pellicis?
Cum tamen fruamur almâ Numinis præſentiâ,
Quæ locum nobis beati copiæ-cornu tenet.
Deinde cur Neceſſitatis filiabus obſtrepis,
Juſſa quæ ſolent Tonantis exequi juſtiſſima?
Sicque næniæ querelis adjicis blaſphemias.
Talia, ô verendi Achatæ, ſubmonetis commodùm:
Nempè ſunt laxanda frena parcius doloribus,
Qui, rapax ceu vultur, inſtant, ac cor exedunt mihi,
Invidere ne quieti fortè veſtræ judicer,
Aut vicem dolere veſtram, quam ſcio lætiſſimam.
Quin & abſtinebo deinceps jurgiis inceſſere
Tres puellas, penſa vitæ quæ feruntur volvere,
Quippe cum felicitatis compotes vos fecerint,
Terminum fatalem adeptos laude cum certiſſimâ.
Interim ſaltem mei ergò, nil vetabit, ut puto,
Planctibus lenire luctum, quô miſellus differor,
Quòd mihi tàm dulce raptum ſentiam conſortium, &
Maximi ſolatii rem denegatam impoſterum:
Unde cultor usque cogar eſſe ſolitudinis,
Non ſecus quàm ſuevit eſſe turtur exors comparis.

PÆAN

PÆAN I.
In D. M.
GVID. PATINI BELLOVACI.

PRimus es, PATINE GVIDO, flere quem juvat modò,
O mearum tot per annos flos neceſſitudinum!
Cui fidem cultumque ſummum voveram germanitùs,
Sic ut unum cor & unus ſpiritus nobis foret,
Atque mutuis amorem paſceremus litteris,
Quæ jocis permiſta ſemper præferebant ſeria;
Unde larga gaudiorum demetebatur ſeges,
Atque virtutum utriusque mentibus celeuſmata
Suggerebantur, vigorem priſtinum ut reſumerent.
Conticeſcis nunc, AMICE, mortuus Lutetiæ,
Conticeſcam Luguduni præ dolore ſeminex:
Quippe qui Tuis ſolebam ſuſcitari afflatibus,
Qualiter primô ſub ortu Solis exceptans jubar,
Ad ſonos chordas coloſſus commodabat Memnonis.
Nec Tui jactura ſolum ſauciavit SPONIUM,
Sentit ipſam Regiorum interpretum Collegium,
Quod Tuæ eruditioni ſemper aſſurrexerat:
Æſculapî ſentit ordo, cujus audiſti caput,
Cujus & Tu jura contra ſycophantam callidum
Curiâ coram ſupremâ tam probè tutatus es.
Quin & alma tota vulnus ſentit Urbs idem quoque,
Cujus incolas levabas mille corporum malis.
Plangit agmen langvidorum nunc tuâ carens ope.
Exteri plangunt amici, cum tuis domeſticis;
Sed potiſſimum querelis gnatus indulget tuus,
CAROLUS, typus paternæ laudis expreſſiſſimus,
Omnium dives faviſſa dotium magni ingenî,
Qui (nefas!) lare è ſuopte truſus irâ Principum,

Inſtitores quam librorum exciverant calumniis,
In peregrino fatiſcit, ſorte Naſonis, ſolo.
Ah dies optata ſurgat, quâ faventibus Deis
Veritas clarè pateſcat innocentiæ Viri!
Mox in amplexus ruemus, cum domum reverterit,
Et novum Pæána noſtræ concinent Camænulæ.
Regium quoque univerſum plangit auditorium,
Quod pependiſſe abs tuo ore, buccinare non piget.
Codicum vis ampla luget, quam Tibi congeſſeras,
Inque Muſæi capacis clauſeras alveariis,
Uſui futura fortè diſpari longè Viro.
Pergerem lugere & ipſe, flere, ringi, conqueri,
Tempora umbrarem cupreſſu, veſte pullâ incederem,
Si quid hæc prodeſſe poſſent jam ſepultis Manibus:
Talia autem quando cuncta conſtat eſſe frivola,
Nec DEI juſſis oportet obloqui quenquam pium,
Deſinamus, ac PATINI ſic precemur Manibus:
Magne ſemo, jamque facte compos Abrahæ ſinûs,
Pax Tibi ſit parta jugis, ſit Tibi clemens DEUS,
Ætherisque gaudiorum perpetim nectar bibas!
Bina Mauſoléo at iſthæc carmina inſculpi velim:
Corpus heic jacet PATINI, mens adiVit æthera,
Fulgurat totum per orbem fama rara nominis.
Mortualis anni tempus proſa monſtrat ſubſequens:

Epitaphium Chronologicum.

GVIDoni. PatIno. BeLLoVaCo. CaroLVs. Spon. trIſtIs. ponIt. DICat. ConſeCrat.

Summa: DD. CCCCC. LLL. VVV. IIIIII. h. e. 1672.

PÆAN

PÆAN II.
In D. M.
PHILIPPI JACOBI SACHSII
WRATISLAVIENSIS.

MAximus Phœbi ſacerdos, ſcriba Naturæ impiger,
Gemma vix ulli ſecunda nationis Quadicæ,
Quæ velut pala æſtimatur annuli Germanici,
SACHSIUS, vitæ peractâ fabulâ denatus eſt:
Si putandus eſt obiſſe, cujus immortalis eſt
Mens bonis ſuccincta tantis, utpote & choragio
Quinque linguarum ſuperbo, & omnium gazâ ubere
Artium: quas inter alma principem locum tenet
Ars medendi, juncta rerum curioſæ indagini;
Queis velut duabus alis remigans Noſter, ſua
Senſa mandabat papyro plena ſucci & ardua,
Quæ ſtylô delineare tàm politô noverat,
Nemo non ut invidendum litteratus cenſeat.
Teſtis eſt hujusce dicti lucubratio duplex,
Plauſibus miris ab omni excepta doctorum grege,
Nempe de ſacrâ Lyæi *vite*, deque *gammaris*;
Ut nihil de luculentis heic *Notis* dicam, quibus
Bina *Miſcellaneorum* condiit volumina:
Nil item de *Microcoſmi rivulis, ſalo, amnibus*,
Deque rebus *petrefactis* vi Meduſææ æmulâ,
In quibus ſcitè exarandis vomerem trivit ſuum.
Quid tuos, AMICE, mores aureos nunc prædicem?
Candidus quippe & modeſtus omnibus præ cœteris
Diligendæ ſtupendæ, dædaleæ ſolertiæ,
Indecorâ non honorum, non opum flagrans ſiti,
Tam tenacis porrò amoris in peritos ac probos,

Nil ut ipſis denegare, quod cupiſſent, quiveris:
Unde amabilis quibusvis contribulibus tuis,
[Curioſos rerum Epoptas coſmicarum intelligo]
Sic eras, ut PHOSPHORI Te nomine inſigniverint,
Phoſphori, cui Diva Amorum mater unicè favet,
Inter aſtra quòd ſit igne puriore præditus:
Phoſphori, quô nulla ſtella gratior mortalibus,
Prodromus cùm mox futuræ lucis eſſe ſueverit.
Phoſphori, quem Chriſtus olim præmii locô ſuis
In noviſſimâ daturum ſe die promiſerat:
Phoſphorô quali brabeutes ille ſummus Te beet,
Chare SACHSI, perpetemque largiatur gloriam!
Me Tuô quanquam carere Parca contuberniô
Cogat, aſpectuque vultus omnium dulciſſimô:
Haud tamen vetabit ipſa, quô minus memor Tui
Usque ſim, feramque circum imaginem mecum Tuam:
Quæ mihi pervellat aurem, ſanctum ut exemplar Tuæ
Æmuler virtutis, utque hinc emigrandum cogitem,
Clepſydra ævi quando nobis præſtituta effluxerit,
Cœlitum quò tecum, AMICE, ſalvus adjungar choro,
Et triumphali ab JEHOVÆ doner AGNO laureâ.
Tale porrò Sachſianæ lemma tumbæ inſculpitor:
Heic Machaonis periti, SACHSII, *ſyphar jacet:*
Spiritum manus JEHOVÆ *ſuſtulerunt in polum:*
Viva ſeros ad nepotes fama perſtabit Viri.

Epitaphium Chronologicum.

PhILIppo. IaCobo. SaChſIo. VVratIsLaVIenſI.
CaroLVs. SponIVs. aMICo. Integro. sVaVIqVe.
LVgens, ponit. eX. Votô.
Summa M. CCCC. LLLL. X. VVVVVVVVVV. IIIIIIIIII.
Hoc eſt, 1672.

PÆAN

PÆAN III.
In D. M.
JOHANNIS GEORGII FELWERI,
FOROTIBERIANI.

O Decus, FELVVERE, noſtrum, terræ honos Helveticæ!
Abſit ut Te luce caſſum prorſus indictum ſinam,
Utque leſſu noſtra funus Muſa defraudet tuum,
Altiùs cum pectori icôn hæreat noſtro Tua:
Et quidem prohedriæ ob jus, non enim magis vetus
Mî fuit, quàm Tu, ſodalis ullus, aut fidelior.
Prima conſuetudo namque nata nos inter fuit,
Dum Lutetiæ ſalubrem primulùm ſcientiam
Haurientes viveremus in juventæ limine.
Poſtmodum ſinceri amoris mutuum nos vinculum
Invicem ſic junxit, ut vix ſtrictiùs fratres liget.
Invida autem ſors ab uno ſeparavit alterum,
Quando bellaces adire Te jubebat Sarmatas:
Heicque mox Te CASIMIRO fecit innoteſcere
Principi, qui ſanitatis credidit curam Tibi:
Deinde Rex creatus idem, munere Archiatricô
Temet ornavit, diu quô functus es digniſſimè.
Tandem ubi, favente cœlô, es nactus (etſi ægrè) rudem
Abdicatis tædioſis aulicorum moribus,
Qui minus quadrare vitæ ſanctimoniæ ſolent,
In Forum Tiberianum, margini Rheni adſitum,
Quæ Tibi JANOque FREIO terra natalis fuit,
Te, tuósque rettuliſti, viveres ut liberè.
Attamen non heic Tibi, Heros litterariæ inclyte,
Verticem Phœbéa texit infula adverſus necem.
Hei mihi, lethô occuparis, Optime ô mortalium!

Quid

Quid mihi fuiſſe mentis creditis, Libethrides,
Quando cladis tàm nefaſtæ fulminabar nunciô;
Illicò obrigeſcere artûs, ſtare ſenſimus comas,
Sicque fauces obſerari, prorſus ut vox hæſerit.
Parce, quæſo, parce Parca, vel duos ſimul neca,
Ne dies unquam ſuprema ſeparet nos invicem.
Deſeris me, Vir Amice, ac ultimum clamas Vale:
Audio, & reclamo totus lacrumabundus Vale.
Siccine, ô Mânes, abitis? evolatis, proh dolor!
Ah moramini parumper, nam lubens unà ivero:
Sat mihi vitæ peractum, lucis hujus ſum ſatur,
Integros cum vixerim jam ſepties annos novem.
Sed ſero voces inanes, auribus Parcæ carent.
Proripit ſeſe Umbra pinnis fulminis perniciùs,
Jamque cœlis appropinquat, jam galaxiam ſubit.
Quid ſtupemus hiſcimusve? certè humi reptabiles
Linquimur, ſuſpiriisque nitimur ſurſum vehi.
Attamen fruſtrà profectò, donec annuat DEI,
Arbitri vitæ necisque ſumma Providentia.
Sic Eliſæus magiſtrum geſtiebat ſubſequi,
Igniformibus quadrigis dum polum conſcenderet,
Decidente at is coactus eſſe contentus togâ.
Reſtat heic, ut Chriſtianô vota ſenſu nuncupem:
Umbra præſtans, in ſilentum jam choro ſpectabilis,
Pax Tibi ſit parta jugis, ſit Tibi clemens DEUS,
Ætherisque gaudiorum perpetim nectar bibas!

Epitaphium Chronologicum,

IohannI GeorgIo. FeLVVero. ForotIberIano.
CaroLVs. SponIVs. aMICo. ſVaVI. Caro. pretIoſo.
LVbens. LVgensqVe. ponIt. hIC. eX. Voto.
Sum. M. CCCC. LLLL. X. VVVVVVVVVV. IIIIIIIII. h. e. 1671.

F I N I S.

Corrigenda in Vitâ Sachſianâ.

PAg. 4. lin. 24. Ærarii publici *adde* dirigendi l. 32. l. hebdomadibus p. 6. 20. l quod, ut in. l. 25. negligamus; l. 26. l. in-uſum. p. 8. l. 3. l. decennii. p. 10. l. 24. l. ſicut ex temperamento. l 32. magnum. p. 13. l. 9. l. & ex iis. p. 25. l. 7. l. Illuſtris. l. 9. l. Vivos. l. 28. l. Lithogeneſiâ. p. 28. l. 21. l. cap. 1. §. l. 27 l. in Carmine. p. 30. l. 31. l. Se geſſit. p. 35. l. 25. l. Curioſæque. p. 37. l. antepenult. l. pag. 79. p 38. l penult. nec in Germanum. p 40. l. 29. l. eſt. Uti p. 42. l. 22. § 8. p. 47 l. 6. de altero. l. 22. l. Sachſianâ p. 48. l. 4. l. ſpesvè. p. 49 l. 7. l. Becker, p 52. l. 14. Obſ. CXI. p. 66. l. 22. l. Cantharidibus, p. 67. l. 9. l. inſertas.

BRITISH MUS
NATURAL HISTORY